ANNALES
REGVM
HVNGARIAE.

324

ANNALES REGVM HVNGARIAE

AB
ANNO CHRISTI CMXCVII
AD
ANNVM MDLXIV.

DEDVCTI,
AC MAXIMAM PARTEM EX SCRIPTORIBVS COAEVIS,
DIPLOMATIBVS, TABVLIS PVBLICIS,, ET ID GENVS
LITTERARIIS INSTRVMENTIS CONGESTI

OPERA ET STVDIO
GEORGII PRAY
SOCIETATIS JESV SACERDOTIS.

PARS IV.

COMPLECTENS RES GESTAS
AB
CORONATIONE MATHIAE
CORVINI,
AD
LVDOVICVM II.

VINDOBONAE,
SVMPTIBVS AVGVSTINI BERNARDI, BIBLIOPOLAE VNIVERSITATIS.
MDCCLXVII.

AD LECTOREM.

HOc volumine præter Mathiæ res geſtas, quarum partem ſuperiore anno vulgavi, Wladiſlaum quoque II. complector. Itaque duo reges mihi argumentum ſunt, quorum alteri regnum ſummam felicitatem, alteri ruinæ, qua deinceps obvolutum eſt, initia debet. Illius, niſi nimium mihi blandior, multa, quæ hactenus obſcura latebant, in lucem educo, utique plura educturus, ſi in Tabularia ſexcentis clauſtris obſepta irrumpere potuiſſem. Tametſi, quæ minuta erant, prudens, volensque omiſerim, ſive quod ad rerum publicarum communionem, nexumque nihil, aut parum attinebant, ſive quod hæc iis malui relinquere, qui ejus vitam, ſi quos id ſtudium fortaſſe inceſſerit, ſeorſim moliri volent. De hoc facilius ſileri, quam moderatum aliquid dici poteſt: ita pleraſque privati hominis virtutes, cum non paucis principum vitiis fere conjunxit.

Uſus autem ſum ad faciendam fidem, MS. in primis codice, qui varias Corvini, & Wladiſlai epiſtolas, &, ut codicis titulus habet, TRACTATUS continet; quemque ego ob characteris vetuſtatem coævum puto: tum alio itidem codice MS. qui pauciores priore epiſtolas Mathiæ regis complectitur, ejuſdem omnino, quo res iſthic geſtæ narrantur, temporis, ut facile ex ultimo folio membraneo patet; ubi, quisquis eum codicem eleganti omnino manu deſcripſit, hæc legas: „ Anno Domini MCCCCLXX. circa feſtum „ beati Stephani regis ad Tranſilvaniam miſſus fui. „ An a rege, & qua de cauſa, non memorat. Rurſum: „ Anno Domini MCCCCLXXII. exivi de „ Tranſilvania circa feſtum conceptionis beatæ Mariæ Virginis. „ Item: „ Anno Domini MCCCCLXXIII. domino Johanni Ernuſt donatus eſt Epi„ ſcopatus Quinque-Eccleſienſis, & Caſtrum Quinque-Eccleſienſe reſtitutum „ eſt, feria V. ſexta poſt feſtum Nativitatis Mariæ. „ Interiori autem thecæ faciei hæc majuſculo charactere inſcripta ſunt: „ PHILIPPUS DE CZU„ LA. „ Qui an codicem manu ſua deſcripſerit, quod tamen non abſimilis litterarum forma, ac modulus indicat, cavere in ſolidum non auſim. Præter hos codices in numerum quoque veniunt Scriptores, qui rebus, quas narrant, aut ſynchroni, aut proximi fuere: cujusmodi ſine dubio erant, BONFINIUS, TUBERO, ISTVANFFIUS, & qui etiamnum latet, BRUTUS. De ſingulis, quoniam locus id poſcit, non tam quid mihi videatur, tametſi & id indicabo, quam, qui, qualesve fuerint, quo animo acceſſerint ad ſcribendum, & quam feliciter inſtitutum ſuum perſecuti ſint, citra aſſentationem expediam.

AD LECTOREM.

Antonius de Bonfinis, nam id Bonfinio gentilitium nomen erat, patria Aſculanus, paulo ante, quam Viennam Corvinus triumphanti ſimilis anno MCCCCLXXXV. ingreſſus eſſet, vulgato latiſſime regis nomine, Rhetiam, ut ipſe Dec. IV. Lib. VII. de ſe ait, venerat, ac Mathiæ tria volumina dicavit: „ Hermogenem, & Herodianum, quos e græco in latinum ipſe „ traduxerat, atque brevem de Corvinæ domus origine libellum: reginæ „ duo; alterum de virginitate, & pudicitia conjugali, de hiſtoria Aſculana „ alterum. Unum autem epigrammaton libellum Joanni Corvino inſcripſe- „ rat, cum haud injucunda, inutilique præfatione. „ Juſſus deinde inſigni ſalario conductus caſtra ſequi, præter Neapolitanas iconas, credo reginæ gratiam ea re aucupatum eſſe, & ſophiſtarum vitas, variique argumenti epiſtolas, Philoſtratum tribus menſibus e græco latinum reddidit, plane tum, dum Corvinus in obſidione Neoſtadii diutule adhæreret. Delectatus Bonfinii ingenio Mathias, provinciam ei, res Hungaricas ſcribendi, mandavit, quas ipſe paulo ante regis obitum inchoatas, & ad annum MCCCCXCV. adductas, Wladislao inſcripſit, ante annum, ni fallor, MD. cum ipſe in epiſtola, qua ei opus dicat, & breve ſibi tempus ſuppetiiſſe memoret, & pacatas domi, foriſque res Wladislao fuiſſe perhibeat, quod ante laudatum annum, initis cum utroque regni æmulo fœderibus, eveniſſe compertum eſt. Quando, ubive vitam finierit, nihil exploratum habeo. Ad annum MDXV. non perveniſſe noſtrum mihi prorſus perſuaſum eſt: alioquin a Viennenſi Conventu ſibi non temperaturum fuiſſe, admodum veri eſt ſimile: ad quem, ut Bartolinus memorat, Joannes Dantiſcus, Caſpar Lyſita, Urſinus Velius, qui poſtea bellum Pannonicum, inter Ferdinandum, & Joannem geſtum, conſcripſit, aliique haud pauci ex eruditis confluxere. Hæc de ſcriptoris ætate: de argumento ita exiſtimo: eum in rebus Hunnicis, quod alias indicavi, veterum de Scythis ſcribentium opinionem cum errore ut plurimum ſecutum fuiſſe: in Hungaricis, nam de Avaribus pauca commentatus eſt, quanto longius ad regum primordia narratio ſpectat, tanto magis in Chronologia exerrare, & nonnullis ex ſuo ingenio additis expreſſiſſe Thurocium: in Corvinianis autem mirum aſſentatorem videri, cum res ipſa loquitur, tum epiſtola, qua conſcriptam ab ſe hiſtoriam Wladislao conſecrat, manifeſto argumento eſt: cujus vitia fucato verborum pigmento, virtutes facit. Stili ratio, præterquam, quod ex priſcorum norma, Deorum nominibus, ac monſtris futurarum rerum præſagis, plus, quam religionis caſtimonia ſineret, perſæpe tribuat, ſcita quidem illi eſt, ſed, ut mihi videtur, hians, & inæquabilis, plusque oratoris, quam hiſtorici referens. Quo loco illud mirari ſubit: cur hanc ſcribendi provinciam Mathias Jano Pannonio, Quinque-Eccleſienſi epiſcopo non tribuerit. Qui cum ingenio veteribus certare, & patriam hiſtoriam carmine, ſed quod temporum injuria nobis ſubtraxerat, complecti potuerit, idem eadem, qua Bonfinius, elegantia facturus videbatur. Niſi forte tum quoque exteris rebus major, quam domeſticis gratia inerat.

Primus omnium, quod ſciam, XXX. Bonfinii libros vulgavit Martinus Brennerus Tranſilvanus anno MDXLIII. quos poſtea Sambucus Hungarus, repertis, qui deerant, XV. libris auctiores anno MDXLVIII. reddidit,

dit,

dit. Tredecim poſt annis in Germanicum traductus prodiit: tantum erat id temporis rerum Hungaricarum etiam apud exteros ſtudium. Ex quo convinciandi materiam aliquos ſibi ſumere, non me latet: qui, quod idem Hungarico idiomate loquens lucem hactenus non viderit, mirantur. Sed ignorant iſti, noſtris, quibus uſui Bonfinius eſſe poſſit, Latinum perinde, ac Hungaricum familiare eſſe. Ad cæteros autem nihil attinet.

De LUDOVICO TUBERONE, qui proximus a Bonfinio res Hungaricas, & ſui temporis ſcripſit, ſuum Cl. Belius Judicium jam multo ante in præfatione ad ſcriptores rerum Hungaricarum diligenter expromſit: ego pauca, quæ in pervetuſto codice MS. Collegii Societatis JEſu Poſonii repereram, adjicienda exiſtimavi. Primum epiſtola eſt, qua Colocenſem Archiepiſcopum operis ſui tutorem conſtituit, ex qua de Auctoris ætate facilis conjectura ſit. Ea ſic habet:

„ Ludovicus Tubero Dalmata Abbas, Gregorio Fregepani (ſed omnino legendum Frangepani) Colocenſium Pontifici S. D. Qui liberis ſuis teſtamento tutores dare deliberant, non ſolum inter conſultandum agnatos, quibus id negotii demandent, quærendos eſſe cenſent, ſed etiam an hi ipſi amici ſint, accurate diſpiciunt, maluntque alieno, qui fidei ſuæ documentum dedit, quam ſanguine conjuncto, cujus animum parum perſpectum habent, id oneris imponere. Non enim recte propinquo, niſi idem ſit amicus, tutela committitur liberorum. Sed nec remiſſionem tutelæ Romanæ leges his tribuunt, quorum fidem, aut teſtatoris, aut prætoris judicio exploratam eſſe conſtat. Quare cum confeciſſem aliquot de temporibus meis commentarios, cum quorundam veterum ſcriptorum, & eorum ſapientiæ ſtudioſiſſimorum provocatus exemplo, tum ſanctimonia inſignium noſtræ ſectæ hominum ſtudium ſecutus, eos ad te dono miſi: ut tu ſcilicet perinde, ac liberos ex neceſſario tuo genitos, tuæque tutelæ commiſſos, ita in domum tuam excipias, atque apud te habeas, ut poſteris quoque judicium de te meum teſtatum ſit. Nam tametſi dicendi genere nihil fere laudis aſſequi debeam, niſi quod ad exequendam hiſtoriam aliis materiam ſubjeciſſe videar: attamen præterquam, quod nuda quoque rerum narratione legentes delectantur, amore in te meo notiſſimus eſſe cupio. Vale. „

Gregorium Frangepanem in decreto anni MDIV. quod exſtat in corpore juris Hungarici, Colocenſem Archiepiſcopum lego: neque multo prius ad eam ſedem evectum fuiſſe, veriſimile eſt, quod anno MDI. Ladislaum Gerebum ex Tranſilvania ad Colocenſium Epiſcopen traductum, ex Wladislai ad Papam epiſtola compertum habeo. Eundem aute Mohachianam cladem obiiſſe extra omnem dubitationem eſt, quod Tomoræus Colocenſis Pontifex Copiarum eo bello dux fuerit. Itaque ante annum MDXXII. opus ſuum Frangepani donum dederit. Ex quo perſpicuum ſit, auctorem ad Mathiæ Corvini, Wladislai, & Ludovici regum ætatem pertinuiſſe. Abbatem ſe ipſum diſerte compellat: an ex ordine Eccleſiaſtico, aut eorum, qui religioſum inſtitutum ſectantur, haud ſatis intelligo: tametſi iſtud veroſimilius videatur. Patria autem Raguſanum fuiſſe, prope eſt, ut mihi perſuadeam.

 Id

Id primum Tuberonis exemplum fuit, quod in Hungariam allatum conſtet: alterum ad Joannem II. Joannis de Zapolya filium in Tranſilvaniam anno MDLXX. transmiſſum eſt, ut fidem facit idem MS. codex; cui PETRUS BENESSA Raguſanus epiſtolam in hæc verba præfixit:

„ Sereniſſimo, ac Potentiſſimo Principi, Joanni, electo regi Hungariæ, „ Dalmatiæ, Croatiæ, poſt humilem ſervitiorum ſuorum commendationem „ Petrus Beneſſa S. P. D. Cum valde ſemper optaſſem Sereniſſime, ac Potentiſſime rex, aliqua bene navata opera, gratiam tuæ Majeſtatis ſummam „ inire, multum, diuque mecum cogitavi, qua nam potiſſimum re maximum „ meum in tuam Majeſtatem ſtudium, mirificumque amorem, ac prope incredibilem declararem. Cum vero multa animo agitaſſem, multa undique circumſpexiſſem, voti magis & felicitatis, quam mearum virium, vel „ fortunæ eſſe videbam, ut me in amicitiam inſinuarem tuam. Sed accidit „ tempus optatum magis, quam ſperatum, ut voti mei aliqua ex parte compos fieri ſperarem. Nam cum ſuperiore anno Franciſcus Forgacſius Raguſium ad me domum veniſſet, vir ſumma gravitate, multa magnarum „ artium, & illuſtrium ſcientia, ac ſapientia ornatiſſimus, & rerum plurimarum, ſed præcipue Hungaricarum, uſu peritiſſimus, tuæ vero Majeſtatis, „ dignitatisve percupidus, ut ex eo animum mihi tuum percipere liceret, „ cum de ſermonibus, quos de præclaris litterarum ſtudiis, cum magna „ optimæque voluntatis ſignificatione, rectiſſimoque judicio habuiſſes, mihi „ narraret, plura ipſe ab eo de regno, & majeſtate tua percunctatus ſum: „ multa ille de ea memoriter, & jucunde narrare ſolebat, me vero vere quaſi „ ſcienter addentem admirans, interrogavit, unde in regione tam remota, ea „ ſumerem; tum ego illi auctorem certum, ac fidei plenum, tanquam teſtem rerum Hungaricarum præclare geſtarum, locupletiſſimum, ac graviſſimum citavi. Cujus Franciſcus miro videndi deſiderio accenſus majori „ ſtudio a me contendere cœpit, ut illum ſibi oſtenderem: oſtenſum vero, „ perlectum, atque probatum, affirmavit auctorem talem, qualem ſplendida, ac eruditiſſima ingenia probarent, & quali optimus quisque delectari „ poſſet, perindignum eſſe, jacere in tenebris, qui rebus in Hungaria fortiter, magnifice, & ſplendide poſt obitum Mathiæ regis geſtis, veritatis luce „ digniſſimus, gratum, jucundumque in ſempiternæ memoriæ lumen poſſit, „ & debeat efferri. Quamobrem confirmans, ſi hæc hiſtoria tuæ Majeſtati „ mittatur, id illi, & ſibi gratum fore, animum meum jam diu, ut mitterem, accenſum ea oratione tanta cupiditate inflammavit, ut nihil libentius „ facere mihi contigerit unquam. Quapropter eum librum ipſius Auctoris „ manu conſcriptum, deſcribendum curavi, cujus exemplum quam emendatiſſimum tuæ Majeſtati mitto, atque dedico, eam orans, ut eo animo, & „ ea fronte munuſculum accipiat, qua aliis maxima donare ſolet, & ut ei „ ſummam perpetuamque felicitatem precor, ſic me, meaque omnia ei commendatiſſima cupio, trado, atque commendo, & ut in ea amanda nemini „ concedo, ſic me in numerum ſuorum chariſſimorum recipiat, etiam, atque etiam rogo. Quod mihi tua majeſtas impoſuit, ut hominibus tuis „ huc profectis, & Raguſium divertentibus, quibuscunque poſſim rebus, ac-

„ com-

„ commodem, ut talia onera, & tam jucunda mihi ſemper imponat, oro.
„ Omnia quidem certe, quæ in tuis rebus agam, non laborioſa mihi, ſed ho-
„ neſta videbuntur. Quamobrem crebritate officiorum, ſtudio, & diligen-
„ tia efficiam profecto, ut Hungaris, quos meo nomine ſemper dilexi pluri-
„ mum, & ex tuis familiaribus præcipue, quibus propter Majeſtatem tuam
„ arctiſſimo amoris vinculo obſtrictus ſum, atque devinctus, pro meæ fortu-
„ næ facultate ſatisfaciam, præcipuam gratiam majeſtatis tuæ quærens, atque
„ exſpectans, quam in perpetuum feliciſſimam cupio. Datis Raguſii V. Ca-
„ lendas Martii anno ſalutis MDLXX. „

Hæc de Tuberone ad CL. BELII præfationem addenda putavi. Iſtum
NICOLAUS ISTVANFFIUS, ut ordine, ſic ſcribendi munere, quod ipſe
ſibi ſuapte ſumſerat, excepit. De quo quoniam multi etiam ex noſtris multa
illius ignorant, THOMÆ BALASFII Boſnenſis epiſcopi, Iſtvanffio coævi,
narratione, quam doctiſſimus KOLLARIUS in ſupplementis ad Lambecii
commentarios nuper admodum vulgavit, libenter utor. „ Natus eſt Nico-
„ laus Iſtvaoffi circa Urbem Quinque-Eccleſias in Caſtello paterno, cui in-
„ colæ a Nativitate Beatæ Mariæ Virginis, quo die celebres iſthic nundinæ
„ celebrantur, nomen dederunt, (unde ex loco familiæ nomen de Kiſſ-
„ aſzſzoo-falva inditum eſt) anno Chriſti MDXXXVIII, parentibus Paulo Iſt-
„ vaoffio, & Adviga Gyulana, quorum nobilitatem ipſe ab Ottone Palatino
„ regni Hungariæ, qui tempore Salamonis regis Hungariæ vixit, repetebat.
„ Poſtquam autem Turcæ Quinqne-Eccleſiis potiti ſunt, ipſe cum profugis
„ parentibus puer admodum in exilium profectus, variis in locis illud tolera-
„ vit. Poſteriori tempore Paulo Archiepiſcopo Strigonienſi commendatus
„ eſt, apud quem biennium vixit, atque, ubi is morte exſtinctus eſt, in au-
„ lam Nicolai Olahi epiſcopi Agrienſis tranſiit, qui eum in Italiam cum ne-
„ pote ſuo Georgio Bononiam miſit: ubi cum per quinquenoium præcepto-
„ re uſus Sambuco, bonis litteris tam Græcis, quam latinis operam navaſſet,
„ ſatis iis inſudans, multum in utraque lingua profecit, & reverſus eam
„ grati animi ſignificationem præbuit, ut ipſi Nicolao Olaho, qui interea Pau-
„ lo Vardano in Archiepiſcopatu ſucceſſerat, decem annis Secretarii munere
„ functus fuerit. Poſtea cum Joannes Liſtius, Secretarius Cæſareus, ena-
„ to in auribus apoſtemate, in morbum incidiſſet gravem, & difficilem, ut
„ illum ſuperare non poſſe crederetur, eundem Nicolaum Iſtvanffi in ejus
„ locum, cum eſſet Cancellarius, ſuccedere voluit, in quo officio ipſi Maxi-
„ miliano Cæſari imprimis charus per integros decem, & ſeptem annos dili-
„ genter, & fideliter verſatus eſt, nec ullus fuit, qui de eo merito conqueri
„ potuerit. Interea Maximiliano Cæſare vita functo, & Rudolpho filio ei
„ ſuccedente, Emericus Czoborius, qui cauſas Palatinales dijudicare ſolebat,
„ morbo ſublatus eſt, & Rudolphus Imperator ejus officium Nicolao Iſtvanf-
„ fio contulit. Quod quidem officium per integros viginti ſeptem annos
„ integra exiſtimationis fama obtinuit: & tandem palatino per turbas, & diſ-
„ ſidia creato, ipſe officium hactenus geſtum, ſponte deſeruit, & ſigilla ſua
„ veterum more antiquavit, vixitque poſtea, dum vita ſuperfuit, privatus.
„ Uxorem duxit ex nobili, & vetuſta familia Elizabetham Batham, idque illi

„ ad extremam ætatem concors, & tranquillum matrimonium fuit, liberis „ ex ea ſuſceptis. Sed filiolum quadriennem, ſcitumque puerum domeſti„ co ictus vulnere, morbo ſublatum amiſit, - - - æquales habuit Stepha„ num Radecium, epiſcopum Agrienſem, Andream Dudicium, eum, qui Le„ gatione in Polonia functus deſertor ordinis ibidem uxorem duxit, & poſtea „ apoplexia tactus, Wratislaviæ obiit: Gabrielem a ſancto Georgio, Secreta„ rium Thomæ Nadasdi, regni Hungariæ Palatini, & Nicaſium Ellebodium „ Belgam, qui poſtea medicinam exercuit, & peſte Poſonii ſublatus eſt, „ quem ipſe nimium quantum dilexit. - - In eliberando etiam Maximilia„ no principe e captivitate Polonica, illuſtri viro, Wilhelmo a Roſis regni „ Bohemiæ, qui ejus curam Cæſaris nomine geſſit, quantum potuit, fidem „ operam adhibuit, & eam in bonum finem deduxit. In Tranſilvanica quo„ que, quamvis periculi plena, Legatione fortis, & invictus apparuit, & om„ nino eandem ipſe perfecit, ſicuti in hiſtoriis perſcripſit. Pari quoque te„ nore Palladem, & Martem coluit. Nam cum inducias Turcæ, quas cum „ Rudolpho Imperatore habebant, perfide ſuſtuliſſent, & res in apertum bel„ lum prorupiſſet, omnibus fere expeditionibus bellicis interfuit, non ſine „ ſecunda militiæ fama. Hiſtoriæ ſcribendæ munus ſenex admodum aggreſ„ ſus eſt, idque non ambitione quapiam, a qua per totam vitam longe abfuit, „ ſed ſponte, & amore patriæ impulſus. In qua ab exceſſu Mathiæ regis pri„ mi, usque ad inaugurationem Mathiæ ſecundi, CXXXII. annorum res ge„ ſtas complexus eſt, nec tamen ei ſupremam manum imponere, ant emenda„ re licuit. Cum enim in comitiis coronationi regiæ indictis, prope Danubium „ equitaret, ſubita apoplexia ſimul, & dextræ partis membrorum reſolutione „ tactus eſt, ob quem morbum ipſe ſcribendi munus, & facultatem amiſit. „ Convaluit tamen Dei optimi maximi, & medicorum ope, ſed ita, ut dex„ træ partis membra tremore quodam adhuc vacillent, & ipſe quidem, quan„ tum valetudine conceditur, patriæ afflictæ memoriam frequenter uſurpan„ do, & tacitis votis meliora quæque ſperando, aliis rebus poſtponere ſolet. „

Hactenus THOMAS BALASFIUS, epiſcopus Boſnenſis: quibus aliquot in Nicolai, & conſcriptæ ab eo hiſtoriæ laudem, epigrammata adnectit. Primum perelegans eſt, itaque habet:

Hiſtoriis cumulas patriæ vir maxime libros,
Nec niſi perpetuis, digna agis hiſtoriis.
Tu patriæ, illa tuis implebit ſecula factis,
Tu patriæ, illa tuis vivet in hiſtoriis.

Hortatorium alterum eſt, uti opus in lucem vulget, niſi mavis ſotericon dicere, elegantia primo nihil inferius:

Et potes, &, quamcunque potes, perquire ſalutem,
Et ſcis, &, quam ſcis, Hungariæ affer opem.
Sic utramque feres, tua ſi monumenta tenebris
Eruta, mox orbi conſpicienda dabis.
Tunc irata dabunt, tumidus quoque murmura Nilus,
Et vaticanis invidus Arnus aquis.
Gloria Pannonico eſt poſtquam vicinior Iſtro,
Eſſene cum Tyberi Roma ſuperba potes?

Ita-

Itaque cum præſtantiſſimus vir membrorum uſu captus eſſet, ne quid ad hiſtoriæ, quam XXXIV. libris complexus eſt, integritatem deeſſet, quatuor, qui ſuperabant, librorum epitomas concinnavit, quo ſcripturis materiam ſuggeret. Scripſit autem, ut erat ætate jam gravis, judicio acri, & ad rerum publicarum tractationem exacto, miraque libertate temperato, quæ nec a præſidentia ortum haberet, nec ob præcipitem in judicando temeritatem in convicium abiret. In Joannem Scepuſium durior nonnullis viſus, quod ego ex habitu temporis, quo regnum ob Turcorum ferociam miſerum in modum conflictabatur, factum puto. Cæteroquin ſtilus illi nitidus, ac concinnus, nihilque affectatum, aut exoticum redolens: niſi ubi res novæ, nova etiam nomenclatura, ad ſeculi ingenium efformandæ erant. Quæ libertas mihi quidem in majori parte laudis reponenda videtur, quam anxia multorum, ne dicam, nimia veteres imitandi religio. Certe ſi morbo non occupato extremam operi manum imponere ei licuiſſet, Bonfinium, tametſi & huic æquabili concinnitate præſtat, longo poſt ſe intervallo relicturus erat. Tam multæ erant in homine profano, ac in utraque republica per omnem vitam cum laude verſato, Romanæ litteræ. Moriturus opus ſuum Cardinali Pazmano, quocum illi vetus familiaritas interceſſerat, teſtamento legavit, quemadmodum Antonius Hieratus in operis dedicatione fidem his verbis facit. „ Librum hunc hiſtoricum auctor morti vicinus, illuſtriſſimæ, ac reverendiſſimæ veſtræ celſitudini, utpote amico, ſumma benevolentia, neceſſitate, mutuaque ſtudiorum, & ingeniorum harmonia, ſimilique conformitate ſibi conjunctiſſimo, teſtamento legavit. Opus profecto tanto hærede non indignum, quod ab illuſtriſſima, & reverendiſſima veſtra celſitudine porro mihi communicatum, inque iſtum finem, ut typis prima quaque occaſione evulgatum publici juris fieret, tranſmiſſum fuit. Mutuum hoc, ſive mavis commodatum, illuſtriſſime ac reverendiſſime Domine, celſitudini veſtræ nunc reddo, ac remitto, utpote vero, & legitimo ejus hæredi, ſic enim jus hæreditarium voluit. „ Hactenus de Iſtvanffio.

Joannes Michael Brutus, patria Venetus, aut, quod alii malunt, Florentinus, ætate Iſtvanffio grandior, ſcribendi tempore aut æqualis, aut non multum inferior fuit. Venetiis, incertum quam ob cauſam, exceſſe juſſus ſeptennium integrum per Hiſpaniam, Angliam, Galliam, ac Germaniam locorum incertus oberrabat, donec anno MDLXXIV. in Tranſilvaniam delatus, ab Stephano Bathorio, qui viri ingenio, ac doctrina mirifice delectabatur, res Tranſilvanicas ſcribere juſſus eſſet. Quæ exſtentne apud aliquem, an contra, prorſus ignoro. Poſtea Stephanum, ad ſolium a Polonis evocatum, ſequutus, cum armis iſthic omnia perſtreperent, in Cæſarea aula primum Wihelmo de ſancto Clemente, Hiſpaniæ legato, tum Oratori doctiſſimo homini cagnitus, cujus opera a Maximiliano Cæſare, ut erat doctorum virorum amans, permagni habitus eſt, ac poſtea a Rudolpho, qui illum in regimine exceperat, res Hungaricas ſcribendi mandata accepit. Ejus rei teſtem Epiſtolam cl. Kollarius in ſupplementis ad Lambecii Commentarios ſuperiore anno edidit, quam Cæſar ad Locumtenentem, ut ajunt, Hungariæ propterea dederat, & me hoc loco adſcribere omnino non piget.

„ Ut res Hungaricas (ita litteræ habent) Joannes Michael Brutus,
„ Hiſtoriographus noſter, accuratius ſcriberet, & commodius, ex iſtius regni
„ noſtri ærario ſtipendium ipſi ſolvendum decrevimus. Poſtquam vero dif-
„ ficultatem ipſum experiri majorem, quam ſperaverit, intelligimus, ita, ut
„ ultro citroque proficiſcendo, nihil præter temporis jacturam, & vacuos lo-
„ culos reportet, quorum utrumque per ſe grave, propter ſenium ipſi gra-
„ vius ſit, omnino benignitatis eſſe noſtræ, qua ipſum Brutum ob inſignem
„ doctrinam, & anteactæ vitæ merita complectimur, exiſtimamus, id aucto-
„ ritate noſtra in primis efficere, ne tam præclaræ ſcriptionis ſtilum egeſtas
„ remoretur, neve ea cura curas ſimiles, quæ quocnnque potius ſolatio le-
„ niendæ eſſent, augeat. Clementer itaque tibi injungimus, nt una cum
„ ærarii noſtri Quæſtoribus eas rationes, quantæcunque anguſtiæ, & poſcen-
„ tium diverſorum neceſſitates ſint, ineas, ne ſtipendio ille ſuo diutius fru-
„ ſtretur, ſed ut, quæ adhoc usque illi tempus debentur, integre perſolvan-
„ tur, utque in poſterum ille ita tractetur, ne quod reliquum habet vitæ,
„ & hiſtoriæ, quo minus alacriter abſolvatur ſqualor, mœrorque occupent.
„ Habes benignæ mentis noſtræ ſenſum, quem te ita executurum confidimus,
„ ut ſingulare, quod optamus, hinc ipſe Brutus ſolatium percipiat. - - -
„ Datum Pragæ die prima Junii, MDXCI. „

Facile ex his intelligas, Brutum id temporis & ætatem, &, quam ſcribebat hiſtoriam, ſatis procul adduxiſſe, cum ei propterea, ut, quod reliquam utriusque erat, alacrius abſolveret, Cæſar ſtipendium decreſſet. Abhinc quid illo factum, & quando rebus humanis exemptus ſit, apud neminem reperio. Illuſtris vir MAZZUCHELIUS in opere ſuo de ſcriptoribus Italiæ, mortuum in Tranſilvania circiter annum MDXCIV. memorat: quod ego malim in medio relinquere, quam inficiari: tametſi vero non ſit ſimile, virum gravem, & ſtipendio ab Imperatore conductum, ad Tranſilvaniæ principem, cui ſimultas cum Cæſare erat, non ſine aliqua levitatis nota deſciviſſe. MS. illius de rebus Hungaricis opus exſtare in Bibliotheca Auguſta Vindobonenſi doctiſſimus KOLLARIUS in laudatis ſupplementis indicat, ex novem univerſe libris conflatum. Exemplum, quod mihi ad manum eſt, XIII. libris conſtat: ſed in principio, fineque mutilum, ac per intervalla, ſcribarum opinor deſidia, ſæpiuscule hians, ac fatiſcens. Nam initio quatuor primi anni, quibus Wladislaus rerum in Hungaria potitus eſt, abſunt: deſinit autem in obſidione Agrienſi, itaque in anno Chriſti MDLII, quo Agria ab Turcis ingenti ſtudio obſeſſa, ſed majori noſtrorum virtute defenſa eſt.

De operis œconomia, & ſcribentis indole, vereor, ut, quæ ego exiſtimo, aliis, qui illum legerint, probentur. Elegans illi, & caſtigatum eſt latium, non inficior: ſed in narrando, ultra, quam opus ſit, prolixus eſt, niſi mavis verboſum dicere, ita narrationem, nullo ſæpe operæ pretio ducit, trahitque. Chronologiæ ſtudium non maximum: quo fit, ut legentem temporis, quo res geſtæ fuerint, crebro incertum reddat, occupetque multa, quæ poſterius referenda erant, & viciſſim regerat, quæ prius complexus fuit. Adhæc orationum ſtrepitu quamvis fere paginam implet, in iisque ad communes Rhetorum locos delapſus plerumqne, mentem legentium ita longe ab pro-

po-

poſito abſtrahit, ut niſi illo, ubi orſus es, redeas, haud facile, quid ſibi velit, queas intelligere. Mirumque eſt id modi diverticula virum doctum de induſtria captare, qui id Bonfinio alias fraudi, vitioque dederit. Nam ubi de Joanne Varadienſi quondam epiſcopo, quem Wladislaus ad ſedandos Bohemos Pragam miſerat, judicium expromit, his verbis Bonfinium ſugillat: „ Plura de Varadienſi, ſi quis eſt, qui aveat ſcire, a Bonfinio petat, licebit: „ qui de eo multa tradit, quæ ſcripta quidem delectant, quibus legendo feſ- „ ſis quaſi ſunt diverticula quærenda, quibus a labore relaxent animos; ro- „ buſtiores non deſiderant, qui legendis iis, quibus prudentia comparatur, „ interpellatorem non quærunt, ut maxime jucunda oratione demulceat au- „ res. „ Sed ſuummet bonus jugulum petit, cui ad faſtidium lectorem interpellare moris ſit; præſertim, cum ad explicandas prudentiæ, ac politicæ leges digreditur, quæ tamen ipſæ haud ſatis rite ſibi aliquando conſtant, & parum nonnunquam cum religione conſentiunt. Certe non nihil illi ex familiaritate, uſuque eorum, qui ab Romana Eccleſia ſeceſſionem fecerant, adhæſiſſe, tamquam per rimam tralucet.

Ceterum duas ego in primis res Bruto ineſſe reor, quas longiſſime ab ſcriptoribus abeſſe oportet: partium ſtudium, ac tantum non implacabile odium. Iſto in Pontifices, ac Eccleſiaſtici ordinis viros promiſcue invehitur, ſæpe nulla de cauſa, alias vi, & ingratiis adſcita ad propoſitum occaſione, tam importune dicax, ut iis quoque, qui in eum ordinem animo non optime comparati fuerint, tædium tam crebra maleloquentia ingerat. Sæpe etiam fidem in Bruto deſidero, præcipue cum litteras Pontificum ſua ſententia reddit, ut in Annalibus obſervo. Partium autem ſtudio hominem vehementer agi, præſertim, cum ad Ferdinandi I. tempora narrationem adducit, ex quavis fere pagina perſpicuum fit. In hunc, quidquid pene eſt invidiæ, detorquet: Joannis contra Scepuſii cauſam, adornatis ſæpe operoſiſſimis defenſionibus, ea diligentia, & contentione agit, quaſi ex roſtris declamaret: mirorque Iſtvanffium, & Brutum, eodem tantum non tempore, iisdem de rebus ſcribentes, tam contraria de eodem Joanne Scepuſio opinione duci potuiſſe. Sed credo, cordatos nullo negotio ſibi perſuaſuros eſſe: Iſtvanffio, in republica maximam ætatis partem diligenter, & cum ſumma fide verſato, cuique occultas molitionum cauſas cognitas fuiſſe, valde veri eſt ſimile, plus aliquanto fidei, quam Bruto tribui oportere, quem mercenaria in ſcribendo fide fuiſſe haud pauci ſuſpicantur. Itaque vehementer cuperem, ſi quos illius edendi ſtudium, & voluntas aliquando inceſſerit, uti neceſſariis animadverſionibus illuſtratum, caſtigatumque, tum diſcriminatis accurate temporibus in lucem emittant, ſi modo velint hiſtoriam legentibus prodeſſe, non nocere.

Hæc autem velim ne me quis propterea commemoraſſe putet, quaſi ex alieno vituperio laudis compendium quæram; id enim hominum prorſus inficetorum, & gloriam ſtolide captantium eſt, ſed quod de ſcriptorum vitiis, de quibus ipſe, dempto partium ſtudio, & quæ huic conjuncta ſunt, non nullis haud longe abeſſe videor, facile ſit, non peſſimum judicium ferre.

Sed id ego de me fortaſſe nimis candide? malim tamen, quam cum faſtuoſo ſupercilio, quod aliqui ſolent, diſſimulare. Cur ita faciam, Cl. hac

ætate vir, & qui doctiſſimis hominibus ſæpe, ſed dubiâ admodum, ſi non profligata fortuna congreſſus ſit, humaniſſimus Schwarzius, in cauſa fuit, qui, quo eſt in Orthodoxos ingenio, pulcherrimis *Locutuleji*, *Compilatoris*, & *Buccinatoris*, nominibus, in opuſculo, quod biennio abhinc vulgarat, me cohoneſtare dignatus eſt. Opuſculo hic titulus eſt. „ Flores ſparſi ad tabulas pignori relictarum XIII. Civitatum Saxonicarum „ terræ Scepuſienſis in Hungaria ſuperiori, pietatis ſanctæ officio libenter, „ meritoque fungente, Godofredo Schwarz, Theologiæ Doctore, & in „ Academia Haſſo - Schauenburgica Profeſſore primario, Conſiſtorii Sacri „ Aſſeſſore, Eccleſiarum ejusdem Diœceſeos, Scholarumque Superintenden- „ te. „ Tot, tantisque nominibus, libenter, meritoque aſſurgo. Neque credebam rem aliquando mihi cum epiſcopo futuram, quem ex *floribus ſparſis* olitorem ſuſpicabar. Ea dignitas ſine dubio facit, ut opuſculum non modo eruditionis, ſed pietatis quoque plenum ſit, præſertim cum in Balbinum & Peterſium, viros e ſocietate mea non minime litteratos congeſtam multorum annorum bilem exoneret. Mihi poſtremum locum tribuit: credo Rhetorum, niſi mavis, Declamatorum morem imitatum fuiſſe, qui quidquid ad rem firmandam ponderis, & roboris habent, in fine ſolent congerere. Is locus in hunc modum habet. „ §. 22. Scholion in ſuper adſcribi- „ mus, nuper admodum nobis ex amici litteris natum. Quos enim GEOR- „ GIUS PRAY Soc. J. ſumtuoſe exaggeratos rerum Hungaricarum Anna- „ les venum noviſſime extruſit, eorum partem primam tenemus, partem „ alteram comparare, & videre nondum potuimus. „ Habent vero amici noſtri litteræ hæc. *D. P.* GELASIUS DOBNER, *a S. Catharina ex ordine Clericorum regularium Matris* DEI MARIÆ *Collegii Pragenſis Rector, apud Patrem Georgium Pray in Annal. Regum Hung. Parte II. in vita Sigismundi regis, pag. 237. ſeqq. eruditam exhibet meditationem de ſexagenis, concluditque groſſum unum Sigismundi, quoad valorem internum, 19. cruciferos valuiſſe. Unde inferre pergit, unam ſexagenam latorum groſſorum novæ monetæ valuiſſe 19. rhen. flor. verum 70. tales groſſos uni marcæ reſpondiſſe, non groſſos 60. hinc porro efficit 37000. ſexagenarum groſſorum Pragenſium quoad internum pretium, facere 703000. florenorum. Belius in Prodromo alios ſubduxit calculos.* „ Quid præſtan- „ tiſſimus DOBNERUS cum groſſo Sigismundi velit? ad quodnam genus „ cruciferorum, mutabilis quam maxime numiſmatis, ſemperque in deterius „ labentis, eundem groſſum revocavit? per quem calculum ſummam 703000. „ extricavit? neque vacat inquirere, neque ignaris, qua vel accuratione, vel „ feſtinatione, nobis ab amico noſtro argumentum Dobnerianum perſcriptum „ ſit, inquirere libet. Duo hæc & præſtantiſſ. *Dobnero*, & locutulejo *Prayio*, „ ſolertius committimus expendenda: an non *ille* cum pluribus aliis, præeun- „ te imprimis *Balbino*, groſſorum quoque confuderit corpora, cum groſſis „ monadicis? *hic* compilatoris tantum ſententiarum, ab aliis editarum, quo- „ que modo ſeſe habentium, perſonam tueri voluerit, & buccinatoris axioſi? „

Hactenus vir eruditiſſimus. Fateor argumentum mihi ingens opponi, & tantum non inextricabile. Quod ne lector non intelligat, paulo altius ordiar. Cum Sigismundi regis vitam ſcriberem, viſum mihi eſt pigno-

gnoris tabulas integras annalibus inſerere, ut, qua ratione Scepuſium ab Hungaria avulſum eſſet, perſpicuum facerem, præſertim, quod tabulas, quæ olim locum in jure patrio habebant, iſthinc ejectas prope impatienter ferebam. Hærebam tamen in ſexagenis, neque in re nummaria Bohemiæ peregrino, facile mihi fuit rem obſcuram, ut vellem illuſtrare. Itaque A. R. P. GELASIUM DOBNER, virum omnino doctum per literas oraveram, ut, ſi quid eatenus in promtu haberet, mecum communicare ne gravaretur. Fecit liberaliter, cum diſſertationem prorſus eruditam de ſexagenis mihi transmiſiſſet, quam ego annalibus meis inſerere, operæ pretium putavi: tum ut argumentum, quod præ manibus habebam, illuſtrarem, tum ne virum optimum privarem laude ſua. Adjeci tamen, ſi quid minus recte ſubductum a doctiſſimo viro fuiſſet, nullo negotio dirimi poſſe ex groſſis Pragenſibus, ejusdem comatis, moduli, atque etiam fere ætatis, qua pignoris tabulæ conſcriptæ ſunt, quos penes eruditos populares meos eſſe, non me lateret.

Jam velim uti Lector ad argumenti vim, quod incomparabilis in omni doctrinarum genere vir Godofredus Schwarzius, in me contorquet, mentem, animumque advertat. Tantidem enim eſt, quaſi dicat. Dum calculum de ſexagenis, quarum pignoris tabulæ mentionem faciunt, diligenter prorſus duco, admoneor per litteras ab amico, *Georgium Pray S. J.* meditationem eruditam, quam a doctiſſimo, *R. P. Gelaſio Dobner, ex ordine Clericorum Regularium Matris DEI MARIÆ* acceperat, annalibus ſuis inſeruiſſe, qua efficit, 37000. ſexagenarum groſſorum Pragenſium latorum novæ monetæ, omnino reſpondere 703000. florenorum Rhenenſium. Mihi quidem diſſertationem eam videre, legereve nondum licuit: nec certus ſum, quos cruciferos CL. DOBNERUS ſumat, ad extricandum calculum: nec ſatis perſpicuum, an non præeunte BALBINO, groſſorum corpora confundat cum groſſis monadicis: dubito etiam, ſatine amicus meus accurate diſſertationis Dobnerianæ argumentum perſcripſerit, an non feſtinatione omiſerit quiddam, quod mihi ad fidenter de re pronunciandum lumen præferret: igitur *Prayius non modo locutulejus eſt, ſed ſententiarum ab aliis editarum, quoquo modo ſe habentium compilator, & buccinator axitioſus.* Papæ! quam eleganter, quam ſcite, quam nervoſe etiam! & id ab Hungaro! quod ſi doctiſſimus vir in ducendis rationum momentis, cum Theologiam publice profitetur, gravior non eſt, vereor, ut dignitatem, qua ornatus eſt, cum auctoritate apud ſuos tueatur. Egone diſſertationem alienam pro mea prudens, volensque aliis oggeram? liberalius ab teneris eductus ſum, quam ut id abs me impetrare queam. Inſerui eam annalibus, illius, cujus erat, nomine: nondum igitur edita fuit: quem ergo in modum editarum ſententiarum compilator ſim, non, ita me veritas amet, intelligo. Certe autem buccinator & quidem *axiotioſus?* id Varronianum, atque Plautinum eſt, itaque magis obſoletum, quam ut non explicatum mihi ſinam elabi. VARRO Lib. 6. de LL. *ut* (ait) *ab una faciendo factioſæ, ſic ab una agendo axitioſæ dictæ ſunt.* Et PLAUTUS in fragmento primo: *axitioſæ annonam caram e vili concinnant viris.* In quæ loca FESTUS Lib. I. de verborum ſignificatione: *axitioſi, factioſi dicebantur, quum plures una quid agerent, facerentque.*

Itaque cur ego axitioſus SCHWARZIO videar, jam conjectura pene aſſequor. Non diſſertationis Dobuerianæ cauſa, cum nihil iſthuc operæ contulerim, niſi id eſt, quod eam illius, cujus erat, uomine in lucem vulgavi, quod cordati viri, nou compilatoris eſt: ſed ob ſententiam de Chriſtianæ Religionis apud Hungaros origiue, quam ego eruditiſſimi STILTINGI, & CL. KOLLARII veſtigia ſequutus, ad latinos, non item, ut SCHWARZIUS vult, ad Græcos, referebam, unaque cum STILTINGO & KOLLARIO faciens, aut, ut Schwarziauum quoque latium ſecter, *axiens*, ex regum noſtrorum diplomatibus ita coufirmatum ibam, ut uon improbabiliter cooſecerim, aut reges noſtros, quod veri non ſit ſimile, eos iu re tam gravi hallucinatos eſſe, mendacii reos videri, aut CL. SCHWARZIUM tota, quod ajunt, via aberrare, cum Chriſtianæ in Hungariam traductæ religionis incunabula e Græcanis lacunis hauſit. Hinc illæ lacrumæ. Gaudeo. Hinc ego *Axitioſus*, & *Compilator*, qui cum doctiſſimis couſentiam: eſt, quod magnopere læter. Hinc ego, quod ex Atticis Gellii noctibus ſumtum eſt, *Locutulejus*, nec pœnitet, in tam pio argumeuto verboſum fuiſſe. Quod autem annales ſumtuoſe a me exaggeratos queritur, ridiculum eſt: quaſi ego in cauſa ſim, cur materia mihi ſponte ſuccreverit: numnam truncanda mihi, aut reſecanda etiam fuit? uon reor. Quid occipiet vir humaniſſimus, ubi ſupplementa ad anuales *extruſcronæ* is Lucinam mihi parum æquam facit; dabo tamen iſthic operam, ut ſaucium ex vulnere, quod cicatricem nondum obduxit, valetudini utcuuque reſtituam.

Hæc ut præſtantiſſimo viro ob concinuatam mihi tam liberaliter panegyrim, qualemcunque gratiam referrem. De Peterſio autem, ne id quoque ſilentio prætereàm, cujus manes religioſiſſimus SCHWARZIUS importune amat laceſſere, ita in eodem opuſculo, pag. 9. ad uotam * ſcribit: „ cujus „ vero craſſum lector nou gravabitur ſphalma corrigere, quod ſcripſit: *Synodus Strigonienſis Diœceſana, celebrata ſub Wladislao I. Hung. rege, & Joanne de Kanyſa, archiepiſcopo Strigonienſi a.* 1390. *die* 12. *Maji.* uondum tunc in „ cunis vagiebat Uladislaus tuus o Peterſi! „ ita quidem Peterſium in prima editione habere nou inficior: ſed is non tam ſcribentis, quam illius, quem corrigendo operi præfecerat, error fuit. Nam idem Peterſius in eadem editione errorem in principio, cum operis conſpectum exhibet, exerte corrigit: *p.* 182. (inquit) *Synodus ſub Sigismundo H. R. & Joanne A. E. Strigonienſi habita Strigonii anno* 1390. Rurſus: *Monitum* (ſcribit) *velim Lectorem, pagina* 182. *in titulo, Synodum eſſe celebratam ſub Sigismundo, non Uladislao I.* Atque hæc quidem charactere tam magno, ut ſimili uusquam in toto ſuo de conciliis opere utatur; quemve aut uiſi ſponte cæcutiens, aut qui deſultorio animo libros oberrat potius, quam legit, tantum nou manibus contractare potis ſit. Credo Peterſium illo inprimis ſpectaſſe, ut error uolenti etiam lectori ſpectabilem ſeſe objiceret. Itaque non video, cur SCHWARZIUS lectorem, ut id ſphalma corrigat, tam anxie obteſtetur. Si id imprudens, errorem ab auctore jam correctum eſſe, facit; nimium fidenter, & rem ſua eruditione prorſus indignam fecit: ſi ſciens, volensque, dignum profecto ſe reddidit, quem fides hiſtorica ad agendas veritatis cunas tamdiu coudemnet, quoad obortum illi temperantiæ lumen conviciandi libidinem ſopiat. Dabam Comaromii in inſula Cituorum, XV. Calendas Apriles, anno MDCCLXVII.

AN-

ANNALES REGVM HVNGARIAE.

Annus Chriſti. 1465.

LIBER I.

MATHIAS CORVINVS.

MATHIAS, poſtquam oblato a Turcis otio, rempublicam pacis, bellique ſtudiis exornaſſet, quo facilior ſibi deinceps rerum adminiſtratio redderetur, ingenti animo futuras armorum curas complexus, novos per regnum delectus haberi imperavit; miſſisque ad Præfectos, qui Boſniam, & finitimas huic provincias curabant, mandatis, ut acri in hoſtem cura intenderent, conventum proceribus ipſa hieme Szegedinum indixit. In eo, quamquam rex compertum haberet, Turcos bellum in Aſiam hoc anno traducturos, nihilo tamen ſegnius de militum ſupplementis, quam ſi barbari vim omnem Hungariæ admoturi eſſent, transactum eſt. Ac de his quidem facile ordinibus convenerat, quod nullam verſatili hoſtis ingenio ſupervacaneam curam eſſe intelligerent: de conflando contra ærario, unde ſtipendia erogarentur, major difficultas oborta. Privatis enim aut voluntas, aut facultas defuit, publicam rem ſuo periculo juvandi, nec rex, qui communi Chriſtianorum nomine adverſum barbaros arma corripuiſſet, e re ſua, aut regni eſſe exiſtimabat, ut impendiorum rationes ad ſe unum pertinerent. *Rex belli curas complexus.*

Itaque exterorum, quorum cauſa perinde ageretur, opem implorare placuit, miſſique ad Pontificem oratores, qui & de obtenta haud ita dudum dignitate illi gratularentur, & ſuppetias pro ſuo in rem Chriſtianam ſtudio peterent. Lecti ſunt Joannes Quinque-eccleſienſis Epiſcopus, alterque Joannes de Rozgony, magni in rerum difficilium tractatione uſus, & apud Mathiam auctoritatis. Additus dignitatis, & itineris ſocius Emo Venetus, qui præclara cum laude plures annos legatione in Hungaria perfunctus eſt. Data his mandata, ut facto per Venetos itinere, & conſulto Duce magnis itineribus Romam *Legatos ad Papam mittit, qui ei de dignitate gratulentur.*

1465. contenderent, captatoque apud Cardinales aditu diligenter agerent, ne regnum expectatione ſua froſtraretur. Adjecerat rex litteras ad Pontificem, quibus & fidem Oratoribus faceret, & faciles jam multo ante, quam venirent, aures compararet. (*a*) *Poſtquam Sanctitatis Veſtræ vocationem lætus cognovi*, in hæc verba litteræ ſcriptæ erant, *officii mei viſum eſt, in conſpectum ejus Oratores meos mittere, cum ad ea præſtanda, quæ novis Pontificibus Chriſtiani Principes exhibere & debent, & ſolent; tum etiam pro his, quæ ad negotium fidei pertinere noſcuntur. Id igitur muneris injunxi viris, inter capita conſilii mei primariis; Joanni Epiſcopo Quinque-eccleſiarum, & alteri Joanni de Rozgony, quos, quoniam magnitudini rerum tractandarum idoneos exſtimavi, etiam de omnibus edoctos plena facultate inſtruxi. Quapropter ſanctitatem veſtram humili devotione ſupplico, quatenus præfatis Oratoribus, & ſolitam fidem, & benignam audientiam præbere, ac tandem clementer exauditos, quamprimum remittere dignetur. Prætcrea cum Magnificus Joannes Emo, miles illuſtriſſimi dominii Venetorum pridem apud nos Orator, omnibus, quæ hic acta ſunt, jam fere biennio interfuit, & hominum, locorum, rerum, ac laborum noſtrorum conditiones pro ſua prudentia ſolide perſpexerat, optavimus & ipſum coram ſanctitate veſtra conſtitui, ut eſſet, a quo ſine affectionis ſuſpicione de omnibus quam ampliſſime veſtra ſanctitas poſſet ſciſcitari. Datum Anno MCCCCLXV.*

Hos ad Venetorum Ducem adire jubet. Eodem fere argumento ad Chriſtophorum Maurum, Venetorum Ducem ſcripſit, Emum inſigni laudis præconio exornans, atque ut eum ſibi bona Ducis venia ſuis Oratoribus, Romam profecturis, ſocium liceret addere, magnopere obteſtatus, quod ejus viri judicio, ac prudentiæ plurimum confideret, ſperaretque effectum iri, ut Legatorum poſtulata ab omni aſſentationis ſuſpicione, illius opera, & candore removerentur. Litteræ, ex quibus multum lucis rebus hoc tempore geſtis accedet, in hunc modum exaratæ erant. (*b*)

Regis ad hunc litteræ. „ Mathias Hungariæ &c. Rex, illuſtri Principi, Chriſtophoro Mauro, „ Duci Venetiarum, amico noſtro ſalutem. Poſtea, quam fidei, & ſtatus no„ ſtri cauſam adverſus communem hoſtem armis tueri cœpimus, pro voto fuit „ nobis ſemper, penes nos habere aliquem ex veſtris, non ſolum rerum geren„ darum teſtem, ſed etiam amicum, & voluntatis noſtræ quaſi quemdam ſpe„ ctatorem, qui & ea, quæ geſta forent, & quæ mentem noſtram in re„ bus occurrentibus ſolicitarent, vobis litteris pariter, & nunciis pateface„ ret, tanquam ei, quocum nobis fidei, & ſtatus negotium commune eſt, „ paribus armis, animis, & laboribus defendimur. Habuimus igitur, quod „ ex animo cupere videbamur. Siquidem poſt alios miſit nobis amicitia veſtra „ magnificum Joannem Emo, virum cum ob egregias virtutes, quas in eo „ perſpeximus, tum vero ex eo præcipue benevolentia noſtra dignum. quod „ eligi meruit ad hoc officium ab illo magnifico ſenatu, quem non fefellit ele„ ctio: hinc non ſolum domi, ſed militiæ quoque, atque, dum his annis ho„ ſtiles penetraremus fines, dum hoſtium caſtella, & arces obſedimus, affuit „ aſſidue, conſiliorum, & laborum noſtrorum, & ut ita dicamus, periculorum „ particeps, ac ſocius. Sed cum noviſſime hiemis aſperitate diſcedere, & tra„ jecto amne Savo ad regnum redire cogeremur, Bachiæ nos adiit, licentiam„ que iſthuc redeundi petiit, aſſerens, amicitiæ veſtræ litteras ſibi eſſe allatas, „ quibus reditus illi in patriam indulgetur. Et quia proximis diebus conven„ tum Prælatis, & Baronibus regni noſtri Szegedini indixeramus, placuit, ut „ ipſe quoque illi conventui intereſſet, in quo potiſſimum de rebus fidei, & ſta„ tus communis tractandum erat. In eo igitur conventu id præcipue noſtri „ conſilii fuit, ut ad Pontificem Romanum ſolemnes mitterentur oratores, & „ cum id munus legationis fidelibus noſtris, reverendiſſimo Patri, domino „ Quinque-eccleſienſi, & magnifico Joanni de Rozgony obveniſſet, viſum fuit „ nobis multis de cauſis, & toti conſilio Prælatorum, & Baronum, ut a me„ morato Joanne Emo, jam a nobis alioquin diſcedente hoc expoſtularemus, „ quod cum præfatis Oratoribus noſtris una ad Provinciam prius amicitiæ ve„ ſtræ, ac deinde, quantum id illuſtriſſima dominatio veſtra indulgeret, Romam

per-

(*a*) Parte II. Epiſt. MATHIÆ CORVINI. pag. 96.

(*b*) Ibidem. pag. 45.

„ pergeret. Nam quia nobiſcum his annis fere duobus, domi, militiæque
„ perſtitit, &, quod alii audiverunt, ipſe vidit oculis, exiſtimamus illum ido-
„ neum fore teſtem, ac perſonam non inutilem, quæ & veſtræ amicitiæ omnia
„ referre, & Romano Pontifici de rebus geſtis teſtimonium afferre poſſit. Vi-
„ dit enim ſitum plurium terrarum hoſtilium, vidit jugis arces impoſitas,
„ opere, & natura munitas, vidit regionem minantibus in cœlum ſcopulis
„ aſperam, vidit & graves noſtros, militumque noſtrorum labores. Novit
„ ſtudium, novit mentem, novit impenſas noſtras, his præſertim noviſſimis
„ temporibus pro communi cauſa, & ſtatu, ne dicamus factas, ſed effuſas,
„ quibus omnibus ipſo referente, & teſtificante, moveri pietate Pontificem
„ Romanum putavimus, & pro honore Dei ardentius rebus conſulturum af-
„ flictis. Cum autem hanc illi pro bono publico provinciam imponeremus,
„ ecce denuo litteras ſibi allatas eſſe dicebat, quibus mutato priori conſilio hic
„ illi commorandum eſſe præcipiebatur, donec de ſucceſſore provideretur. Qua
„ in re tametſi nobis ejus præſentia admodum grata eſt, & illum nobiſcum eſſe
„ magis, quam abeſſe optaremus, vel propter ejus modeſtiam, vel propter
„ fœderis, & mutuæ benevolentiæ cum amicitia veſtra conjunctionem, tamen
„ conſiderantes commune commodum, & etiam ea, quæ ab illo Pontifici Ro-
„ mano coram proponi poſſent, tanquam ab eo, qui omnibus non affuit tan-
„ tum, ſed etiam interfuit, non potuimus mutare conſilium Prælatorum, &
„ Baronum, nec potuimus illum non hortari, ut cum noſtris oratoribus, ſicut
„ præmiſimus, ſeſe ad vos, & inde Romam conferret, omnem culpam, ſi qua
„ hujus conſilii noſtri cauſa illi objecta foret, in nos transferentes. Speramus
„ enim fraternitatem veſtram de ejus tranſitu pro hac re tam utili, & neceſſaria,
„ fore contentam. Nam peracta legatione, ſi placebit fraternitati veſtræ, redire,
„ &, ut antea, legationis officio fungi, nobiſcumque commorari ſpopondit.
„ Nec dubitamus, quin menti, & voluntati noſtræ, facile veſtræ fraternitatis
„ reſpondebit conſenſus. Datum XVI. Januarii, Anno MCCCCLXV.

Multum Emi hujus operam Mathiæ rebus commodaſſe, eventu ipſo pa-
tuit, & a nobis, ubi, quid Oratores, quave fortuna egerint, explicabimus,
prolixe memorabitur. Ceterum ſoluto conventu cum maximi in barbaros ap-
paratus fiunt, repente litis aliquid inter Cæſarem, ac regem obortum eſt. Cau-
ſa ab Ginſienſibus, & qui Friderico ex pactis conventis in Hungaria parebant,
petebatur: qui cum ad bellum Turcicum, ut publicis tabulis utrinque conve-
nerat, ſymbolam conferre nollent, ac propterea a Præfecto Sopronienſi minis,
admotaque vi ad ferenda ſubſidia cogerentur, Cæſar id injuriam ſuam interpre-
tatus, graviſſimas ad Mathiam litteras dedit, quibus ſingilatim damna ſuis
illata explicat, petitque, ut Rex Hungaros ab injuria abſtinere juberet; alio-
quin fœdera, quæ nuper conflaſſent, nullo ſuo maleficio violatum iri: neque
caveri ſatis poſſe, ne, qui ſibi obnoxii eſſent, damnorum gravitate irritati, fa-
ctis in Hungariam procurſionibus, quidquid jacturæ perpeti hactenus coacti
eſſent, compenſarent. Rex, ne quid gravius ex tenui initio oriretur, cognita
diligenter re, ſingula accuſationis capita refellens, in hunc modum Friderico
reſpondit. (c)

Sub hac lis Mathiæ cum Friderico, Ginſienſium cauſa, oboritur.

„ Sereniſſimo Principi, Domino Friderico, Dei gratia Romanorum Impe-
„ ratori ſemper Auguſto &c. Patri noſtro chariſſimo Mathias Hungariæ &c.
„ Rex, ſalutem, & filialem affectum. Sereniſſime Princeps! Pater noſter cha-
„ riſſime! Prioribus litteris ſerenitati veſtræ reſpondiſſe putabamus recte ad
„ menſuram debiti, & expectationis de nobis habitæ, ubi palam notum fecimus,
„ animum nobis eſſe ſtabilem, qui non facile deducitur, nec abhorret a quie-
„ tis, & paciferis conſiliis, cupiebamusque ſimile quid experiri etiam apud ſe-
„ renitatem veſtram, ut hinc inde ex pari concurſu mutuæ intentionis uberior
„ fieret copia malignantium actus, ac pariter auſus comprimendi. Verum po-
„ ſtea, quam novas, & iteratas querelas contra Præfectum noſtrum Sopronien-
„ ſem apud nos ſerenitas veſtra depoſuit, ſcrupulus nobis quidam injectus eſt,

Ille objectas ſibi a Cæſare criminationes litteris refellit.

(c) Ibid. pag. 107.

1465. „ ne forte ſerenitas veſtra diſſimili erga nos animo feratur, dum videlicet pro
„ minimo ducit, & pene oblita eſt graviſſimarum injuriarum, quæ poſt icta
„ fœdera de terris, & dominiis ſerenitatis veſtræ, nobis, & regno noſtro illatæ
„ ſunt, ſuas vero querelas in altiorem culpam, latioremque protrahit, quam
„ in ſe crimen habeat. Sed de his conqueri in aliud tempus differimus, ne re-
„ ferre culpam, non purgare videamur. Reſpondebimus nunc ad ea, quæ ex
„ parte ſerenitatis veſtræ objiciuntur.

„ Prima querela eſt contra Præfectum Sopronienſem, quæ hanc ſummam
„ continebat: quod ſerenitas veſtra ſæpenumero nos hortata ſit, ut ipſi Præ-
„ fecto mandaremus, ne prætextu contributionis pecuniariæ generali edicto, ac
„ decreto regni noſtri pro exercitu contra Turcos deducendo imperatæ, homi-
„ nes, & ſubditos ſerenitatis veſtræ, quos intra terminos ipſius regni noſtri
„ tenet, indebite moleſtet, aut impediat: & quod Præfectus ipſe non modo ab
„ illatione talis impedimenti non abſtinuit, verum etiam ceterarum villarum
„ pecora diripuit. Altera autem objectio contra eundem erat, quod ipſe ſpre-
„ tis pactis, & pacis conditionibus, quæ paulo ſuperiori tempore inter nos
„ hinc inde firmatæ ſunt, nuper ſerenitati veſtræ litteras, quas communiter
„ diffidatorias vocant, miſerit, intendens illarum vigore nocumenta priora cu-
„ mulare, & in fidem rei actæ, atque hujusmodi pronæ intentionis ſuæ trans-
„ miſſa eſt nobis copia ipſarum litterarum. Super quibus omnibus, quæ pro-
„ fuſioribus verbis in litteris ſerenitatis veſtræ continebantur, nos ſerenitas ve-
„ ſtra hortatur, & requirit, ut & litteras ipſas caſſari faceremus, & ante fa-
„ tum Præfectum ad reſtitutionem eorum, quæ indebite abſtulit, cogere,
„ atque a ſimili auſu prohibere non differremus.

„ Ad quæ reſpondendo de hoc imprimis, & de novo certiorem facimus
„ ſerenitatem veſtram, quod ſi quid nocumenti indebite illatum eſt per quos-
„ cunque Officiales noſtros, ſubditis ſerenitatis veſtræ, id de noſtro conſenſu,
„ aut juſſu nequaquam proceſſiſſe, quin imo poſt dictam pacem grave nobis
„ eſſe, ac etiam videri ſolet, dum aliqua moleſtia undecunque vel de jure, vel
„ injuria ſerenitati veſtræ infertur. Quod quidem & in caſibus ſupra tactis, ſi
„ quid indebite contra ſerenitatem veſtram actum eſt, non ſine ægro animo
„ proſequimur. Verum tamen, quæ objecta ſunt, eo modo poſſunt interpre-
„ tationem accipere, non enim ſatis intelligimus, quo pacto licite imputari
„ poſſit ipſi Præfecto Sopronienſi, quod contra pacem initam, & ejus condi-
„ tiones quidquam egerit in hoc, dum generale decretum regni, cui & ſereni-
„ tas veſtra, ut debeat, conſentit, debitæ executioni demandaret, niſi forte
„ debitum modum, vel officii ſui metas exceſſiſſet. Equidem ſcitum, quod
„ ſubditi ſerenitatis veſtræ quos intra terminos Hungariæ habet, ex forma pa-
„ ctorum omnino obedire tenebantur illi generali decreto regni, quod non ex
„ aliqua privata cauſa, ſed pro publico fidei negotio editum eſt. Illud quoque
„ palam factum eſt, quod obedire negligentibus acres pœnæ comminatæ fue-
„ rant. Cur igitur ſerenitas veſtra vel ſibi ad injuriam trahit, vel officialem
„ illum culpam commeruiſſe putat, quod ipſe pro debito ſuo partes officii ſui
„ executus eſt. Ceterum quoad partes alterius objectionis, ubi ſerenitas ve-
„ ſtra dicit ſe litteras, quas diffidatorias appellat, accepiſſe; putamus plane &
„ hanc querelam altius productam fuiſſe, quam demereatur. Cum enim co-
„ piam litterarum earundem ad nos transmiſſarum legiſſemus, comperimus,
„ eas non diffidatorias fuiſſe, ſed comminatorias, minasque ipſas ſolum ad tem-
„ pus uſque, quoad neglecta contributio ſolveretur, eſſe extentas. Si vero
„ ſerenitas veſtra eas omnino pro diffidatoriis interpretari maluerit, cognoſcat
„ etiam, quis, & quæ pars cauſam dederit, ut in ea forma ſcriberentur. Nos
„ illud facile deprehendimus, quod Præfectus Sopronienſis ex parte Capitanei
„ de Torchtſtein graviſſimæ oblocutionis injuria laceſſitus non injuſte moveri
„ debuit, ad ſuum honorem & conſervandum, & defendendum: nec per hoc
„ quidquam actum eſt contra fœdera, & pacta pro communi pace inita. Inter
„ hæc tamen omnia nos partem mitiorem, tutioremque ſequi volentes, manda-

vi-

„ vimus, juxta requiſitionem ſerenitatis veſtræ ante dicto Præfecto Sopronienſi,
„ ut ſi in aliquo, aut in exigendis pœnis ſupra tactis, aut in litteris, ſeu ſcri-
„ ptis ſuis ſupra modum, ac debitum exceſſit, omnimode reformet, ablata in-
„ debite reſtituat, litterasque prætactas, ſicut vanæ ſunt, ſic & irritas faciat,
„ nec quidquam attentet, in corruptionem firmatæ pacis, quam nobis ſemper
„ & obſervare, & corroborare in animo eſt. Poſtremo in parte extrema litte-
„ rarum ſcribit ſerenitas veſtra, quod poſt plures delatas ad ſe querelas a ſub-
„ ditis ſuis contra ſupra dictum Præfectum Sopronienſem, iidem ſubditi exora-
„ bant ſerenitatem veſtram, ut eis indulgere dignaretur, ut pares injurias regno
„ noſtro, & noſtris ſubditis inferre poſſint, & quod difficile jam eſſet ſerenitati
„ veſtræ, ab hac intentione ſubditos ſuos cohibere. Ad hanc partem paucis
„ reſpondebimus, quod ſerenitas veſtra tam de jure paterno, quam ex jure ini-
„ torum fœderum omnimode obligaretur ad hoc, ne ſubditis ſuis facere indul-
„ geret quæſitam pluribus annis pacem corrumpere. Verum nos quiddam di-
„ verſum hac in parte ſentire videmur, non eſſe videlicet nunc opus, ſerenita-
„ tem veſtram hac difficultate petitæ indulgentiæ laborare: Oſtenderunt enim
„ jam pridem ſubditi non nulli ſerenitatis veſtræ per multas injurias nobis illa-
„ tas, non eſſe novum, quod ab eis ſerenitas veſtra pro hac indulgentia rogata
„ ſit, imo eſt jam facile exorata. Unde putamus majorem difficultatem futu-
„ ram ſerenitati veſtræ, ſi revocare voluerit indulgentiam præſtitam, quam to-
„ lerare, ne de novo præſtetur. Qua in re nos quoque oramus ſerenitatem
„ veſtram, & exoratam volumus, ut inter alias Imperialis Curiæ ſolicitudines,
„ dignetur curam præcipuam convertere, ut pax ipſa communis, quæ magno
„ labore tractata, majori parata eſt, inviolata perſeveret. Nos e contra omni
„ ſemoto dubio huic rei ita ſtudebimus, quod nihil in voluntate noſtra, & cura
„ obſervandæ pacis deficiet, dum modo in poſſibilitate non deficiat. Datum
„ die XVI. Januarii, Anno MCCCCLXV.

Sed tam ſalubria regis conſilia, quamquam ſervandæ paci accommodata eſſent, immodicum tamen vindictæ ſtudium intercepit, parumque aberat, quin privata odia, ut fit, in apertam diſſenſionem abirent. Auſtrales enim illorum, quibus tributum in belli Turcici apparatus pendendum erat, partes amplexi, conflato milite in Sopronienſem agrum irrupere, fœdeque vaſtata provincia, & cremato Sopronienſium vico ſuburbano, Præfectum dolo ad componenda diſſidia ex urbe evocatum per ſummam injuriam, niſi is matura ſibi fuga conſuluiſſet, trucidare nitebantur. Id Mathias graviter, ut oportebat, tulit, ac clandeſtinas Friderici machinationes iis molitionibus ſubeſſe ratus, Cardinalem ſancti Angeli de omnibus, quæ geſta eſſent, per litteras edocuit, ut ſi lites armis dirimere oporteret, eſſet, qui Pontificem de armorum cauſa certiorem redderet. *Nam his*, inquit, *diebus* (d) *ſereniſſimus Romanorum Imperator multa in confinibus hoſtilia per ſuos homines egit: nuper ſiquidem non nulli ex ſuis, quibusdam noſtratium partim captis, partim contra fidem publicam vulneratis, oppidum noſtrum Sopronienſe aggreſſi, ſuburbium ejusdem, ſeu burgum fœdo incendio deleverunt, nulla neque noſtra, neque noſtrorum culpa laceſſiti. Quantum enim nobis placeat, cum fidelibus vicinis, & præſertim cum præfato Imperatore armis contendere, ſatis evidens judicium vel tunc præbuimus, cum ad unam juſſionem reverendiſſimæ Paternitatis Veſtræ, tunc apud nos legationis officio fungentem, exercitum noſtrum e finibus, & fere ab oculis memorati Cæſaris, æmuli tunc noſtri deduximus. Si quid igitur ei contra pro regni noſtri defenſione, & reſtaurandis damnis, ac injuriis illatis fuerit neceſſario tentatum, exiſtimare poterit reverendiſſima Paternitas Veſtra, non nos, noſtrosque eſſe in crimine, ſed eos, a quibus cauſa, & initium vel proceſſit, & qui nos nihil tale nec merentes, nec metuentes, verum majoribus, & ſanctioribus negotiis toto animo intentos, non ſolum injuſte, ſed etiam impie laceſſiverunt.*

Auſtrales in Sopronienſem agrum incurrunt.

Querelæ Regis propterea ad Cardinalem S. Angeli.

Hæc rex ad Cardinalem rebus Hungaricis ante alios addictum: in eandem ſententiam, ut prius omnia, quam bellum experiretur, ad Fridericum ſcripſit, aper-

Et ad Cæſarem quoque.

(d) Parte II. epiſt. MATHIÆ CORVINI pag. 125.

1465. aperteque de injuriæ gravitate queſtus, ut jacturam ſuos ſarcire juberet, in hæc verba petiit. (*e*) *Reſcivimus non ſine gravi moleſtia, quemadmodum ſubditi, & familiares ſerenitatis veſtræ - - - Civitatem noſtram Sopronienſem hoſtiliter acceſſiſſent, ubi obvium in ipſo itinere Capitaneum noſtrum, quem prius ſerenitas veſtra in certis legationibus ſuis ad nos transmiſerat, & nos tunc cum relatione remittebamus, nihil tale ſuſpicantem, captis prius ſeptem ſamulis ejus, in oppidum Sopronienſe fugere compuliſſent, inde fide data evocatum ſagitta in brachio transfixiſſent, ſuburbium demque, ſive burgum præfatæ civitatis noſtræ Sopronienſis, ignis incendio penitus conſumpſiſſent, nulla noſtra, neque noſtrorum culpa laceſſiti. Equidem ſereniſſime Princeps, durum fuiſſet nobis, & alias tam indigna perpeti; nunc vero duriſſimum eſt, cum intermiſſa ubicunque in aliis partibus ſatis neceſſaria noſtri defenſione in ipſis jam patriæ finibus conſtituti, magno labore, & impenſa in facto fidei perſonaliter occupamur, a veſtra ſerenitate pro ſuo officio non tam impedimenta ad rem Chriſtianam, quam auxilia promerentes. Rogamus igitur eandem Serenitatem veſtram, & hortamur, quatenus, ſi non aliis multis, & magnis reſpectibus, ſaltem contemplatione temporum operam dare velit, ne ampliores nobis, & noſtris injuriæ per vos, veſtroſque inferantur, alioquin inviti dicimus, neceſſe nobis erit, ita noſtris, & regni rebus quocunque modo conſulere, ut memorata civitas noſtra Sopronienſis, & homines noſtri hujusmodi damna, & læſiones gratis ne ſuſtineant. Datum Anno MCCCCLXV.*

Lites in apertum fere bellum Cæſare auctore erumpunt.

Erat tum Mathias adverſum Frangepanes, novas res in Croatia molientes, occupatus, cum de diſſenſionum periculo, quod ab Cæſare imminebat, edoctus iter in Hungariam reflexit, ratus ſua præſentia, quidquid id diſcriminis eſſet, facile diſſipatum iri. Nihilo tamen ad ſopiend s ſimultates felicior regis adventus fuit, quod Fridericns non modo impune ſuos latrocinia in Hungariam exercere ſineret, ſed nova præterea injuria Mathiæ animum irritaret Sigismundo de Boſin & Sancti Georgii Comite, quem rerum Auſtriacarum ſcriptores depravato nomine Poſingicum vocant, fundis, quos in Auſtria habuerat, armata manu, & per vim mulctato. Acceperat Sigismundus in pignoris loco arcem Berchtolsdorſium cum adſito vico, data Alberto Cæſaris fratri magna argenti ſumma, eam conditionem pactus, ut, ſi arx repeteretur, pignoris rationes aut ex Alberti hæreditate, aut Friderici patrimonio diluerentur. Id cum Cæſar ſe facturum eam præcipue ob cauſam negaret, quod Alberto, qui vicinam Viennæ provinciam per nefas invaſiſſet, nihil prorſus in Auſtriam juris fuerit, arcemque ſibi tradi poſtularet, Sigismundus contra, niſi numerata prius, quam mutuum dederat, pecunia abnueret, juſtamque defenſionem, ſi vis appararetur, conſcriptis octingentis equitibus adornaret, Cæſar comparato ex provincialibus exercitu arcem aggreſſus, ejecto per aſſultum præſidio brevi tempore eam in poteſtatem redegit. (*f*) Hinc ſimultates latiora utrinque in dies incrementa ſumebant, Mathia, quod mirum videri poterat, pacis & amicitiæ magis, quam armorum cupido. Ne quid tamen invidiæ, quaſi ſuorum res negligenter ageret, ſibi aſpergeretur, Cæſarem per litteras convenerat, & injurias, quæ ſuis ſe abſente illatæ eſſent, ſingilatim expromens, orabat, uti fœderum cauſa hæc impune abire ne ſineret, daretque operam, ut, quæ damna Hungari eo non imprudente perpeſſi eſſent, ad æquitatis rationes quantocius exigerentur. Sed cum Fridericus accuſationum capita ab ſuis amoliretur, frigideque refelleret, irritatus Mathias, epiſtolam, ex qua totius cauſæ cognitio apertiſſima efficitur, in hæc verba ad Cæſarem dedit. (*g*)

Regis ad hunc in ea cauſa graves, acresque litteræ.

„ Accepimus litteras Veſtræ Majeſtatis, in quibus eadem excuſat ſe, & „ ſuos, accuſat autem noſtros de damnis & injuriis illatis: ſed excuſationum „ & accuſationum rationes cuilibet rectius judicanti videri poſſunt non ſatis ef- „ ficaces. Primum quidem Sigismundus clare teſtatur, non ſua culpa cœptum „ bellum: qua in re paratus fuit ſtare & juris judicio, & arbitrio pacis; repu- „ diatæ ſunt oblationes ejus, & expugnatum oppidum cum arce, quod juſti „ pignoris titulo poſſidebat. Deinde ſi quid veſtra ſerenitas, aut veſtrorum „ quiscunque cum Comite Sigismundo negotii habebat, cur alii ſubditi, &

cives

(*e*) Ibidem pag. 117.
(*f*) De Roo Hiſt. Auſtr. Lib. VII.

(*g*) Parte II. epiſt. Math. Corvini pag. 119.

„ cives noſtri immerentes, ut puta Poſonienſes, & Sopronienſes, ac ceteri fi-
„ nium illorum accolæ plectuntur? quave de cauſa oppidum noſtrum incendi-
„ tur? ſed dicitur, quod Burgenſes incendio cauſam præbuerint: equidem ne-
„ mo tam furioſus eſt, qui ipſe domum ſuam cremet. Si autem veſtri propter
„ certas res depoſitas, ut aſſeritur, ignem injecerunt, depoſitum flammis re-
„ petere quæ juſtitia eſt? at paucæ, & viles domus conflagrarunt? Gratia
„ fortunæ, & noſtrorum diligentiæ, qui ſolicite incendium extinxerunt. Illo-
„ rum tamen, qui hujus rei auctores fuerunt, manifeſta intentio fuit, ſcilicet
„ ut non pauca & vilia, ſed ut univerſa deflagrarent. Et certe talia maleficia
„ non tam quantitate facti, quam improbitate penſantur. Negat ſe Majeſtas
„ veſtra nobis, & Regno noſtro unquam nocere voluiſſe, cur igitur profeſſum
„ hoſtem noſtrum, & regni noſtri fovet, & promovet? imo cur potius ſub-
„ ditos ſuos non coercet? ne res noſtras, imo omnium Chriſtianorum interci-
„ piant, quemadmodum nuper fecit Sigismundus Eyezinger. In qua re ſere-
„ nitas veſtra ſe purgat, dicens, illum & ſibi publice bellum indixiſſe, & pro-
„ pterea corrigi non poſſe. Neſcimus, ſi hæc inclito Romanorum Imperatori
„ ſufficiens ſit allegatio. Nos certe & nunc id operam damus, ac ad noſtrum
„ Officium omnino pertinere ducimus, ne quisquam intra fines noſtros cui-
„ quam, etiam alieno, impune ſit injurius. Omnino autem id nobis ingratiſſi-
„ mum eſt, quod cum maxime pro fide Catholica laboramus, tum præcipue a
„ tergo laceſſimur, & unde magis mereremur ſubſidia, patimur impedimenta,
„ & adhuc nobis imputatur, quod pecuniam contra Turcos imperatam, ad-
„ verſus veſtram majeſtatem aſſignaverimus Comiti Sigismundo. Ad quem
„ profecto vel nulla, vel minima pars hujusce collectæ pervenit. Nos quidem
„ adhuc in eadem mente ſumus, videlicet, ut & perſonam, & facultates pro
„ tuenda republica Chriſtiana exponamus, dummodo nobiscum ſic agant alii,
„ ne, quod pro ipſorum defenſione libentius inſumeremus, ad eorum offen-
„ ſionem neceſſitate impulſi convertamus. Datum Anno MCCCCLXV.

Movere ſuos jubet in Auſtrales, & latrocinia coercere.

Quamquam parva hæc videri poſſint, neque quidquam ad fœderis, quod haud ita pridem coaluerat, diſſolutionem collatura, ejusmodi tamen fuere, ut obortis crebro inter factioſos velitationibus, res prope ad apertum bellum ſpectaret. Initium a Georgio Potendorfio factum, qui tametſi in Hungarorum clientelam ſe dudum dediſſet, verſatili tamen animo, lucrique cupidus ad Fridericum ſeceſſerat, a quo ſuprema exercitui poteſtate præfectus, cum adverſus externos milites, quos Albertus contra Cæſarem olim conduxerat, nunc autem ſtipendio privati latrocinia in Auſtriæ limitibus exercebant, profectionem adornaret, Sopronienſem, ac finitimos agros exactis decumis, ſparſoque late incendio exhauriebat, ſive conniveret ad hæc Fridericus, ſeu ipſe Potendorfius, quod prælatos ſibi apud Mathiam aliquos Auſtralium cerneret, privato vindictæ ſtudio ſuopte id patraret. Itaque rex ſuorum querelis commotus Andreæ Paumkirchero Comiti Poſonienſi in mandatis dedit, ut collectis ſumma celeritate copiis, adſcitoque in ſocietatem Bertoldo Elderbachio de Monyorókerék, viro impigro, & qui ob collatam pro redimenda regni corona magnam auri ſummam, in Procerum numerum cooptatus, ac poſtea Tranſylvaniæ Vayvoda datus eſt, adverſus Potendorfium proficiſceretur, illataque viciſſim in Auſtriam populatione hominem ad ſua defendenda reflecteret. *Quia*, inquit, *Georgius Potendorfer, unus ex Baronibus Auſtriæ diverſas in dies nobis, & noſtris infert injurias, præſertim in eo, quod ſuper civibus Sopronienſibus, & aliis noſtris hominibus, ipſe in terris ſuis, ab omnibus eorum rebus decimam exigit, in deſolationem bonorum noſtrorum non modicam: hic etiam apud nos inter alios Auſtrales conſtitutus multa ſubinde contumaciter, & contra honorem noſtrum locutus eſt, & loqui quotidie non ceſſat: propterea nos prædictas ejus contumelias, damna & oblocutiones ulterius, & ſimpliciter pertranſire merito nolentes, ſed inſolentiam ejus competenti vindicta frangere, & ad debitam nobis humilitatem, & noſtrorum pacem reducere intendentes, fidelitati veſtræ firmiſſime committimus, quatenus ſtatim receptis præſentibus, ulteriori mandato noſtro non expectato, cum omni potentia veſtra inſurgere, & cum Bertoldo Elderbach ſocio noſtro hic, reaſſumtis*

1465. *etiam his, quibus ſuperinde ſimiliter ſcripſimus, ad bona, & dominia præfati Georgii Potendorfer accedere, & ea deprædationibus, ac incendiis, & omni inſtrumentorum genere taliter diſponere debeat, ut ipſe nos, & noſtros ulterius provocare, & impedire non audeat. Hæc agendo talem nobis complacentiam facietis, ac perſonaliter juxta perſonam noſtram quotidie hic ſerviretis: ſecus ergo non facturi, gratiæ noſtræ ſub obtentu....* (b) Hæc Mathias ad Paumkircherum provinciæ Poſonienſi præfectum: quo autem exitu ſimultates diremtæ ſint, nusquam in litteras relatum comperio. Credibile eſt Rudolphi Lavantini Epiſcopi opera, qui ad cognoſcendas res Georgii Podiebradii a Paulo Pontifice in Sileſiam miſſus erat, cum per Auſtriam iter faceret, partes ſublato factionum ſtudio penitus conciliatas fuiſſe, præſertim, quod in anni exitu, ut infra referemus, Potendorfium, in quem regis ira ante alios excanduerat, Cæſaris juſſu adverſum Bohemos in Hungaria, ac eos, qui expilata Auſtria ſe illis conjunxerant, ac propterea communi fratrum vocabulo nuncupantur, ſuppetias Hungaris tuliſſe pro comperto habetur.

Turcorum Legationem ab regno prohibet.

Sub idem tempus, quo Mathiæ cum Friderico res erat, Mahometes Turcorum Sultanus pacem omni induſtria ab rege ambivit. Subornarat is ſæpe alias Valachiæ Vayvodam, ac Deſpotum Raſciæ, ut faciles ſibi apud Mathiam aditus redderent, ſive re ipſa fœderis cupidus erat, ſeu potius artibus Hungaros ductare in animo habuit, & noviſſime, cum Præfectos, quos rex Boſniæ præfecit, eodem ſtudio, ſed fruſtra tentaſſet, Legatos Budam deſtinarat, qui amicitiam conflare niterentur. Mathias ubi de barbari deſtinatione comperit, obviam non nullos ex familiaribus miſit, qui Legatos pedem in Hungariam inferre vetarent. Neque enim ſatis eorum fidei credi oportere putavit, nec inconſultis Veneuis, fœderum ſociis, quidquam de pace conſtituere integrum erat, quod metus eſſet, ne ii parum caudide agi ſecum rati, ab armorum ſocietate deinceps abhorrerent. Has conſilii ſui cauſas fuiſſe, ipſe datis ad Venetorum Ducem litteris in hæc verba prius, quam Legati re infecta rediiſſent, adjectis præterea aliis, quæ eum ſcire neceſſe erat, ſignificavit. (i)

Et cauſas cur id feciſſet, Venetorum Duci perſcribit.

„ Mathias Dei gratia Hungari r &c. Rex, illuſtriſſimo Principi Chriſto-
„ phoro Mauro eadem gratia Duci Venetorum &c. amico noſtro ſalutem, &
„ proſperos ad vota ſucceſſus. Conſtitutis in procinctu proficiſcendi Italiam
„ verſus Oratoribus noſtris, adiit provinciam noſtram magnificus Joannes Emo,
„ Orator amicitiæ veſtræ, declaravitque nobis, ſe, poſt alias complures, no-
„ viſſime accepiſſe litteras veſtras, ex quibus de novo certior factus eſt, quod
„ Turcorum Imperator multifariam, multisque viis, & mediatoribus tentaſſet
„ de componenda pace cum dominio veſtro & ſedando bello adverſus eum ſuſ-
„ cepto. Quibus late expoſitis retulit ſimul judicium veſtrum, quo deprehen-
„ ſum eſt, quod hæc inſtantia Turci non animo ejus, ſed dolis ſolitis, & aſta-
„ tiæ tribuenda ſit, utpote qui nihil unquam minus, quam de pace recte cum
„ Chriſtianis obſervanda cogitare ſolet. Et licet reſpouderimus coram ipſi Ora-
„ tori veſtro, quid ſuper his curis, & machinationibus Turci nos quoque ſen-
„ tiamus, nou abs re tamen voluimus hæc pauca ad notitiam veſtræ amicitiæ
„ in ſcriptis perferri, ut cognoſcat, quo pacto etiam nos hujus aſtuti hoſtis doli,
„ & fraudes circumſiliant: nou ut de his acutius judicemus, ſed ut judicio ve-
„ ſtro noſtrum quoque conferamus. Equidem duobus his anuis poſt ſeſe ela-
„ pſis, & præſertim, poſtquam cum amicitia veſtra, & dominio veſtro ſocialia
„ fœdera ad hoc bellum gerendum inita ſunt, per multos modos, & ex plu-
„ ribus partibus non modo tentati, & requiſiti de pace ineunda, ſed pene in-
„ feſtati ſumus. Vayvoda majoris Valachiæ primus hac in re intercedere cu-
„ piebat: deinde per viam Boſniæ alii, noviſſime autem Deſpotus Raſciæ cum
„ quibusdam de Servia partes ſuas profecuti ſunt: per occultas autem vias
„ multi mediocres nuncii non nullos ex Baronibus noſtris, officia Turcis fini-
„ tima tenentibus, ſæpe adeuntes magna diligentia inſtabant, ut componendæ
„ pacis apud nos ſuaſores eſſent. Nuper vero manifeſtius deprehendimus cu-
„ ram hanc pacis compouendæ adeo cordi fuiſſe huic hoſti uoſtro, ut etiam de-

lectos

(b) Ibid. pag. 122.

(i) Ibid. pag. 124.

„ lectos Oratores ſuos nunquam a nobis vocatos, ad oras prope regni noſtri
„ miſerit, venturos ad nos, ſi ſecuritatem eis dignati fuiſſemus permittere.
„ Inter quæ crebræ ad nos voces deferebantur de conditionibus pacis, tametſi
„ non circumquaque pro voto utilibus, tolerabilibus tamen, & honeſtis. At
„ nos, qui non ſine magnis noſtris incommodis, & noſtrorum periculis male-
„ ſuadas artes hujus hoſtis percalluimus, ab omnibus his tam ſuaſionibus, quam
„ conditionibus aures. & animum pariter avertimus, non obliti, quid nobis,
„ & patriæ, quid amicitiæ veſtræ, quid communi fœderi debeamus, prout ſu-
„ per his ante factus Orator potuit ſæpius amicitiam veſtram reddere certiorem.
„ Aſtutus ipſe hoſtis & perfidæ fidei, dure ferens duas iſtas ſibi e vicino adver-
„ ſas potentias contra ſe ad bellum unitas eſſe, tetendit fallaciæ ſuæ artes, ſub-
„ ducens vias, & modos, ut proviſiones ceſſent, ut vires Chriſtianorum mi-
„ nuantur, ut hi duo ſuſpecti ſibi potentatus dividantur, quatenus una parte
„ diviſorum oppreſſa, alteram facilius aggrediatur. Cum iterum, prout a ve-
„ ridicis exploratoribus noſtris intelleximus, ipſe ſub hoc tegumento oblatæ
„ pacis, commune bellum parat, auget, coemit, atque etiam. ut omnino re-
„ cuperet Boſnam, multa ad hoc, & magna molitur. Recte igitur, & pru-
„ dentiſſime amicitia veſtra dijudicavit in hac exquiſitione pacis aſtutias hoſtiles,
„ & artes doli pleniſſimas deliteſcere: alio enim tendit aſtu, & alio arcum, men-
„ temque dirigit, ut ſcilicet feriat quoad poterit deludatque incautos. Quantum
„ itaque ad partem noſtram attinet. nos conſtanter perſeveramus in propoſito,
„ debitum fœderis omnibus aliis illabentibus cogitationibus anteferimus. Quod
„ ut manifeſtius appareat, delegimus nuper oratores noſtros, & jam expedivi-
„ mus, ituros ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, venturos autem
„ prius ad præſentiam dominii veſtri, quos præcipua auctoritate, & pleniſſima
„ facultate, & poteſtate pro conditione rerum gerendarum inſtruximus: Hi
„ propoſitum, intentionem & animum noſtrum efficaciter declarabunt. Cum
„ quibus una etiam ſupra dictum oratorem veſtrum de conſilio, & deliberatio-
„ ne Prælatorum, & Baronum noſtrorum, ex bonis, & urgentibus cauſis ire
„ juſſimus, ut apud ſummum Pontificem, & etiam apud illuſtriſſimum Domi-
„ nium veſtrum, uti homo medius, tam audita a nobis, quam viſa apud nos
„ de conditione, & opportunitate rerum, de mente noſtra. & de hoſtium co-
„ natu recte, & ex ordine referat. & interpretetur; quod quidem rebus omnibus
„ non parum conducere poſſe ſperamus. Datum Budæ XVIII. Februarii, An-
„ no MCCCCLXV.

Hac parte ſoluto utcunque curis rege, aliud cum Polonis negotium repente obortum eſt. Bohemorum, quos ad Scepuſienſem provinciam coluiſſe alias narravimus, reliquiæ, cum nulla ab Giscræ exceſſu ſtipendia darentur, veteri more latrocinia in finitimos agros exercebant, Polonorum, ac in primis Jacobi de Dombno, qui regio ærario præfectus erat, connivencia, & auxilio ſuffulti. Neque tam clancularia iſtorum fuit machinatio, ut non quædam indicia ad Hungaros perferrentur: itaque hi quoque, ne impune latronibus maleficium eſſet, Scepuſienſem ditionem, factis crebro procurſionibus, actiſque prædis exhauriebant: qua re obortis utrinque ſuſpicionibus, ne fors bellum Mathias inferre meditetur, Caſimirus quoſdam ex Proceribus, qui de lite cum Hungaris tranſigerent, deſtinavit, mandataque dedit, ut ad conciliandam amicitiam quantum poſſent, conatum afferrent, ne occupatis alioquin in Pruthenos Polonis, arma nullo operæ pretio aut dividi, aut aliơrſum converti oporteret. Mathias quoque, qui bellum in Turcos toto animo jam complexus eſſet, haud gravate tulit, cauſas diſſenſionum, quæ ipſa frequentia moleſtæ erant, ſæpeque conatus ſuos alieno prorſus tempore intercipiebant, mutua conſenſione ad vivum reſecari. Quam ob rem ad Proceres, quos Caſimirus tractationi pacis præfecerat, litteras dedit, quibus ſe nec ab amicitia, cujus ſpem feciſſent, abhorrere, & proxime ex ſuis etiam, qui communi conſilio de re deliberarent, affuturos declarat. (k) *Reverendis in Chriſto patribus Joanni Cracovienſi, & Jacobo*

Ad componendas cum Polonis Scepuſii cauſa controverſias

(k) Ibidem pag. 12.

1465.

Arbitros & Legatos deſtinat.

Wladislavienſi Epiſcopis : item magnificis viris , Joanni de Franczin Bano Cracovienſi, Derslao de Ritbovani Palatino , & Capitaneo Sandomirienſi , Joanni de eadem Ritbovani regni Poloniæ Mareſchallo , Jacobo de Dombno ejusdem regni Theſaurario , & Capitaneo Cracovienſi, Paulo Jaſienszki Capitaneo Chelmenſi , ceterisque Prælatis , & Baronibus , qui fuerant in conventione Cracoviæ habita congregati , nobis dilectis ſalutem , & benevolentiæ affectum. Accepimus litteras veſtras paciferæ mentis , & intentionis veſtræ indices , quæ paris benevolentiæ reſponſum a nobis extra mereri videbantur. Igitur ubi amicitia veſtra ſignificat , ſeſe inter tot hinc inde concitatos turbines pacem malle , diſſenſionesque omnes , quæ inter hæc duo regna olim & ſemper amica ſubortæ ſunt , ſopitum ire ; eſtote certi , apud nos etiam eam mentem , eumque animum eſſe , cui quieta magis conſilia , quam turbulenta ſequi in deſiderio eſt. Neminem injuriis laceſſere , nullius jura , vel quietem turbare placet. Sæpe turbati , ſæpe patienter ſuſtulimus , inviti ad arma exurgimus , & non niſi pulſati propulſamus injurias. Quem quidem morem ſecuti nuper dum magnificus Jacobus Theſaurarius regni illius ſuper hujusmodi exortis diſſenſionibus ad nos ſcripſiſſet , mox patefecimus ei , quæ animo noſtro inſidebant , ex quibus omnes palam intelligere potuiſtis , facile nos ad pacem inclinari , quam non modo reformari optamus , verum etiam perpetuo obſervare. Pro qua re tractanda , uti prioribus litteris ſignificaveramus , miſimus duos ex majoribus conſiliariis noſtris , eisque data ad plenum informatione de novo mandavimus , ut ſeſe ad locum deputatum conferant , tractent cum veſtris deputatis , reforment hinc inde errata , prout opus erit , concludantque tractata , ac promiſſionibus opportunis firment. In hoc tamen rogamus amicitiam veſtram , ut , ſi ipſi conſiliarii noſtri ad diem ſtatutam in loco prætacto comparere non potuerint , patientiam habere , & expectare placeat per aliquot dies , credimus enim eos propediem iſtic affuturos. Datum Budæ XXVI. Februarii MCCCCLXV. Nec de loco , in quem condictum fuerit, nec de rei , cujus cauſa conventum erat , exitu quidquam, quod exploratum ſit, conſtat. Opinor in Scepuſio , provincia utrisque æquo fere ſpacio vicina , Proceres conveniſſe , quod Mathiam , ut , ſi pacis tractatio adhæreret , in propinquo eſſet , Neoſolium ea de cauſa profectum , ex aliis litteris compertum habeam. De inſtauratis autem fœderibus dubium nullum eſt , quod ab hinc nihil diſſidiorum Polonis cum Mathia fuerit , quam hic occupandi Bohemiæ regni ſpe ab Wladislao Caſimiri filio , ut ſuo loco a nobis dicetur , dejectus eſſet.

Cognito , qui a Turcis fiebat , apparatu

Ceterum dum Mathias conciliandæ cum Polono pacis cauſa , & ad coercendos , qui diſſidiorum origo erant , Bohemos Neoſolii moratur , ingentes a barbaris ipſa hieme apparatus fieri ex nunciis comperit ; Mahometem repulſa , quam in flagitatis ab rege induciis paſſus eſſet , vehementer irritatum vindictam meditari ; habere propterea eum maximos per Europam , & Aſiam delectus , præmiſiſſe Legatos , qui cum copiarum parte viam ad bellum complanarent , ſequuturum ipſum e veſtigio cum filio , & præcipuo militum robore , neque prius relaturum ex Hungarorum ditionibus pedem eſſe , quam Belgradum , & Jaiczam cum univerſo Boſniæ regno in poteſtatem redigeret. Periculi , quod nunciabatur , magnitudo tanto veri videbatur regi ſimilior , quanto magis barbari ingenium faſtu plenum ex repulſa concitatum capto alias experimento didiciſſet. Itaque ad Legatum ſuum apud Venetos commorantem celerrimos nuncios cum litteris expedit , quibus quo in loco res , quæ Turcorum molitiones , quæ pericula , quod ſuum ad hæc amolienda ſtudium eſſet , commemorat , jubetque , quoniam diſcriminis rationes utrisque pares eſſent , nihil prætermitteret diligentiæ , qua Venetos ad ſociale bellum cum ob communionem fœderis , tum proprii periculi cauſa amplectendum hortaretur. Litteræ in hunc tenorem exaratæ erant. (l) *Reverende Pater , & magnifice fidelis dilecte ! poſtea , quam profecti*

Venetos periculi & fœderis admonet.

eſtis , multos & varios nuncios habuimus , conatus & apparatuum hoſtilium relatores , varios quidem in exprimenda minarum , & rerum magnitudine , ſed in declaranda intentione hoſtis per omnia concordes. Piget dicere , quot copias parare ex propriis terris , quot cogere ex alienis fertur , quam dura moliatur , quamque aſpera minetur ; ne forte difficilia dictu , fide non digna exiſtimentur : verum & his omnibus nos credulitatem promtam adhibeamus , experta ſæpe hoſtis illius moles , & ſæpe inflicta pericula facile perpulerunt.

Inter

(l) Ibid. pag. 1.

Inter hæc tamen duo iſta ſignificamus vobis, de quibus magis in particulari certiores facti ſumus, & quæ magis non fieri, quam non credi optaremus. Provocatus ipſe hoſtis tertii, & proximc præteriti annorum vulneribus, & opprobrius, & ſpretus in oblatione inſidioſa induciarum belli, non ſolum ira, & odio conſueto, ſed pene ſurore quodam in ultionem agitur. Præmiſit jam certos belli duces, quorum nomina quoque ad nos perlata ſunt, cum magna manu, & magna conducti exercitus parte, qui mandato tali inſtructi ſunt, ut quoad poterunt, amplius partes inferiores Hungariæ vaſtent, & in reditu caſtrum Nandoralbenſe obſidione cingant. His jam nuper in Servia prope Lenderov caſtra metati ſunt: ſequi eos velle dicitur propediem Turcus in perſona propria, & filius major una cum omnium robore, & mole potentiæ ſuæ, ea intentione, ut Nandoralbam hac æſtate expugnet, Serviam totam occupet, & caſtrum Jaicza, Boſniamque recuperet. Tædet, inquiunt, vitæ ſuæ, niſi duobus his locis, Nandoralba, & Jaicza e veſtigio potiatur; quorum primum ad Hungariam, Poloniam, Bohemiam, alterum ad Dalmatiam, Iſtriam, Italiam, & Allemanniam ſibi januam futuram putat, nos pro noſtra parte, quo profundius, ferventiusque poſſumus cogitare, non deſiſtimus, ut vel vitemus, vel propulſemus hæc geminata pericula. Verum de ſufficientia noſtra, & quantum huic hoſti pares ſumus, quæ æſtimanda ſunt, vos non latent. In hoc uno fidelitatem veſtram opportune commonendam duximus, ut maturare hæc, & ſuſcepta mandata celerius proſequi curare, & in primis de omnibus, quæ cum illuſtriſſimo Dominio Venetorum confeceritis, deinde circa negotium adhibendæ defenſionis, quid iſthinc in re, quid in ſpe tenendum ſit, per præſentem nuncium nos certiores reddere non negligatis. Hoſtis noſter non expectabit ariſtas, quin imo & culmos ipſos, antequam reſte proficiant, præventurus eſſe dicitur, quo magis nobis verendum eſt, ne nos ſub ſpe concepta pendentes, imparatos inveniat. Ad Nandoralbam miſſæ ſunt proximis diebus plurimæ lignorum ſtrues pro nova munitione loci illius: ad Boſnam propter occupationem magnifici Emerici Gubernatoris in partibus ſuperioribus, alios Capitaneos diſponimus, & eos cum gentibus armigeris, illuc propediem miſſuri ſumus. Nihil omittimus, quod nobis poſſibile, illam præcipue ſolicitudinem habentes, ne quid curæ hac in re prætermiſiſſe, aut aliquid negligentiæ commiſiſſe videamur. Cauſa etiam egreſſus noſtri de Buda, & adventus ad has partes huc tendit, ut confinia regni noſtri ab inſultibus latronum de Bohemia, & Polonia, quantum brevitas temporis patietur, tuta relinquamus, & ut congregemus gentes armatas equitum, & peditum, quo magis ſolicitudini noſtræ, & promiſſæ curæ ſatisfacere poſſimus. A vobis itidem expectaturi, ut in rebus vobis commiſſis nulli negligentiæ, aut tarditati locum detis. Datum in Novozolio die penultima Martii MCCCCLXV.

In eandem ſententiam ad Ludovicum Galliarum Regem ſcripſit, quem, quod per Legatum ſuum Antoninm Marini ſpem ſubſidiorum feciſſet, vehementer adhortatus eſt, ut ſociato cum ceteris Chriſtianorum Principibus conſilio, ſtudioque, ſe prope ab omnibus deſertum, ferociæ, ac libidini barbarorum ne deſtitueret. (*m*) Haud minor propulſandi periculi ſpes a Pontifice affulgebat, quam Epiſcopus Tininienſis, Roma admodum redux attulit. Recreatus mirifice eo nuncio Mathias, ampliſſimam Paulo gratiam habuit, orabatque, ut non modo rem Chriſtianam pari deinceps animo proſequeretur, ſed facilem ſe præterea Oratoribus ſuis præberet, quos eandem ob cauſam dudum in urbem miſerit, ex quibus quem in modum erga barbaros animatus ſit, nullo negotio intellecturus eſſet. (*n*) *Magnæ alioquin*, ita ad Pontificem ſcripſerat, *expectationi noſtræ in rebus fidei promovendis, major nunc in id ipſum novo quodam illapſu acceſſit ſpes, dum in reditu reverendi Patris Domini Marci, Epiſcopi Tininienſis, tam ex litteris ſanctitatis veſtræ, quam ex relatione ipſius intelleximus, quantum animum, & quam ſedulam mentem, ac diſpoſitionem habeat beatitudo veſtra ad proſequendam tutelam ipſius fidei, gregisque fidelium ſibi commiſſi, & item quantum intendat pro poſſe, & viribus ſuis conſervationi hujus regni, quod Chriſtianorum antemurale & appellat & eſſe putat. Ego in primis ago gratias Domino Deo noſtro, qui in tanto rerum turbine, in tanta calamitate fidei, & neceſſitate noſtra, primo omnium Chriſtianorum periculis graviſſimis laborantium, talem, & tantum Eccleſiæ ſuæ rectorem præfecerit, qui & poſſit, & cupiat ipſam, variis agitatam, & pene obvolutam fluctibus, in ſpem ſalutis reſtituere, habemus etiam gratias ingen-*

Eandem ob cauſam ad Regem Francorum ſcribit.

A Pontifice autem certam ſubſidiorum ſpem obtinet.

(*m*) Parte II. epiſt. MATHIÆ CORVINI. pag. 18

(*n*) Ibid. pag. 14.

1465. *ingentes beatitudini veſtræ, quo caſus, & labores noſtros conſiderat, & oculos ſuæ diſcre- toinis in regnum iſtud ſpecialiter injecit, oſtendens cum cura ſuſcepta fervorem quoque ſibi ſaccreſcere, ut totum impendat, quod totum debet, & poteſt. Hæc fuit expectatio mea, hæc denique fiducia, cum primum perſonam ſanctitatis veſtræ ad culmen maximum Pontifi- catus ſubvectam accepi. Hac ſpe fretus delegi nuper Oratores ex primariis capitibus regni, & conſilii mei ad ſanctitatem veſtram jam miſſos, qui ante alia præſtare habuerunt obedien- tiam nomine meo, non ſolum Apoſtolicis pedibus debitam, ſed illis ſingulariter pedibus præ- ſtare ſponte paratam. Secundo loco curam ſolicitudinemque, & omnes labores meos tam pro viribus actos, quam ſuper vires ſuſceptos, præterea expectationem ferendi opitulatio- nem patefacturi erant. Quos jam putamus hucusque his rebus officio ſuo perfunctos eſſe. Supereſt, ut ſpei bonæ rem parem ad nos quoque referant. Quod autem hortatur me beatitudo veſtra litteris ſuis, ut ſuſceptum animum adverſus communem hoſtem & fortiter retineam, & fortiorem efficiam, in hac ipſa re certiorem facio ſanctitatem veſtram, quod in proſecutione hujus negotii, & propoſiti jam ſuſcepti, velle, & animus meus a nullo ſu- perabitur, placeat modo Deo noſtro, ut poſſe non ſuperetur. Quo magis curandum eſt ſanctitati veſtræ, ut poſſibilitas agendi mihi ſubſit, voluntas laborandi nunquam aberit. Habuerunt oratores mei inter alia ſpecialem informationem, ut ſanctitati veſtræ de inten- tione mea quærenti, opportunis verbis fuſius, & documentis ſuper hac mente mea, prout opus erit, fidem faciant. Remiſi autem & hunc Dominum Tininienſem, novum oratorem ad pedes ſanctitatis veſtræ, & ad ſuperiores oratores meos, qui ad litteras beatitudinis veſtræ mei loco latius reſpondebit, ac ſimul referet, quæ recentius occurrerunt, & quæ apud nos & parantur ad rem, & aguntur. Conſervet Dominus ſanctitatem veſtram fe- liciter regimini, & conſolationi Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, cui nos, & res noſtras iterum, atque iterum commendamus. Datum Budæ die penultima Aprilis MCCCCLXV.*

Legati ab Rege miſſi Romam veniunt. Adfuere Oratores, quos in hiemis principio Romam ab rege miſſos narravimus multo ante, quam Epiſcopus Tininienſis ex urbe profectus Hungariam teneret, acceptique a Paulo ſumma lætitiæ, & honoris ſignificatione non modo urbem, ſed pleroſque Italiæ Principes, quorum legati in ſextum pene menſem cum Pontifice de belli rationibus conſultabant, Ingenti ſpe rei adverſus barbaros feliciter gerendæ impleverunt. Indulta ab adventu aliquot dierum quiete, ad Papam admiſſis facta loquendi copia eſt, qua Epiſcopus Quinque-eccleſienſis, ut erat omnino diſertus, & facundia præſtans, libenter uſus, ſociorum nomine legationis cauſas in hæc verba exprompſit. (o)

Cauſasque legationis exponunt. „ Si occupatam plurimis, & maximis negotiis ſanctitatem tuam beatiſ- „ ſime Pater ! longiori & nos ſermone moraremur, plus fortaſſe publicis com- „ modis impedimenti, quam clementiſſimis auribus tuis moleſtiæ ingereremus. „ Proinde cauſam adventus noſtri magnam illam quidem, & facundiæ capa- „ ciſſimam, quam ſuccinctiſſime proferemus. Cum ſereniſſimus Hungarorum „ rex Mathias caſtris adverſum Turcos æſtate præterita jam motis inter ipſa re- „ gni ſui, & hoſtilis terræ confinia, Pium Pontificem felicis memoriæ rebus hu- „ manis exceſſiſſe cognoviſſet, ſane pro eo, ac debuit, mœſtus aliquamdiu, & „ animi dubius permanſit. Verebatur ſiquidem inter alia id potiſſimum, ne „ factum fidei ab illo viro ingenti ſpiritu, & ſatis amplo conatu inchoatum te- „ peſceret. Neſciebat, qua jam ulterius fiducia cœptam expeditionem proſe- „ queretur, eo, unde promiſſa exſpectabantur ſubſidia, qui belli ſibi & ſuſci- „ piendi graviſſimus auctor fuerat, & ſuſcepti certiſſimus adjutor fore ſpera- „ batur, exſtincto. Cum interim longe jucundior fama inſonuit, Paulum II. „ cognovimus Petri Cathedram obtinuiſſe. Quo nuncio quaſi veſpertinum fle- „ tum matutina excipiente lætitia diſcuſſere continuo ſpes metum, gaudia mœ- „ rorem, nec quisquam dubitavit ſpeciali ſpiritus ſancti afflatu Eccleſiæ Dei de „ tali paſtore proviſum, quem omnibus virtutum numeris præditum, olim „ ſummum principem natura ipſa deſignaſſet, qui ſapientiam, animi magnitu- „ dinem, & ſanctum propoſitum factis magis præſeferret, quam dictis. Sed „ hæc una, & communis erat cunctis gentibus exultandi ratio : At regem no- „ ſtrum cum univerſis pariter noſtratibus etiam peculiaria quædam exhilarabant.

Scie-

(o) Inter Epiſt. Mathiæ Corvini. Parte II. pag. 129.

„ Sciebat quippe beatitudinem tuam ampliſſima Venetiarom urbe oriundam, &
„ patriæ, ut par eſt, amantiſſimam, cives ſuos, ſocios noſtros, & eodem,
„ qoo nos, in diſcrimine ſitos minime deſerturam. Meminerat benevolentiam
„ quoque, quantis favoribus ſacratiſſimæ recordationis Eugenius Papa IV. præ-
„ deceſſor, & propinquus tuus illuſtrem quondam parentem ſuum, Chriſtiani
„ tum populi in Turcos Ducem, ac totam gentem Panonicam fuerit proſecutus.
„ Nec ambigebat, cognatam ſe erga nos & humanitatem, & liberalitatem imi-
„ taturum, imo difficilior hodie rerum conditio, & tua ſingularis benignitas
„ beatiſſime pater, qua, ut omoes, ita etiam gentilem tuum Pontificem ſuperaſti,
„ facile majora de nepote promittebant filio quam præſtitiſſet avunculus genitori.
„ Hæc regem noſtrum adhortabantur. ſuo erga ſanctitatem tuam & ſedem Apo-
„ ſtolicam officio quam primum ſatis facere. Quod profecto & feciſſet, niſi
„ gravi, & longinquo bello diſtrictus abfuiſſet.

„ Ubi vero intractabile anni ſidus, & hiberna tempeſtas intermittere coe-
„ git militiam, nihil prius ſtuduit, qoam honeſtiſſimo iſto fidelium Principum
„ inſtituto perſungi. Primum igitur beatitudinis tuæ dignitati tota mentis af-
„ fectione gratulatur, commendat ſe, & ſuos ad pedum oſcula beatorum, ac,
„ remota omnis conditionis invidia, tibi tamqoam vero Chriſti vicario, tam ſuo,
„ quam regni ſui nomine puram, plenam, & canonicam offert obedientiam e
„ ſinceritate animi, ac devotione, quam quondam incliti progenitores ſui Romanæ
„ Eccleſiæ, & ejus Pontificibus præſtitiſſe dignoſcuntor. Nam ſi veterum mo-
„ numenta annalium evolvere tibi eſſet animus, beatiſſime pater, invenies profecto
„ nullos unquam Principes, nullos populos, pace aliorum dixerim, Apoſtolicæ
„ ſedi tam obſequentes, tam deditos exſtitiſſe, quam Hungaros, & reges Hunga-
„ rorum. Gentili adhuc errore Humorum natio tenebatur, cum potentiſſimus
„ ille Attila Venetam provinciam ingreſſus, ac omnia Padom usque amnem ferro,
„ & igni populatus obvium ſibi Leonem Papam in tanta veneratione habuit, ut
„ ejus monitis, & interventu, omiſſo ad urbem itinere coofeſtim Italia exceſſerit.
„ Divus deinde Stephanus, qui primus noſtros ad fidem Catholicam convertit
„ circiter milleſimum Dominicæ incarnationis annum, cum Imperatoris Henrici
„ gener, ſororiusque eſſet, maluit tamen coronam regiam a Romano petere
„ Antiſtite, ac per hoc regnum illud ſedi Apoſtolicæ devincire. Quem imitatus
„ paulo poſt Divus Ladiſlaus, cum illius temporis Pontifex pro recuperanda
„ terra ſancta crucem late prædicaſſet, ipſe pro Gothfrido Hieroſolymam Chri-
„ ſtianum exercitum duxiſſet, ſed ejus mox propoſitum implevit Andreas, qui
„ ſoperatis Saracenis, & adorato Chriſti ſepulchro, non alia hoſtium præda,
„ quam ſanctorum reliquiis onuſtus in patriam revertit. Deficiente poſtmodum
„ regio ſemine, ab Apoſtolica ſede Principem ſibi Hungaria poſtulavit, & acce-
„ pit, (p) clariſſimum Siciliæ regem Carolum, cujus filius, & ſucceſſor Ludo-
„ vicus regnum Neapolitanum jure ſanguinis ad ſe devolutum, & nihilominus
„ armis, poſt beato Petro Apoſtolo reſignavit. Sigismudus porro Cæſar quanta
„ in Conſtantienſi, ac deinde in Baſileenſi comitio, pro Martino, & Eugenio
„ Pontificibus, & alias pro ſacroſancta Eccleſia egerit, ſuperſunt, qui experien-
„ œ teſtimonium perhibere poſſunt. Ne ſingula percurrendo ſim longior,
„ ſemper gens noſtra, & Principes noſtri hujus ſacratiſſimæ ſedis auctoritatem longe
„ plurimi fecerunt, & ad ejus nutum inter cetera pacem pariter, ac bellum tem-
„ perarunt. Noviſſime illuſtris Gubernator noſter Joannes, cujus ſupra men-
„ tionem fecimus, cohortantibus, & aſſiſtentibus Legatis Apoſtolicis, quam ſæpe
„ cum Turco dimicavit, ac tandem magno prælio victor inter ipſa trophæa ſua
„ triumphantem ſpiritum reddidit creatori. Parentis igitur ſui, & prædeceſſorum
„ ſuorum regum ſequens veſtigia ſereniſſimus Rex noſter ſanctitati veſtræ non
„ eam tantum præſtat obedientiam, quæ in cultu, & exhibenda reverentia, ſed
„ etiam, quæ in parendo voluntati tuæ, & excipiendis mandatis tuis conſiſtit.

(p) Qua id ratione intelligendum ſit, ſatis prolixe prima annalium parte, qua regum noſtrorum res geſtas complexus ſum, in Wenceslao Bohemo, ac Ottone Bavaro memoravi.

1465. „ Et quia intelligit, curam tuam Chriſtianorum defenſioni, & Turcorum exci-
„ dio intentam, omnes ſuas, & ſuorum fortunas, ac regium inſuper caput ad
„ hoc pollicetur, te jubente, ac ſuffragante beatiſſime pater, nihil non etiam ar-
„ duiſſimum ſecure aggreſſurus. Suſcipe ergo, & paterno amore complectere
„ una cum populo ſibi ſubjecto devotiſſimum filinm tuum, regem noſtrum
„ Mathiam, præſertim in iis, quæ pro grege tibi commiſſo non minus ſublimi,
„ qnam pio animo concepiſti. Hæc eſt prima beatiſſime pater adventus noſtri
„ cauſa, hodierno die breviter explicata. De iis, quæ multæ, & item magnæ
„ reſtant, parati ſumus mox dicere loco, & tempore per te beatiſſime pater
„ aſſignandis.

Rurſum coram Papa perorant.

Hæc locutus, quod officii potius, quam rei, cnjus cauſa advenerat, rationem haberet, dicendi finem fecit. A meridie cum ſociis rurſum ad Pontificem admiſſus, reliqua Legationis capita brevi oratione complexus, in hunc modum ſermonem occepit. (*q*) „ Alteram Legationis noſtræ partem hodierna die beatiſ-
„ ſime pater petituri, & latius explicaturi advenimus. Ubi primum ſereniſſi-
„ mus Rex noſter de conditionibus inimici longa experientia edoctus pro ſua
„ erga ſanctitatem tnam devotione admonet eandem; quod ſi populum Chri-
„ ſtianum, cui divina vocatione præeſſe meruit, ſalvum eſſe vult, prout viribns,
„ indiciis. & actibus præ ſe fert, contra immaniſſimum Turcum proviſiones
„ cum primum faciat opportunas. Solus quippe ille hoſtis Chriſtianum oppri-
„ mere nomen, & maxime poteſt propter vicinitatem, & vehementiſſime af-
„ fectat pro ambitione: nec quidqnam aliud diebus; ac noctibus, etiam cum
„ otioſus videtur, cogitat, quemadmodum præterita ejus acta declarant, quam
„ ut hinc deſiderio ſuo faciat ſatis. Qui cum non ſolum præpotens ſit in ap-
„ parando, ſed etiam aſſiduus in agendo, nemo ignorat, quid ſecuturum ſit,
„ niſi provideatur. Quis autem providebit melius, quam tu, cujus & natura
„ eſt, ut velis, & officinm, ut debeas, & facultas, ut poſſis. Provide igitur
„ eo modo, quem tua ſumma auctoritas, ac rerum magnitudo requirit, & ea
„ potiſſimnm parte hoſtem infeſtari procura, qna maxime lædi poteſt. Non
„ indiges, ut nos tibi commemoremus, terrane potius, an mari aggrediendns ſit,
„ quantusve copiarum numerus ad debellandum exiſtat neceſſarius? haud te iſta
„ latent, tam grandia, qnem pro ſua divina ſapientia etiam minima non fugiunt.
„ Noſtrum eſt, quæ ſpecialiter ad nos pertinent, declarare. Duobus his præ-
„ teritis annis inclitus Rex noſter magna auxiliorum ſpe ductus, demum a ne-
„ mine fere adjutus, propriis viribus non tam pro ſe, quam pro omnibus bellum
„ geſſit, inimici exercitus aliquoties fudit, hoſtilem terram devaſtavit, Boſnam
„ feliciter recepit, fortiſſime ſervavit, ac multa alia reipublicæ Chriſtianæ ſalu-
„ taria edidit ſui claritate longe notiora, quam ut a nobis in præſentiarum de-
„ beant enarrari. In his omnihus tam brevi tempore plus laboris, & expenſæ
„ ſuſtinuit, quam integro quinquennio ad privatam defenſionem inſumſiſſet.
„ Nihilominus tamen memor paterni exempli, & ſui debiti non ignarus, omni
„ conatu ſuſceptum proſequi negotium inſtituit, & tanto quidem enixius, quanto
„ abs te beatiſſime pater ſubſidia habuerit ampliora. Quæ profecto ſi modo com-
„ petentia fuerint, non alias majorem fructum parere poterunt. Rex quippe
„ noſter proximis ſucceſſibus ſublimen gerit animum, & regnum hoc nunc lon-
„ ge magis unitum, quam antea: contra Turcus eſt quidem ad vindictam ſui,
„ & ad propagandum imperium ardentiſſimus, ſed certe aliquot jam non me-
„ diocribus plagis attritum habet exercitum. Age ergo beatiſſime pater! obla-
„ tam tibi bene gerendæ rei occaſionem amplectere, ac devotum filinm tuum,
„ regem Hungariæ in ſuo pio propoſito adjuva; quod quanto uberius feceris,
„ tanto certior victoria, & brevior erit impenſa. Si nos negligentius ageremus,
„ exhortandi tibi eſſemus, nunc priores exhortamur. Si nos omnino invalidos
„ cerneres, dubitare poſſet ſuffragia tua in vanum ceſſura, cum nunc, & ipſi aliquid
„ poſſumus, certum eſt, quod auxilia tua noſtris viribus addita, & gloriam ſancti-

(*q*) Ibid. pag. 137.

„ ſanctitatis tuæ ſempiternam, & commiſſo tibi Chriſtiano populo ſalutem com-
„ parabunt.

Eadem privatim apud Paulum, crebroque inter Cardinales Legati me-
morabant, adjecitque momentum haud leve Emo Orator Venetus, quem ab re-
ge Hungaris adjunctum retulimus, quibus cum Pontifex per ſeſe regi addictus
vehementer moveretur, Principum Italiæ Legatos acciri, habitoque Cardinalium
ſenatu, de ſupetiarum, ac ſtipendiorum rationibus communi ſententia deliberari
juſſit. Apparebat confeſtim in principio conſultationes protelatum iri, quod ſin-
guli privatas, ut fit, cauſas, & mandara prætexentes, oneris partes aut diminui,
aut penitus amoveri peterent, quoad Pontifex, ut alios ſuo exemplo incitaret,
annua centum aureorum millia ſe daturum pollicitus eſſet. Valuit exmplum ad
ceteros: Ferdinandi enim Neapolitani regis oratores ſexaginta aureorum nummum
millia in ſtipendium ſe collaturos promiſere; cum quingentos equites, totidem-
que pedites, qui in Epiro adverſus barbaros rem gererent: Veneti, quamquam
ingentes ſumtus in terreſtres, ac navales copias feciſſent, ne ſocios tamen deſti-
tuere viderentur, annua quinquaginta aureorum millia Mathiæ ſe miſſuros re-
ceperant: Mediolanenſis Dux duo equitum millia, uno minus peditum; Floren-
tini contra equites mille cum quinentis peditibus Mediolanenſibus jungendos ad-
dicebant, aut, ſi in iſtorum loco Hungari ſtipendium mallent, viginti quatuor
aureorum quot annis millia tributum iri, quorum duo in ſingulos menſes pen-
derentur, ſi modo Pontifex ex decumis cenſuum eccleſiaſticorum, viceſimis Ju-
dæorum, ac civium triceſimis impendiorum compendia fieri admitteret.

Hic coacto Legatorum, qui ex Italia aderant, conventu.

His auditis, juſſit Pontifex, ut, qui ei ſenatui intererat, Cardinalis Papienſis
ſcribit (r) *Oratores extra conſiſtorium eſſe, donec acceptanda an recuſanda cum Cardi-
nalibus ageret. Egreſſis oecepit ſuſpirans: Videtis fratres, quo reciderint deſideria noſtra,
& ſex menſium conatus: pecuniam popoſcimus, copiæ offeruntur, non reſpondent hæc noſtræ
expectationi, nec gerendis rebus conveniunt: ſtipendium, quod duobus millibus equitum, &
mille peditibus erogat Dux, quinque in Hungaria conduceret millia, aſueta pugnis Tur-
corum, & valentiora noſtris, illis in locis: idem dico de rege: Florentini, qui alioquin in
mittendis mille equitibus, & quingentis peditibus annua quinquaginta millia erogare deberent,
ſi pecuniam loco militum pendant, dimidio minus pendere volunt; unde iſta conſilia? caro,
non ſpiritus rectus, hæc monſtrat, ut non adjuvent utiliter Venetos: cognominare ſua onera
volunt: utinam in deſerendis Venetis non deſererent fideles omnes, & ſe ipſos. Senenſes
diu admoniti, & rogati nihil adhuc reſpondent, de duce Mutinæ, Marchione Mantuano,
& Lucenſibus quid dicam, ignoro. Scriptum omnibus eſt, & a nullo reſcriptum: ſilentia eorum,
recuſationes ſunt manifeſtæ, aliud interpretari non poſſumus. Hi vero, quos modo audiſtis,
non de ſuo, ſed de noſtro promittunt, quaſi, ut eſt in proverbio, manicis noſtris naſos noſtros
abſtergant, petierunt enim decimas, vigeſimas, trigeſimas, & cenſus quoque eccleſiæ.
Anceps animi ſum, quid cenſeam agendum: ſi hæc oblata accipimus, Hungari carituros ſe
videntes pecunia, quam in dies exſpectant, paciſcentur cum Turco, tolerare enim ultra
non valent; horum exemplum neceſſario ſequentur Veneti, quos invitat Turcus, & jam ca-
pita conventionum miſit ad eos, quæ vidimus nos, & honorifica admodum ſunt. His duobus
quaſi propugnatoribus cedentibus de medio, numquid non hoſti iter liberum terra marique
ad Italiam patet? porro, ſi hanc terram ingreditur, nonne videmus, quam facile oi pote-
ſtatem omnia redigat? non tam arma ſua illi viam aperient, quam diſſenſiones inteſtinæ Ita-
liæ, & ſubditi odio habentes dominos ſuos: ille, ut vicinus hoſtis deleatur, externum domi
accipiet, hic, ut Tyrannum oppreſſorem fugiat, ad infidelem confugiet: magna indignatio-
num, & inimicitiarum eſt vis, ut nec religionem, nec communem interitum iratus animus
videat. Rurſum ſi promiſſa hæc non acceptamus, & majora, ac utiliora expetimus, majora,
& utiliora non præſtabunt, quodcunque inde ſuccedet mali, recuſationis noſtræ crimen dice-
tur. Subvenire, inquient, pro viribus volebamus, & ſumus repulſi; quod ſi maxime ad-
dituri ad hæc aliquid ſunt, antequam petitiones noſtræ referantur ad eos, antequam delibera-
tiones novæ ineantur, & referantur reſponſa, menſes amplius ſex elabentur, nec ſcimus,
an tandem ita addent, ut non dici poſſit, fruſtra tempus inſumtum: præcipuum autem Chri-
ſtianorum ſubſidium eſt, & ante alia procurandum, celeritas: ſi enim antequam ex hibernis*
mo-

(r) RAYNALD. Annal. Eccleſ. Tom. X. ad annum 1465.

1465. *moveat Turcus, quem exploratum eſt, ingentes copias terra, marique contrahere, parati Veneti, & Hungari, & nos quoque non erimus, quod nunc minoribus viribus bene geri eſt ſpes, majoribus poſt hæc poſſe geri non eſt exſpectandum: dies, ut magnas utilitates, ſi diligentia adſit, ſic ingentes quoque clades, ſi abſit, ſecum apportat.* Hæc locutus, diligenter de re Cardinales juſſit conſulere, ac, ubi ſecum, quod opportunum videretur, conſtituiſſent, ad ſe referre: quem finem deliberatio acceperit, haud ſatis exactum eſt; mihi, priores cum futuris rebus contendenti, vero fit ſimile, Poutificem cum Venetis non annua quidem, crebra tamen ſtipendia Mathiæ ſuppeditaſſe, quod Scanderbego Epirotarum Principi geminis præliis fracto ſuccurrendum quoque eſſet, dnm ceteri propter exorta partium ſtudia, resque ob belli ſumtus accisas, plus domi negotiorum, ac difficultatis haberent, quam ut ad commuue periculum operam conferre poſſent.

Mathias conſtatam ſibi apud Paulum invidiam

Quamquam uecſcio, quibus malignis poſtea rumoribus Pontifex occupatus, ut multum exiſtimationis de bellica regis virtute detraxerat, ita in erogandis ſtipendiis parcior itidem fuiſſe videri potuit. Ut enim Tininienſis Epiſcopus Roma reverſus eſt, litteras a Paulo attulit, quibus Mathiam de ſupina deſidia arguit, cum Turci interea rerum ſuarum ſatagerent: magnæ propterea apud ceteros Chriſtianos Principes regis nomen invidiæ objici, quaſi aurum in ſtipendia datum ad alienos uſus converteret. Quare reſumto animo, quidquid oegligentia hactenus peccatum fuiſſet, ſarcire conaretur; ſe, ubi ejus conatus conceptæ expectationi reſpondere viderit, nou commiſſurum omnino, ut æris penoria laboraret. Partem auri ab Legatis, qui urbem jam deſeruiſſent, afferri, ex quo de ſuo animo & voluntate coujecturam haud obſcure caperet. Adjecit, ab Georgio Podiebradio, Bohemiæ rege, etiam atque etiam ſibi caveret; homioem Rochezanæ conſiliis corruptum, jurisjurandi religionem, qua ſe Catholicorum ſacra amplexurum recepiſſet, fœdum in morem polluiſſe, exagitari ab eo Proceres, qui ſibi nou conſentientes eſſent, hos ſeceſſionem parare: cauſam regis Romæ cognoſci, præſtitutum eſſe ſex menſium tempus: intra quod ſi reſipiſceret, abſolotum iri, ſin contra, cujns metus uon de nihilo eſſet, in perfidia perſiſteret, regia dignitate exauctoratum in privatum ordinem redigendum eſſe. Qua in re, ut ſua conſilia adjutum iret, regem magnopere obteſtatus eſt, ſpemque adipiſcendi Bohemiæ regni, quo proniorem ad ſuas deſtinationes haberet, oon obſcuram præbuit.

Ut poſtremum hoc regi mirifice gratum, ita prius, quod de oſcitantia objiciebatur, permoleſtum erat. Neque enim ſatis cognoſci potuit, quam ob cauſam eo prorſus tempore, quo cum exercitus parte barbaris incubabat, erat enim ad Dravum flumeu, dum litteræ Pontificis allatæ ſunt, maligna adeo de ſe fama in Italia vulgaretur, verebaturque, ne de induſtria a malevolis conficta eſſet, ut ea ratione ſtipendiorum ſpes penitus ſuccideretur. Itaque, ne, ſi ad criminationes has ſileret, id ſibi a quoquam fraudi verteretur, litteras acriori, quam ceteroquin ſolebat, ſententia exaratas ad Paulum hoc tenore dedit: (s)

Prolixa Epiſtola diluit

„ Beatiſſime pater! modo taudem rediit ad me reverendus pater, domi-
„ nus Marcus Epiſcopus Tininienſis cum litteris veſtræ ſanctitatis, quarum prima
„ pars de facto fidei, ſecunda de eccleſiaſticis juribus loquebatur, utraqoe tamen
„ acrem mei caſtigationem continebat; quam ego nihilominus, ut a clementiſ-
„ ſimo patre profectam, cnm filiali reverentia accepi. Verum ad ſecundam
„ paulo poſt vivæ vocis medio reſpondere ſatius duxi: ad primam vero, quæ
„ nunc magis in actu eſt, ſtatim reſcribendum exiſtimavi. Scribit Beatitudo
„ veſtra: *Hoſtem Chriſti primo vere orbem debellare egreſſum usque in regnum Boſnæ, & ad Illyricos fines irrupiſſe, obvia quæque devaſtantem, me vero propugnatorem Chriſtianorum nondum in aciem proceſſiſſe, ſed adhuc domi quieſcere.* His addidit coram præfatus dominus Marcus Epiſcopus: *Sanctitatem veſtram vehementer mirari, quod ego a Turcorum incurſionibus, fines Chriſtianorum tueri non poſſim, hortarique me, ut aliquando metas, & regnum Boſnæ egredi audeam; ac viriliter in terras, & ipſa viſcera hoſtium penetrem, & ſaltem nuper miſſa utiliter expendam. Ita demum beatitudinem veſtram* am-

(s) Parte II. epiſt. MATHIÆ CORVINI pag. 61.

ampliſſima quædam ſubſidia nobis collaturam, alioquin Deum, & homines teſtaturam, non jam ſe, ſed memet ipſum mihi defuiſſe. „ Audiat me ſolita ſua manſuetudine ve-
„ ſtra ſanctitas, ad hæc aliquantulum reſpondentem. Equidem neſcio, unde
„ iſta fama Romæ increbuerit, Turcum primo vere Boſnam, & Illyricos fines
„ ingreſſum. Ego, qui vicinior hoſti ſum, & quem frequentia exploratorum
„ nec quotidianas ejus actiones ignorare ſinit, propemode affirmare auſim; Tur-
„ cum ipſum hoc anno in hunc usque diem ne alterum quidem pedem Con-
„ ſtantinopoli protuliſſe, ſed nec juſtum aliquem illius exercitum fines Chriſtia-
„ nos invaſiſſe: in Boſna vero non alios Turcos fuiſſe, quam qui fere continue,
„ & ab antiquo eſſe ſolent, præter quosdam indigenas eisdem adhærentes, &
„ in alterutrum ſervientes: in Illyrico autem ne unum quidem, niſi captivum.
„ Quapropter beatiſſime pater, ſi quis de novis harum partium informari cu-
„ pit, certiora forſitan, & veriora abhinc poterit intelligere, quam ex Dalma-
„ tia, vel Epiro, ubi timidorum, aut otioſorum garrulitas inanes plerumque fa-
„ cit rumuſculos. De mea vero negligentia quid dicam? niſi quod res habet;
„ opinentur alii quidquid volunt. Mihi recte ipſe videor, hactenus acquiſiviſſe
„ plura, quam amiſiſſe. Illud ſi negligentia eſt, fateor, me omnino efficere,
„ & cavere non poſſe, ut in metis ſæpe incurſus mediocres, & rapinæ non
„ fiant, neque enim ubique montibus, & fluviis disjungimur. Italiam ab Afri-
„ ca latum pelagus ſeparat, non tamen arbitror a piratis Saracenis ſemper tuta
„ eſſe Auſoniæ litora. Sed profecto iidem nec Turci evitare poſſunt, quin
„ noſtri pares, aut ampliores prædas ex eorum finibus continue agitent. Quod
„ ſi Epirotarum more victoriolas quasdam jactare vellemus, & quaſi in matri-
„ cula deſcribere, quot hoſtium vicos noſtri homines incenderint, quantum pe-
„ corum, hominumve abduxerint, videremur fortaſſe, nec præſenti anno pe-
„ nitus ceſſaſſe, manusque noſtras etiam tunc inter hoſtes non fuiſſe quietas,
„ cum nos Budæ quieſcebamus. Neque enim puto decet, me ipſum perſo-
„ naliter ad omnia prorumpere, ne apud hoſtes auctoritas mea vileſcat. Præ-
„ terea non dubito, quin & illud cogitet veſtra ſanctitas, regnum meum plu-
„ ribus a partibus habere inimicos; nunc ab Allemannia prædonum haud con-
„ temnenda vis ingruit, providendum nempe eſt, ne interim invaleſcant hac
„ ætate. Cum adhuc Oratores mei nondum rediiſſent, adverſus latrones Bo-
„ hemos proceſſeram, quorum recentem contumaciam pro magna parte celeri-
„ ter conpreſſi; poſtea vero, quam Legati mei redierunt, belli apparatum ac-
„ celeravi, & præmiſſas ante copias en ipſe ſubſequor. Falcultatibus meis nec
„ nunc, nec alias unquam peperci, ſed longe plus de meo pro communi utili-
„ tate inſumſi, quam ab aliis accepi. Subſidia vero ſedis Apoſtolicæ, judicio
„ meo, nec prius pro me inaniter conſumta ſunt, quippe quæ non domi, ſed
„ in caſtris, & inter hoſtes expoſita fuere, & nunc ſcio, me tam oculos, quam
„ manus a transmiſſa nuper pecunia ſatis puras habere. Qua in re ſufficit mihi
„ Legati, & diſpenſatoris Apoſtolici locuples teſtimonium. Utinam tam accu-
„ rata ab aliis ratio depoſceretur, invenirentur forte aliqui in terris, qui prope
„ centuplum inutilius expenderunt. Inter hæc ſupplico beatitudini veſtræ, ne
„ mediocribus ſuffragiis, & viribus ſemper nimis grandia peragi exigat, neve
„ id a nobis efflagitet, ut quantocunque ſtipendio trans Hæmum, Rhodopen-
„ que montes, & in Euxini litoribus præliemur. Non minus forſitan ſalutare
„ eſſet, ſanctitatem veſtram nos, ſi majora viribus audere vellemus, commo-
„ nefacere, modumque præſcribere audaciæ juvenili. Si quid enim ſiniſtri,
„ quod abſit, mea quædam temeritas non ſolum mihi ipſi, ſed univerſæ reipu-
„ blicæ Chriſtianæ afferret, tunc vero non tam turpe, quam & periculoſum
„ eſſet dicere, *non putaveram*. Si tamen pulchrum videtur, ardua experiri;
„ ego ille primus ſum, ego, inquam, qui ſemper neceſſarium eſſe dixi, ut
„ omiſſis particularibus expeditionibus, valida, & ſufficienti manu hoſtem no-
„ ſtrum aliquando in ſuo nido quæramus, & collatis ſignis extrema tentemus,
„ ſemelque hac quotidiana moleſtia liberemur. Hoc eſt, quod maxime aliis
„ conſulo, quod plurimum ipſe opto, ad hoc meas, meorumque fortunas, &

1465. „ regium caput devoveo. Præſenti quidem anno cœptum proſequar, & quid„ quid amplius potero, agam : &, quantum in me erit, ita agam, ut nemo „ mihi quidquam imputare merito poſſit. Exitum nunc Dens novit, poſtmo„ dum res ipſa oſtendet. Anno ſequente, Deo annuente, Mahometem ipſum, „ ubicunque circa Hellespontnm reperiri poterit, veſtigabo, illa modo beati„ tudinis veſtræ, aliorumque Chriſtianorum tantæ rei convenientia auxilia non „ deſint, alioquin *& ego coelum, terrasque teſtabor, non per me, ſed per alios ſtetiſſe, quin pulſis ex Europa, & deletis funditus Turcis, populi fidelium æterna in pace benedicerent Deum redemptorem ;* qui ſanctitatem veſtram regimini Eccleſiæ ſuæ „ ſanctæ din ſervet incolumem, ac felicem. Datum in caſtris exercitus noſtri „ in vado Drawæ, II. die Octobris, Anno Domini MCCCCLXV.

Promittitque ſe in cauſa regis Bohemiæ morem Pontifici geſturum.

Hæc Mathias de ſe non magnifice minus, quam vere, ſi modo ſuppetiæ cum ſtipendiis tempori adfuiſſent, neque aliæ ex aliis cauſæ obortæ eſſent, quæ conatus ejus aliorſum avertere. Ceterum quæ de Epirotarum victoriis, quaſi eas fama majores feciſſet, in litteris dicuntur, veri eſt ſimile in Scanderbegum ab Turcis hoc anno victum, dici, ſive, ut erat ardentis ob ætatem animi, armorumque cupidus, gloriæ illius inviderit, ſeu Pontificem, qui largum in belli ſumtus aurum decreverat, eam ſummam nullo operæ pretio impendi, clanculum admonere voluerit. Quod ad res Podiebradii attinet, quas regi majorem in modum ab Pontifice commendatas fuiſſe memoravimus, morem ſe ei geſturum eodem tempore, ſed aliis litteris in hæc verba pollicitus eſt. (1) *Mandat mihi per litteras ſuas ſanctitas veſtra, ut proceſſibus Apoſtolicis contra aſſertum Bohemiæ regem Georgium ſaveam, & aſſiſtam, ac eos in dominiis meis exequi, & ſervari faciam. Semel ego me beatiſſime pater, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & veſtræ beatitudini una cum regno meo totum dedicavi; nihil mihi tam arduum, nihil adeo periculoſum Dei in terris Vicarius, imo Deus ipſe jubere poteſt, quod ſuſcipere non pium, & ſalutare exiſtimem, quod non intrepidus aggrediar, præſertim, ubi de ſolidanda fide Catholica, & de conterenda perſidia impiorum agitur. Nec quidquam me movent priſtina fædera, temporum neceſſitate conſlata, quæ omnia, ſcio, facile auctoritate Apoſtolica poſſe diſſolvi. Minime etiam terret cujusquam potentia. Longe gravioribus ego me hoſtibus, quam Bohemi ſunt, ad ſanctitatis veſtræ, & prædeceſſorum ejus exhortationes oppoſui. Sive ergo in Bohemos, ſive in Turcos opus eſt, ecce Mathias, ſimul & Hungaria. Quantumcumque meæ, ac regni mei vires ſe extendunt, ſupra omnes Apoſtolicæ ſedi, & veſtræ beatitudini devotæ manent, æternumque manebunt. Datum in caſtris in vado fluvii Dravvæ, die II. Octobris MCCCCLXV.* Non me fugit, fuiſſe ex ſcriptoribus haud paucos, qui vitio tribuerint Mathiæ, tam levi animo, quamquam gener, & fœderatus Georgii eſſet, oblatas a Pontifice belli obmovendi partes eum accepiſſe, quodque his majus videri poſſit, regnandi libidinem ſpecioſo religionis ſimulacro celaſſe, quo fucum ceteris quidem faceret, re autem ipſa cupiditatem invadendi aliena expleret. Sed quam recte hæc dicantur, prorſus non video : præterquam enim, quod de regum conſiliis, quorum nec cauſæ, nec momenta unbis ſatis explorata ſunt, tam leviter pronunciare, per ſeſe temerarium eſſe, cordati exiſtimant, illud quoque in mentem venire oportuerat, Mathiam, quod ea conditione Epiſcopos, quemadmodum a nobis narratum eſt, ad coronandum Georgium ex Hungaria Pragam miſiſſet, nt is ſe Catholicorum partes amplexurum, defenſurumque ex arbitrio Pontificum Sacramento addiceret, haud aliter, quam Pontifici promiſerat, ſalva fide, cujus vadimonium in ſe recepiſſet, agere potuiſſe. Quæ, ut ego quidem opinor, ſcriptornm ejusmodi ſeu levitatem, ſeu incogitantiam ſatis per ſeſe explodunt.

In Bohemos latrocinantes movet, eosque penitus profligat.

Reverſo Budam Mathiæ, neque enim ob gravem pluviis autumnum, & ingruentem hiemem ſatis e re viſum eſt, militem aeris injuriæ fruſtra exponere, cum Bohemis, & latronibus, quorum in epiſtola ad Pontificem meminit, res erat. Conflata latronum colluvies ex ſtipendiariis fuit, quos Albertus Cæſaris frater, dum bellum in hunc gereret, ex Moravia, ac finitimis agris collegerat, eo autem mortuo, quod ſtipendia negarentur, egeſtas rapto, & latrociniis vivere

(1) Ibid. pag. 70.

An. Chri 1465.

vere coegit. Fracti aliquot prælïis a Potendorſio Cæſaris duce, & in Hungariam ejecti, Bohemis, qui pari vitæ genere delectabantur, ſe junxere, ac prope Tyrnaviam arcem militari opera communitam, cui Coſtollano nomen, a fundo erexere, quo & prædas ex finitimo agro conferrent, & vim, ſi quæ ingrueret, propulſarent. Admonitus ſuorum periculo Mathias, quamquam hiems eſſet, collectis raptim copiis in tumultuantes moturus Poſonium proficiſcitur. Hic ei ſe Potendorſius cum ſexcentis equitibus ex Auſtria conjungit; credo, ut novo officii genere infenſum ſibi regis animum pacaret. Abhinc recta in latrones itum, & in itinere, quæcunque præſidio tenebant, loca admotis machinis convulſa: Coſtollanum, quod locum lectiſſimi pugnatorum tenerent, vim, ac defenſionem apparabat. Sed cum primum obſidione vallatum eſt, & oppugnatio noctu, diuque ingenti ſtudio promota, diffiſi viribus prædones, & veniam deſperantes, facta eruptione fuga evadere moliuntur: comprehenſi tamen omnes ad duo prope millia aut cæſi, aut capti ſunt: ex his centum ſuſpendio enecti, inter quos Suelius, id eorum duci nomen erat, cum duobus primipilis, in eminentiori furca appenſus; ceteri Budam in ergaſtula turris, quæ Manca dicitur, dati, a Michaele Czoborio arcis Præfecto in profluentem præcipites acti perierunt. (*u*) Rem geſtam non nemo ex Epiſcopis, qui regi adfuit, ad Cardinalem, ut reor, ſancti Angeli, in hæc verba perſcripſit: (*x*) *Reverendiſſime Pater! ſcio reverendiſſimam paternitatem veſtram pro ſua in dominum noſtrum regem, & totam nationem Hungaricam paterna benevolentia ſemper deſiderare proſpera hinc audire nova. Propterea ſignifico, quod regia Majeſtas tandem obtinuit id, quod obſidebat, Caſtellum Bohemorum, qui fere omnes erant hæretici: perierunt eorum pugnaciſſimi, & rei militaris peritiſſimi circiter duo millia, partim in prælus cæſi, partim poſtea ſuſpenſi, partim carceribus macerati. Cui expeditioni & perſona mea, & familia de more interfuit. ſed & antea iidem latrunculi de quinque caſtellis fuerant ejecti, ita, quod Deo dante, poſtquam ego in hac Eccleſia ſum, hæ regni partes tutæ perſtiterunt. Nunc ſumus hic in congregatione generali, & tractamus non nulla ad tranquillitatem, & defenſionem regni pertinentia, quæ reverendiſſima paternitas veſtra cito cognoſcet, per Oratorem regium mox venturum. Pax domino regi ſæpe offertur a Turcis, ſed hucusque opera ſanioris conſilii res integra permanſit. Non deſit modo rebus fidei ſummus Pontifex, poterunt agi multa utilia. Adverſus regem Bohemiæ audimus quaedam acta eſſe in curia, ſed rei ordinem adhuc ignoramus: cupimus certius edoceri, ut ſciamus, qualiter in eo negotio nos geramus. Ego & in hoc, & in aliis omnibus ſecundum informationem veſtrae reverendiſſimae paternitatis me tenebo, cui in primis & perſonam, & Eccleſiam meam commendo.* Opinor conventum Szegedini celebratum his litteris indicari, in quo non modo de induciis a Mahomete oblatis, ſed de Georgio quoque Bohemorum rege, ſi Pontifex urgere bellum pergeret: deliberatum fuerit.

An. Chr. 1466.

Podiebradius a Papa exauctoratus.

Re enim vera hujus res anno ſequente haud optimo loco fuere. Nam cum morem Pontifici gerere abnueret, neque datam olim ſuis fidem opere ipſo præſtaret, publico edicto exauctoratus, ac ſubditi ab Sacramento ſoluti ſunt. Id quem in modum geſtum fuerit, Cardinalis Papienſis in hanc ſententiam narrat (*y*) *Inter hæc jam appetebat dicta judicio dies, inſtructaque per delegatos Cardinales ad ſententiam erant omnia, nec Georgius ad dicendam cauſam usquam apparebat. Itaque vocatis in ſententiam patribus, commentariisque actorum perlectis, dato etiam ad diſquirendum ſpatio, tandem, una omnium oratione perjurus, ſacrilegus, hæreticusque conſtante de iis criminibus non cognitione tantum, ſed fama convincitur, utque auctoritas major decernendis eſſet, ex quaque natione, omnique antiſtitum ordine, qui Romae tunc erant, doctores divinae legis, & Pontificiae adeſſe in concilium jubentur, qui rogati ſingilatim ſententiam, in idem cum patribus judicium convenere. Augebat una moda Pontificem cura, & patrum nonnullos, quod ultor tanti decreti certus non apparebat, fiebatque propterea, ut quo magis appropinquaret exitus, difficultas hæc impenſius aſſurgeret.*

(*u*) Auctor MS. rerum Auſtriac. ab anno 1454. ad annum 1467. & GERARDUS DE ROO Hiſt. Auſtr. Lib. VIII.

(*x*) Parte II. epiſt. MATH. CORVINI pag. 144. (*y*) RAYNALDUS Annal. Eccleſ. Tom. X. ad annum 1466.

1466. *ret. De Cæſare, quod ad omnia eſſet præpoſterus, nulla ſpes habebatur: Polonorum, Hungarorumque reges, quod domeſticis laborarent, minus eo tempore idonei videbantur: Procerum quoque regni non ſatis ad tantam contentionem robur exiſtimabatur: longinquiores certum erat, operoſam oppugnationem, & diuturni temporis non ſuſcepturos; jacere autem ſententiam, illum regnare, verbis contendi a nobis, ab illo armis, cum detrimenti, tum vero ludibrii rem judicabant. Horum vero ita fluctuantes animos unus Joannis Cardinalis Portuenſis incitatio confirmavit, qui magni conſilii vir, hæreſumque ſemper acerrimus oppugnator, ubi in re tam neceſſaria non ſatis explicari ſententias vidit; quid, inquit, metimur humanis judiciis omnia, an non relinquenda magnis in rebus Deo ſunt aliqua? ſi non aderit Cæſar, non Polonus, non Hungarus, ſpondeo, aderit de excelſo ſancto Deus, & caput impium conteret, nos juſta noſtri muneris impleamus, reliqua ille actutum perficiet. Ad quam vocem, quod magna hominis erat auctoritas, erectis omnium mentibus, dies natalis Chriſti, ab illo quantus pronunciandæ damnationi edicitur. Quo die, peracto ſacro ſolemni, Pontifex in magna hominum frequentia marmoreum ſuggeſtum aſcendens, quod ante ſummum altare in baſilica Petri ad dexteram eſt, ex diplomate ſententiam recitavit, regnoque male olim, deterius inde parto Bohemum privavit.*

Ad Mathiam, ut ſibi opem ferat, recurrit.

Miros animorum motus Pontificis ſententia apud pleroſque Europæ Principes conciverat, aliis factum probantibus, aliis contra, ut occupati animi erant, palam etiam de injuria conqueſtis. Scripſere pro Georgio haud pauci ex Germaniæ Principibus, tum urbes quoque Bohemiæ, ac Moraviæ, ac ipſi etiam regni Proceres, tametſi celebrato inter ſe conventu, regem, ut in viam rediret, pactisque ſtaret, commonefacerent, nondum ab obedientia palam ſeceſſere. Ea re animus cum audacia Georgio mirum in modum crevit, lataeque a Paulo ſententiæ ſcriptis litteris intercedens, id ante omnia egerat, ut cauſæ arbitrium Mathiæ regi permitteretur. Itaque per regni provincias, ut eas in officio contineret, oberrans, cum Glacium perveniſſet, quinto calendas Auguſti litteras ad Mathiam dedit, quibus accuſationes cum veteres, tum novas, quæ usquam in ſe contortæ fuiſſent, refellit, præcipuam defenſionis partem in eo locans, quod præſcriptas a conſilio Baſileenſi leges, compactata dicunt, ſervari a ſuis juſſiſſet, neque quidquam Catholicis ab ſe unquam ægre factum, quos variis honorum, dignitatumque prærogativis ante alios ornaſſet, pacem ſua opera regno invectam, partamque omnibus ſecuritatem, res militiæ in primis reſtauraſſe, habuiſſeque in animo, niſi Roma interceptus eſſet, cum ingenti exercitu adverſus barbaros proficiſci, quo ſua in fidem ſtudia omnibus probaret. Interea in urbem ſe eſſe vocatum, ut cauſam diceret, miſſos ab ſe Legatos, qui criminationis capita illuſtrarent, rejectos tamen præter morem ac æquitatem fuiſſe, ſeque adeo, nondum evoluto citationis termino, regia dignitate, ac titulo privatum, damnatumque, & ſuos ab obedientia ſolutos eſſe. Oratum igitur regem velle, uti pro ſua apud Papam auctoritate, & gratia intercederet, ſpatiumque impetraret, quo cauſa rurſum cognoſceretur, ſpem ſibi haud levem eſſe, Pontificem, ſi modo ſuos, quos miſſurus eſſet, oratores audire non gravaretur, commutato judicio ab ſuis partibus ſtaturum. (z)

Pontifex multorum in hac cauſa invidiæ objectus, Mathiam, ut ſecum ſentiret, hortatur.

In eandem ſententiam ad regem Galliarum ſcripſit, fuitque abhinc, quam litteræ vulgatæ erant, non immodicus Pontifici metus incuſſus, ne quod pronum fuit, aut invidia apud exteros laboraret, aut Georgius delinitis, circumventisque Principum animis pleroſque in ſuas partes pertraheret. Id Paulus non de nihilo veritus, Legatos ſuos cauſæ initia, progreſſum, ac momenta ſingilatim apud quos morabantur, regibus explicare juſſit, ſimulque agere, ut collatis conſiliis, armisque in hominem non Eccleſiæ modo, ſed finitimis quoque provinciis infeſtum moverent. Nemo autem ad bellum Georgio inferendum magis idoneus reperiebatur, quam quem cauſæ ſuæ arbitrum flagitavit, Mathias, ſive animi robur, ſive militares copiæ, quas ille paratas, multisque præliis exercitatas habebat, in cenſum veniant. *Hunc igitur Pontifex crebris litteris, ac nuntiis exhortatur, juvenem laudis, & belli avidum, uti, qui ſecundis aliquot præliis Turcæ, ſæviſſimi Chriſtianorum hoſtis vires fregerat, hunc quoque contumacem hæreticum,*

(z) Bohusl. Balbinus Epitom. ſcr. Bohem. Lib. V. cap. VI.

cum, a quo non minus, quam ab illo rei Chriſtianæ periculum metueretur, declarandum ſibi deſumeret, quam rem immortale Corvinæ domui decus eſſe parituram, neque tam arctum affinitatis eſſe vinculum, quod ab hoc tam ſancto negotio abſterrere eum debeat. Præter has exhortationes quinquaginta aureorum numum millia in belli ſumtus miſſa Bonfinius meminit. Inſtigabat Mathiam Fridericus quoque, & auxiliares copias ſe miſſurum pollicebatur, Pontificis potiſſimum auctoritate inductus: etſi non deerant ei authores, uti Mathia neglecto, ſibi regnum illud, aut Maximiliano eximia ſpe, ac indole puero compararet. Mathias vero multa animo ſecum volvens, nihil agendum ſtatuit, abſque Procerum ſuorum conſilio: videbat enim id, quod res erat, negotium tam arduum longiori deliberatione indigere, neque enim arma, quam facile ſumuntur, tam facile deponi quoque poſſunt. (*a*)

Qui Turbis Tranſylvanicis interceptus

Hæc quidem Mathiæ, quamquam ut alias narratum eſt, morem ſe Paulo geſturum receperat, mens fuit, non tam mole difficilis belli, armorumque fortuna territo, quam quod obortis in Tranſylvania turbis aliorſum vocaretur. Præerat provinciæ vicaria poteſtate Joannes Comes ſancti Georgii, vir & magnæ apud regem auctoritatis, & gratiæ: hunc Benedictus Vöröſſins, quem Bonfinius noſtrique traducto in Latium vocabulo, Rufum vocant, ad res novandas idoneum ratus, ut jugum excuteret, hortabatur. Cauſa ab crebris tributis, quæ in bellum Turcicum pendi oportebat, petita eſt. Mathiam ex rege ſenſim in tyrannum commigrare, qui cuncta ex libidine ageret, & libertates gentis, ac privilegia per ſummum nefas ereptum iret: ali ab eo de induſtria bellum, ut corrogandarum pecuniarum titulus nunquam deeſſet; brevi exhauſta penitus provincia ad ſummas omnes incitas redactum iri. Impatienter hæc ferri ab Tranſylvanis, collatisque conſiliis id pleroſque ſpectare, ut detrectata obedientia alium, quem ſibi præeſſe velint, eligant: deſignari illum ab omnibus, oratumque velle, ne quid obſtaculi ſuffragantium votis objiceret: eſſe ei genus ſplendidum, dignumque quod imperet, magnas clientelas, & affluentes fortunis amicos, qui novum dignitatis decus non ſolum probaturi, ſed defenſuri etiam eſſent. Ad hæc provinciæ ſupremo imperio præfuturum, quæ & naturæ poſitu, & rerum ubertate ita communita, felixque eſſet, ut ſi bellum oboriri contingeret, tutus adverſum quævis pericula redderetur. Hæc Rufus Joanni in privatis colloquiis, palamque aliis oggerebat, brevique propagato ad plures provincias, præſertim Coloſienſem, malo, Vayvoda factioſorum voluntate rex conclamatur. Bonfinius, aliique ex ſcriptoribus domeſticis haud pauci invito Joanne hæc patrata ſcribunt; verene autem, an aſſentandi potius ſtudio, hæc litteris conſignarint, in ambiguo eſt, quod rex in diplomate, ut ad ſequentem annum memorabimus, non obſcure criminationis partem in Vayvodam conjiciat, & Joannes Quinque Eccleſienſis Epiſcopus, qui poſtea ſub Jani Pannonii nomine inclaruit, prius, quam Tranſylvania pacata ab Mathia eſſet, factioſos acri ſimul, & joculari verſu in hæc verba peteret: (*b*)

Caſtrorum ſeptem crudelis, & impia tellus,
Quid dominum contra perfida colla levas?
Oblita es famulam, ſaltem te agnoſce Parentem,
Hic tibi, ni Princeps eſſet, alumnus erat.
Divitiis ne tumes? cecidit Campania dives,
An populo? Marathon millia quanta premit.
Sed tibi forte animos perjurus proditor auget?
Aſpice, quam ſtultum, ſtulta ſequare Ducem.
Sit licet ille ferox, & ſit bellare peritus,
Sit licet ille potens, improba cauſa ſua eſt.
Vincitur ut cauſa, pariter vincetur & armis,
Bella placent juſto non niſi juſta Deo.

(*a*) Gerardus DE Roo Hiſt. Auſt. Lib. VIII.

(*b*) In deliciis poetarum Hungarorum pag. 243.

1467.

In provinciam movet, redactisque in ordinem ſeditioſis

Vatem haud ex vano fuiſſe, eventu mouſtratum eſt; Mathias enim, cum primnm lapſa hiems eſſet, tempusque armis opportunum ingrueret, coacto Szentfalvam, vicus is ad Peſtum urbem jacet, regni conventu, Tranſylvanorum ſeceſſionem, hujusque canſas prolixe Optimatibus explicans, juſſit, ut de re in medium conſulerent. Una omnium vox erat, caſtigandam bello eſſe ſeditioſorum ferociam, tantoque celerius profectionem in provinciam adornari oportere, quanto majus in mora periculum videbatur, ne eodem malo ceteri quoque corriperentur. Placuit regi Optimatum ſententia, quod idem jam multo ante ſecum animo conſtitutum habebat. Itaque imperato militum delectu, quadraginta pugnatorum millia, ſi Polonis ſcriptoribus (*c*) fides eſt, in armis præſto eſſe juſſit, quorum opera non modo refractarios ad obedientiam revocare, ſed in Moldavos quoque, ſopitis Tranſylvanicis turbis, movere ſtatuerat. Neque enim ſatis pacatæ etiam res iſthinc afferebantur, quod Stephanus, qui Provinciæ præerat, pulſis Petro, & Berendejo, quorum ille ad Polouos, hic ad Mathiam auxilii cauſa confugerat, ſanciris cum Turco fœderibus, tyrannidem moliri nitebatur. Itaque edicta profectione, anguſtas Tranſylvaniæ fauces, per quas ex Hungaria in illam aditus eſt, prius occupare contendit, quam factioſi illis inſeſſis moram injicerent: potuiſſetque ab his bellum compendio propulſari, ſi tempore, & loco uti noſſent. Sed ut a ſeditioſis fere impetu magis, quam conſilio omnia aguutur, ita ſtudiis in partes diſtracti ſpacium regi præbuere, ut ſuperatis faucibus prius cum copiis ingrueret, quam ad Provinciæ limites eum perveniſſe compererint. Deprehenſi regis celeritate, metuque inſtantis pœnæ territi eadem levitate caſtra diſſolvunt, qua prius temeritate conflaverant. Joannes Vayvoda deſertus ab ſuis in paucorum familiarium comitatu ſupplex Mathiam adiit, ſeditionisque ortum, & cauſas prolixa oratioue explicans, facile quidem, quaſi imprudente ſe omnia patrata eſſent, regi ſe purgavit, provincia tamen decedere, & Georgio fratri ſuo tum Bertholdo, Elderbachio de Monyoró Kerék, quos ea prærogativa rex ornarat, locum facere coactus eſt: turbarum auctoribus pœna perpetui exilii dicta, ceteri quater centenis aureorum numum millibus mulctati. (*d*) Factionis ſtudium a Coloſienſis provinciæ nobilibus cœpiſſe, poſtea compertum eſt, quos rex tamen, ne qnid ſibi in Moldavos ducturo moræ injiceretur, facta delicti venia in gratiam publico diplomate recepit, quod annalibus inſerere, cum omnem ſeditionis ſeriem complectatur, operæ pretium mihi viſum eſt. (*e*)

Mathias veniam per publicas litteras facit.

„ Nos Mathias Dei gratia rex Hungariæ &c. memoriæ commendamus te-
„ nore præſentium ſignificantes, quibus expedit, univerſis. Quod nos de be-
„ nignitate noſtra, qua delinquentibus veniam, & lapſis ſnblevamen ſolemus
„ impertiri, jurisque rigorem interdum lenitate miſericordiæ conſuevimus tem-
„ perare, univerſis, & ſingulis nobilibus, & alterius cujusvis ſtatus poſſeſſiona-
„ tis hominibus comitatus de Colos, capitibus quoque, ac poſſeſſionibus, portio-
„ nibusque, & juribus poſſeſſionariis, nec non rebus, & bonis ipſorum qui-
„ busvis, ſuper nota infidelitatis eorum, quam ipſi ex eo, quod cum noviſſime
„ nobiles, & incolæ harum partium Tranſylvanarum regni noſtri, a fidelitate
„ nobis jurejurando præſtita, in eo defeciſſent, quod pariter cum Johanue Groff,
„ quem ad honorem Vayvodatns earundem partium extuleramus, dum easdem
„ partes regni noſtri Tranſylvanas intraſſemus, contra nos exercitualiter inſur-
„ rexiſſent, tunc quoque præfati univerſi nobiles, & poſſeſſionati homines dicti
„ comitatus contra nos animo nocendi, & hoſtiliter inſurrexerant, ex lege regni
„ noſtri incurrerunt, gratiam, & miſericordiam duximus faciendam. Imo fa-
„ cimus præſentium per vigorem, ita tamen, quod ipſi uobiles ſe de cetero
„ ab hujusmodi nota immunes ſtudeant conſervare, & quod a populis, & jo-
„ bagiouibus noſtris regalibus, in locis tributorum ſuorum, uullum tributum,

ſeu

(*c*) Cromerus Hiſt. Polon. Lib. XXVII.
(*d*) Bonfin. Dec. IV. Lib. I. Cromerus Hiſt. Polon. Lib. XXVII.
(*e*) In MSS. Hiſt. Tranſylv. Andreæ Huszty.

„ ſeu tributariam ſolutionem exigant, vel exigere faciant; alioquin præſens „ noſtra gratia ipſis minime videatur ſuffragari. Quocirca nobis fidelibus viris „ magnificis, Palatino, & Judici curiæ noſtræ, ac Wayvodis, vel vice Way- „ vodis noſtris Tranſylvanis, noſtrasque in judicatu vices gerentibus; item co- „ mitibus, vel vice comitibus, & judicibus quorumcunque comitatuum regni „ noſtri, cunctis etiam aliis regni noſtri judicibus, & juſtitiariis, ac univerſis „ regnicolis noſtris, præſentibus, & futuris, præſentium notitiam habituris ba- „ rum ſerie firmiter mandamus, quatenus amodo deinceps præfatos nobiles, & „ poſſeſſionatos homines dicti comitatus de Colos, vel eorum alterum ratione „ præmiſſæ notæ, ad cujusvis inſtantiam, intra, vel extra judicium, in perſonis, „ poſſeſſionibus, portionibusque, & juribus poſſeſſionariis, nec non rebus, & „ bonis eorum quibuscunque contra formam præmiſſæ noſtræ gratiæ impedire, „ moleſtare, turbare, aut quovis modo damnificare, nuſquam, & nequaquam „ præſumatis, nec ſitis auſi modo aliquali. - - Datum in Thorda, Sabbatho „ proximo poſt feſtum beati Michaelis Archangeli, anno Domini MCCCCLXVII. „ regni noſtri anno X., coronationis vero quarto.

Inde in Moldavum res novas molientem profectus

Pacata Tranſylvania in Stephanum Moldaviæ regulum ſigna promota, partim quod Tranſylvanorum ſeditionem foviſſe hominem conſtaret, partim quod imperata facere detrectaſſet, ictoque cum barbaris clam fœdere novam dominationem moliretur. Acceperat rex belli, ac itineris Comites, Michaelem Orſzágium, regni Palatium, Nicolaum Cſuporium, Joannem Pongraczium, Stephanum Bathorium, & Nicolaum Banfium, viros rebus militia geſtis præcipue conſpicuos, quorum conſilio, & fortitudine, periculo, cui poſtea implicitus erat, propemodum capitali, feliciter ereptus eſt. Emericus Zapolya, Scepuſienſis Comes, inſalutato rege, caſtrisque deſertis domum conceſſit, nec niſi a Moldavica expeditione redeunti, Joannis Strigonienſis Archiepiſcopi opera conciliatus. Quæ cauſa ſeceſſionis fuerit, incompertum eſt: nam quod Bonfinius memorat, eam ob rem ingratiis Mathiæ e caſtris abiiſſe, quod hic ſuo omnia ductu ageret, & tacitam ab Optimatibus reverentiam, promptumque obſequium exigeret, tanti videri non debet, quando hæ omnino regum partes eſſe ſolent: vero eſt ſimilius diſſenſionis cauſam iſthinc obortam, quod Emericus cum magnæ apud regis patrem auctoritatis olim eſſet, & nunc eodem dignitatis, ac pene amicitiæ gradu collocatus, priſtina in dandis conſiliis, & decernendis rebus libertate cum Mathia uteretur, qua prius citra ambages uti conſueverat, parvi pendens, quid inter regem, & amicum interſit.

Conſerta pugna, etſi non ſine ſui capitis periculo, vincit.

Comparato ad profectionem exercitu rex nihil morandum ratus, denſiſſimos ſaltus, qui Valachos, ac Moldavos a Tranſylvanis ſeparant, prius, quam autumnus pluviis infeſtus vias inutiles redderet, ſuperare conſtituerat, quo proniora ad caſtigandos refractarios omnia experiretur. Stephanus contra, qui, quid Mathias moliretur, jam multo ante providerat, fauces montium, & ſylvarum latibula præciſis roboribus impeditiſſima reddidit, fortiſſimosque ſuorum in inſidiis excubare juſſit, qui, cum uſus ferret, ex improviſo coorti aut aditu Hungaros prohiberent, aut in inſidias pellectos prælio contererent. Fruſtra tamen is conatus erat: Mathias enim, ubi de inſidiis edoctus eſt, injecto ſylvis igne, ſparſoque late incendio facile Valachos ex faucibus movit, tum facta ferro via in patentes campos ſine damno, & accepto maleficio eluctatus eſt. Abhinc magnis itineribus ad Romanum forum, quod Seretho flumini adjacet, ventum: quo flammis corrupto ad urbem, quæ Moldavis Bania audit, caſtra promota, ut hoſtem, qui nusquam ſui copiam fecerat, ad conferendas manus cogeret. Verum is ſpe ſua, quam in inſidiis collocarat, dejectus, ubi fruſtra vim ab ſe apparari intellexit, dolo rem gerere decrevit. Itaque ut ſpacium cogendi militis haberet, miſſis ad regem Legatis de conciliānda pace diligenter egit, re autem vera Mathiam, objecto metus ſimulacro, ſpe conficiendi ſine bello hoſtis ita circumduxit, ut, niſi incredibili ſuorum virtute ſervatus eſſet, conſerta per fraudem nocturnam pugna maximo capitis periculo involveretur. Quod quem in modum geſtum ſit, cum ſcriptores etiam coævi magnopere a ſe diſſentiant, ut utri partium

1467. ſtudio ducantur, difficile ſit arbitrari, malui eorum, quam meis, rem verbis
complecti, quo eſſet, ut legentes de re judicium poſſint conſtituere.

Domeſticorum de ea pugna narratio.

Bonfinius, ubi incenſum a Mathia Romanum forum memoraſſet, conſla-
tum deinde regi periculum a principio orſus ita perſequitur. (*f*) *Ad civitatem
demum tertio die pervenit, Epiſcopio haudquaquam ignobili præditam, quæ Moldavis Ba-
nia dicitur, ubi in prima vigilia noctis rex cum inſidioſo, callidoque hoſte confligere cogi-
gitur. In hoc quisque bello fortunam regis cum virtute conjunctam fuiſſe perhibet. In
parte fori regis erat hoſpitium, qua ad Epiſcopatum ſpectat, ubi duæ quoque viæ con-
gruunt, quæ Baſilicam amplectuntur. Ceteri Pontifices, Proceres, legionum Præfecti
circa forum hoſpitia occuparum; ut ex uſu regi præſto ſemper adeſſent. Inter coenandum
ad regem captivus quidam Sythulus adducitur: rogatus, accito interprete, quis eſſet,
unde, & quo tenderet, & quæ cauſa fuerit itineris? reſpondit, interprete nequaquam ſibi
opus fore, ſe Hungarum, & Tranſilvanum eſſe; ac rerum ignarum ad reviſenda ſua
prædia nunc in Moldaviam venire, quæ caducea uxoris bona forent: in itinere Valachorum
duodecim millia haud procul hinc offendiſſe, qui Hungaros prima vigilia noctis incautos ad-
orirentur, trucidarentque: ſe gentis charitate properaſſe, ne ſilentio nefario ſuorum exi-
tium pareretur. Cum hæc a principio parum crederentur, ne ſalutis forte gratia iſta com-
miniſceretur, & a rege minæ interjicerentur, mox adjecit, ut adhibitis ſe ipſum cuſtodibus
aſſervarent; ſi falſa nunciaſſet, ultimum de ſe ſupplicium continuo ſumerent. Rex hominem
aſſervari, & Drach Bertholdum, ea tempeſtate diſpenſatorem ſuum, equitem fortiſſimum,
& ad gerenda bella natum, convivas bene tractare juſſit: incoenatus ipſe menſæ ſe ſub-
traxit; optimates omnes, centuriones, & præfectos equitum extemplo cogit, imminens
ab hoſte periculum enarrat, omnes clam arma ſumere præcipit, ſtationes in civitate per
vias omnes, portasque diſponit: ad fori aditus prætorianas cohortes collocat: ducentos ve-
teranos, & eos quidem gravis armaturæ pro ſuo hoſpitio ſtatuit, ut a duobus vicis, qui
ibi congruunt, hoſtium impetum excipiant, turmas equitum per compita cuncta diſtribuit.
Vix hæc ita diſpoſuerat, cum ſub primam noctis vigiliam hoſtis advenit, ligneam urbem
vimineo muro circumſeptam a tribus repente partibus immiſſo incendio adoritur, maximus
clamor, & tumultus oboritur: Valachi immiſſo per urbem igni intro penetrant, injectus
utrisque ignis per cæcam noctem tantum luminis præſtabat, ut evidentiſſime dimicarent. Ad
portas primo, deinde per vias, & trivia magna ſtrages agitur, tanto utrinque impetu
pugna conſeritur, ut nil infeſtius agi videretur. Ex induſtria quadrata duo agmina du-
plici via ad regale hoſpitium contendunt, veteranos ibi inſtructos offendunt, acerrimum,
atrociſſimumque hic prælium agitur. Cadunt hic multi ex Valachis, & dum ii hoſtes
domo ejicere, illi contra vincere, & vitam ſervare nituntur, multum hic ſanguinis exhau-
riunt: Michael Palatinus, Nicolaus Cſupor, & Joannes Pongracius Vayvodæ Tranſilva-
ni: Nicolaus Banfi, Stephanus Bathor, ceterique proceres fori aditus obſtinatiſſime pro
ſe quisque tuebantur, & irruentium impetus repellebant. Non latebat enim capto foro,
haud ſecus, atque arce, cetera facile peritura. Ubique inter tela, & incendia pertina-
ciſſime dimicatum. Valachi tandem ex omni fori parte rejecti poſt mediam noctem tergo
dedere: inſtant a tergo Hungari, & antequam urbe ſe hoſtes ſurripiant, quam plurimos
intercipiunt, alios præ aviditate fugæ in flammam, multos in enſes agunt, dum in propria
feſtinatione ſeſe conglomerant, aut pilis a tergo confodiuntur, aut mutuo cæſi ſeſe collidunt:
vix quatuor millia urbe exiluere, ceteri in urbe deprehenſi ad unum omnes trucidati ſunt.
Rex ea nocte modo pro hoſpitio ſuo cum veteranis certans, modo in foro ſtationes percur-
rens, militis, & Imperatoris optimi præſtitit officium. In acerrima quaque pugna primus
affuit, nunc fortes hortando, nunc increpando timidos, nunc laborantibus ſuccurrendo, &
fortiſſime ubique dimicando ſe, exercitumque ſervavit. Graviſſimas e rebellantibus Vala-
chis poenas exigit ad internecionem; namque ſeptem, ubi illuxit, Valachorum millia cæſa
ex numero comperta ſunt, ex Hungaris mille, & ducenti, ceteri magna ex parte ſauci:
qum & rex ea nocte haud procul a ſpina dorſi ſagitta Getica confoſſus eſt; ubi cum ex-
cuſſa ferrum haſta altius inhæſiſſet, quatuor annos non ſine gravi moleſtia pertulit.* Ha-
ctenus Bonfinius: quibus, paucis interjectis, Stephanum ab infauſto prælio in
Poloniam evaſiſſe, regique per litteras ſupplicem factum, & priſtino gratiæ lo-
co

(*f*) Dec. IV. Lib. I.

eo repoſitum ita ſubjungit: (g) *Nondum e Tranſilvania* (Mathias) *pedem extulerat, cum ſupplices a Stephano Vayvoda litteras accepit, quibus audaciam, & temeritatem ſuam ingenue fatebatur, quod adverſus regiam majeſtatem, cui plurimum numinis ineſt, nefaria arma ſumſerit, non minus juſtas, quam cumulatas poenas ſe dediſſe dicebat, demum, quia poſt ſupplicium venia ſequitur, poſtulabat ignoſci, non difficilem ſibi putabat veniam fore; & reconciliatum regis animum precabatur. Rex ne plus ſeveritatis, quam miſericordiæ præſeferre videretur, ſpem veniæ dedit, quam ex quotidianis rebus, ac dictis, ſi ille vellet, augeri poſſe ſignificavit, ſi obſequia grata, legitimaque præſtaret, ſe nunquam difficilem futurum: ſi minus, martem cruentiſſimum litem eſſe diremturum, illum humanorum ſcelerum ultorem eſſe juſtiſſimum.*

Quid exteris, ac Polonis præcipue ſcriptoribus videatur.

Hæc noſtrorum eſt Moldavici belli narratio: exteri contra, ac Poloni in primis, & aliam bello cauſam prætexunt, & profligatum, turpique fuga ejectum regem memoriæ prodidere. Cromerus rerum Polonicarum ſcriptor in hæc verba narrationem contulit. (h) *Tres de principatu, ſive Palatinatu Moldaviæ aliquamdiu certarant, Stephanus, Petrus, & Berendejus; ad extremum a Stephano reliqui duo ejecti ad Caſimirum confugerant. Sed cum is nihil opis ipſis afferret, atque adeo Stephanum Principem eſſe juberet, Berendejus in Hungariam profectus, Mathiæ regis opem imploravit; qui ſubigendæ ejus provinciæ occaſionem non amittendam ſibi eſſe ratus, comparato exercitu quadraginta millium hominum per montes, atque ſilvas Hungariam atque Tranſilvaniam claudentes cum in Moldaviam penetraſſet, crudeliter eam ferro, & igni vaſtarat. Stephanus vero, quamvis ipſe quoque exercitum collegiſſet, auxiliaque a Polonis accepiſſet, tamen aperto marte hoſtem adoriri non auſus, quod ſe imparem eſſe viribus ejus cerneret, neque magnopere ſuis fideret, inſidiis eum appetebat, donec Mathias in oppido Bania caſtra metatus, rei bene gerendæ occaſionem præbuit. Submiſſis enim hominibus prima noctis vigilia, nihil tale expectantibus Hungaris, oppidum pluribus locis incendit, ipſeque ſtatim cum expedito equitatu affuit, & re inopinata perturbatis, nocturna caligine omnia majora, & formidabiliora faciente, colligendi ſeſe ſpacium non dedit. Itaque Hungari ancipiti periculo ferri, & incendii conſtricti, omiſſa defendendi ſui cura, qua quisque poterat, ex oppido ſeſe ejiciebant. Nec ullus plane ab his quidem fugæ, ab illis vero cædis modus fiebat, quoad in Tranſilvaniam perventum eſt. Deſiderata tunc eſſe dicuntur Hungarorum ad decem millia: rex tribus vulneribus acceptis, relictis impedimentis, cum reliquiis diſſipati exercitus, per ignotos montium tramites Valacho quodam duce evaſit: vias enim Stephanus ſucciſis arboribus impedierat, & obſederat. Hic tunc belli illius exitus fuit: miſerat autem Moldavus Caſimiro Regi Vilnam dona de hoſtium ſpoliis victoriæ ſuæ argumenta, & in poſterum conſilium, & auxilium ab eo petebat.* Pene ſimilia Michovius ante Cromerum ſcripſit, (i) additque: *Hæc eſt rei veritas, quamvis Hungari regi Mathiæ blandientes aliter factum retulerunt.* Quem locum Spondanus (k) cum Bonfinii narratione contendens; *pudenda* (inquit) *omnino rei geſtæ corruptio, quorumcunque tandem, Hungarorum, aut Polonorum, ea fuerit. Bonfinii quidem narrationem in multis ſibi ipſi adverſari non difficile eſſet demonſtrare: adeo ſe hic auctor in plurimis inaccuratum, & implexum, atque omnino verboſitate ſua, & manifeſtis affectibus importunum, & moleſtum exhibet, verborum tamen elegantia non male ejus amatoribus ſatisfaciens.*

Noſtra de utrisque opinio.

Multa quidem ex aſſentationis ſtudio Bonfinium reticuiſſe, quæ parum honorifica Mathiæ erant, in comperto eſt, & nos in loco etiam memorabimus, falſa tamen veris de induſtria ſubſtituiſſe, aut tam impudenter palpum regi, ceterisque, qui pugnæ intererant, voluiſſe obtrudere, ut contra, quam res in omnium oculis geſta ſit, narratione complecteretur, mihi profecto a veritate magnopere videtur abhorrere, præſertim, quod, ut erat Mathiæ familiaris, & principibus viris cognitus, ea ratione turpiſſimam aperti mendacii notam prudens volensque ſibi conſciviſſet. Itaque ego ſic exiſtimo: Mathiam quidem, quod ab ingreſſu in Moldaviam prona omnia haberet, neque hoſtis ſe aſpectabilem

(g) Ibidem.
(h) Rerum Polonic. Lib. XXVII.
(i) Lib. IV. cap. 68.
(k) Annal. Eccleſ. Tom. II. ad annum præſentem.

1467. præberet, cum Banyam ventum eſt, nihil doli ſuſpicantem nocturna ab Moldavo aggreſſione per inſidias pene oppreſſum, multosque, ut in primo impetu, quem non provideris, fieri ſolet, neci datos, ſua tamen ſuorumque virtute, ubi prælium, revocatis a conſternatione animis, inſtauratum eſſet, Moldavos oppido ejectos inſigni cum clade in fugam egiſſe. Hunc in modum facile evenit, ut rex, cum tumultuaria in primordio pugna erat, vulnere perſtringeretur, Stephanus autem primo impetu ſpolia quædam ex noſtris caperet, quæ deinde Caſimiro in Poloniam transmiſerit, ſeu oſtentationis cauſa, ſive potius ut occultata eatenus clade nova ſubſidia obtineret. Certe Ranzanus Lucernius Epiſcopus, qui apud Mathiam Legatus triennium fuit, neque, ut ei adularetur, quidquam cauſæ habuerat, profligatos memorabili ſtrage Moldavos, & victorem regem in litteras retulit, (*l*) Thurocius autem illius quoque temporis ſcriptor, & regi familiaris, rem his verbis complexus eſt: (*m*) *Quapropter rex triumphum præclarum, atque memorabilem obtinuit: unde & vexilla plurima in ſignum inclitæ victoriæ ſuæ Budam usque adduxit, quæ magna cum celebritate in parochiali glorioſiſſimæ Virginis Mariæ Eccleſia locata ſervantur etiam hodie.* Non credo, ullos arbitrari, ita vanum aut parum pudentem regem fuiſſe, ut in maxima ſuorum clade, quæ, ſi vera erat, plerorumque cognitionem minime effugiſſet, tam apertum omnibus fucum facere vellet, ſuæque potius vanitatis, quam victoriæ trophæa omnibus ridenda palam tholis affixa poſteris relinquere. Atque id, ut opinor, Cromeri, ac Michovii narrationem utcunque elidit, præſertim, quod regem anno ſequente in Podiebradium, virum fortem, ac in primis militarem, quin novos propterea delectus haberet, moviſſe conſtet, quod profecto fieri, ſi, ut Poloni ſcriptores perhibent, tanta a Moldavis clade profligatus erat, minime gentium poterat.

A victis Moldavis redux in Tranſylvaniam, concitis optimatibus, ac nobilibus conventum edixit, in quo quid actum ſit, a nullo, quod ſciam, memoriæ eſt proditum; illud ex regiis litteris comperio, Fogaraſienſem provinciam, eſt ea Tranſylvaniæ portio, quæ alpibus diviſa Valachiam ac Moldaviam reſpicit, cum finitimo agro in jus regium vindicatam eſſe: opinor, quod & litteræ aperte indicant, ut facilis iſthinc militibus, quos ſtipendio rex aluerat, in Moldavos aditus eſſet, ſi rurſum novas res molirentur, alioquin, ingenti ſumtu ad domandos refractarios ex longinqua Hungaria, nulloque pene operæ pretio expeditiones faciendæ erant. Itaque ex communi Procerum conſulto ad Tranſylvaniæ Vayvodam, ut poſſeſſionem ejus provinciæ ſuo nomine adiret, hæc mandata miſit: (*n*) *Inter cetera, quæ in hac proxime præterita generali Prælatorum, Baronum, & Nobilium noſtrorum congregatione pro meliore ſtatu regni noſtri circa bona regalia, & proventus fiſci noſtri provide, & utiliter reformata, & diſpoſita ſunt, id etiam ſtatutum exſtitit, ne unquam nos, vel ſucceſſores noſtri reges, provincias Fogaras, Omlas, & Radna cum pertinentiis earundem quoquo modo a ſe alienare, ſeu abſtrahere poſſimus, vel valeant, ſed ſemper præfati diſtrictus in manibus regiis prompti, & parati ad hoc teneantur, ut ſi quando, opportunum fuerit, Vayvodæ alicui Transalpino, vel Moldavienſi, ad partium ſcilicet earum terrorem, ſeu recuperationem aſſignari poſſint pro deſcenſu. Quia vero & hæc, & alia per dictos Prælatos, & Barones noſtros diſpoſita de noſtra fuerunt voluntate, & manifeſtiſſime ad noſtrum, & totius regni noſtri commodum pertinere dignoſcuntur, ideo fidelitati veſtræ firmiter præcipientes mandamus, aliud omnino habere nolentes, quatenus memorata territoria Fogaras, Omlas, & Radna cum pertinentiis eorundem apud quoscunque, & qualitercunque habita, quam primum viſis præſentibus ad manus veſtras occupare, & in eisdem durante beneplacito noſtro conſervare, ac ſicut quælibet alia bona noſtra propria tueri, & defendere debeatis, ſecus nullo modo facere auſuri. Datum Anno MCCCCLXVII.*

Hæc inter Podiebradii res vehementer defluebant: multi Principum, qui illius partes antea tuebantur, ubi ſacris ei interdictum fuiſſet, apertam ſeceſſio-

(*l*) Judice XXXIII. (*m*) Chronici cap. LXVI.
(*n*) Inter Epiſt. MATHIÆ CORVINI. Parte III. pag. II.

Podiebradio Auſtriam vaſtante, ad ſpem Bohemici regni a Cæſare erigitur.

ceſſionem fecerant, ipſeque Fridericus cum ab Pontifice, tum hujus per Germaniam Legato excitus, conventum Norimbergam indixerat, in quo communi ſententia de bello adverſum barbaros ſuſcipiendo ageretur, re autem ipſa, ut ad cogendos cruce ſignatos in Podiebradium ſtudia ſua operamque conferrent. Qua in re cum parum ſibi conſentientes Principes haberet, indicium Georgio factum eſt, quo Cæſaris molitiones evaſuræ eſſent. Ægre id tulit Podiebradius tam fœderum, quæ ſibi cum Friderico interceſſerant, quam temporis etiam cauſa, quo maxime ad res ſuas per aliorum amicitiam ſtabiliendas egebat. Itaque & vindictæ ſtudio, & ne, ſi diſſimularet, ab hoſte occuparetur, neceſſitate actus, Cæſaris amicitiæ publicis litteris renunciavit; ac filium Victorinum cum præcipua equitum parte in Auſtriam juſſit irrumpere, quo Fridericum ad ſua magis tuenda, quam invadenda aliena, reflecteret. Vaſtitas in eam Auſtriæ partem, qua Moraviæ vicina eſt, illata, ſicut Cæſarem a milite imparatum in anguſtias conjecerat, ita Mathiæ facile conciliatum reddidit, neque invitum ſe fore Corvino ſignificaverat, ſi Bohemiæ regnum a Proceribus oblatum bello ſibi aſſertum iret; imo daturum quoque operam, ut miſſis auxiliariis, re bellica, & apparatu juvetur; modo ferocientem Bohemum in ordinem cogeret. (*a*)

An. Chr. 1468.

In tam gravi cauſa ſuis conventum Agriam indicit.

Redierat tum e Moldavia in Hungariam Mathias, Agriamque ut coirent, regni ordinibus edixit, cum ab Cæſare, Papaque litteræ afferuntur, in eandem fere ſententiam ſcriptæ, quibus regem etiam atque etiam orabant, ut fidei cauſam ne defereret, regnumque cum per ſe potens, tum ſponte etiam oblatum Hungariæ armis conjungere ne gravaretur: hoc Pontificem, qui in ejus ope ſpem omnem revocandi ad frugem fanatici hominis locaſſet, hoc Cæſarem paterno nomine ab eo poſcere, facturum utrique rem haud ingratam, ſi illius auctoritatem vindicare, iſtius contra injurias ulciſci pergeret. Lectis in conventu litteris ſententiæ de bello Bohemiæ regi inferendo ſingilutim rogatæ ſunt, non tam, ut quæ cuivis mens eſſet, rex perſpicuum haberet, alioquin bellum apud ſe ſe jam decreverat, quam ne invitis regni ordinibus arma ſumſiſſe videri poſſet. Erant, qui bello hoc penitus abſtinendum cenſerent, dicerentque ſatis jam regi laudis comparatum eſſe, quod barbaros relatis crebro victoriis ab Chriſtianorum finibus ſubmoviſſet; pars contra, quos ſuperiorum temporum injuriæ, damnaque a Bohemis accepta magnopere ad vindictam irritaſſent, bellum omnino ſuadebant, cum lucri ſpe præprimis in hanc ſententiam adducti, tum quod Turca in Aſia occupato, nihil metus a barbaris eſſet.

Auditisque ſententiis bellum in Podiebradium decernit.

Mathias iſtorum ſententiæ accedens facile reliquos ad capeſſenda arma perſuaſit, habitoque, quamquam hiems eſſet, per Hungariam militum delectu, Pontificem, ac Cæſarem per litteras de belli decreti rationibus ſingilatim edocuit, opemque, quam ſponte obtulerant, ne differrent, oravit. Haud facile dictu eſt, quo animo hæc a Paulo Pontifice accepta ſint: certe ex apparatu, quem a Mathia futuro bello fieri intellectum eſt, ſpes felicis eventus omnes tenuit, ut adeo Cardinalis Papienſis ad Ferrarienſem Epiſcopum, qui multum momenti ſua ad bellum ſuſcipiendum auctoritate contulit, tamquam profligatus jam hoſtis eſſet, ſcribere in hæc verba non dubitaret. (*p*) *Video jam eſſe jacta fundamenta noſtræ ſalutis, & ſathanæ ſynagogam in ruinam converſam. Ceſſit, qui cedentes perſecuturum ſe judicabat, Georgius Podiebradius, amiſit multa, cui exploratum erat cuncta diripere, quique etiam & re militari, & bellatoribus neminem ſibi parem arbitrabatur, vicini regis virtute inanem opinionem ſuam agnovit, implevit dominus faciem ejus ignominia, obſcuravit oculos ſuos ne videat, & factæ ſunt viæ hæreticorum tenebræ, & lubricum, & angelus Domini perſequens eos. Non videbamus antea miniſtrum judicii noſtri, timebantur multa a multis mala, perfidi hominis mens, malus animus ad fraudem ſemper intentus nos perterrebat, de vicinis quoque Germanis erat vehemens ſuſpicio, ne vel ſtudio partium, vel odio cauſæ rationem omnem inchoati operis frangerent.* Ecce

ſub-

(*o*) BALBIN. Epit. rer. Bohem. Lib. V. cap. VIII. DE ROO Hiſt. Auſtr. Lib. VIII. BERNARD. LINCK Parte II. Annal. Claravallens.

(*p*) ODORIC. RAYNALD. Tom. X. Annal. Eccleſ. ad hunc annum.

1468. *ſublata ſunt omnia primo aditu belli, & manus Domini eſt nobiscum. Laudandus æternis Eccleſiæ præconiis Mathias rex Hungarorum, qui ſancta patris monita accipiens arma ſine cunctatione intulit, hoſtemque in fugam verſum magna parte male poſſeſſi regni privavit, laudandus & tu Præſul digniſſime, cujus forti miniſterio comparata brevi hæc ſunt. Datum Romæ V. Februarii MCCCCLXVIII.*

Itaque concito Poſonium exercitu

Niſi aut error in diem conſignatnm irrepſit, aut Papienſis ex belli apparatn conjecturam futuræ victoriæ accepit, haud ſatis apparet, qui id cum veritate poſſit congruere, quod nec Februario menſe Georgium aliqua regni parte privatum, nec Mathiam ante Aprilis initia bellum illi obmoviſſe extra omnem dnbitationem ſit. Alioquin rex, quo animo in Podiebradium eſſet, non prius palam fecit, quam Olomucenſis Epiſcopi opera de Procerum voluntate certior eſſet redditus, ne, ſi arma temere corripuiſſet, belli molles ſibi uni incumberet. Ne qnid tamen invidiæ ſibi apud exteros conflaretur, quaſi alieni appetens bellum magis ex cupiditate, quam juſtitia obmoveret, abſtinendum ſibi regis titulo, ſolumque protectoris nomen uſurpandum pntavit, ut ipſo nomine cauſæ æquitatem exteris Principibus probaret. Itaque concito Poſonium exercitu, ad Catholicos Bohemos, ut, quo animo armatus regnum ingreſſurus eſſet, jam multo ante cognitum haberent, in hæc verba litteras dedit. (*q*)

Bohemos Catholicos de ſua deſtinatione admonet.

„ Noveritis nos de mandato ſanctiſſimi Domini noſtri, & reverendiſſimi „ ejus legati monitione, interveniente reverendo in Chriſto patre, domino Prothaſio Olomucenſi Epiſcopo, populi Catholici in regno Bohemiæ, & ejus „ membris conſtitui, ac per conſequens veſtram contra hæreticos ſuſcepiſſe pro„ tectionem. Igitur hortamur vos in domino, ut meliore, & fidentiore ſitis „ animo, videntes divinam clementiam, etiam de humano vobis auxilio provi„ diſſe. Quia vero nos munus tam pie aſſumtum piæ protectionis non verbis „ duntaxat, ſed operibus ipſis ſtatim exequi intendimus, vos etiam mutuo re„ quirimus, nt tempus acceptabile, & dies ſalutis non negligentes, nobis ma„ gis veſtram, quam noſtram rem in eo agentibus, toto poſſe quam primum „ parati aſſiſtatis. Nos nec nunc, nec poſtea quidqnam omittemus, quod vires „ noſtræ poternnt adimplere. Memineritis autem & aliis, quorum intereſt, „ horum omnium ſine mora notitiam dare. Poſonii VIII. Aprilis MCCCCLXVIII. „ regni noſtri anno undecimo, coronationis quarto.

Simul publicis litteris cauſas belli declarat

In eandem ſententiam litteras per Enropam vulgavit, quibus & cauſas ſnſcepti belli prolixe explicat, & fidem de præſtando oppreſſis Bohemis auxilio facit, ne, ſi obmoti in ſocerum, ac fœderatum belli fama ad exteros ex improviſo manaret, parum æqnitatis amans videretur. Iſtas hunc in modnm exaratas fuiſſe comperio. (*r*)

„ Mathias Hungariæ &c. Rex ad rei memoriam. Animadvertentes popu„ lum orthodoxum in regno Bohemiæ, & ejns pertinentiis commorantem, gra„ viſſima indigenarum hæreticornm infeſtatione opprimi, & in dies magis, ac „ magis adverſus Deum, & ſacroſanctam ejus Eccleſiam invaleſcere pravitatis „ errorem, cum ad id ipſum per eosdem Catholicos inſtantiſſime ſolicitati eſſe„ mus, tum ſæpe alias, tum noviſſime per reverendum in Chriſto patrem, do„ minum Prothaſium Epiſcopum Olomucenſem, cum ſufficienti facultate pro „ reliquis apud vos intervenientem; impnlſi etiam a ſanctiſſimo domino noſtro, cui „ per omnia obedire decet Principem Chriſtianum, & a reverendiſſimo ejus Le„ gato frequenter petiti, ſtatuimus tandem poſthabitis plurimis, & maximis, quæ „ in ea re nobis occurrebant, difficultatibus, quoniam nemo hactenns eſt auſus „ ſuſcipere negotium, arduum illud quidem, ſed ſummi plane & in cœlo meriti, „ & gloriæ ſuper terram: exiſtimantes, non minus pium hoc fore bellum, quam „ quod tanto jam tempore cum atrociſſimis omnium fidelium hoſtibus Turcis „ gerimus; confidentes etiam jnre optimo huic honeſtiſſimæ cauſæ, & potius „ ſuæ, quam noſtræ affuturum altiſſimum. Quandoquidem non ambitio ulla, „ nec aliquod temporale commodum nos illexit, ſed iniquiſſime oppreſſorum mi-

(*q*) Parte III. epiſt. MATHIÆ CORVINI pag. 87.

(*r*) Ibid. pag. 88.

„ miſeratio, & Apoſtolicæ ſedis reverentia, & ſinceræ fidei zelus animavit; nec „ quidquam amplius in hoc mundo mercedis exſpectamus privatim, quam ſoli- „ tam ſemper ex bellis naſci pacem, & amicam eorum gratitudinem, in quos „ hujusmodi noſtra benevolentia redundaverit. Proinde invocato ejus nomine „ cujus præcipue intuitu hoc aggredimur, ex certa deliberatione, & maturo „ noſtrorum conſilio profitemur, nos memorati populi Catholici contra hæreti- „ cos aſſumere protectionem, & promittimus in verbo noſtro regio omnes illos, „ cujuscunque conditionis exiſtant, qui cum Romana Eccleſia tam ritu religio- „ nis, quam actu ſubjectionis ſenſerint, pro viribus noſtris non derelinquere, „ ſed quibuslibet viis, & modis, nobis poſſibilibus defenſare, ac tanto magis id „ facere, quanto minus nos aliqua notabilia, & omnino inprætermiſſibilia regni „ noſtri Hungariæ impedimenta retraxerint, & quanto uberior aliorum ad idem „ acceſſerit promtitudo. Ad quæ omnia nos præſentium litterarum noſtrarum „ vigore, quibus ſecretum ſigillum noſtrum eſt appenſum, módo præmiſſo fir- „ miter obligamus. Datum Poſonii, octava die Aprilis anno MCCCCLXVIII. „ regni noſtri anno undecimo, coronationis vero quarto.

Ac fœderi ad Victorinum Podiebradii filium ſcribens, renunciat.

Ad Victorinum autem, Podiebradii filium, qui Moraviæ præfectus erat, quoniam huic provinciæ bellum inferre meditabatur litteras, *diffidatorias* olim vocabant, per fecialem miſit, quibus & fœderibus, quæ olim cum Georgio iciſſet, concepta verborum forma renunciat, & cauſas, cur bellum obmoveret, ab injuriis olim illatis, & quæ nuper Friderico Cæſari fœderum ſocio in Auſtria conteciſſet, graviſſimis damnis in hæc verba repetit. (*s*) *Mathias Dei gratia rex Hungariæ &c. Illuſtri Principi Victorino, Duci Munſterbergenſi, Comiti de Glatz, & capitaneo generali Marchionatus Moraviæ ſalutem. Faſtidire vos animadvertimus quietis conſilia, & communem cum vicinis concordiam pati non poſſe, quippe dum ſingulari quodam ſtudio facere prius hoſtes, quam habere ſatagitis. Putabamus vos conſtringi mutuis fœderibus, & ſalubri ratione intendere magis, ut conſopiantur arma inteſtina, quam ſolicitentur externa, opportunum enim, & nec minus neceſſarium tempus adveniſſe videri poterat, quo vobis deſiderium quietis, & ſatietas illatæ ſæpenumero hoſtilitatis occurreret, & in quo non præter æquum erat vos mitiori ingenio imbui, & proclivem proinde ad arma mentem manſuetiori conſuetudine corrigere. Verum manifeſtis jam indiciis cognovimus vos ab hujusmodi opinione noſtra non parum abhorrere, quandoquidem pro more a parentibus, & quibusdam contribulibus uſurpato, nihil vos majori diligentia proſequi videmus, quam ut ex bellis bella ſerendo injiciatis incendia finitimis pacificis, injectaque infeſtis facibus alere properetis. Accedunt ad hæc injuriæ inæſtimabiles Deo, hominibusque notæ, quas de Bohemia, & Moravia tam antea ſæpe, quam potiſſimum nuper, cum propter arduas neceſſitates a regno noſtro longius abeſſemus, contra fœdera utrinque utinam meliore auſpicio icta, pertulimus. Accedunt ſubordinata latrocinia, contra jus, & fas in regnum noſtrum immiſſa. Verum hoc unum, quod nos recentius urget, dicimus: vidiſſe nos copias litterarum veſtrarum, quibus ſereniſſimo patri noſtro, domino Imperatori Romanorum, & ducibus de Auſtria, & Stiria amicis, & confœderatis noſtris bellum indixiſtis. In quibus ſi dicere liceat, quid ſentimus, nihil apertius comprehendi poterat, quam quod in ea re & animum, & conſilia veſtra levi occaſioni, quam veræ cauſæ applicare maluiſtis. Erant enim ibi & comminationes graves, & omnia nefaria, quæ belli rabie in divina, & humana, ſacra, & profana committi poſſent, ita ut nemini indultum videatur a vobis vitam vel precariam agere, niſi forte quis præveniens ferrum, pacem ſupplex liceatur. Cum autem nec a vobis, nec a domino genitore veſtro ignorari potuit, illis, quæ poſtremo vobiscum pepigeramus, priora nobis fuiſſe fœdera cum ipſo domino Imperatore, quorum vigore obligati ſumus in vicem & auxilia mutua, & firmam ſocietatem amicitiæ, recte igitur præter alia, & in hoc contra amica fœdera nobiscum habita vos egiſſe conſtat, dum irrequiſitis nobis, juſtis, ac veris belli cauſis minime oſtenſis, amicos, & ſocios noſtros pro hoſtibus ſuſcipitis, omnibusque violenta infertis arma. His enim duabus rebus maxime amicitia violari ſolet, ſi alter alterius ſocios pro hoſtibus habeat, aut hoſtibus amici ſe conjungat. Quam ob rem licet antehac multis fuerimus ex parte illa affecti nocumentis, multisque laceſſiti injuriis contra jus amicitiæ, & fœderis tenorem nobis illatis, ad quas propulſandas, & nec minus ulciſcendas juſtiſſima arma nos in-*

(*s*) Ibid. pag. 14.

1468. *ducere potuiſſe nemo negaverit, ab his tamen inferendis fides amicitiæ, reſpectus fœderum, pacis publicæ amor, bonique ratio nos hucusque continuit. Nunc requiſiti, & pene coacti jure fœderum ab amicis, & ſociis injuſte oppreſſis, magisque, niſi ſuccurratur, opprimendis, provocati quoque a vobis pactorum fœderum, uti præmiſimus, & veteri, & nova transgreſſione, quandoquidem nulla ſpes pacis, vel a jure, vel in moribus veſtris, ſed ſolis armis ſita eſt, denunciamus vobis palam in his ſcriptis, nos pro debito noſtro ſubditis fidelibus domini Imperatoris Romanorum, præſertim in ductu Auſtriæ tamquam amicis, & ſociis noſtris, contra eorum hoſtes, & contra vos omni conſilio amico, & auxilio poſſibili adeſſe, & aſſiſtere velle, opportunamque opem ſociis armis exhibere, damna etiam intolerabilia, & injurios nobis, & noſtris injuſtiſſime toties illatas, quandoquidem via pacis nihil prodeſt, juſtiſſimo bello repetere, invocata ad id virtute altiſſimi domini exercituum, qui adjutor, & conſolator eſt oppreſſorum, & ſemper ſtare ſolet pro cauſa pia, & meliore. Quamvis non eſſet opus hujusmodi denunciatione, quando vos prius indixiſtis bellum amicis, & ſociis noſtris, quibus auxilia noſtra obligata eſſe non ignoraſtis: ac nobis, & ſubditis noſtris continuas vexationes inferentes, vos priores adverſum nos evidenter arma ſuſcepiſtis, proteſtantes inſuper, orthodoxos illarum partium homines, prout ex debito Catholici Principis requiſiti tenemur, & etiam ſpeciali mandato ſedis Apoſtolicæ adſtringimur, contra impias oppreſſiones veſtras nos pie velle pro viribus tutari. De quibus omnibus nec per vos imputari nobis volumus, nec per quempiam merito poſſe credimus, cum & alii omnes, & vos ipſi in nullum juſtius, quam in vosmet ipſos cauſas hujusmodi belli inferre poſſitis. Datum Anno MCCCCLXVIII.*

Promiſſas ſuppetias a Papa, & Cæſare petit.

Victorinus cognito, quod Moraviæ imminebat, periculo, confeſtim per nuncios patrem admonet, ut quam poſſet celeriter militem cogat, ſe interea imperato delectu commiſſurum, ut ne hoſtis impune in Moravia graſſetur, ſimul Mathiæ reſcripſit accuſationis capita, quæ objecta erant, refellens, hortansque, ut fœderum, ac mutuæ neceſſitudinis memor, malit controverſiam æquitati, & arbitrorum judicio, quam intempeſtivis armis committere, diſſidia inter finitimas cujusvis regni gentes ex privatis cauſis oborta, facile complanatum iri, ſi modo bello temperans inducias ad diſſidiorum cognitionem neceſſarias indulgere velit, armis deinde locum futurum, ubi re per Legatos tractata partibus non conveniret. Eadem fere ſententia Podiebradius ad Albertum Koſtkam, ſuum apud Mathiam Legatum, litteras dederat, id in primis obteſtatus, uti regem a propoſito retraheret, ac redintegrata amicitia a bello avocaret. Sed Mathias cum fidei, quam Bohemis obſtrinxerat, cauſa, tum Friderici Cæſaris pollicitatione adductus, a pacis tractatione omnino abhorruit, coactoque ad Poſonium exercitu inſtanti bello omnia naviter apparabat. Cui ex ſententia conficiendo ne quid poſtea deeſſet, & Cæſarem de ſuppetiis, quas ſtipulatus eſſet, per nuncios admonuit, & Pontifici rationes, modumque gerendi belli ſingilatim perſcripſit, ut eum ad largienda, quorum ſpes haud levis jam ante oblata erat, ſtipendia pelliceret. Eandem ob cauſam non imprudente, ut opinor rege, ad Legatum Hungarum Romæ commorantem, palatinalium aliquis litteras dedit, quibus non obſcure de adminiſtrandis pecuniæ ſubſidiis Paulus admoneretur. Illæ in hunc tenorem habent: (t) *Venerabilis frater dilecte! ecce! ſicut optabatis, per exempla litterarum, & regia ſcripta habetis notitiam harum rerum, quæ modo hic actæ ſunt, & agentur. Notate autem, quod dominus rex ſuſcepit nomen, & officium protectoris duntaxat non Principis, nec vult ſuſcipere nullo modo titulum regium, ſicut & vos informati eſtis, quia per hoc rex Poloniæ exacerbaretur. Mira profecto res fuit, quod cum Turco induciis nondum firmatis dominus rex implicuit ſe rei tantæ. Pro hac vice ſuperavit omnes difficultates contrarias pro prudentia, & auctoritate domini Strigonienſis. Nos rem, ut videtis, incepimus, ſed ut perſiſtamus in bello, ſtat potiſſimum in Pontifice, qui ſi condigne providere maturabit, conſequetur gloriam de Bohemis vel deletis, vel reductis, quam a ſeptuaginta annis nullus prædeceſſorum conſequi potuit, nec Martinus, nec Eugenius. At ſi nunc hæreſis iſta non exſtirpabitur, timendum eſt Eccleſiæ Occidentali præſertim in Alemannia, quia roborabuntur exinde, & multiplicabuntur Huſſitæ, glorianteſ, tamquam Deus protegat fidem eorum rectam; & nemo ulterius in Bohemia profitebitur ſe ſub una ſpecie communicantem; ſed & iſti, qui nunc ſunt derelicti, opprimentur. Imperator eſt frigidus, rex* Po-

(t) Ibid. pag. 39.

Poloniæ pauper, Teutonici otioſæ laſciviæ dediti: facile ſaltem, ut pro cæteris incaleſcat Papa, qui exemplo Chriſti, & Petri, quorum alteri Vicarius, alteri ſucceſſor eſt, tenetur pro ovibus vel animam ſuam ponere, nedum pecuniam. Vos in omnibus procedatis cum temperamento, videlicet & callide, & modeſte, oſtendentes hinc utilitatem, ſi proviſum fuerit, hinc periculum, ſi non fuerit. Habeamus ſaltem licentiam faciendi pacem, ſi bellum diu facere propter inopiam ſubſidiorum non poterimus. Valete. Ex Poſonio, X. Aprilis MCCCCLXVIII.

Caſtra Georgio in Moravia opponit.

Mathias, ubi hunc in modum res comparatas vidit, ut trahendo bello ſubſidia ſatis eſſent, in hoſtem profectus, ad Laam, id Auſtriæ oppidum eſt, Moraviæ finitimum, tertiis caſtris conſtiuit. Iſthic provinciales equites cum peditatu, Cæſare ita volente, regi ſe conjungunt, ac apparatu bellico, rerumque omnium commeatu juvant. Quo in loco cum rex caſtra deſignat, ac cruce ſignatis, quos ab Legato Apoſtolico propediem adductum iri fama erat, præſtolatur, Podiebradius nullam & ipſe timoris ſignificationem præferens, Znoymam primum cum tribus veteranorum millibus duxit, inde Victorinum filium cum copiis aſſumens Laam quoque verſus ſigna converti, & caſtra haud procul Hungaris locari, eaque ex Bohemorum more curruum objectu circumvallari juſſit, ut ceteris, quos militiam profiteri ex gentis ritu oportebat, ſpacium confluendi daretur. Erant igitur hoſtes mutuo in conſpectu ſolo amne Morava, ac Tejo diremti, paribus utrinque viribus, niſi quod noſtri equitatu, illi pedite prævalebant: Duces pari itidem virtute, & prudentia militari, ſed longe impari ætate, cum ſeptimum vix Mathias & viceſimum annum poſt ſe relinqueret, Georgius ſexagenario forte jam major eſſet. Cum alter alterius virtutem, ac fortunam vereretur, neutris placuit univerſis copiis in pugnam deſcendere, ſed velitationibus ſolum vires utrinque periclitari, ex quibus de futuro prælii eventu conjecturam caperent: quæ cum a noſtris ſecunda fere fortuna conferuntur, Podiebradius metuens, ne miles ex parum ſecundis quotidie dimicationibus, contracto, ut fit metu, a prælio, ſi quod oboriretur, abhorreret, aut ducum etiam detrectaret imperia, præſerim quod circumvolante finitimos agros levi noſtrorum equitatu, intuta omnia eſſent, ſuos in caſtris continuit, acri cura in quamvis occaſionem intentus, ut aut hoſtem in inſidias pellectum inſigni clade afficeret, aut, ſi id fieri nequiret, ſalvum ac incolumem exercitum reduceret. Verum cum Mathias quoque Bohemos naviter obſervaret, immineretque opportuno ad rem gerendam tempori, eluſis cujusvis ſtudio alterius artibus, occupatisque, quæ in bello clam uſurpari ſolent, machinationibus, ceſſatum aliquamdiu utrinque ab armis eſt.

Hic cum illo congreſſus de induciis agit.

Itaquè cum ſpe decretorii prælii Georgius excidiſſet, nihil intentatum ſivit, ut Mathiam, poſtpoſita armorum cura, ad pacem pertraheret: quare crebra Legatorum ultro citroque miſſitatione, facile utrique convenerat, ut deſignato loco cum familiaribus coirent, deque fœderum innovatione agerent. Poſt multas altercationes, quas ſocer genero fecerat, iſteque adductis in medium cauſis diluit, his conditionibus inducias conciliare viſum eſt. Bohemi abolita Huſſitarum ſecta veterem religionem amplecterentur, ac Pontificis fidei ſe permitterent: tum reſtituerentur omnia, quæ Catholicis aliquando erepta fuiſſent: Imperatori bellum obmovere, niſi conſcio Mathia, ne auſint, neque Auſtriam latrociniis infeſtare fas cuiquam eſſet: denique injuriæ Hungaris illatæ bona fide ſarcirentur, bellique impendia Georgius compenſaret. Hæ induciarum conditiones erant: quas, tametſi arduæ omnino fuere, amplecti Podiebradius maluit, quam bello, cujus incertus exitus eſſet, implicari. Quæ ut auctoritatem ex arbitrorum judicio obtinerent, placuit Oratorem Romam mitti, qui Paulum de omnibus edoceret. Data huic mandata ſunt, ex quorum norma cum Pontifice ageret; videretque, quæ illi mens eatenus eſſet, neque enim invito eo quidquam tractari conſtitutum erat. Mandata, quæ præcipua induciarum capita complectuntur, in hunc modum confecta fuiſſe reperio. (u) *Primo, quod Do-*

(u) Parte III. epiſt. Mathiæ Corvini pag. 67.

1468. *minus rex Hungariæ intimet ſedi Apoſtolicæ bonam intentionem Bohemorum circa unionem, & ad petitionem ejus Pontifex mittat Legatos ſuos cum plena poteſtate ad aliquem locum, ubi interſit perſonaliter uterque rex cum ſuis, & Bohemi adſtringant ex nunc ſe, quod ex illo loco non recedant abſque unione. Ita quod ſi poterunt ſtatim, & præciſe uniri, bene quidem, quod erit, ſi vel ipſi facient ſimpliciter id, quod pro parte Eccleſiæ Romanæ poſtulabitur, vel Eccleſia Romana totum illud eis indulgebit, quod petent. Quod ſi præciſe concordare non poterunt, ex tunc mediatores nunc electi ſe interponant, & quæcunque media obtulerint, illa Bohemi teneantur amplecti. Sedes autem Apoſtolica eis pro ſua materna pietate condeſcendat. Pro cujus rei certitudine ſaltem Moravi fidejubeant, obligando ſe, quod, ſi rex Bohemiæ infregerit promiſſa, abſiſtent ab eo, & aſſiſtent ſedi Apoſtolicæ, vel cui ipſi voluerint. Detur etiam ad manus communes, quaſi pro obſide, ſeu pignore, caſtrum Spilnberg.*

Harum conditiones.

Item; quod bona ab altero feſto beati Georgii, Catholicis ablata, vel ſimpliciter reſtituantur, vel ad manus communes interim libere tradantur ita, quod poſt unionem dentur illis, quorum ſunt. Quod ſi Romana Eccleſia iſtud recuſaverit, ex tunc manus communis reddat ea regi Bohemiæ, & ſuis. Medio autem tempore ſint treugæ inter partes, ita, quod ſi pars partem læſerit, homines ab utraque ex nunc electi rem reforment, niſi aliquid notabil. intervenerit, quia talia per ipſum regem Hungariæ utrinque componentur.

Item quod Dominus Imperator maneat omnino abſolutus, vel ſaltem utraque pars ſtet arbitrio domini Strigonienſis, & interim ſint treugæ, vel potius pax. Sed iſte ſit in reviſione ultimus articulus. Item quod captivi ex utraque parte ſimpliciter liberentur. Item Dominus rex damna, injurias, & expenſas ſuas ſubmitteret arbitrio Legatorum Apoſtolicorum, ut ipſi in his arbitrentur, & diſponant poſt unionem factam, & de eis utraque pars contentetur. Item quod ex parte Bohemorum ad perpetuam pacem inter utrumque regnum ſervandam fiant modi, proviſiones, & obligamina efficaciſſima, ac certiſſima, & de quibus poſſimus merito confidere. Atque id, opinor, Nauclerum, ceterosque ſcriptores in errorem adduxerit, ut crederent, pacem re ipſa inter partes conſtitam eſſe. Sed eos a vero multum aberrare, mox perſpicuum faciam.

Diſcuſſo induciarum negotio, Georgius detrectata pugna recedit.

Adductum enim hactenus pacis negotium repente, & ex improviſo diſcuſſum eſt: apparebat Bohemos, quod obſides mittere tergiverſarentur, verba ſolum dare, idque ante omnia moliri, ut Hungaris ſimulacro induciarum ludificatis, urbes, quas noſtri præſidio tenebant, nullo negotio in poteſtatem redigerent, atque hunc in modum bellum redderent omni ex parte arduum, & difficile: neque placebat inconſulto Cæſare, qui fœderis ſocius eſſet, de induciis prius tractari, quam, quid ei propterea videretur, perſpicue cognitum eſſet. Igitur præciſa omni pacis ſpe, rurſus ad arma eſt reditum, duosque dies multo, quam ante, acrius dimicatum, quoad Georgius annonæ difficultate preſſus, quam equites Hungari quaquaverſum circumfuſi intercipiebant, dato receptui ſigno in Bohemiam receſſit. In itinere caſtrum Cunicenſe aggreſſus magna præſidiariorum virtute rejectus eſt. Mathias convulſis caſtris Znoymam promovit, ut & Auſtriam ab latrociniis tutam præſtaret, & incertos hoſtes redderet, in Moraviamne an in Bohemiam belli molitiones traducturus eſſet. Id ubi Georgius comperit, iter reflectens prope Hungaros caſtra metatur, an ut noſtros obſervaret, aut pugnæ copiam vellet facere, incertum eſt. Illud conſtat, poſtquam Mathias cum equitatu Bohemos ſpeculatus, prælium in ſequentem diem decreviſſet, hos intempeſta nocte convaſatis rebus receſſiſſe.

Res a rege contra Bohemos geſtæ.

Hæc noſtri maximam partem prætereunt, Bohemicarum contra rerum ſcriptores ita ſolent confundere, ut quid verum ſit, aut inſincerum, difficile ſit conſtituere. Quam ob rem non faciam præter annalium morem, ſi litteras, quas Epiſcoporum quidam eo bello regem ſecutus, ad Oratorem Hungarum Romam miſerat, in medium protulero, quibus rerum geſtarum ſeries in aperta luce collocetur. Sic autem habent: (x)

„ Vene-

(x) Ibidem pag. 70.

1468.

Romam perſcribuntur.

„ Venerabilis frater, nobis dilecte! pro novis hæc habete: dum caſtra
„ metati eſſemus prope oppidum Law, & Georgius de Podiebrad in oppoſito
„ noſtri quaſi per unum milliarium, fiebant quotidie pugnæ particulares, &
„ rapinæ, in quibus omnibus ſemper noſtri fuere ſuperiores, ita, ut quotidie a-
„ liqui ex hoſtibus interficerentur, currus etiam, & equi, & homines multi
„ caperentur. Orta interim eſt pacis mentio: articuli, ſeu poſtulata noſtra fue-
„ runt: primo, ut ipſi abdicata hæreſi communionem ſedis Apoſtolicæ ſimpli-
„ citer reciperent: ſecundo, ut Catholicis ablata ſtatim reſtituerent: tertio, ut
„ Imperatori bellum non inferrent, nec pro debitis, nec pro ulla alia cauſa,
„ ſed omnino dimitterent abſolutum: quarto, ut damna, & injurias regi, &
„ regnicolis Hungariæ illatas reformarent, & deinceps nunquam inferrent, ex-
„ penſas etiam belli præſentis refunderent: ultimo, ut ad hæc omnia obſervan-
„ da, non ſolum verbis, & litteris, quæ ſæpe fregerunt, ſe firmiter adſtringe-
„ rent, ſed inſuper obſidibus, vel pignoribus ad manus communes traditis.

„ Multa de his hinc inde agitata ſunt: finalis eorum reſponſio fuit, quod
„ unionem cum ſede Apoſtolica volunt, non tamen præciſe, ſed per mediato-
„ res, & hac unione habita, bona Catholicorum libere tandem reſtituent. Fa-
„ ctum Imperatoris, & expenſarum præſentis belli ſubmittebant arbitrio domini
„ Strigonienſis, reliqua promittebant ſe facturos, & inviolabiliter obſervaturos,
„ non tamen per obſides, vel pignora. Sed hæc omnia viſa ſunt nobis ſubter-
„ fugia, nec etiam habebamus exploratam voluntatem Imperatoris ſuperinde,
„ & multo minus Pontificis, utrum vellet in hac re aliquos mediatores, vel non.
„ Vos tamen de hoc poteritis perſcrutari pro futuris contingentibus. Durum
„ præterea erat credere juramentis, & ſcriptis Bohemorum, quæ ipſi tamdiu
„ obſervare ſolent, quamdiu non inveniunt occaſionem infringendi pro ſe uti-
„ lem. Et omnino apparebat, eos dare nobis pulchra verba, non tam ex ani-
„ mo, quam ad hoc ſolum, ut facerent nos deſerere inceptum, & reverti.
„ Quapropter ab his tractatibus deſitum eſt, & pugnatum præliis particulari-
„ bus per duos dies acrius, quam unquam antea. Poſtea Georgius Rex - - -
„ cum exercitu ſuo receſſit.

„ Cauſæ receſſionis ſuæ, ut comprehendi potuit, fuerunt: primum, in-
„ opia victualium, quæ nec in loco illo ſibi abundabant, nec a tergo, ſeu late-
„ ribus adduci poterant, propter continuas infeſtationes noſtrorum. Deinde,
„ ut intelligeret, quo nos interim tenderemus, quidve agere vellemus. Ter-
„ tio, quia occulte ſpes ſibi data fuerat obtinendi caſtrum Præpoſituræ Cuni-
„ cenſis, & etiam comburendi burgos civitatis Brunenſis. Sed nos omnia loca
„ illa & prius, & tunc intellecta ejus intentione præſidiis ſufficientibus munie-
„ ramus adeo, quod hæretici dictam Præpoſituram aggreſſi, nonnullos ſuorum
„ in illa oppugnatione amiſerunt. Interim regia majeſtas ad civitatem Znoy-
„ mam movit exercitum, quæ diſtat ab oppido Law tria milliaria, & poſuit
„ caſtra juxta muros. In eo itinere noſtri quidam caſtellum hoſtium agreſſi ſunt,
„ & obtentum combuſſerunt. Poſtero die Georgius ad nos ſe reflexit, & prope
„ nos locavit, modico amplius, quam per unum milliarium. In aurora ſe-
„ quenti noſter rex cum toto equitatu, & parte aliqua peditatus ſtatuit eum ex
„ occaſione per inſidias laceſſere: verum ille vel re cognita, vel caſu ea nocte
„ longius abiit, & nunc ita percipimus, quod pro nunc campum generalem
„ tenere amplius non intendit, quia victualibus, & pecuniis non abundat, ſed
„ diſpergere ſuos in caſtra, & urbes ad defendendum loca particularia, redi-
„ turus in campum poſtea, cum nos diſcurſu regionis viderit fatigatos. Fama
„ etiam erat, eum in Hungariam velle tendere, quaſi ad concambium vindi-
„ ctæ, & ut nos ad noſtra tuenda revocaret, ſicut Scipio Hanibalem ex Italia
„ in Africam. Sed nos ad hanc rem eramus attentiſſimi, & circa paſſus fece-
„ ramus proviſiones opportunas: Comitatus etiam finitimi erant in armis, ita,
„ quod ſi fuiſſet ingreſſus Hungariam, facile & a tergo, & fronte habiturus
„ erat negotium. Inter hæc Podmeniczky major ex Zakolcza rapinis, incendiis,
„ & prædationibus quaſi totam infeſtat Moraviam, ita, quod multi de terra illa

1468. „ non quidem ſponte, ſed metu adhæſerunt domino regi, & adhæſuri ſperan-
„ tur plures. Quæ deinde ſequentur, poſtmodum ſcietis. Quæritis tamen
„ forte, cur tanto tempore non ſit facta pugna generalis? ratio fuit iſta: quod
„ neutra pars voluit facile ultimam tentare fortunam, & ponere ad aleam totum
„ ſtatum. Præterea nos prævalemus longe equitatu, hoſtis autem numero pe-
„ ditum, & munimentis curruum, quæ oppugnare temerarium fuiſſet. Bre-
„ viter admoneo, quod iſta res nec facilis, nec impoſſibilis. Difficilis eſt, pro-
„ pter aſtutiam adverſarii, & fortitudinem gentis Bohemicæ: nam, ut ſcitis,
„ Bohemi non ſolum pro ſe ipſis bella gerere conſueverunt, ſed etiam ad aliorum
„ ſtipendia militare: eſt præterea populus iſte ſuperbiſſimus, & in hæreſi ſua
„ obſtinatiſſimus: temporibus patrum noſtrorum tota Alemannia nihil potuit
„ contra eos, ſed potius fuit ab eis tribulata, quamvis ipſi tunc habebant reges
„ Chriſtianos, & ſibi contrarios. Eſt inſuper regnum Bohemiæ ampliſſimum,
„ caſtris, & civitatibus, & aliis locis inviis munitiſſimum. Sed nec eſt impoſſi-
„ bilis; quia diviſi ſunt ab invicem, & communiter pauperes, vel avari ſunt.
„ Princeps eorum gravis pinguedine corporis, & filii ejus nec prudentia, nec
„ peritia rei militaris patrem æquantes. Amicos extra regnum non habet, pro-
„ ut adhuc in effectu cernitur: provideat tamen ſedes Apoſtolica, ne gener ejus
„ Albertus Dux Saxoniæ juvet eum, vel alter Albertus Marchio Brandebur-
„ genſis, cujus filia nupta eſt filio Georgii Henrico. Hoc unum quaſi omnes
„ opinantur, quod, poſtquam Eccleſia Romana jam proceſſit ad depoſitionem
„ hujus hæretici, melius eſſet, ut eradicaretur omnino, quia ſi quocunque modo
„ reconciliabitur, & permanebit in regno, Chriſtianos, qui nunc ſibi rebella-
„ runt, variis ſuo more occaſionibus adinventis ulciſcetur, & deſtruet.

„ Pro novis iterum hæc habete: Heri hic prope Ungor cœpit duo caſtella
„ villarum: his etiam diebus non longe a civitate Iglavia percuſſi ſunt aliqui
„ hæretici per gentes regias in civitate Olomucenſi conſtitutas, & alii ſimiliter
„ ſub caſtro domini Zdenkonis, Conopiſtia vocato, quod jam dudum per eos
„ ſtricte obſidebatur ſed jam ad ipſum caſtrum poſita ſunt victualia. Verum omnia
„ iſta leviora, ſunt quidem bona, non tamen credatis, quod rem principalem
„ determinent, ideo non debet reponi in talibus major ſpes, quam convenit.
„ Sciatis præterea, quod ſcriptum eſt omnibus Catholicis, ut hinc ad viginti
„ dies cum omni potentia conveniant. Videbimus quid poſſint, & velint. Im-
„ perator eſt multum frigidus more ſuo, & Auſtrales ſui nos quotidie deſerunt,
„ imo magis ſpoliant a tergo, quam juvant. In rege Poloniæ ſpes modica eſt,
„ quia pauper eſt, & obligatus Georgio, dum vivit. Officii veſtri erit, ex-
„ tollere factum domini noſtri regis, prout etiam merito extolli poteſt, & ſigni-
„ ficare ſuæ Majeſtati citiſſime, ſi qua ſpes certa ſit ſubſidii, vel non, ut ſciat
„ tempeſtive, quam conditionem amplectatur, quia in propriis taliter durare
„ nullo modo poteſt. Noveritis tamen, quod ſi dominus rex hanc rem fuerit
„ coactus deſerere, nunquam ſedes Apoſtolica talem inveniet huic bello ducem
„ ex omnibus Principibus Chriſtianis. Et notate hæc verba bene: ad ultimum
„ dico: *quod facis, fac citius.* Ex Znoyma X. Maji MCCCCLXVIII.

Trenchinienſis provinciæ Præfectus monetur, ut Bohemos ab irruptione arceat.

Non caruiſſe rem omni prorſus periculo, ne Georgius, ut erat ſtruendi militaris doli mirus artifex, in Hungariam irrumpens, Mathiam ab Moravia abſtraheret, ex metu manifeſtum erat, quem rex datis ad provinciæ Trenchinienſis præfectum litteris confeſſus eſt, mandans; ut inſeſſis montium faucibus, rebusque, quæ ſervari non poſſent, igni crematis, provinciam viriliter tueretur. Neque circumduci ſe a Bohemis, qui in jus civium jam immigraſſent, & agrum finitimum colebant, ſeſe fineret. *Cum,* inquit, (y) *Georgius de Podiebrad Bohemorum dux his diebus nobis intra metas regni ſui cum magno exercitu obviaſſet, poſtquam vidit, nihil ſe proficere, nec nos ab invaſione terrarum ſuarum per hoc retinere poſſe, retro ceſſit. Ut igitur vel ab incepto nos domum revocet, vel parem, deſtruendo noſtra, vindictam retribuat, ſtatuit prout exploratum habemus, gentes ſuas in regnum noſtrum Hungariæ immittere, cujus nos conatibus provida ratione occurrere volentes, fidelitati veſtræ diſtrictiſſime* man-

(y) Ibid. pag. 37.

mandamus, quatenus caſtella, & oppida in illo comitatu exiſtentia, cujuscunque ſint, vel ita muniri faciatis, ut ab hoſtibus tuta eſſe poſſint, vel ſi hoc quaecunque de cauſa fieri nequiret, diruatis. Curetis etiam, ut totum illud territorium in civitatem noſtram Trenchinienſem ſe recipiat, omnibus rebus ſuis mobilibus in loca tuta ſine mora repoſitis. Quæ autem reponi in tuto non poterunt, ea omnia comburatis, vel qualitercunque de medio tollatis, ne intercepta proſint inimicis; imo & tecta domorum detrahatis, ne valeant incendiis conſumi. Sed & navigia in vadis fluminum habita reduci jubeatis ad portus ſecuros, & maxime ſub muros caſtrorum. Ceterum vosmet cum comitiva veſtra & auxiliis aliorum continue attendatis ad vias & paſſus itinerum, cuſtodiendo aquarum vada, & montium, ac ſilvarum anguſtias, nec non etiam per inciſionem arborum, ubi fieri poteſt, & debet, tranſitus præcludendo. In his omnibus hac vice nobis, & regno noſtro induſtriam, ac probitatem veſtram diligenter oſtendatis, pro certo ſcientes, quod ſi per negligentiam veſtram locum illum in manus hoſtium devenire contigerit, tam dominus veſter, quam vosmet ipſi, & omnes, qui vobiscum fuerint, perpetuæ infidelitatis notam ſuſtinebunt. - - - MCCCCLXVIII.

Sed intra ſolum metum omne periculum eatenus extitiſſe, eventu confirmatum eſt. Georgius enim rebus ad bellum neceſſariis omnino deſtitutus, ſatis habuit, communitis præſidio caſtris hoſtem a Bohemia arcere, Moraviamque, quoad poterat, ita tutam præſtare, ut ne totam amitteret. Itaque Victorinum filium cum copiarum parte Trebnicium tueri juſſit, qui locus quamdiu in poteſtate hoſtium eſſet, permultum noſtris moleſtiæ allaturus videbatur. Mathias cognito Podiebradii conſilio, Victorinum cum toto exercitu conſequutus, injecto pomœriis igne parum aberat, quin interciperet, niſi hic vitato mature periculo cum nongentis equitibus in proximum cœnobium, defenſu multo, quam urbs facilius ſe conjeciſſet. Noſtri, ne tam opima præda elaberetur, loco obſidionem continuo circumdant, interclusoque commeatu ad faciendam deditionem urgent, eventu tamen parum ſecundo: quod & hoſtis deſperata ſalute magis temerarie, quam fortiter ſe defendebat, & noſtri neceſſariis ad demoliendos muros machinis deſtituti eſſent, quas dum ex pactis conventis Moravi cum ſubſidiariis cohortibus ſubmittere negligerent, rex Olomucenſi Epiſcopo acerbe queſtus eſt, conatus ſuos ab iis, quorum cauſa in primis ſuſcepti eſſent, ad rem præclare agendam maxime impediri. *Per hunc dominum Hieronymum* (ita ad Epiſcopum ſcribit) *& literas, & intimata paternitatis veſtræ accepimus, ad quæ utraque, & coram eidem reſpondimus, & ſcriptis ſimiliter reſpondemus: quod cum nos pro Deo, & fide recta piam Catholici populi protectionem ſuſcepiſſemus, duobus fere jam exactis menſibus, magnis noſtris, & noſtrorum laboribus, ac impenſis id negotium continuavimus, totam belli molem quaſi humeris noſtris ſuſtinendo: cum interim nulla, aut minima eorum, pro quibus præcipue hæc agimus, auxilia nobis præſto eſſe videamus. Communis inimicus ibi vim totam oppoſuit, ubi ſe magis urgeri animadvertebat; unde & vos oportuiſſet jam dudum unire nobiscum vires veſtras, & adjutorem veſtrum taliter adjuvare, ut contrito in primis capite principali facilius acceſſoria ſequerentur. Sed hactenus nec conſequuti ſunt nos, qui præcedere debuiſſent. Soli hucusque univerſæ gentis hæreticæ inſultum excepimus. Allegatis diſtantiam locorum, & viarum aſperitates, & diſcrimina, cum hæc omnia prius, & magis nos allegare potuiſſemus. Et certe convenientius fuiſſet, nos exſpectari potius, quam exſpectare, quia præſtamus beneficium, non ſumimus, & utilitatem quærimus non noſtram, ſed alienam. Quamvis tamen quotidie multiplicentur adverſum nos hoſtes, & exercitus noſter aſſidue in ſe ipſo, & in neceſſariis quibusdam minuatur, nihilominus durabimus, quantum poterimus, & præſtolabimur ſubſidia ſociorum, ſi modo competentia fuerint, & tempeſtiva, alioquin imputari nobis nec poterit quidquam merito, nec debebit. Hæc reverendæ paternitati veſtræ, & aliis dominis, ac populis communiter reſponſa eſſe voluimus. Cetera referet ipſe dominus Hieronymus, rerum, quæ hic geruntur, non jam auditor tantum, ſed pro parte etiam ſpectator, qui excuſationem omnium veſtrum coram nobis, quantum in ipſo fuit, diſerte, & prudenter egit. Datum in obſidione Trebnicenſi die XII. menſis Maji MCCCCLXVIII.* (z)

Rex Victorinum Trebnicii obſidet, & ſubſidia a Moravis petit.

(z) Ibid. pag. 45.

1468.

Hoc ex inſidiis elapſo Brunam venit, & Spilbergam obſidet.

Regis querelæ etſi juſtæ omnino, parum tamen proficuæ erant apud gentem, quæ & ad res belli prorſus imparata, & nondum in quam ſe partem verteret, ſatis certa fuit. Accedebat, quod Podiebradius, intellecto filii periculo, cum auxiliariis legionibus, quas Misniæ duces miſerant, Trebnicium appropinquans, non modo in metu Moravos continebat, ſed haud procul etiam cœnobio, cui Victorinum incluſum narravimus, ſuccedens ſpacium huic præbuerit, ut facta eruptione noſtrorum vigilantiam falleret, & cum magna ſuorum parte, ſalvus ad patrem, incolumisque evaderet. Ea re patrata Georgius rurſum in Bohemiam regreſſus eſt, Mathias contra communito extemporaneis operibus Trebnicio, Brunam, quo Legatus Apoſtolicus præceſſerat, ſecundis caſtris promovit. Hic litigii quiddam inter cives obortum, quod pars regem ſponte acceperat, pars contra obedientiam detrectaret, donec a fide, quam Podiebradio præſtiterant, per Legatum ſoluti, conſpirantibus voluntatibus in jus ac clientelam regis conceſſiſſent: Arx, quæ urbi imminet, & Podiebradii præſidio tenebatur, vim, ac defenſionem apparabat. Itaque data Blaſio Magyario, ac Paulo Kiniſio viro tenui quidem ortu, ſed ob incredibiles corporis vires, dotesque animi ad ſummas militiæ præfecturas evecto provincia eſt, ut actis vineis, ceterisque, quæ obſidendo loco veteribus neceſſaria erant, comparatis, deditionem maturarent; ipſe indulta militi dierum aliquot quiete Olomucium conceſſit. Acceptus eſt a civibus libenter, qui & Epiſcopi ſui conſiliis perſuaſi non invito animo præſidium militare in urbem receperant, & viſa militari Hungarorum diſciplina ſpes omnes in Mathiæ benevolentia collocabant. Ceterum is non tam civium in ſe ſtudio delectatus, quam futuri ſolicitus, curas ſuas ad legenda ſupplementa in primis contulerat. In eum finem Epiſcopum Olomucenſem ad Fridericum Cæſarem juſſit contendere, a quo ſuppetias poſtularet, fere enim, quos ab eo acceperat, provincialium equites fuga dilapſi ſunt, idemque apud Legatum Pontificium diligenter ageret, ut cruce ſignati, etſi magis ad conſciſcendum metum, quam rem fortiter agendam comparati eſſent, Moraviæ appropinquarent, quo eſſet, ut hoſtium conſilia non minus, quam vires diſtrahantur. Quod tanto magis ad belli ex ſententia conficiendi eventum neceſſe erat, quo certioribus nunciis crebro allatum eſt, Georgium miſſis ex Polonia Oratoribus non jam de propulſando, ſed inferendo etiam bello cogitare. Ita enim litteris ad Epiſcopum datis, quas propterea animo curas agitaret, ſignificat. (a) *Poſt diſceſſum veſtrum omnia nobis hactenus proſpere ſucceſſerunt, &, ut ſperamus, etiam in futurum Deo dante ſuccedent. Verum interim ſignificamus vobis, quod ille depoſitus, ſentiens Legati Apoſtolici adventum, & nihilominus interventione magnificorum ſereniſſimi domini regis Poloniæ Oratorum, in aliquam ſpem rerum ſuarum erectus eſt. Unde iterum ſe recolligit, & vires congregat, quantum poteſt, exiſtimans tanto plus proficere poſſe in tractatibus, quanto terribilior apparuerit in campis. Nec eſt dubium, quin hac vice omnem oſtentationem, omnes artes ſuas ſecum ſit allaturus, & quaſi ad ultimum hujus anni, & belli actum venturus. In quo ſi cogitatione ſua fuerit fruſtratus, deſperare eum ultra de rebus ſuis neceſſe eſt. Propterea mandamus vobis, quatenus hoc ad ſereniſſimi Imperatoris, & reverendiſſimi Domini Legati notitiam deducatis, & inſtetis de promiſſionibus opportunis. Maxime autem curate feſtinare ad nos una cum dicto Legato Apoſtolico, nam ex ſua, & veſtra legatione nos continue pendemus. Audimus etiam in Auſtria plures eſſe cruce ſignatos, date operam, ut moveantur ad aliquid agendum, quia etſi ſeparatim a nobis deputabitur eis locus militiæ, tamen in communi proderit, quidquid agent. Iterum requirimus vos, feſtinate ad nos. Datum in Olomucz 11. Julii MCCCCLXVIII.*

In Bohemicum profectus, parum aberat, quin a Georgio per inſidias cum

In eandem ſententiam ad Bohemos Catholicos, qui Podiebradio deſerto, regis partes amplexi ſunt, ſcripſit, juſſitque ſibi, ut primum per nuncios commonefierent, cum ſubſidiariis copiis præſto eſſe. Credibile eſt non modo hos dicto audientes fuiſſe, ſed cruce ſignatos quoque Legati Apoſtolici auſpicio adveniſſe in Moraviam, quorum opera auctior Mathias, ut bellum in Bohemiam transferretur, maxime agebat. Neque multo poſt comparatis ad profectionem rebus, cum omnibus, quas ſeu ex Hungaria adduxit, ſive ſociali fœdere acceperat,

(a) Ibid. pag. 47.

perat, copiis iter ingreſſus per Czaslavienſem agrum ultra Teutobrodam urbem, in Bohemiam irrupit, Victorino, quod numero inferior eſſet, ne quidquam obniti auſo. Ea re comperta Podiebradius rapto celeriter milite obviam profectus, regem ad Vilemoviam nobile quondam cœnobium offendit, ac felici ſtratagemate cum omni pene exercitu intercepit. Permultum intereſt, ut quem in modum id eveniſſe Bohemici ſcriptores perhibent, referamus, ne partium ſtudio ducti, aut aſſentari Mathiæ aut Podiebradii virtuti quidquam detraxiſſe videamur. Balbinus Dubravii, Theobaldi, ac Peſſinæ narrationes in unam complexus, rem omnem in hæc verba contulit: (*b*) *Cum Hungari, & crucigeri denſiſſimas ſilvas ſub ſerreis, qui vocantur, montibus tranſiſſent, & ad pagum Samietieſſi, biſtoria Sedlcenſis vocat Semteſſi, veniſſent, inciſæ prius juſſu regis arbores, ſigno dato a carbonariis, quorom ibi ob fodinas ingens eſt numerus, univerſæ dejectæ ſunt. Mathias cum exercitu deprehenſus in medio, cum evadere niſi pugnando, idque iniquiſſimo, & equitibus, quibus major pars exercitus conſtabat, inutili loco non poſſet, ac fame, ſi abeſſent alia, pereundum ſibi videret, Albertum Koſtkam, quem regi chariſſimum, & familiariſſimum eſſe non ignorabat, velut notum ſibi hominem, & nuper apud ſe legatione functum evocavit: hoc internuncio regi Georgio pacem, æternamque amicitiam promiſit, & quaſi jam bello omiſſo domum repetere vellet, exercitum ex inſidiis, in quas præcipitatus erat, feſtinavit educere, Georgio fraudem nullam, quæ abeſſe maxime a regibus debet, ſuſpicante, & pacem ſibi lætiſſimam promittente; at Mathias ſimul in tutum evaſit, nec pacis nomen audire ſuſtinuit, ſero credulitatem ſuam Georgio damnante.* His Hagecius plura, &, ut opinor, ex ſuo ingenio adjicit: Mathiam ingenti ſumma auri, quam pactus erat, e periculo emerſiſſe, violaſſe tamen datam fidem, cum in Moravia hoſtilem in morem graſſaretur: eam ob rem Georgium graviſſime per litteras queſtum fuiſſe, Mathiam contra præter regis dignitatem reſpondiſſe, non Hungarum ſe, ſed Valachum regem eſſe, ſibique tribueret, ſi fucata pacis ſpecie deluſos ſit, caveret poſtea Hungaro fidem habere, niſi tertium illi in fronte oculum inſidere conſpicaretur. (*c*) Sed has nugas, niſi calumniam malimus dicere, nihil moramur. Gravius illud eſt, quod Georgius altero abhinc anno datis ad Hungariæ Proceres litteris, malignam, ut de ſe contendebat famam refellebat, quibus Mathiam e periculo ab ſe ſponte emiſſum diſerte indicat, in hæc verba ſcribens: (*d*) *Dominus veſter Mathias ſcribit, nos cedere ante ſe coactos: Deum in primis, deinde bonos viros teſtes habemus, ac vulgo notum eſt, nos nunquam ullo tempore aut ipſum, aut ejus copias reformidaſſe, niſi forte errat, & innuere vult tempus illud, quo ipſe Victorinum filium noſtrum bello appetiit, quod nos audientes, in ejus occurſum venimus, & prælium ipſi obtulimus: at Mathias, quod offerebamus, recuſavit, imo prope ipſam Civitatem Lavam caſtris poſitis, foſſis ſeſe, & vallis contra nos communivit: nos autem intelligentes, non audere ipſum acie concurrere, locum deſeruimus: quo viſo, cum jam nos procul abiiſſemus, Mathias ex vallis, & foſſis exivit, & in exitium noſtrorum ſubditorum Moraviam intravit. Hoc comperto, nos ex Bohemia redivimus, & adverſus eum aciem direximus; ſed ille neque tum auſus concurrere, ante nos Znoymam uſque perrexit, ibique rurſus apud eam urbem vallis, & foſſis ſeſe munivit. Notum etiam omnibus eſt, cum apud Wilemov ſtaret, an nobiſcum prælium inire voluerit: namque cinctum ſe undique videns, omnia nobis promiſit, quem nos propter tot promiſſa, velut e manibus noſtris emiſimus cum exercitu; at ille nihil eorum, quæ promiſerat, poſtea ſervavit.*

toto exercitu comprehenderetur.

Hæc Georgius: Mathias contra, quidquid id gloriæ eſt, quod Bohemus ſibi tribuit, aperte inficiatur, eodemque anno ex caſtris ante Brodam Hungaricam ad illius Legatos IX. calendas Auguſti ſcribens, *vidit nos*, inquit, *noſtrumque exercitum rex Georgius, & ceſſit mihi; fortaſſe erit tempus, quando etiam fugiet.* (*e*) Ut adeo, cui aſſentiar, difficile ſit conſtituere; præſertim quod prima litterarum capita, quas Georgius ad Hungaros dederat, cum iis, quas ab Epiſcopo ex caſtris regiis Romam ad Oratorem Mathiæ exaratas narravimus, prorſus non

Refellutur.

(*b*) Epit. rerum Boh. Lib. V. cap. IX.
(*c*) In Chron. Bohem. ad annum 1468.
(*d*) Balbinus laudato loco.
(*e*) Apud eund. ibid.

1468. congruunt, qui Bohemos, cum rex ad Lavam eſſet, & annonæ penuria, & crebris noſtrorum infeſtationibus ad mediterranea redire coactos perhibet, &, ubi ad Znoymam iterum conſtitere, Mathiam caſtra hoſtis cum equitatu ſpeculatum pugnam in ſequentem diem omnino edixiſſe, fuiſſeque citra dubitationem conferturum, niſi Georgius, id, quod erat, ſuſpicatus, convulſis intempeſta nocte ſignis, taciturnus, ſilensque, quod fere metuentis, aut prælium detrectantis indicium eſt, contra omnium expectationem in Bohemiam receſſiſſet. Idem Mathias crebris ad Bohemiæ, Moraviæque Proceres litteris ſignificavit, credibile autem non eſt, regem tam manifeſtum omnibus palpum voluiſſe obtrudere eo in loco, in quo res aut ſpectari, aut cognoſci nullo negotio poterant. Itaque, ne nihil prorſus Georgii litteris tribuamus, exiſtimo; Mathiam, ut ſaltuum, quos Bohemia crebros, ac profundiſſimos habet, ignarus erat, facile in inſidias præcipitatum eſſe, ex quibus ut ſe nullo prælio, quod ſanguinarium plane futurum erat, ſuosque expediret, Georgium oblata pacis ſpe, cujus cupidiſſimum fuiſſe ne ipſi quidem Bohemi ſcriptores negant, non tam deluſiſſe, quam ſecurum reddidiſſe. Quo fieri facile potuit, ut Bohemi minus, quam ceteroquin oportuerit, vigiles hoſti incubarent, præſertim quod mutua Oratorum miſſitatione ob conciliandas fœderis conditiones ſerio rem agi exiſtimarent. Ea re comperta Mathias, ut erat in rebus etiam conclamatis præſentiſſimi conſilii ſuos feliciter e periculo exemerit. Neque enim pacem aut inſtrumento publico, aut datis obſidibus, jureque jurando firmatam ullus perhibet, ut adeo Mathias, quin aut contra ſuæ dignitatis, aut publicæ fidei rationes ageret, tempore, ac intempeſtiva Bohemorum fiducia ad eludendas Podiebradii inſidias uti omnino poſſet. Hunc in modum utriusque regis litteras a mendacii nota, quod ab iis longiſſime ob publicam fidem abeſſe debet, immunes præſtari poſſe arbitror.

Rex periculo elapſus ſuppetias ex Germania flagitat.

Utcunque tamen id fuerit; Mathias ſive ingenio ſuo, arteque e periculo elapſus, ſeu parum prudente Podiebradii beneficio ex inſidiis dimiſſus, ut primum ex inauſpicata profectione in Moraviam rediit, de novis ſupplementis cogitare cœpit, præſertim, quod ſuſpicio non de nihilo eſſet, Podiebradium, qui præter Bohemos maximo numero ad ſigna confluentes, auxiliares quoque copias interea nactus eſt, vindictæ ſtudio incenſum hoſti bellum ultro illaturum eſſe. Et re ipſa Georgium cum omni exercitu ad Moraviam appropinquaſſe, ut conſerta pugna Hungaros aut regno penitus exigeret, aut ad accipiendam pacem cogeret, ſatis ex Mathiæ litteris conſtat, quas ad Oratorem ſuum, qui ſuppetiarum cauſa Germaniam oberrabat, in hæc verba dederat: (*f*) *Quia ita ſtringimur ab hoſtibus, ut aut bellum continuare cogamur, aut cogitare de pace, fidelitati veſtræ committimus, quatenus citiſſime nobis ſignificetis, ſi quæ, & quanta tandem ſpes in iſtis auxiliis Alemannicis ponenda ſit, & ſi omnino jam futura ſint, quo tempore ſint affutura? Cavete ne aut ad longum, puta ſequentis anni expectatione nos alligetis, aut, ſi illi videantur ſaltem aliqua ex parte promiſſis ſatisfacere, non ſtatim viginti hominum, vel plura millia, prout tractatum fuit, ſed ad præſens aliquid tantum pollicebuntur; nos nihilominus in obligatione gravi manemus, quod periculoſum nobis eſt. Et certe nolumus pro ſeris, vel levibus ſubſidiis ſub tanto fortunæ ictu quotidie ipſi pendere. Volumus etiam, ut, quidquid ibi concluſum fuerit, ad principia menſis Auguſti per latorem præſentium nos reddatis certiores, quo rebus noſtris, & regni hujus utramlibet in partem mature conſulere poſſimus.*

Novis turbis in Bohemia obortis Poſonium concedit.

Sed eo metu regem Georgii ceſſatio abſolvit, qui magnis itineribus in Bohemiam regreſſus, res iſthic mirum in modum perturbatas reperit. Joannes enim Roſenbergius, Dynaſtarum Bohemiæ facile princeps, qui illius partes hactenus tuebatur, opera Nuncii Apoſtolici Hungarorum fœdera amplexus intercepto per inſidias Budvicio metum cum armis latiſſime circumferebat. In hunc igitur Georgius profectus, ſpacium Mathiæ dedit, ut Moraviam pene totam occuparet, ac in futuros belli eventus naviter compararet. Una Spilbergenſis arx noſtrorum conatus a Majo menſe morabatur: cui expugnandæ præcipuum ex vete-

(*f*) Parte III. epiſt. MATH. CORVINI pag. 54.

veteranis robur applicuit, præfectura, ut deditionem urgeret, in Blaſium Magyarium collata. Ipſe quod & autumnus jam ingrueret, neque auxiliarii ex Germania adeſſent, diſtributis in hiberua militibus Auſtriam petiit, cum Cæſare de belli apparatu conſilia collaturus. Ut fama fuit Viennam venturum, urbis prætor, ut regem pro dignitate acciperet, arcem, quam Duces habitabant, magno ſpleodore apparari, primoresque ex ſenatu obviam venienti ire juſſit. Renuit Mathias humaniſſimæ urbis officia, ne quid novæ Friderico ſuſpicionis injiceret, iterque reflectens trausmiſſo amne Morava Poſoninm tenuit. (*g*)

Et indicto conventu tributi auctarium extra ordinem impetrat.

Hic indicto regni conventu, poſtquam Proceres cum provinciarum Legatis confluxiſſent, expoſito prolixe belli Bohemici eventu, adjectiſque cauſis, quam neceſſarium eſſet, ad augendos apparatns bello feliciter conficiendo, ſingulos operam ſuam conferre, ordinum ſententias rogari juſſit, num præter morem ſtipendia militi clargienda viritim ex provincialibus ſumi placeret. Conſentientes mirum in modum habuit omnes, ea tamen conditione, ut Optimates pro rege fidem facerent, eum, quod neceſſitatis cauſa ſponte a provincialibus præbebatur, deioceps in morem contra legum ſtatuta non adducturum; ipſeqne publicas litteras, ſuæ voluntatis teſtes propterea exſtare vellet. Iſtæ hujusmodi ſunt: (*h*)

Cavet tamen publicis litteris id in legem non abiturum

» Nos Mahias Dei gratia rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. notifi-
» camus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis. Quod cum coronare-
» mur Albæ feliciter, ſecundum morem prædeceſſornm noſtrorum regum,
» Prælati, Baroues, Nobiles, & Proceres regni noſtri univerſi, qui tnnc in ſo-
» lennitate illic aderant, ſupplicaverant nobis, ut regnum in anriquis liberta-
» tibus tenere, atque de oneribus diverſarnm ſolutionum, quibus temporibus
» diſcordiarum ante coronationem gravabatur, de cetero exemtnm habere di-
» gnaremur. In qua quidem re licet exaudita a nobis, promiſſionem habuerint,
» nosque eam, veluti in tanta exaltatione noſtri factam, mente habuerimus, ha-
» beamusque etiam nunc; tamen his diebus, dum reverteremur ex Moravia, per
» totam hanc æſtatem in eadem Moravia, & Bohemia contra hæreticos, veteres,
» & graviſſimos dicti regni noſtri Hungariæ infeſtatores, gravi bello propriis
» ſumtibus, & expenſis fatigati, & rediiſſemus in hanc civitatem noſtram Po-
» ſonienſem, & exponeremus cauſam ſuſcepti belli contra ipſos hæreticos, Præ-
» latis, & Baronibus ejusdem regni noſtri, ac de unoquoque comitatu electis
» nobilibus, ibidem convenientibus, declararemus etiam inſuper, quod neceſ-
» ſarium eſſet, eos compeſcere, vel exſtirpare, qui etiam ſanguinem noſtrum
» ſine intermiſſione ſitiebant, & id, quomodo fieri poſſit, quantas requireret
» expenſas, & quanta ex hinc utilitas ſequeretur regno noſtro, ſimiliter cerne-
» remus, ntpote, quandoquidem eisdem dominis, alii inimici ejnsdem regni
» etiam quomodocunque magni facilius, nobis Deo propitio, confundi poſſent,
» iidem Prælati, Barones, & Nobiles, totum regnum repræſentantes, in animo
» mori, nou tantum pium, atque ſalubre hoc opns, & pro fide Catholica ne-
» ceſſarium, quin imo ſibi & regno utile, præmeditantes, matura inter ſe deli-
» beratione præhabita certum ſubſidium pecuniæ ad proſequendum ulterius, hoc
» contra dictos hæreticos negotium ultronee obtnlerunt. Ut igitur quemquam
» hic hac vice facta impoſitio pecuniæ non moveat, vel apud alignos noſtra
» regno dudum facta promiſſio pejorem in partem non interpretetur, ſed &
» omnibns conſtet uoſtra ſuperinde voluntas, volumus decernere, aliquas in-
» conſuetas collectas recipere, aut recipi facere, nec ſimilium taxarum receptio-
» nem in uſum venire, neque contra eos, quantum in nobis eſt, ſive noſtro,
» ſive ſucceſſorum noſtrorum regum temporibus pro conſuetudine eorundem
» Prælatorum, Baronum, & Nobilium regni noſtri, & ſuorum ſucceſſorum ha-
» bere, nec libertatibus eorum quoquo modo præjudicari, & hoc promittimus
» in verbo noſtro regio, harum noſtrarum litterarum vigore, & teſtimonio me-
diante.

N 2

(*g*) Balbinus loco cit. Bonfin. Dec. IV. Lib. II.

(*h*) Apud Cl. Belium. Notitiæ Hung. novæ. Tom. I. Comit. Poſon. Part. Spec. Membro I. Sect. I. §. XXXIX.

1468. „ diante. Datum Iſtropoli, ſive Poſonii, vigeſima octava die ſeptembris, Anno „ Domini MCCCCLXVIII. regni noſtri anno undecimo, coronationis vero „ quinto. (i)

„ Et uos Stephanus Cardinalis Eccleſiarum Colocenſis, & Bachienſis, „ Joannes Strigonienſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus uatus, Archiepiſcopi; Joannes Agrienſis, alter Joannes Quinque Eccleſienſis, Albertus Veſprimienſis, „ Demetrius Jaurienſis, Viucentius Vacienſis, Joannes Chanadienſis Eccleſiarum „ Epiſcopi. Michael Orſzágh de Guth, regni Hungariæ Palatinus, Nicolaus „ de Uilak Comes perpetuus de Telchak, Emericus de Zapolya terræ Scepuſienſis, Nicolaus Cſupor de Gonoszló ad præſens, & Sigismundus Groff de „ Bozin, ac Bertholdus Eldenbach de Monyorókerék, alias Wayvoda Luſznenſis, „ Joannes de Gáſa, Joannes de Rozgouy Tavernieorum, alter Joannes Tuz „ Slavoniæ Banus, Janitorum, Mathias de Maroth Agazonum regalium Magiſtri, Paulus de Lindva, Franciſcus de Chak, & Paulus Henchek de Zeku, „ iu teſtimonium rei prænotatæ præſentibus ſubſcribimus, & ſimiliter pro eodem „ domino uoſtro rege, & cum eodem fide mediante promittimus, quod ſimilem „ taxam nobis invitis uon recipiet, & præmiſſa in uſum, ſeu couſuetudinem „ nou ponet, ſed conſiderando in omnibus rebus utilitatem, ac jura regni ſai, „ promiſſionem ſuam tam per vocem, quam per præſentes firmiter obſervabit. „ Datum ut ſupra.

Laſciviæ, & inhumanitatis in rege exemplum.

Ceterum rex tam iuſignem benevolentiæ ſignificationem, qua ab regni ordinibus Poſonii exceltus eſt, parum humano facinore temeravit. Erat Nicolao Banſio arcis Poſonienſis Præfecto uxor gente Sileſia, virtutibus autem, & formæ præcelleutia paucis conferenda, quam is, quod illius pudicitiæ ab regis laſcivia metueret, Benedicto ex Cſenehaziorum genere, quem vicaria poteſtate arci præfecerat, Alſo Linduam volente femina ſeducendam commiſit. Ubi id Mathias comperit, vocato ad ſe Banſio factum graviter exprobrat, qnaſi per ſuam laſciviam ejus uxori pudicæ nou eſſe liceret, ſimul captivum eſſe jubet, & machinæ bellicæ catena adſtrictum a Benedicto vehementer invito in captivitatem trahi, ex qua uonniſi biennio poſt, bona hæreditatis parte multatum, in libertatem reſtitutum lego. (*k*)

Ab Caſimiro Polono filiam ſibi deſponderi petit, ſed repulſam patitur.

Per idem tempus nova ſimultas Mathiæ cum Caſimiro Polonorum rege oborta eſt. Cauſa a domito nuper Moldaviæ Vayvoda, ac factis privatarum licentia in Scepuſium procurſionibus petebatur, re autem ipſa illum repulſæ dolor, huuc coutra amiſſæ Moraviæ jactura urebat. Mathias enim, ut Caſimirum a Podiebradio abſtraheret, collatis prius cum Cæſare conſiliis, Legatos in Poloniam miſerat, qui Maximiliano Friderici filio, recens viduo, ſibique natu maximas regis filias matrimonio jungendas poſtularent, oblata ampliſſima ſpe, qua Polonis, ſi uterque improlis decederet, certiſſimum in Hungariam, ac Bohemiam jus eſſet. Caſimirus etſi conditio expetenda prorſus eſſet, incertum tamen quam ob cauſam nou modo inferri mentionem de ineundo cum filia ſua matrimonio paſſus nou eſt, ſed recuſato præterea, quod oblatum eſt, fœdere, illatas ſibi in profligato Moldaviæ Vayvoda injurias queſtus eſt, damnaque, quæ actis in Scepuſio ſpoliis per Hungaros confecta eſſent, datis, qui rem cognoſcerent, arbitris compenſari petiit. (*l*) Mathias, qui repulſam utcuuque tacitus coucoxit, querelas tamen non prætermitti oportere cenſuit. Itaque ad Palaniæ Optimates prius, ex Moravia quam rediret, litteras, quibus rerum ab ſe in Moldavia geſtarum rationem reddit, in hæc verba dederat: (*m*) *Duo ſunt, quæ vobis per litteras veſtras imputatis: invaſionem Moldaviæ, tamquam ad regnum veſtrum per-*

(*i*) Ne cui id mirum videatur, quod rex in aliis hujus anni litteris annum corouationis quartum, hic vero quintum deſignet, commonendum lectorem putavi, ut diei, qua coronatus eſt, meminerit. Hunc alias ſupra ad annum 1464. conjectura ductus conſignavi, nunc ex Breviario Strigonienſi anni 1515. comperi eum in 29. Martii incidiſſe.

(*k*) Apud eund. BELIUM Tom. II. pag. 148.

(*l*) RAYNALD. Annal. Eccleſ. Tom. X.

(*m*) Parte III. epiſt. MATHIÆ CORVINI pag. 56.

pertinentis terræ, & damna, nec non injurias vobis, & veſtris ex Hungaria per noſtros **1468.**
illatas: ac requiritis nos ad veterum utrinque fœderum obſervationem, & communi arbi-
trio perpetrata committi poſtulatis. Primum quod ad Moldaviam attinet, nos quidem nullo
inſtigante eam invaſimus, niſi Stephano ipſo regionis illius tyranno, qui cum nobis ſua pro-
miſſa minime obſervaret, & exules noſtros foveret, ac e regno noſtro inſtar Turcorum con-
tinuas rerum, & hominum prædas abigeret, nec requiſitus malefacta emendare vellet, non-
ne digne a nobis meruit caſtigari? pro quibus certe cuicunque etiam alieno bellum indicere
ſatis legitime potuiſſemus. Sed nos cum noſtrum eſſe ſubditum ipſius confeſſione ſcimus.
Quodſi & vobis eodem nomine adulatur, more ſuo facit: nam & Turcis, & Tartaris ſe
itidem exhibet, ad hoc videlicet, ut inter tot dominos perfidia ejus diutius maneat impunita.
Terram vero illam noſtri juris eſſe, antiquiſſimus, & continuatiſſimus prædeceſſorum noſtro-
rum regum Hungariæ titulus declarat, non quidem inanis, ſed poſſeſſione nunquam inter-
rupta munitus. Nam, ut vetuſtiora nunc omittamus, poſt memoriam hominum Vayvodæ
Moldavienſes ſemper regibus Pannonicis ſervierunt, & provincia illa nullum habuit præſidem,
niſi hinc approbatum, vel immiſſum usque eo, ut genitor noſter, qui tantum Gubernator
erat, plures illic ſucceſſive ad libitum, & ſine contradictione præfecerit Vayvodas. Quæ
omnia vanis inſcriptionibus, ſi quæ fortaſſis in contrarium proferri poſſent, validiora, &
efficaciora eſſe dignoſcuntur. Nos tamen in præſentiarum de iis profundius diſceptare ra-
tionalibus de cauſis non intendimus. Ceterum de damnis, & injuriis multa, & vera etiam
nos queri poſſemus, ſed poſtquam opportune per vos communis arbitrii mentio inducta eſt,
libenter hujusmodi examen aſſumimus, & quamvis nunc in extremis partibus occupati negotiis
ſimus fidei Catholicæ contra hæreticos, tempus tamen congruum, & locum talibus compe-
tentem, mox poſt reditum non recuſabimus, maxime ſi & a vobis interim particularia ſuper-
inde intelligemus. Poſtremo omnem animum noſtrum ita volumus cognoſcatis: nec juſtitiam
nos ſuper illatis reformidare, nec abnuere concordiam, præſertim cum regno veſtro, quod ſi
huic noſtro nunquam antea confœderatum fuiſſet, noſtris tamen temporibus initium amicitiæ dan-
dum foret; quatenus duo hæc vicina regna, undique inter paganos, & hæreticos ſita, mutuis
conſenſibus, & auxiliis facilius ſeſe, & Chriſtianam religionem tuerentur. Quo exitu lis ter-
minata ſit, nihil habeo, quod pro comperto affirmem: credibile eſt, quod nusquam
illius deinceps memoria apud ſcriptores occurrat, rem omnem mutua amicitia
complanatam eſſe. Ceterum ſatis aperte ex his litteris Polonicorum ſcriptorum
error refellitur, qui victum, profligatumque in Moldavia regem cum pauciſſimis
evaſiſſe in litteras retulere, alioquin impudentiſſimum omnium fuiſſe Mathiam
oportuit, ſi in tam manifeſta, & id temporis nota omnibus clade victoriæ gloriam
ſibi tribueret.

Rex his curis perfunctus, mentem, animumque in annum ſequentem
bello Bohemico feliciter perficiendo applicuit, conſcriptisque denuo ſupplemen- *An. Chr.*
tis, ex tributo, quod bona Optimatum venia præter ordinem ex regno coegit, **1469.**
ſubſidiarias cohortes ab Ottone Bavaro conduxit; quibus, quamprimum per
brumæ clementiam liceret, accelerare juſſis, ipſe initio veris in Moraviam cum *In Mo-*
prætorianis movit, Brunamque contendens caſtra ad Spilbergam metatus eſt. *raviam*
Arcis præſidiarii, qui locum in menſem ſeptimum fortiter tuebantur adventan- *redux*
tis Mathiæ fama territi deditionem fecere. Itaque reparatis celeriter ejus loci *Spilber-*
operibus Olomucium, quo Moraviæ, ac Bohemiæ Proceres conciverat, itum *gam oc-*
eſt. Primum de belli rationibus conſilia inita, tum viſum ordinibus, ut Ma- *cupat, &*
thias, quo juſtiori ex cauſa ſuſceptum eſſe bellum videri poſſit, Bohemici regni *pacem in*
titulum ſumere ne gravaretur. Reſpuit officioſam Procerum voluntatem rex, *annum*
cum propter invidiam, quæ ſibi iſthinc apud exteros Principes conflari poterat, *ſancit.*
tam quod a pace, niſi ſumtus ex communi provinciæ ærario in bellum ſuppedi-
tarentur, cum Georgio ineunda non abhorreret, quem conventui interfutu-
rum multorum rumor ferebat. Ac is reipſa, ut primum Mathiam in Mora-
viam veniſſe comperit, ad Bohemiæ fines in urbem Litomislium, ut ex proxi-
mo, quid ageretur, obſervaret, cum ſuis acceſſit. Id ex condicto eveniſſe multi
eorum temporum ſcriptores affirmant: verene, an contra definire nolim: id
magis compertum, a Mathia, ubi primum de Georgii adventu indicium acce-
pit, hunc ad Olomucenſem conventum per nuncios accerſitum eſſe. Olomu-

1469. cium Georgius noluit, ſed Sternbergam, vicum non procul ab ea urbe diſſitum, pridie nonas Apriles ſe venturum recepit, ſi rex de pace ſecum tractare vellet. Mathias eodem cum paucis venit, peractisque publice ſalutationum officiis, privatim diu, multumque cum Podiebradio collocutus, pacem in annum integrum ſancivit. Quibus ea conditionibus coaluerit, nusquam in vulgus emanavit: ſerio tamen coaluiſſe ex eo perſpicuum erat, quod Victorinum Georgii filium officii cauſa Olomucium adduxerit, contraque intempeſtive ſuadentium conſilia, ut eo per fraudem capto finem bello faceret, liberum incolumemque ad Patrem remiſerit. (*n*)

Ea tamen rurſus abrupta, Olomucii ab ordinibus rex creatur,

Confecta hunc in modum pace Podiebradius rerum ſecurus in Bohemiam rediit, ignarus tamen, quam parum diuturna ea pacis conciliatio eſſet futura. Nam ut Mathias de ea ad Proceres retulit, unanimi omnium, nuncii in primis Apoſtolici, vociferatione occlamatum eſt, negare omnes ſine Pontificis auctoritate fœdus cum hæretico conflari potuiſſe, id, ſi Catholicæ religionis ſtudioſus eſſet, ſine mora reſcindi oportere, & niſi faxit, ſe, quamquam invitum, ſacrorum comminatione uſurum. Ad hæc Cæſarem, quo neſcio pax conciliata ſit, graviſſime offenſum iri, cui ad veteres irarum cauſas, & hæc accederet, quod Auſtriam Podiebradius fœdiſſima nuper vaſtatione populatus fuiſſet. Quin ageret, & pactorum, quæ cum hoc iciſſet memor, fœdifragum hominem perſequeretur, reſpondiſſe belli initium ex ſententia, quod reliquum eſſet, pari fortuna ſequuturum, quando & ſtipendia Paulus Pontifex, & Cæſar cum Germaniæ Principibus auxiliarios polliciti eſſent; acceſſuros denique Bohemos cum Moravis; ſi modo, quod antea quoque petierant, exorari ſe ſineret, & regem ſe Bohemiæ inaugurari pateretur. Ita omnium vocibus victus Mathias fœderi recens inito nuncium miſit, & regem ſe Bohemiæ, ac Moraviæ Marchionem ſalutari paſſus eſt. (*o*)

Ac Brunæ ſubſtitutis Corona & Sceptro coronatur.

Coronationis ſolennitas Brunam ordinibus edicta: ad quam cum magna frequentia confluerent, neque corona, qua Bohemiæ reges incingi mos eſt, in promptu eſſet, eam enim Podiebradius in poteſtate habuerat, placuit, quod ipſum ſine exemplo, ac mali ominis fuiſſe, proditum eſt, coronam, & ſceptrum ex ſtatua Dei Matris, quæ Brunæ in templo Divi Jacobi magna religione colebatur, ad peragendam eam celebritatem ſubſtitui, ac quinto nonas Majas regem inaugurari. Hunc in modum Bohemiam poſt Ladislai poſthumi exceſſum ab Hungaria avulſam Mathias rurſum Hungariæ conjunxit.

Inde Wratiſlaviam profectus, or-

Ab inauguratione haud diu Brunæ moratus, dicto Optimatibus ex gentis ritu ſacramento, (*p*) ipſo Pentecoſtes die Wratislaviam ingreſſus ſumma honoris ſignificatione ab urbico Magiſtratu, & Clero ad ſanctum Petrum acceptus eſt. (*q*) Habuit rex in comitatu præter decem, & octo Sileſiæ Duces, tum utrius-

(*n*) Balbinus Epit. rerum Boh. Lib. V. Cap. X.
(*o*) Idem ibid.
(*p*) Sigismundus Rozitzius Canonicus Ordinis S. Auguſtini in Monaſterio B. Mariæ Virginis in Arena Wratislaviæ, auctor coævus in Chronico ſuo apud Cl. Sommersberg. Tom. I. ſcriprorum rerum Sileſiac. in hæc verba ſcribit: „ In die „ ſanctæ crucis inventionis, ſereniſſimus „ Princeps, & Dominus, Dominus Mathias Hungariæ Rex, electus fuit in „ regem Bohemiæ, in Olmicz, ubi ju„ ravit forma, quæ ſequitur: *Ich Mathias Kunig zu Ungern, jezund Kunig zu Behaimb, globe, und ſchwere, daſs ich alle Inwohner des Kunigreichs in Behaimb, Prælaten, Furſten, und Herrn Ritterſchaft, Stette, und Gemeine behalten will, und ſoll bey ihren Ordnungen, Rechten, und Freyheiten, und alten gutten Gewohnheiten, und ſie beſchutzen, und wehren wieder jeder man nach allen Vermögen, als mir Gott helffe, und dieſes heilige Evangelium, das ich leiblich berühre, Amen.*
(*q*) Idem ibid. „ Feria VI. in feſtivitate Pentecoſtes, ſereniſſimus Princeps, & Dominus, Dominus Mathias electus rex „ Bohemiæ intravit civitatem ſuam Wra„ tislaviam hora XXI., & fuit honori„ fice ſuſceptus a Clero ſummi in pede „ montis prope S. Petrum, ubi deſcen„ dit de ſuo equo oſculatus reverenter „ SS. reliquias: poſtea intravit Curiam „ Imperialem; venerunt quoque cum „ Rege Domini Archiepiſcopi - - Strigonienſis, & multi Domini ſpirituales, „ ſæculares, Nobiles, ac alii. Feria V.

triusque regni Principes viros; Friderici quoque Cæſaris Oratores, qui ut coronationis inaugurationi intererant, ita regem quaquaverſum conſequuti non ſolum magnam ad ſplendoris ornamentum acceſſionem fecere, ſed auctoritate etiam ſua quidquid actum fuiſſet, ratum habuere. Exactis publica in hilaritate diebus aliquot, ordines inferioris Sileſiæ adeſſe juſſi concepta jurisjurandi forma ſacramentum regi præſtitere, quos haud multo poſt tempore urbis Conſul cum Magiſtratu exceperat, erectoque ad forum Salinum ſuggeſtu, ſuo, ſuorumque nomine fidem publicam dedit, ſe Mathiam pro rege Bohemiæ habituros, & contra quosvis hoſtes, qui novas adverſus eum res molirentur, tuituros eſſe. Ad eundem modum Luſatia in fidem recepta eſt, & communi ſtudio de belli rationibus transactum: cujus partes cum ad Cæſarem quoque ex pactis conventis attinerent, isque mille equites ſubſidio miſiſſet, Mathias cauſatus ineptum militiæ genus, ſtipendia pro auxiliariis popoſcit, quæ cum Fridericus, aut negaret, aut parce omnino ſuppeditaret, ſementis futurarum diſcordiarum jacta eſt, quæ etſi ſemel atque iterum ſopitæ arbitrorum conſiliis erant, exſtingui tamen niſi ab regis exceſſu non potuere. (*r*)

dines Sileſiæ & Magiſtratus in fidem recipit.

Hæc inter Podiebradius, ubi, quid rerum Olomucii, ac in Sileſia gereretur, comperiſſet, ut Mathiæ ſpem omnem regni Bohemici in futurum adimeret, indictis Pragam Comitiis de legendo ſibi ſucceſſore Optimatum ſententias rogavit. Nemo eorum, qui Mathiæ partes ſectabantur, Comitiis metu excluſus intererat: itaque agente in primis Georgio, omnium vota in Wladislaum Caſimiri Poloniæ regis natu maximum filium conſpirant, eo maxime nomine, quod is Alberti Bohemiæ quondam regis filia Eliſabetha, cui mater quoque Eliſabetha, Sigismundi filia, & Caroli I. neptis erat, ſuſceptus eſſet. Quamobrem cum Polonis Legatis, qui ea de cauſa Comitiis aderant, in has conditiones conventum eſt: Georgius quoad viveret, regno potiretur: Caſimirus apud ſummum Pontificem ageret, ut illi eorum quorum poſtulatus erat, delictorum gratia fiat, aut certe dies detur, quo cauſa rurſum cognoſcatur, ad quam tuendam novos Oratores eligi fas eſſet; Johannæ reginæ de dote regia, uti filiis de patrimonio fide publica caveretur, denique Ludmilla Podiebradii filia, quod tamen ſecus poſtea evenit, Wladislao Caſimiri natu maximo in manus conveniret. (*s*)

Podiebradius, ut Mathiæ ægre faceret, Wladislaum Caſimiri Poloni filium, ſucceſſorem ſibi decernit.

Stabilito in has conditiones fœdere, Victorinus, ne Mathiæ citra omne maleficium res abirent, rapto ſumma celeritate exercitu Moraviam infeſtis ſignis ingreſſus provinciam latiſſime vaſtabat, ſive ita ægre Hungaris facturum ſe ſperaverat, ſeu Mathiam ab Sileſia abſtrahere voluit, fixisque prope vicum Veſſale caſtris, atque opere extemporaneo communitis rei ex ſententia gerendæ occaſionem acri ſtudio occupabat. Mathias re cognita extemplo profectionem ſuis imperat, raptisque ſecum prætorianis, ut hoſti improviſus ingrueret, magnis itineribus uſus Victorinum in oppido concluſum obſedit, conantemque ex inſidiis evadere intercepit Bohemi ſcriptores, ut qualemcunque, quæ ex capto Victorino regi confecta eſt, gloriam attenuent, eum ab Henrico Lippæo Crumlovium, Moraviæ urbem, invitatum ſcribunt, ac de induſtria regi proditum,

Ac Victorinum filium Hungaris opponit.

„ poſt Trinitatis Wratislavienſes præſtiterunt homagium regi ſedenti in Palatio „ ad hoc ſpecialiter facto in acie circuli „ prope forum Salinum in præſentia Dominorum Legatorum, ac Conſiliariorum Imperialis Majeſtatis, in hæc verba: *Wir Burgermeiſter und Rathmanne, und die gantze Gemein der Stadt Breslau ſchweren, und globen vor uns, und alle unſere Nachkommen, daſs wir von dieſem heutigen tage an allezeit getreu und gehorſam wollen ſeyn Euch allerdurchlauchtigſten Furſten, und Herrn Herrn Mathiaſchen Konig zu Behaimb wieder alle Menſchen, und daſs wir Eur Ehr und Nuzen nach unſern Vermögen allezeit getreulich ſchaffen, und thun wollen, und Eurn Schaden, und Arges behütten, und alle Ding, die zu der Kron Behaimb gehörig, getreulich halten, und thun wollen als getreue Unterthanen, als uns Gott helffe, und alle Heilige, Amen.*

(*r*) De Roo Hiſt. Auſtr. Lib. VIII.

(*s*) Bohus. Balbinus loco laudato in notis ad Lib. V. Cap. X.

1469.

Sed interceptus a noſtris Budam captivus ducitur.

ſed iſtorum in ſcribendo ſive licentia, ſeu potius deſidia Mathiæ litteris ſatis aperte refellitur, qui capti Victorini gloriam Madochii, & Janoſſii eqoeſtrium militum virtuti in primis tribuit. (*t*) Captivus Budam miſſus, ac quemadmodom Bonfinius auctor eſt, liberaliter biennio habitus, nequaquam autem, ut Dubravius perhibet, in mancam turrim incluſus, ac præter famem ſitimque, promiſcua aeris tempeſtate, modisque miſerrimis vexatus eſt: neque enim Podiebradius, aut hujus nomine Bohemi Proceres datis ad Mathiam litteris, quibus de multiplici injuriarum genere acriter, & prolixe queruntur, quasque in loco memorabimus, tam illiberale facinus uspiam regi objecerant, non omiſſuri profecto, ſi rex tam parum humanitatis memor in Podiebradii filium fuiſſet.

Rex Podiebradium de inſidiis admonet.

Sub idem tempus res memoratu haud indigna evenerat, ex qua majorne regi laus, an invidia conflata ſit, malim alios ex facto judicium capere, quam a me, quid eatenus ſentiam, intelligere. Cum enim non armis ſolum, ſed odiis etiam utrinque ab regibus certaretur, ferunt aliquem, cujus nomen nusquam in litteras relatum invenio, captato in caſtra aditu Mathiam conveniſſe, (*u*) *qui ſe gladio occiſurum Georgium regem pollicebatur, ſi præmium reciperet aureorum quinque millium* (*x*). *Rex Mathias chirographo, & fide promiſit ſe adhuc majora daturum, ſi id efficeret, quod promittebat. Ille diu obſervans, quo pacto id efficere valeret, tandem incidit in quandam hujusmodi necis deſperationem. Videbat enim occidendi Georgii nullam dari facultatem, niſi cum maximo periculo capitis ſui, quoniam fidis ſatellitibus ſtipatus facile hujus temerarii impetum repreſſiſſet. Quamprimum hoc intellecto mutavit modum, ſed non mentem occidendi, & ſe veneno facturum regi Mathiæ narravit, quod gladio ſpoponderat. Rex extemplo mandavit, ne ullo modo Georgium veneno aggrederetur. Pugnamus enim hic, inquiens, gladiis, non veneno: fruſtra legiſſem hiſtorias de Fabricio, qui ad regem Pyrrhum, Romanorum hoſtem acerrimum, ſcripſit, ut a familiarium veneno caveret, quidam enim ejus mortem promittebat, addiditque Romanos ferro, non veneno pugnare conſueviſſe. Quamobrem libros lectitamus, niſi ut optimis exemplis imbuti virtutem ſequamur, vitemusque vitium? & his dictis Georgium monuit, ut niſi prægustatos, & a fidelibus quidem & cibum, & potum ſumeret, quoniam ei ex veneno periculum certum immineret*: Præclare quidem dictum, ſi huic cœteroquin facinoris quoque ratio reſpondiſſet, quod perinde ab regum dignitate, fideque abhorreat, ſeu gladio, ſive veneno per inſidias mors intentetur. Hæc commemoraſſe tantum libuit, ne quid ex aſſentationis ſtudio prætermiſiſſe videri poſſimus.

Cum ſuperioris Sileſiæ Principibus icto fœdere tranſigit.

Ab capto Victorino, quod Bohemi eo caſu territi nonnihil languere viderentur, ceſſatum aliquamdiu ab armis eſt, & quod ad firmandam poſſeſſionem recens aditam faciebat, collato cum ſuperioris Sileſiæ Ducibus conſilio diligenter interea actum. Neque enim ad id tempus ſacramentum regi præſtiterant, & haud paucos Georgio clanculum favere ſuſpicio fuit. Itaque Olomuciom ſextili menſe evocati, aderant inter alios Primislaus Oſviecimenſis, Joannes Tropavienſis, Nicolaus cum Joanne Oppavia, Teſchinio Caſimirus, ac Joannes Ratiborienſis Duces: (*y*) qui communicata cum Hungariæ, Bohemiæque Optimatibus

(*t*) In diplomate de anno 1470. Poſonii dato apud Belium Tom. I. Notit. Hungar. novæ pag. 169. ita Rex loquitur: *Quod nos conſideratis fidelitate, & ſervitiis fidelium noſtrorum Nobilium Ladislai de Madach, & Caſpar de Janoſſy per vos primum ſacræ dicti regni noſtri Hungariæ coronæ, tandemque Majeſtati noſtræ ſub locorum, & temporum varietate præſertim vero in Bohemia, & Moravia nobiscum contra Bohemos Hæreticos exercituantes exhibitis, qui & Victorinum filium Georgii de Podiebrad captum nobis aſſignarunt.*

(*u*) Galeotus in dictis & factis Mathiæ Tom. I. Script. rerum Hung. 547.

(*x*) Schikfusius apud Balbinum loco laudato quinquaginta florenorum millia habet.

(*y*) Habetur inſtrumentum apud Cl. Sommersbergium Tomo I. inter diplomata Bohemo-Sileſiaca Germanico idiomate in hæc verba conſcriptum: Wir von Gottes Gnaden unten beſchriebene Fürſten in Ober-Schleſien, Primislaus, zu Auſchwitz, und Toſt, Johann zu Tropau und Liebſchitz, Johann, und Nicolaus Gebrüder zu Oppeln, und Ober-Glogau, Hans der Jungere zu Tropau und Ratibor, Caſimir zu Teſchen, und Groß-Glogau, Hans zu Auſchwitz, und Gleibitz, Hans der áltere zu Tropau und Ratibor Fürſten geſchriebener maſſen in Ober-Schleſien thun männiglich,

tibus ſententia fœdus percuſſerant, quo certis conditionibus regi, ac Hungariæ, hic viciſſim Ducibus obſtringerentur, publicisque litteris, ſe pactis conventis ſtaturos fidem fecere. Fœderis capita hæc in primis erant: ſuperiorem Sileſiam in Mathiæ, tamquam legitimi Bohemiæ regis, ejusque Hæredum fide perpetuo manſuram, quæ deinceps in jus quoque Bohemicum concederet; libertati tamen ac prærogativis ordinum caveri oportere, nequid detrimenti paterentur: ſin rex absque hærede ex vita migraret, illius imperio obnoxios fore, qui regnum le-

und einem jeden inſonderheit zu wiſſen, nachdem zwiſchen dem allerdurchleuchtigſten Fürſten, Herrn Mathiaſchen, Ungariſchen, Böheimiſchen, Dalmatiſchen, und Croatiſchen Könige, Marggrafen zu Mehren, Herzogen zu Luxemburg, und Schleſien, Marggrafen zu Lausniz ꝛc. ein Verſchreibung, und ſammtliche Vereinigung beſchehen, beſchloſſen, und mit Ihrer Majeſtät eignem, ſowohl der Prälaten und Landherren beyder Königreiche Ungarn, und Böheim Siegeln bekräftiget, und confirmirt worden, in welche Artiel alle einer nützlichen, und dem ganzen Königreich heilwertigen Beſchlieſſung, und ein jeden inſonderheit beſtändig, und feſt zu halten, wir bewilliget, ſo bekennen wir hier mit dieſem Briefe für uns, und alle unſere Erben, und nachkommende Innwohner des Fürſtenthums Oberſchleſien, darauf denn wir hiemit unſer Gelübd, und Pflicht gethan haben ſollen, und wollen Unterthan, getreu, gehorſam, und gewehr ſeyn vor genanntem dem allerdurchleuchtigſten Fürſten, und Heren Mathiaſchen Königen, als dem rechten, und erblichen Böheimiſchen König, unſerm allergnädigiſten Herrn, und wo ſichs begebe, daß dieſer allerdurchleuchtigſter Herr Mathiaſch König von Gott dem Allmächtigen durch den zeitlichen Tod abgefodert würde, dieweil Ihr Majeſtät ein rechter, und erblicher Böhmiſcher König iſt, und damit nach ſolchen königlichen Todesfall die Kron zu Böheim durch künftige Anfechtung nicht zertrennet werden möchte, ſo hat Seine Majeſtät dahin bewilliget, und die Abredung gethan, daß nach ſeinem Abſterben, ſein Erbgerechtigkeit kommen, und ſtammen ſolle in das Recht, und Gerechtigkeit der rechten Herrſchaft, von dannen er kommen, und bey deme denn die Nutzbarkeit der Herrſchaft verbleiben ſolle, nach deſſelben Tod aber ſoll es bleiben, bis Seiner Majeſtät Erben, Nachkommen, und dem Königreich Ungern, ſo oft derſelbe königliche Stuhl ledig iſt, und alſo dahin, und auf dieſelbe gefallen, demſelben ſeyn wir denn ſo lang verpflicht, bis abgeſchriebener Verſchreibung ia allem gänzlich gnug gethan würde, und ſonderlich ſo lang viermalhundert tauſend gute ungeriſche Gulden als die Hauptſumma zu Bezahlung, und Auslesung der Güter, wie denn in den Artirln der Verſchreibung, und Vereinigung begriffen iſt, völlig, und miteinander mit bezahlt werden; doch haben uns die Prälaten, und Landherrn des Königreichs Ungern, wie es denn mit denen zwiſchen uns zu beyden Theilen gethanen Brief bekräftigen, iſt zugeſagt, wofern ſich der königliche Stuhl erledigte, daß Sie ſich für unſern Herru, und uns für ihre Unterthanen nit nennen, ſandern als unſre Brüder, und Freund bis zu Erwählung eines neuen Ungeriſchen Königs halten ſollen, auch zu beyden Theilen einander Hülf, und Beyſtand leiſten, ob ſich vielleicht jemand dieſes Königreichs Ungarn wieder obbeſchriebene Vereinigung, und Beſchreibung zu betrången unterſtehen würde, allen unſern Rechten, und königlichen von uns erlangten Verſchreibungen ohne Mackel, und Schaden, und alle dieſe Sachen, ſo in den Artirln bemeldter Verſchreibung, und Vereinigung beſchloſſen ſind, wenn demſelben genugſam und völlig nachgelebt wurden, ſa wollen wir unſere Nachkommen, und künftige Inwohner dieſes Fürſtenthums Ober-Schleſien zu der Kron des Königreichs Böhmen nach alten Herkommen, Vereinigung, Ordnung und Gewohnheit gehören, und dieſen Böhmiſchen König, welcher bemeldte Summa Geldes ausgezählt, und oft berührten Verſchreibung, in allen völlig und ganz gnug thue, alten Gebrauch nach Treue, und Huldigung zu leiſten ſchuldig, und verbunden ſeyn: allein daß uns ein Chriſtlicher König ſey, wie wir denn Alters dazu gehöret, und in Fürſtenthum Ober-Schleſien gewöhnlich geweſen iſt, und ſo denn, wie obbemeldt, allen Sachen in bemeldter Vereinigung, und Verſchreibung gnug geſchehen, als dann, und ſo bald ſollen wir, und unſer Nachkommen in Fürſtenthum Ober-Schleſien von aller Herrſchaft, und Unterthänigkeit der König in Ungarn, oder auch da der Königlicher Ungariſcher Stuhl frey und unbeſetzt wäre, des Königreichs Ungarn ledig, und loß ſeyn. Man ſoll uns auch bey unſern Freyheiten, Rechten, alten Herkommea, und löblichen Gewohnheiten erhalten, und unſer Nachkommen von künftigen Königen zu Ungern mit Brief, und Eyd verſehen werden, wie den unſre vorhergehende Herrn in Gebrauch gehabt, und auch unſern Nachkommen zu thun ſchuldig ſeyn. Deſſen zu mehrer Urkund und ſtetten Haltung wie obbeſchriebene Fürſten alle unſere eigne Inſiegl gutwillig, und mit gutten Wiſſen an dieſen Brief hangen laſſea, das da geſchehen, und geſchrieben iſt zu Ollmütz im Jahr nach der Geburth des Sohnes Gottes 1469. Donnerſtag vor der würdigen Jungfrauen Mariä Himmelfahrt.

1469. legitime adierit, quoad quadringenta florenorum millia Hungaris ſolverentur, quorum cautionem aliis litteris in ſe recepiſſent, cujus ſummæ rationes ſi Bohemiæ poſtea rex Catholica Sacra profeſſus diluendas ſibi ſumeret, in hujus arbitrio Sileſiæ duces fore: ad hæc Hungariæ ordiues ab regis exceſſu nequaquam Dominationis prærogativa in Sileſiam gaviſuros, ſed facturos omnia, quæ amicorum eſſent, mutuoque auxilio, ſi uſus ferret, ſibi præſto futuros. Ita rex præter Bohemiæ, ac Moraviæ titulos, Sileſiæ, Luſatiæ, ac Ducis Lucemburgici præterea Hungariæ adjecit.

Turcæ ejus abſentia uſi, in Chriſtianorum ditiones incurrunt.

Cum hæc in Moravia fiunt, Mahometes abſentia Regis uſus, ingentem Turcorum manum, prædis aſuetam in Chriſtianorum terras immiſit. Ad Savum progreſſi Zagrabienſem agrum cum finitimis provinciis flamma, ac igni omnia involventes fœdum in modum vaſtabant: quo minus urbe ipſa potirentur, Sacerdotum, quod iſthic amplum, & pervetuſtum eſt, collegium in cauſa fuit, quod poſitis inimicitiis, quas diuturnas cum magiſtratu exercuerat, junctaque cum civibus familia hoſtem viriliter ab mœnibus arcuit. Ejus rei teſtes litteræ ſunt, quibus cives amicitiam poſtea cum ſacerdotibus conflarunt, & in hæc verba defenſæ urbis laudem iis tribuunt. (z) *Nos tota communitas civium montis Græcenſis de juxta Zagrabiam, omnibus Chriſti fidelibus - - - Salutem in ſalutis largitore - - - Quoniam bis diebus, videlicet poſt feſtum beati Michaelis Archangeli proxime præteritum, ſæviſſimi Turci inimici Chriſti, fideique, & religionis Chriſtianæ perſecutores, atque devaſtatores, uſque vadum, ſeu portum flavii Savæ applicuiſſent, & adveniſſent, cujus flavii Savæ aqua eo tum multum decreverat, & imminuta exſtiterat: ubi multitudo Chriſtianorum utriusque ſexus hominum ex illa parte ipſius fluvii Savæ fugientium, omnibus bonis, nec non domibus, & rebus concrematis, & derelictis aufugiſſent, ipſumque fluvium Savæ vix transvadaſſent; viſis etiam eo tunc validiſſimis, ac impetuoſis, multiplicatisque, & accenſis ignium flammis, quod flammæ usque ad aera cœleſtia ſe ſublevabant, ex quorum Turcorum ſic multiplicatis inſultibus, & invaſionibus, nec non devaſtationibus, nobis, & toti communitati dictæ civitatis, tum propter paucitatem hominum, quam & carentiam victualium terror maximus incumbebat, & niſi nutu omnipotentis, miſericordisque Dei inopinate bis in proxime ſequentibus, & effluxis diebus ipſe torrens flavii Savæ inundaſſet, & accreviſſet, nedum nobis, & huic civitati, ſed etiam toti regno periculum, & exitium finale ingruebat, & imminebat. Et quia venerabiles Domini Canonici, ceterique viri Eccleſiaſtici de capitulo Eccleſiæ Zagrabienſis videntes, & perſentientes ipſorum Turcorum immaniſſimas Chriſtianorum invaſiones, & periclitationes, hominumque utriusque ſexus abductiones, & domorum combuſtiones, propriis eorum in perſonis una cum familia, armisque, rebus, & bonis, nec non victualibus ipſorum in auxilium, & defenſionem noſtram, & ipſius civitatis, apportatis, & adductis, contra eosdem Paganos pugnaturi, & ipſam civitatem, auxiliante omnium creatore, toto ipſorum conamine una nobiscum defenſuri advenerant.*

Et percurſato Forojulienſium agro indemnes revertuntur.

His Zagrabrienſium molitionibus, ac Savi ripas egreſſi aquis cohibiti a maleficio barbari, Stiriæ infunduntur, tum percurſata Carinthia (*a*), in Forojulienſem provinciam delati metum Italiæ incuſſerant, actisque latiſſime ſpoliis ingentem hominum vim captivam abduxere. Facile reditu ea colluvies prohibita eſſet, ſi aut Fridericus Cæſar copias in promptu habuiſſet, aut Mathias bello Moravico uon occupatus magno terrarum ſpatio divulſus fuiſſet: ad Lupratiam enim fluvium cum prædis divites, onuſtique reverterentur, iſthicque, quod creſcentibus pluvio cœlo aquis tumidior amnis ibat, octiduum hærerent, nullo negotio & ſpolio barbari exui, & deleri internecione poterant, quod Cardinalis Papienſis ad familiarem ſuum ſcribens vehementer queſtus eſt. (*b*) *Milibus*, inquit, *paſſuum centum ac ſexaginta progreſſi, cum non longe ab Italia dici ter* ab-

(z) Cl. Kerczelich in Hiſt. Eccleſiæ Zagrab. pag. 181.

(*a*) Chron. Turcicum Wolfgangi Drechsleri ad annum 1469. *eodem*, ait, *tempore multi Chriſtianorum in ſtiria, & aliqua parte Germaniæ a Turcis capti, & abducti ſunt.*

(*b*) Epiſt. 294. apud Raynald. ad laudatum annum.

An. Chr. 1469.

abeſſent, nullo occupato loco ſigna verterunt: quacunque reditus fuit, miſeranda illata calamitas eſt. Interfecta ſunt hominum millia duo, capta amplius quindecim; nullis pueris, aut ſenibus parſum, ædificia incenſa, vaſtati agri, pecus omne ferra abſumtum protinus, ut pervaſiſſe regionem non hoſtes, ſed furiæ viderentur. Lupratiam reverſi, auctam eam ex imbribus invenerunt ita, ut vado tranſiri non poſſet, navigiorum autem in his locis copia non habebatur, quam ob cauſam dies continuos octo ſedere ad ejus ripam coacti ſunt. Id ſpatium, ſi tantus terror Chriſtianorum animos non occupaſſet, occaſionem præſtare populis circumſtantibus poterat, non redimendæ tantum captivæ multitudinis, ſed vindicandæ quoque crudelitatis exercitæ. Sed hæ querelæ nullum malo modum poſuerant, ut adeo barbari Chriſtianorum oſcitantia erecti, ſequente anno majori ferocia, damnoque in easdem provincias incurrerent.

Ceterum Mathias ut primum Turcorum conatus per crebros nuncios intellexerat, tametſi, quod jacturæ jam illatum fuit, haud facile reparari a ſe poſſe intelligebat, tamen ut futuris caveret, reditum in Hungariam maturavit. Ad Hradiſcium, cum copiis, quas ſecum ducebat, venientem res nova, ac quæ præter opinionem eveniſſet, detinuit. Henricus enim alter Podiebradii filius a capto Victorino militari præfectura ornatus, ut patrem vindicaret, Luſatiæ, ac Sileſiæ partem ſumma celeritate cum exercitu pervagatus in Moraviam irrupit, ac Hradiſcium finitimam Hungariæ urbem partim aſtu, partim vi intercepit. Id Mathias, quod locus transvehendo ex Hungaria commeatui, ceterisque ad bellum neceſſariis rebus utilis, ac peropportunus eſſet, impatienter ferens, urbem ſero, quamvis autumno obſidione aggreſſus eſt, ut prius ad Henricum quam indicium perferretur, eam in poteſtatem redigeret. At is re per ſpeculatores cognita, quæſitis de induſtria viarum diverticulis, Hungaros ex improviſo adortus Mathiam ab obſidione nonnulla cum clade rejecit, &, ſi Bohemorum annalibus fidem habemus, ad Brodam usque Hungaricam, urbs Moraviæ eſt, Trenchinienſi provinciæ finitima; fugere compulit. (*c*)

Mathias Turcis volens occurrere ad Hradiſcium cladem accipit.

Eam victoriam Bohemi, ac Poloni quoque ſcriptores, tametſi de prælii modo, ac ratione nihil ſingilatim prodidere, miro adverſariorum encomio, nonnullo autem cum Mathiæ vituperio extollunt, noſtri contra, Bonfinius in primis prorſus ſilentio involvunt. Id Spondanus, acri, ut ſolet, judicio perſtringens, *de cladibus autem Mathiæ*, inquit, *nihil, aut parum a Bonfinio expectandum, qui ejus geſta encomiaſtice magis, quam hiſtorice deſcribenda ſuſcepiſſe videtur* (*d*). Quod utcuoque fuerit, neque enim ſcriptorum, ſed veritatis partes tuendas accepi, qui cladem reliquis præteritam, bona fide annalibus inſerui. Sed ſi qua clades ea fuit, paulum poſt inſigni cum hoſtium damno compenſata eſt. Mathias enim & jacturæ dolore irritatus, & publicam præterea famam veritus, accitis Bruna, & ex Nitrienſi provincia ſupplementis hoſtem ex victoria ſecurum brevi poſt tempore nactus memorabili prælio fregit, & veteranorum copiis maximam partem mulctatum in Bohemiam retruſit. Quo minus victoriæ fructu uti poſſet, propinqua hiems in cauſa fuit: itaque belli reliquias per legatum Cſuporium Tranſilvaniæ Vayvodam (*e*) adminiſtrari juſſit, ipſe conſtitutis in Moravia rebus ad habendos delectus in Hungariam revertit.

Rurſumque hoſti reddit.

Quamquam autem hæc ita eveniſſe noſtri fortaſſe ſcriptores ignorant, exteri contra de induſtria reticent, eo tamen, quo narravimus eventu geſta eſſe, ex Pontificis, quam in principio ſequentis anni ad regem dederat, epiſtola facile

An. Chr. 1470.

(*c*) Balbinus loco laudato, & Cromerus Hiſt. Pol. Lib. XXVII: Similia Michovius, & Dubravius habent.

(*d*) Annal. Eccleſiaſt. Tom. II. ad annum præſentem.

(*e*) Patet id ex diplomate inter MSS. Huſztiana de anno 1470., in quo rex in hæc verba habet: Mathias &c. *fidelibus noſtris Magnificis Vayvodis, vel vice Vayvodis -- ſalutem, & gratiam. Quia jam fidelis noſter Johannes Feyes de Helbeen una cum fideli noſtro Magnifico Nicolao Cſupor Vayvoda noſtro Tranſilvanienſi - - - in ſervitiis ſuis, & regni in Moravia contra Bohemos, & hæreticos exſtitit occupatus, debebitque in eiſdem per certa tempora occupari &c. datum Budæ feria ſecunda proxima poſt feſtum Epiphaniorum Domini, anno ejusdem 1470., regni noſtri anno 12., coronationis vero ſexto.*

1470. le conficitur; qua Mathiæ relatam ex hoſte victoriam ingenti lætitiæ ſignificatione gratulatus, ut porro conſtans eſſet, neque fœderibus inter Bohemum, ac Polonum recens initis, ſe ab cœpto labore abſtrahi ſineret; eum cohortatur, ſtudia ſua, opemque per quam liberaliter pollicitus. (*f*)

Ut ex Pontificiis litteris perſpicuum eſt.

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Mathiæ, Hungariæ Regi illuſtri.

Non ſine ingenti gaudio nos, & venerabiles fratres noſtri S. R. E. Cardinales intelleximus felicem illam victoriam, quam celſitudo tua, divino tibi aſſiſtente præſidio contra perfidos illos hæreticos nuper adepta eſt: nam etſi maluiſſemus, cuperemusque ſemper, eorum ad rectam fidem, & ſanctæ Matris Eccleſiæ gremium, ac ſedis Apoſtolicæ obedientiam, & converſionem, ſicut quorumcunque aliorum errantium, ipſis tamen in perfidio obſtinatis contigit, ut non amiſſa charitate eorum nos ruina lætificet. Gratias proinde egimus clementiſſimo Deo, qui in manu tuæ ſerenitatis jam pluries humiliavit impios illos, & ſperamus in ejus miſericordio, quod in brevi, niſi reſipuerint, & ipſi, quod reliquum debitarum pœnarum ſupereſt, dabunt, & tua majeſtas, cui ſoli ab omnipotente Deo noſtro hujuscêmodi palmam delatam eſſe cernimus, deportabit glorioſum, optatumque triumphum, ad quem conſequendum licet hortatore apud te minime opus eſſe cenſeamus, tamen pro officio noſtro paſtorali, proque ſingulari deſiderio noſtro, quo tenemur, ut caſtigatis hæreticis illis Majeſtas tua, cui ex divino munere id præcipue datum eſt, pugnare ſemper adverſus homines pravos, & Catholicæ fidei perſecutores, ac vincere adverſus quoque iniquiſſimos Turcos, qui noſtris temporibus crudelius in Chriſtianos graſſati ſunt, graſſarique quotidie non ceſſant, fortitudinem, & fortunatiſſimum gladium ſuum convertat, quanto poſſumus ſtudio tuam celſitudinem hortamur in Domino, ac etiam precibus ſacimus exoratam.

Poſt hæc quod nos non mediocriter perturbavit, ex litteris venerabilis fratris Laurentii Epiſcopi Ferrarienſis, noſtri in partibus illis cum poteſtate Legati de latere Oratoris, & ex dilectis filiis, tuæ ſerenitatis Oratoribus, qui modo apud nos ſunt (*g*), *accepimus nonnullos, qui ſe etiam Oratores chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caſimiri regis Poloniæ eſſe dixerunt, tractatus quosdam prope oppidum Radiz paucis ante diebus habuiſſe cum illo damnato hæretico Georgio Podiebrad, in non parvum Catholicæ fidei, honoris noſtri, ac expeditionis per tuam celſitudinem aſſumtæ detrimentum: ſuper quibus etſi latiſſime eidem Laurentio Ferrarienſi Epiſcopo reſcripſimus, tuam nihilominus celſitudinem hortamur in Domino, ut una nobiscum hujusmodi inſipientium hominum ineptias, ſtultosque furores forti animo toleret, nec propterea, aut quibusvis aliis de cauſis a decreto ſibi munere perpetuæ laudis, & ſalutis deficiat: nos enim, quantum cum Deo poterimus, circa expeditionem ipſam, quæ nobis admodum cordi eſt, & circa ea omnia, quæ honorem, & utilitatem tuæ majeſtatis quovis modo concernere poterunt, ſemper vigiles, & promptiſſimos invenies, tamquam erga regem, & Principem, qui hac de ſancta ſede Apoſtolica omni tempore bene meritus ſit. Nec mirari debet Majeſtas tua, ſi plura in hunc effectum circa negotium illud Bohemicum hactenus non monſtraverimus, quia ſi quid facere, quod forte Majeſtas tua, aut Catholici ipſi optaverint, diſtulimus, non quia noluerimus, aut cum ratio, & tempus expoſtulaverit, nolimus, ſuperſedimus, ſed quia ita rebus ipſis conducere ac tuæ Majeſtati expedire rati ſumus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno MCCCCLXX.* Pontifica-*tus noſtri Anno VII.*

Indicto iterum conventu, tributum viritim imperat.

Hæc quidem, & liberaliter Pontifex, at Mathias, qui abhinc, quam bellum Bohemo obmovit, publicum regni ærarium attenuaverat, neque a fœderatis quidquam præter verba retuliſſet, parum præſidii tam ſplendidis promiſſis ineſſe ratus, conventum Budam ordinibus indixit, a quibus plus opis ad conficiendum ex ſententia bellum, quam ab exteris obtineri poſſe ſpe haud inani ducebatur. Neque ubi ſententiæ in comitiis propterea rogatæ ſunt, ullos, qui refragarentur, habuit, ſponte pro bello Bohemico novum viritim tributum, quod apud noſtros Jurisconſultos *a porta* nomen habet per ſingulas provincias de-

(*f*) Raynald loco cit. ad annum 1470.

(*g*) De hac legatione nec in Mathiæ epiſtolis, nec Bonfinio, aut aliis quidquam exſtat.

decernentibus, modo rex caveret, ne quod ſuapte Optimates feciſſent, in morem deinceps abiret. Id cum Mathias pollicitus fuiſſet, multaque præterea, quæ regno ſalutaria erant, ex patrum ſcito decreviſſet, publicas datæ ab ſe fidei litteras exſtare voluit, quas eo libentius in lucem protrahimus, quo certiores ſumus eas in paucorum manibus verſari. (*h*)

„ Nos Mathias Dei gratia rex Hungariæ &c. memoriæ commendamus,
„ quod cum in præſenti diæta, ſeu conventu, Prælati. Barones, & electi de
„ uno quoque Comitatu nobiles, totum regnum repræſentantes, nobiſcum
„ conveniſſent, de rebus regni tractaturi, iidem facultatem noſtram, & neceſ-
„ ſitates ejusdem regni noſtri ſimul æſtimando, ſive ponderando, eandemque
„ facultatem noſtram minus ſuffecturam ad providendum eas neceſſitates con-
„ ſpexerunt, ſiquidem ab omni parte regni diverſa negotia regimini impende-
„ runt, maxime a parte Turcorum perniciem non parvam regnum ipſum mi-
„ nitetur. Unde ipſi ſano ducti conſilio, ne per negligentiam, & injuriam eo-
„ rum præfatæ neceſſitates regni deficientes, ipſa facultate noſtra in fine, dum
„ proſpere dirigi poſſunt, periculis irremediabilibus ſe *implicent*, (*i*) nos & fa-
„ cultatem noſtram adjuvare decreverunt, & obtulerunt ultro de ſingulis por-
„ tis per totum regnum ſingulos centum denarios, ſive unum florenum au-
„ reum (*k*), ſic ut hoc eorum juvamine, ſicut a communitate populorum,
„ ita a civitatibus, oppidis, & villis, ac poſſeſſionibus coronæ, tam liberis,
„ quam aliis, ac etiam a bonis omnium Prælatorum, Baronum, & Nobilium,
„ nemine dempto, nec non a bonis illuſtris Dominæ Genitricis noſtræ, ſecun-
„ dum modum tributi fiſci regalis, ſive lucri cameræ ſuper portas imponere-
„ tur, vel exigeretur. Et cum hujusmodi juvamen non tantum contra Bohe-
„ mos & hæreticos, ſed maxime contra Turcos ad inferiores partes, ut bonam
„ providentiam faceremus, quod poſtquam obtulerunt, quia neceſſitates præ-
„ dictæ requirebant, & quia etiam promiſſioni noſtræ Poſonii factæ (*l*) con-
„ trarium non videbatur, quando ultro offertur ſimul cum conditione præfa-
„ cta, hoc eſt, de omnibus bonis per portas exigendis, & contra præfatos ini-
„ micos regni diſpenſandis acceptavimus; rurſumque nos attendentes eorum
„ deſiderium, diligentiam, & favorem, quibus neceſſitates regni promovere ni-
„ tuntur, pro alleviatione populi tributum fiſci, ſive lucrum cameræ anni præ-
„ ſentis relaxavimus, ita quod taliter cum eo ad valorem, ſeu computum cen-
„ tum denariorum, ſive unius floreni ſolvatur - - & exigatur de ſingulis por-
„ tis oblatum juvamen prænotatum, nihilominusque eis pro futuro promitti-
„ mus, quod nunquam aliquod ſubſidium, aut aliquam taxam extraordinariam
„ ad quascunque neceſſitates regni ab eis contra eorum voluntatem exigere fa-
„ ciemus, eosque, & quemlibet eorum, ſicuti majorem, ſic & minorem quia
„ in omnibus deſiderant, & affectant nobis complacere, in antiquis libertatibus
„ eorum, ſpecialiter autem in dicatione, & - - - tributo fiſci regalis, ſive lu-
„ cri cameræ ſemper eum modum, & ordinem obſervabimus, & faciemus ob-
„ ſervari, qui tempore quondam Domini Sigismundi regis obſervabatur.

„ Ceteris his quæſitis, quia nonnullæ adhuc res exſtabant, quæ ſine con-
„ ſtitutionibus, & moderamine, vel dirigi bono modo, vel defendi nequibant,
„ cum eisdem Prælatis, Baronibus, ac Nobilibus electis, matura prius delibe-
„ ratione præhabita ordinavimus. Primo, quod dicatores præſentis juvaminis,
„ ſeu contributionis, & ex poſt futuris temporibus etiam dicatores tributi fiſci
„ regalis, ſeu lucri Cameræ procedant cum Judice Nobilium (*m*) in uno quo-

(*b*) Ex Codice Strigonienſis olim Eccleſiæ, nunc Cæſareo inter eos, qui nondum recenſiti ſunt 508vus circiter finem.

(*i*) Exemplar, quod præ manibus mihi erat, habet *miniſtrant*; ſed id obſcuram reddit ſententiam, itaque ſuppoſui *implicant*.

(*k*) Facile hinc eos arguas, qui florenum aureum Hungaricum ejusdem valoris cum hodierno nummo exiſtimant.

(*l*) Nempe in diplomate anni 1468., quo caverat rex, ſe tributum extra ordinem nunquam imperaturum.

(*m*) Exemplar meum habet *Judicialium*: credo ſcribæ errorem, obortum ex hac contracta voce *Judlium*, quo nomine Judices Nobilium apud nos veniunt: itaque ſubſtitui Judicem Nobilium.

Cavet tamen litteris id ſe deinceps minime facturum

1470. „ que comitatu, & ſi ir connumeratione portarum, & earum dicatione con-
„ tentio in aliquo loco orirerur, contentio ipſa ſtatim per communitatem comi-
„ tatus, ubi res agitur, in prima ſede jndiciaria rectificetur, nec interim dica-
„ tor aliquod gravamen ad locum illum, in quo contentio oriebatur, imponere
„ poſſit. Tamen ubi villicus loci juramento ſuo rem rectam eſſe comprobare
„ velit, dicator contentetur ſolum ſuper juramento villici: præterea villici de
„ capitibus dicatis, dicatoribus aliquid ſolvere non teneantur: cauſa hæc eſt,
„ quia ſallaria, eis pro uſu, & laboribus eorum ſolvuntur alinnde regiam ad
„ rationem: nec dicentur ipſi villici in medium, ſeu conſortium aliorum; nec
„ etiam dicentur in aliqua taxa Nobiles ſeſſionati, ac jobagiones in propriis cu-
„ riis Nobilium, aut allodiis manentes, & ſervientes.

„ Secundo, quod nullius populi, & jobagiones ad bona, civitates, &
„ poſſeſſiones regales, & reginales, & dominæ genitricis noſtræ præfatæ, nec
„ non Prælatorum, Baronum, & Nobilium, vel ad liberas civitates coronæ vio-
„ lenter poſſint abduci, & ſi qni abducerentur, eos Comites Parochiales, vel
„ communitas Comitatus, nbi hoc fieret, per Judicem Nobilium cum ſex Mar-
„ carum judiciis ſecundum decretum præfati Sigismundi regis, Albæ temporo
„ coronationis per nos confirmatum, redncere, & reduci facere poſſint.

„ Tertio, quod decimæ nbique in ſingulis Comitatibus inter ambitum
„ regnorum Hungariæ, & Sclavoniæ dicentur, exigantur ſecundum cooſuetu-
„ dinem antiquam, ſpecialiter vero juxta dictum decretum præfati Sigismundi
„ regis, Albæ, ut præmiſimus, per nos confirmatum, ac noſtrum ibidem tunc
„ quoad additamentum ejusdem editum, & ſi qnis contrafecerit, nos rectifi-
„ care teneamur. Nobiles tamen ſeſſionati, ſive jobagiones non habentes, ad
„ ſolutionem decimarum non poſſint, nec debeant compelli: item nec tales jo-
„ bagiones compellantur, qui ut præmiſimus in curiis Nobilium, aut allodiis
„ ſervientium morantur, excepto ſolum, ſi ipſi Nobiles, & eorum ſervientes
„ in terris aliorum ſeminaturas, ſeu ſegetes, aut vineas habuerint, quia tunc
„ dant, & tenentur ſolvere.

„ Quarto, quod omnes liberæ civitates, & oppida, ac poſſeſſiones re-
„ gales, & reginales, ac etiam præfatæ Dominæ Genitricis noſtræ, nec non Præ-
„ latorum, & Baronum, & Nobilium regni quorumcunque ante electionem no-
„ ſtram in regem tributa ſolverunt, non obſtantibus libertatibus eorum, quibus
„ tunc abutebantur, ſolvant tributa ubique locorum ſine contradictione tamdiu,
„ quousque juribus ſuis mediantibns libertates ſuas juridice promovere pote-
„ runt, quod faciant, & proſequantur ſecundum conſuetudinem regni, &
„ quod nos a ſolutione tributi in bonis aliorum neminem eximere valeamus,
„ niſi in tributis, in propriis noſtris bonis exiſtentes; Illi etiam, qui in liberis
„ civitatibus, oppidis, & poſſeſſionibus domus hæreditarias proprias non ha-
„ bent, ant etiam ſi habent, tamen extra easdem in terris aliorum morantur
„ conſimiliter ubique tributum ſolvere teneantur: illi vero, qui poſt coronatio-
„ nem noſtram juridice ſe liberatos eſſe a ſolutione tributi comprobarunt, &
„ nunc tributa non ſolvunt, non cogantur producere jura ſua de novo; præ-
„ terea ubi regales populi noſtri, tributum ſolvunt, populi etiam illius, qui
„ ſuper eos exigit, ſimiliter nobis & tributariis noſtris tributum ſolvere te-
„ neantur - - - -, (*n*)

„ Quinto, quod Prælati, Barones, Nobiles, & incolæ regni infra anni
„ unius revolutionem ab hac die computando ad exercitum ire non compellan-
„ tur, illo excepto, ſi Turcorum Imperator veniret, quia tunc regnum uni-
„ verſaliter inſurgere tenetur: nec etiam compellantur populi, & jobagiones,
„ quorumcunque Nobilium ad labores caſtrorum vel fortalitiorum, exceptis Re-
„ wy, & aliis locis circa vada, quæ ſunt neceſſaria pro utilitate regni, non
com-

(*n*) Sequuntur in exemplari meo hæc: *vias falſas teneant tributarii ficut temporibus antiquorum regum mos erat.* Rurſum ſuſpicor ſcribentis oſcitantia in loco *vias ſolitas*, irrepſiſſe *vias falſas*.

„ compellantur quoque ad ſolutionem victualium pro conſervatione caſtrorum
„ finitimorum.

„ Sexto, quod ſtipendiarii & exercituantes per regnum & ejus partes
„ procedentes contra libertates antiquas non deſcendant in domibus Nobilium &
„ perſonarum Eccleſiaſticarum, neque taxent poſſeſſiones, & jobagiones eorun-
„ dem, neque exigant ab eis victualia, hominibus, & equis neceſſaria ſine pre-
„ tio & ſolutione, nec aliqua alia damna eis inferant: contra facientes punian-
„ tur ſecundum decretum tempore coronationis noſtræ Albæ editum, & nulla
„ prorogatio eis prodeſſe poſſit.

„ Septimo, quod cameræ Salium noſtrorum regalium fiant, & ſerven-
„ tur in locis antiquis, ſecundumque decretum, quod dudum Sigiſmundi re-
„ gis, etiam noſtrum, tempore dictæ coronationis noſtræ editum, continet.

„ Octavo, quod in ſolutione litterarum, tam in capitularibus, & con-
„ ventualibus locis, quam etiam apud prothonotarios, & juſtitiarios, obſerve-
„ tur antiqua conſuetudo in præfato decreto ipſius Sigiſmundi regis expreſſata,
„ ſimiliter & in deferendis teſtimoniis, & in ſolutione pro via eis debentibus
„ ſervetur eadem antiqua conſuetudo: contra facientes puniantur, ut exprimi-
„ tur in eodem decreto.

„ Nono, & ultimo, ut octavæ Epiphaniarum Domini proxime venturæ
„ prorogentur, & quod aliquæ octavæ poſt illas deinceps celebrandæ ultra qua-
„ draginta dies, prout antiquitus ſolitum fuerat, durare non poſſint in earun-
„ dem celebratione, in quorum omnium robur, & teſtimonium præſentes lit-
„ teras noſtras duximus concedendas. Datum Budæ, vigeſimo quinto die con-
„ ventionis prænotatæ, anno Domini MCCCCLXX, regni noſtri anno duode-
„ cimo, coronationis vero ſexto.

„ Et nos Stephanus Cardinalis Archiepiſcopus Colocenſis, Joannes A-
„ grienſis, alter Joannes Quinque-eccleſienſis, & Albertus Veſprimienſis Ec-
„ cleſiarum Epiſcopi. Michael Orſzág de Guth regni Hungariæ Palatinus, Ni-
„ colaus de Wylak perpetuus Comes de Thelchal, & Banus Machovienſis, Eme-
„ ricus Comes perpetuus Scepuſienſis, Comes Ladiſlaus de Palocz, judex cu-
„ riæ regiæ, Joannes de Rozgon Tavernicorum regalium magiſter, Mathias de
„ Maroth Banus Machovienſis, Job de Gara, Emericus de Hedervara, Paulus
„ Herczeg de Zekchew, Jacobus Zudar de Olnod, Stephanns de Perén, &
„ Emericus de Palocz promittimus penes præfatum Dominum noſtrum regem,
„ quod ipſe omnia præmiſſa obſervabit, & faciet obſervari, & quod contribu-
„ tionem aliquam per regnum ſuum Hungariæ contra voluntatem ſuorum re-
„ gnicolarum non imponet, neque nos ipſum conſilio noſtro, aut alio aliquo
„ modo ad hoc non inducemus, ut imponat, & quantum in nobis erit, con-
„ tributionem ipſam neque nos dabimus. In cujus rei fidem & teſtimonium
„ penes ſigillum ejuſdem Domini noſtri regis ſigilla noſtra nos etiam appoſui-
„ mus. Datum, ut ſupra.

Veriſimile eſt, Mathiam, quod alias etiam ſtipendia præter ordinem im-
peraſſet, non omnes in hac rogatione ſibi conſentientes habuiſſe. Neque enim
Strigonienſis Archiepiſcopus cum reliquis Præſulibus, ac Optimatibus, quorum
ceteroquin authoritas haud parvum ad publicam fidem momentum additura
erat, ſubſcriptus uſpiam legitur: ex quo ſementem futuris diſcordiis jactam
conſtat, quibus magnam Procerum copiam alienato ab Mathia animo ad Caſi-
miri Poloni partes traductam memorabimus.

Ceterum Mathiæ comparatis, ut diximus, in futurum bellum rebus
novum, ac præter opinionem moleſtum cum Friderico negotium obortum eſt:
qui cum felicitatem regis parum æquo animo ferret, Raphaelem Leſcinium e-
quitem Polonum, qui diu, ac magna cum laude in aula ſua egerat, legatum ad
Caſimirum Poloniæ regem miſit, qui exploratis illius conſiliis commune adver-
ſus Hungarum fœdus utrinque conciliaret. Is, ut primum faciles ad regem

Fœdus inter Cæſarem, ac Poloniæ regem adverſus Mathiam.

1470. aditus repererat, ita tempore uſus graviſſimas in Mathiam querelas expromere cœpit: cultum eum hactenus a Cæſare fuiſſe exquiſitis, ac paternis prorſus officiis, Pontifici quoque per nuncios, ac litteras magnopere commendatum, ounc ex proſpero belli Bohemici eventu ſuperbius, quam par eſſet, ſe gerere, atque adeo iniquam pro acceptis beneficiis gratiam nuper retuliſſe, cum ſe in Italia abſeute, Paumkirkerum, ceteroſque in Auſtria, ac Stiria novatores patrocinio ſuo fovens, manifeſta indicia dediſſet, illo ſe evaſurum, ut diſtracto domeſticis turbis Cæſare regni ſui fines per aliorum jacturam proferret: majora hæc eſſe, quam ut a fœderato, & qui in filii loco futurum, ſpoponderat, tolerari poſſint. Itaque reſciſſa penitus amicitia Fridericum ad fœdus Polonicum reſpicere, quod, ut firmum, diuturnumque magis eſſet, cupere eum vehementer, ac pro vetere amicitia ſperare etiam non invitum fore, ſi nuptiæ ad ſtabilienda fœdera opportunæ utrinque conflarentur. Caſimirus, qui & ipſe Wladislao filio regnum Bohemorum conſenſione oblatum firmare nitebatur, mire lætus ſponte offerri ſibi opportunitatem, qua eam rem effectum daret, ſuos, itidem legatos Viennam abire jubet, qui pacem certis conditionibus ineant, tametſi procerum pleriſque ea pacis tractatio non ſatis probaretur, quod ægre ferrent, Hungariæ regni titulum ab Cæſare uſurpari, cujus jura ad ſuos reges pertinere perſuaſum habebant. Fœdus in hæc capita ſancitum; uterque ad alterius regna, ditionesque aditum ſibi ſtatueret: Cæſar præterea tertiam dotis partem, quæ Eliſabethæ Caſimiri conjugi ac Ladislai regis ſorori nondum ex pactis conventis, ut poſthumus Wratislaviæ olim ſe facturum receperat, præbita eſſet, certis penſionibus ſe ſoluturum polliceretur. (*o*)

Cui ex Hungariæ Optimatibus nonnulli accedunt.

Facile mihi ex rerum, quæ poſtea ſecutæ ſunt, eventu perſuadeo, pactis tractationem, quam Fridericus cum Caſimiro adverſus Mathiam clanculum inſtituerat, uon imprudentibus Hungariæ Optimatibus factam eſſe, qui quod nimiam dominandi regis libidinem taciti jam dudum averſarentur, occaſione uſi per clandeſtinos nuncios cum Caſimiro quoque egerint, ut filiorum altero ad Bohemiæ regnum deſtinato, alterum in Hungariam milite ſtipatum mitteret, quem Mathiæ externo bello cum ingenti privatorum civium jactura occupato ſubrogare poſſent. Alioquin nec tam repente Polonus ex improviſo Hungariæ armatus imminere, nec Proceres, qui ejus partes ſectati ſunt, ſuum quoque, quem interea conſcripſerant, militem Caſimiro conjungere potuiſſe, eſt vero ſimile, niſi multo ante tempore res inter utroſque per nuncios confecta eſſet.

Rex omnium imprudens Viennam ad Cæſarem proficiſcitur: ubi a Florentinis leones dono accipit.

Verum hæc utcunque fuerint; Mathias rerum omnium, quæ partim ab Cæſare, partim ab ſuis apud Polonum contra ſe agerentur, ignarus, Viennam bona fide ad Fridericum conceſſit, ſeu ad redintegrandam amicitiam, qood Pontifex maximus vehementer optabat, ſive auxiliorum, quæ Cæſar in bellum Bohemicum pollicitus erat, cauſa id factum ſit. Acceptus eſt ab Cæſare, ut rerum Auſtriacarum ſcriptores produnt, liberaliter, ac, cum in urbe moraretur, adductis ſub idem tempus leonibus, quos Florentini bellica Mathiæ virtute capti, donum regi per Joannem Thelegditum miſere, excultus eſt. Luſerat in eos Joannes Quinque-Eccleſienſis Epiſcopus acuto elegantique carmine (*p*), & rex

(*o*) De Reo Hiſt. Auſtr. Lib. VIII.

(*p*) *Nil eſt magnorum Mathia maxime regum,*
Quod jam dite petas amplius e latio.
Tota tibi in varios Oenotria certat honores,
Qualibet, & proprias ora miniſtrat opes:
Aurum Roma parens, Veneti ſua ſerica mittunt,
Præbet cornipedes Apulus, arma Ligur.
Contulerat nullum Florentia ſola tributum,
Quæ nunc marmaricat obtulit ecce feras.
Dignum te, noſtro vectigal & illa pependit
Judicio, fortem fortia dona decent.

Aliud ejusdem.
Haud aliter quondam lætatum Euriſthea dicunt,
Nec decus id titulis vile putaſſe ſuis,
Alcides, cum prima viri mandata ſecutus,
Torva Cleoneæ protulit ora feræ:
Clarior at quanto eſt Mathiæ gloria regis,
Cui venit hic longe, ſed duplicatus honos.
Quippe illi extremis geminam nec juſſus ab oris
Sponte tua mittis montifer Arne jubam.

Aliud ejusdem.
Non tibi Mathia Rex invictiſſime fruſtra,
Gens Maſſyleum miſit Hetruſca pecus
Multarum fecit par convenientia rerum,
Hæc merito poſſint, ut tibi dona dari.

rex gratiam pro munere liberaliter amicis habuit, in hæc verba ad Florentinos ſcribens: (q) *Mathias Hungariæ rex nobilibus & prudentibus viris, Prioribus libertatis, & vexilifero juſtitiæ populi Florentini, amicis ſuis ſalutem. Leones, quos veſtra nobis civitas dono miſit, Joannes de Thelegd, cui per vos id negotii demandatum erat, incolumes ad nos uſque ſua induſtria perduxit, & pauca inſuper veſtro nomine referens addidit, ſed plena benevolentiæ, & humanitatis. Agimus igitur vobis gratias haud vulgares, cum ob earum ferarum miſſionem, quæ profecto & perraræ ſunt, noſtris præſertim in locis, & habent certam, velut ipſi etiam attigiſtis, nobiſcum hoc eſt cum regibus ſimilitudinem: tum vero longe magis ob id, quod tali munere ſignificare voluiſtis, totam videlicet rempublicam veſtram in hoc ſuo vetuſto inſigni nobis eſſe oblatam ea mente, ut amicitia, quæ inter noſtros, & veſtros majores olim mutua viguit, ſimul etiam inter nos hujus novi pignoris interventu, & quaſi quodam præludio novum reſummat initium. Quæ quidem una res petiſſimum ita nobis ſemper cordi ſuit, ut non modo recentes facile iniremus familiaritates, verum etiam ſedulo reficeremus antiquas, & eas imprimis, quæ non minus honeſtatis habituræ ſunt, quam commodi, qualem hanc Deo propitio fore ſatis confidimus. Quapropter accipimus perlibenter omnia, multo tamen libentius ſignatum, quam ſignum, corpus, quam umbram, rem, quam figuram; offerentes vobis & nos e contra deſideratam noſtræ neceſſitudinis copiam, & paratam vel ad arctioris benevolentiæ vincula voluntatem, prout hæc omnia idem veſter nuncius vobis latius explicabit. Ex Vienna XVII. Februarii, MCCCCLXX.*

Inſidias Cæſaris veritus clam Vienna diſcedit

Facile ex his litteris eorum Scriptorum opinionem refellas, qui regem Viennæ cum Friderico egiſſe inficiantur, quaſi haud ſatis caute id temporis periculo ſe ſciens volensque objecerit, quo Cæſar ictis cum Polono fœderibus, amicitiæ cum Mathia alias initæ renunciaſſet. Sed regis litteræ magis perſpicuæ ſunt, quam ut Viennenſis coitio inter commenta reponi poſſit, & Mathias rerum omnium, quas adverſum ſe Fridericus moliebatur, imprudens, bona fide Cæſarem in urbe convenerat: Tametſi in exitu, quo animo in ſe Imperator eſſet, non obſcure intelligebat. Quamobrem inſidiarum metu perculſus, inſalutato hoſpite clam Vienna exceſſit, relictoque iſthic, quo venerat comitatu, Czoborlo, ac Nicolao Banſio ſociis ſecundo Danubio Poſonium delapſus bellum Bohemicum magnis animis inſtauravit.

Ac Bellum Bohemicum inſtaurat

Neque nullum in mora periculum ſubeſſe videri poterat, quod Henricus Podiebradii filius capto Victorino fratre militiæ præfectus per regis abſentiam quaquaverſum Sileſiam oberrans, Wratislavienſes in primis, ac Niſſenſes, quod ſacramentum Mathiæ dixiſſent, armis infeſtaret, victoria, quacunque metum circumtuliſſet, fere potitus. Huic rex mature obviam eundum ratus, relicto ad Cremſirium Podiebradio, qui noſtros ab Hradiſcii obſidione fortiter interea rejecerat per Trenchinienſem provinciam Moraviæ illapſus caſtra ad Hunnobrodam defixit, ut ipſo locorum poſitu, aut pugnam, ſi fortuna faveret, Georgio offerre, aut Henricum ex Sileſia, ut res poſceret, amoliri poſſet. (r)

Fixis ad Hunnobrodam caſtris

Ea re Georgius, qui Mathiam eadem, qua prius, via in Moraviam venturum putabat, omnes rationes ſibi conturbari vidit, animique dubius, quam in partem rex evaſurus eſſet, Wilhelmum de Riſenberg cum nonnullis Bohemiæ Proceribus ad Mathiam mittendos cenſuit, an ut conficiendæ pacis periculum facerent, an aliud quiddam, cur id faceret, in cauſa fuit, haud ſatis compertum eſt: tametſi litteris non multo poſt ad regem miſſis, utcunque apparebat, quid Podiebradius ad avertendam a ſuis belli molem machinaretur. Legati prius, iter quam auſpicarentur, convento per epiſtolam Mathia, publicæ fidei litteras, quibus tutus illis in caſtra aditus daretur, petiere: quas tamen, ubi rex miſiſſet, tanquam inutiles, quibusque non ſatis fidere poſſent, ab legatis re-

Tu Princeps hominum, Princeps Leo nempe ferarum:
Nobilis ille juba, pulcher es ipſe coma.
Unguibus ille ferox, gladio tu fortis, & haſta,
Parcere tu victis, parcere & ille ſolet.
Quid quod idem Ducibus clarum eſt inſigne Bohemis,
Grande novi Sceptri ſcilicet omen habes.

(q) Parte III. Epiſt. Mathiæ Corvini pag. 91.

(r) Bohuſ. Balbinus S. J. Epit. rer. Boh. Lib. V. Cap. X.

1470. jectas Bohemici ſcriptores memoriæ produnt. Itaque fœderum, quorum ſpes haud levis erat, molitiones in principio adhæſerant, quæ cum ab legatis ſæpe retentarentur, neque tamen quidquam proficerent, litteras ex Georgii arbitrio hac ſententia ad Mathiam dedere. (*s*)

Ad ſingulare certamen a Bohemiæ Proceribus Podiebradii nomine invitatur.

„ Serenitati veſtræ Regiæ Georgius Rex Bohemiæ - - Dominus noſter
„ clementiſſimus dici jubet: quamvis contra Deum, jns, faſque adverſus regem
„ noſtrum bellum moverit veſtra Serenitas, & in ejus regnum cum exercitu ho-
„ ſtiliter intraverit, gravia inferens damna, igne, cæde, ſpoliatione, occupatio-
„ ne nonnullarum terrarum ſuæ Majeſtatis, & ſubditorum ejus, neque ulla
„ cauſa prætenſa, ſola vi, oblita omnis amicitiæ, & arctiſſimorum fœderum, quæ
„ inter reges interceſſerant; tamen Rex noſter Dominus clemenniſſimus commi-
„ ſeratione ductus innocui Chriſtiani ſanguinis, & damnorum barbaricum in
„ modum illatorum, & inferendorum, offert, quantum in ſe eſt, Serenitati
„ veſtræ integram pacem cum his conditionibus: vel ut veſtra Majeſtas quam-
„ primum ex terris ſuæ Serenitatis regis noſtri excedat, eaque omnia, quæ ad
„ inclitam regni Bohemiæ coronam ſpectant, reſtituat; de damnis ultro citroque
„ illatis, deque eorum reparatione rex noſter omnia ſubmittit judicio ſacri
„ Romani imperii Principum Electorum, ut quidquid illi alterutri parti ſolven-
„ dum, reſtituendum, compenſandum judicarint, ſolvatur, reſtituatur, com-
„ penſetur. Sereniſſime rex! ſi licuiſſet coram veſtræ Serenitati loqui, rogaſſe-
„ mus, ut dignaretur veſtra Majeſtas clare indicare, an hanc juſtam, & con-
„ gruentem regis noſtri propoſitionem admittere vellet, neque ultra quidquam
„ aliud egiſſemus, ſicut nunc quoque rogamus, ut admittat, quod omnes boni,
„ qui regi noſtro aſſiſtunt, una nobiſcum ob pacem, & bonum Chriſtianæ Re-
„ ligionis exoptant, & rogant. Quod ſi autem veſtra Majeſtas nullam pacem
„ cum rege noſtro eſſe cupit, & incliti Bohemiæ regni damnum, & ſanguinis
„ Chriſtiani profuſionem quærit, rex noſter commiſeratione tot pereuntium,
„ tot cædium innocentium mulierum, & parvulorum, virginum, & matrona-
„ rum pudoris oppreſſi, & miſericordia chriſtiani ſanguinis commotus, vult
„ vitam ſuam opponere, & quia ipſam regis noſtri perſonam lædere noluit Ma-
„ jeſtas veſtra, ne alii propter eum patiantur, offert veſtræ Majeſtati duellum
„ ante acies duas paribus armis gerendum, utque veſtra Majeſtas aliter armis
„ inſtructa non ſit, quam rex noſter, aut prout inter vos reges convenerit.
„ Quia vero, ut veſtræ Majeſtati conſtat, rex noſter corpore eſt obeſo, ideo, ne
„ quis veſtrum effugere alterum poſſit, paretur locus decens anguſtus: in eo, ſi
„ Deus noſtram regiam Majeſtatem ſuperari permiſerit, veſtra Majeſtas agere
„ poterit cum rege noſtro, quod lubebit; idem fiet ex parte regis noſtri, ſi
„ veſtram Majeſtatem ſuperarit; atque hac ratione ceſſabunt omnia damna, &
„ effuſio chriſtiani ſanguinis ſiſtetur. Quod ſi neque hanc conditionem acci-
„ pere lubet, & veſtra Majeſtas gerere nihilominus decrevit bellum, quod jam
„ diu durat, & Deus novit, quando finietur, & veſtra Majeſtas hujus belli du-
„ ctor eſt, quo injuſtitiæ, cædes, incendia, ſtupra virginum & matronarum
„ patrantur, innocentes multi fame pereunt, aliaque inferuntur mala, ut eo
„ citius hiſce malis remedium adferatur, ex eadem innocentium commiſeratio-
„ ne optat rex noſter cum veſtra Majeſtate acie concurrere, vultque rex noſter
„ in loco idoneo per quatuor dies veſtram Majeſtatem operiri, neque impedire,
„ quo minus veſtra Majeſtas eodem copias adducat ſuas, idemque ſibi a ve-
„ ſtra Majeſtate præſtari cupit, ſi modo ſcire poſſit ſe expectari: commiſſo au-
„ tem prælio veſtra Majeſtas ſuos ne deſerat, ſicut rex noſter viciſſim promittit
„ verbo regio, ſe aciem non deſerturum, Deumque rogat, ut juſtæ cauſæ ferat
„ auxilium. Petit ultimo rex noſter citum reſponſum, atque ut intra qua-
„ tuor proximos dies ex his tribus unum eligatur, & ad haſce litteras reſpon-
„ deatur. Dabamus in caſtris ad Cremſirium die Dominico, in feſto S. Mariæ
„ Magdalenæ, anno MCCCCLXX. Wilhelmus de Riſenberg, cæterique Legati,

Mathias

(*s*) Idem ibid. ad notas laudati cap.

Mathias communicatis cum primoribus Optimatum litteris, eludere potius prudenter viſus eſt velle Georgium, quam quidquam eorum, quæ Bohemi petebant, facere. Neque enim Imperii Principibus, qui ſecundum Cæſarem ſententiam laturi videbantur cauſam deferre e re ſua exiſtimabat, nec tutum ſatis erat litis diremtionem iis credere, quos alias quoque Podiebradio contra Fridericum apertis ſtudiis faviſſe conſtabat : in ſingulare autem certamen, tametſi nec locus, nec tempus, quo id conferri vellet, litteris exprimeret, ſe omnino deſcenſurum recepit, ſi modo Georgius in Principis morem, cujus ſit armatum in campo decertare, ſecum congredi velit, ſe Hungarorum ritu, qui ab tenera ætate armis inſueſſent, equeſtri certamine aleam tentaturum, viſurumque ab utrius parte fors fortuna, ac victoria ſtatura eſſet : cæterum certaminis conditionem ſibi omnino probari non poſſe, ut ex alterutrius fortuna, regnorum quoque viciſſitudo exigeretur : reges ſe eſſe, qui non ſuo, ſed ſuorum nomine bellum gererent. Neque eorum quidquam quæ animo deſtinaſſet, conſecuturum, ſi ſeorſim etiam armis congredi voluntas eſſet : nam utervis vinceret, cauſam belli non ſublatum iri, quam fides ab eo deſerta, non regnandi libido ſubminiſtraſſet. Quare ageret, ut Pontifici, & Eccleſiæ conciliatus ſectariis nuncium mitteret, tum ſe redintegrata amicitia bellum ex Moravia deportaturum, nec quidquam in cauſa fore, quo minus veteres fœderum rationes valere pateretur. Hæc ut Podiebradio dicerent, Legatos obteſtatus eſt: de prælio contra, cujus copiam ita liberaliter offerrent, facturum ſe, quod temporum, locorumque ratio ſuaderet, non aliam ob cauſam ſe cum exercitu adeſſe, neque quod non citra calumniam objiceretur, *ſe ingreſſum in Bohemiam, ſed hoſtem cedentem ſecutum eſſe ob defenſionem bonorum Chriſtianorum, cum Bohemia regem eo tempore non haberet*, adjecitque, *quando noſtrum tempus veniet, nos quoque videbit.* (t) Re enim vera Mathias ita opportuno loco caſtra poſuerat, ut aggreſſionis metus, niſi hoſtem temeritas in transverſum ageret, procul eſſet ; ad hæc conſtabat Podiebradium commeatus penuria laborare, magnamque Procerum partem eo abſente novas in Bohemia res moliri, ut adeo ſpes haud levis regem teneret, bellum hoc quidem anno ſine ſanguine, & ingenti cum laborum, tum ſumptuum compendio abſolvi poſſe.

Qui equeſtre quidem certamen ſe acceptumm promittit, ceteras autem conditiones abnuit.

Ita deluſus Mathiæ ingenio Podiebradius, acres ad Hungariæ Proceres litteras dedit, quibus non ſolum, quæ is objecerat, prolixe refellit, ſed metum etiam, ut alias a nobis memoratum eſt, (u) acerbe exagitat quo olim actus, oblata ad Lavam prælii copia, non ſine dedecore pugnam detrectans armorum gloriam in fuga quæſiiſſet, ſimul caſtra propius Mathiæ admovens, ad Kunoviczium conſtitit, ut eum ingratiis ad certamen eliceret. Sed viſo Mathiam caſtrorum opportunitate, ſituque tutum eſſe, & crebris nunciis, quo loco res in Bohemia verterentur edoctus, regredi ſtatuit, præſertim, quod Wilhelmus Riſenbergius, quem legationi præfuiſſe diximus, cujusque conſiliis multum tribuebat, auctor eidem fuiſſet, ut, quoniam armis nihil proficeret, indulta Optimatibus, qui Hungaris ſtudebant, impunitate pacis conſilia ne aſpernari vellet, alioquin periculum non minimum eſſe, ne, ſi porro bellum malit, ceteri quoque, qui illius partes hactenus ſectati eſſent, inita cum aliis ſocietate regem deſerant, cupiantque magis malorum diuturnitate feſſi, ærumnis finem imponi, quam alienæ culpæ pænas nullo ſuo merito, ſubire. His tractabilior redditus Podiebradius convaſatis rebus in Bohemiam regreſſus eſt.

Podiebradius caſtra noſtris obvertens domeſticis turbis occupatur.

Redeuntem Mathias per intervalla conſecutus, ut nec pugnæ neceſſitatem irritato hoſti faceret, nec dimitteret ex oculis, Znoymam pervenit (x), ea parte, ſi fœderatis Bohemis molitiones ex ſententia caderent, in regni mediterranea irrupturus. Sed intervenerat res, ſicut præter expectationem, ita partibus quo-

Hinc ſpes pacis primum oborta, tum diſcuſſa iterum.

(t) Bohus. Bala. loco cit. Spondanus ad annum 1468. Num. IV.

(u) In Annal. ad ann. 1468.

(x) Pessina in phoſphoro ſepticorni, radio III. refert epiſtolam Mathiæ regis datam Znoymæ in vigilia S. Mat hæi Apoſt. ad Othonem Czigenfelder Canonicum S. Apollinaris in nova Civitate Pragenſi.

1470. quoque opportuna, ut tentata toties pax facile confieri potuerit, ſi aut ſerio agi ſecum Mathias crediḍiſſet, aut Podiebradius non tam tempori, quam amicitiæ id tribueret. Perſuaſus ſuorum conſiliis ab fœderibus cum Mathia conciliandis non abhorrebat, ſi is, dimiſſo Victorino, regis Bohemiæ titulum poneret, & reducto ex Moravia milite priſtinam ſecum cognationis, & amicitiæ communionem ſervare vellet. Mathias, qui allatis ad ſe indiciis non obſcure interea cognorat, quas Cæſar in Polonia adverſum ſe machinas commoſſet, & ſuorum præterea alienatos per Antiſtitem Strigonienſem, & Quinque-Eccleſiarum Epiſcopum a ſe animos per familiares comperiſſet, pacis tractationem haud gravate admiſit, fuitque crebra nunciorum miſſitatione in has fere conditiones utrinque conventum: Hungarus manu miſſo Victorino, redditisque Moraviæ & Sileſiæ oppidis pacem bona fide coleret; Bohemus contra irritatis pactis, quæ cum Wladislao Polono inierat, ab ſuo exceſſu Mathiam Bohemiæ hæredem ſcriberet: quod tametſi Podiebradio mire probaretur, cum ſpes non vana eſſet, regnum, Mathia improle, nullo negotio ab iſtius morte in ſuos filios devolutum iri, tamen pacta deinde reſciſſa eſſe conſtat, ſive pœnitudo hominem per ſeſe varium ſubierat, ſive ut propius vero eſt, eo pacis ſimulacro temporis ſolum compendia quærebat. (*y*)

Turcis trans Savum procurrere ſolitis

Quamquam nec Mathiæ tantum otii fuiſſe videri poſſit, ut fœderum tractationem, quæ de induſtria protelabatur, ad finem adduceret, quem nova Turcarum in Croatiam irruptio, ut domum properaret, revocabat. Procurrere Barbari usque Zagrabiam, factaque ex hominibus decem millium præda, Dalmatiæ, ac Forojulio infuſi metu Italiam conſternarunt: inde corrupta igni, ferroque Provincia, Stiriam percurſantes ſpoliis divites, nulloque accepto maleficio prius rediere, quam copiæ opponi, aut præda latrocinantibus excuti potuerit. (z) Elati ſucceſſu barbari Hungariæ quoque imminebant, niſi vigili noſtrorum cura ab conatu prohibiti eſſent. Spe igitur fruſtrati in adverſa Savi ripa Sabacium arcem a fundo educunt, ut ſi longinquius præda cogenda eſſet, tutum ſemper receptum haberent, noſtris in citima ripa aliud quoque munimentum opponentibus, ex quo & vim propulſarent, & hoſtium conſilia, molitionesque ſpecularentur.

An. Chr. 1471.

Loca flumini finitima præſidio militari muniuntur.

Tam crebris barbarorum incurſionibus cavere volens Mathias, ne, cum alibi occupatur, toties ab deſtinatione ſua ingratiis avocari neceſſe eſſet, non modo ſuorum operam, quam ſe in Moravia abſente impendiſſent, ratam habuit, ſed lecto præterea ſtatario milite, loca Savo, ac hoſti finitima præſidio communivit. Ea re & barbaros in metu tantiſper continuerat, & ſuorum etiam, qui regem externo bello occupari, ſua contra negligere haud patienter ferebant, invidiam utcunque ab ſe amolitus eſt.

Hæc inter Pontifex ob geſtum in Bohemos bellum, regem pileo, & gladio donat, Adjectisque litteris donum exornat.

Ita ſollicitum regem, ac multiplici cura diſtentum Paulus Pontifex Maximus transmiſſo per Gabrielem de Verona, magnæ deinceps apud Mathiam admiſſionis virum, myſtico enſis, ac pilei munere, raro id temporis Pontificum in illos, qui de fide, ac Eccleſia præclare meriti eſſent, amoris, & dignationis monumento, recreavit. Adjunxit muneri litteras quoque, quibus, ne a bello, quod ſectariis dudum indixerat, nec nulla penitus cum laude geſſiſſet, ſe amoveri ſineret, his verbis regem hortatus eſt: (*a*)

„ Mathiæ Hungariæ Regi
„ Illuſtri.

„ Suſcipiat dextera tua chariſſime fili munus Apoſtolicum cœleſti bene-
„ dictione præditum, ea, qua decet reverentia, promptusque animus tuus in
„ bella Domini eo magis ardeſcat, quo certius ſibi non humana, ſed Divina cernit
„ adeſſe præſidia: vincens enim vinces, & cunctos ſuperabis hoſtes, proque
„ tuis demum meritis maximis a tota republica Chriſtiana immenſas laudes, ab

hac

(*y*) Idem in Prodromo Morav. lib. 2. cap. 4.
(*z*) Chronicon Turcicum Wolfgangi DRECHSLERI ad hunc annum.
(*a*) RAYNALD. Annal. Eccleſ. ad annum 1470. Num. XLI.

„ hac ſanƈta ſede commendationes plurimas, & gratias uberiores, atque impri-
„ mis ſicuti pro immaculata fide tu ſtudioſe magis, feliciusque pugnas, ab o-
„ mnipotente Deo immarceſcibilem coronam gloriæ conſequeris: quam ut tuæ
„ celſitudini poſt multa bene aƈta annorum curricula reddat ipſius redemptoris
„ noſtri miſericordia, humiliter ſupplicamus. Datum Romæ apud S. Petrum
„ die XIV. Januarii MCCCCLXXI. Pontificatus noſtri anno VII.

Adjecit, quod ſupra memoravimus muneri, oƈto præterea, & decem aureorum numum millia, majorem in modum orans ne in tanta romanæ ſedis penuria, tenuius, quam par ſit, æs ſubminiſtratum eſſe, gravate ferret: daturum ſe operam, ut proximo anno ad contundendos barbaros plus aliquanto ſpei affulgeret, quam Rhodii cum Venetis, tum Mediolanenſes, ac Neapolitani per Legatos ſuos præbuiſſent: nec nihil ab Germanis ſubſidii affuturum, quos a Friderico ad conventum Ratisbonam conciri, fama fuit; cui, ut ſuos itidem Oratores intereſſe vellet, magnopere auƈtor erat. Mathias non modo ex ſingulari adverſum ſe Pontificis animo, ac ſuppeditatis largiter ſtipendiis ad rem fortiter quoque deinceps adverſus Podiebradium gerendam concitatus eſt, ſed pro transmiſſo etiam munere ampliſſimas gratias Paulo per litteras habuit, aperte indicans, quo gaudio Pontificis liberalitate delibutus fuiſſet. (*b*) Sæpe (ita ad Papam ſcribit) *collatam in me Apoſtolicæ munificentiæ gratiam, ſæpe conatus ſum gratitudine conſequi, atque ita excolere officiis, ut, quod ultro delatum prius accepi, poſt promereri viderer. Ad hæc dum omnem curam, omneque ſtudium præpararem, acceſſit noviſſime gratia omnem priorem exſuperans, in dono ſacri enſis, ad quod ſuſcipiendum me ex Principibus de Chriſtiana religione bene meritis beatitudo veſtra deligere dignata eſt, ac ſimul paternali affeƈtu admonere, ut enſe ipſo myſtice accinƈtus eo pergerem, quo me ejus doni ſignificatio advocaret. Qua in re, licet multa ſint, & magna, quæ mihi clementia ſanƈtitatis veſtræ, tam dono ipſo, quam ſermone tribuit, tamen æſtimando puto dignationem illam, ac benevolentiam ſingularem, qua defeƈtus officii me ſupplere voluit, & imparia adhuc merita mea cum excellenti ipſo munere coæquare. Suſcepi igitur enſem ipſum non modo cum reverentia ingenti, & devotione debita, verum etiam cum admiratione tantæ dignationis gratias agens, quas poſſum imprimis Deo noſtro, qui per Chriſtum ſuum reſpexit humilitatem meam, deinde clementiæ ſanƈtitatis veſtræ, cujus præclariſſimi muneris tam re, quam ſignificatione conſortatus ſum ad proſequendam curam & ſollicitudinem de propaganda fide, & propulſandis infidelibus, cui me pridem ſponte devoveram, nunc vero piis ſanƈtitatis veſtræ calcaribus ſtimulatus, magno animo, toto corde, & ore devoveo. Quod ſi placuerit Domino Deo noſtro propitiationem adhibere votis meis, curabo, & enitar pro viribus ſpei ſanƈtitatis veſtræ de me conceptæ propenſius ſatisfaƈtum ire, prout ſuper hoc brevi ex Oratoribus noſtris Beatitudo veſtra mentem noſtram clarius intelliget, quam Dominus conſervare dignetur feliciter regimini ſuæ ſanƈtæ Eccleſiæ.*

Tum ſtipendium adjecit ampliora ſubſidia pollicitur.

Rex ingentes gratias agit.

Rex Pontificio dono ex ritu Eccleſiæ ornatus (*c*), incredibile diƈtu eſt, quanto animo curas ad inſtaurandum in Bohemos bellum complexus ſit: & quoniam

Ac de belli rationibus cum Le-

(*b*) Parte II. epiſt. Mathiæ CORVINI pag. 87. ſed male, ut ex Pontificiis litteris conficitur, ad annum 1465. affixa.

(*c*) Ritum hunc ex Cod. Diplom. Hiſt. Epiſt. Cl. *Bernardi* Pez Parte III. pag. 402 exſcripſi in hæc verba:

Ceremoniæ ſervandæ in datione Capelli & enſis fiendæ ſereniſſimo ac feliciſſimo Domino Mathiæ regi Hungariæ &c. miſſæ ex Roma per ſanctiſſimum in Chriſto Patrem, & DD. Paulum divina providentia Papam II. anno Domini MCCCCLXXI, Pontificatus ſui anno VII.

Quomodo recipiatur nuncius Apoſtolicus, qui portabit Capellum, & enſem ſereniſſimo & feliciſſimo Domino Regi Hungariæ?

Quando erit intraturus civitatem, oppidum, ſeu caſtrum, ubi Dominus rex reſidentiam facit, & erit dies feſtus, de mane bona hora exibunt obviam ei multi, ex quocunque ſtatu, & Magnates, & Principes de mandato Domini regis: & ipſe nuncius erit inter duos honorabiliores, ſeu potentiores, ibit etiam obviam ei proceſſio usque ad portam civitatis, ſeu loci, cantando hymnos &c. vel ſi aliquo modo propter tempus malum vel alias impediretur, ſaltem usque ad portas Eccleſiæ. Et immediate ipſe nuncius, & alii cum viderint proceſſionem de equis deſcendent pro reverentia ipſius. Dominus autem rex erit in Eccleſia Cathedrali, ſive principali ipſius loci expeƈtando. Proceſſio-

1471. *gato A-poſtolico, & Bohe-miæ Pro-ceribut conſul-tat.*

niam graviſſimo defenſoris fidei titulo a Papa cohoneſtatus eſſet, neque ulla ſubſidiorum ſpes ab Cæſare affulgeret, novos per regnum delectus haberi imperat, accitisque Poſonium, tum Jaurinum etiam Epiſcopo Ferrarienſi, Apoſtolicæ ſedis Legato, tum Hanuſſio de Kolowrath Præpoſito Pragenſis Eccleſiæ, cujus judicio in rebus Bohemicis plurimum ſemper tribuebat, de belli futuri rationibus di-

ne vero præcedente venient omnes pedeſtres ſociando ipſum nuncium cum proceſſione ad Eccleſiam. Cum vero proceſſio intraverit Eccleſiam, ſive fuerit in portis Eccleſiæ, cantabitur antiphona de proceſſione.

Antiphona.

Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & angelus teſtamenti, quem vos vultis.

Nuncius vero Apoſtolicus portabit in manu enſem, & in ſummitate enſis erit Capellus, & ibit usque ad altare, ubi Prælatus celebraturus eſt paratus. Qui Prælatus capiet enſem cum Capello, poſito in ſummitate enſis, & ponet ſuper altare in medio; deinde finita antiphona: *ecce ego mitto angelum meum* &c. accipiet introitum miſſæ. Qua finita non faciat Prælatus benedictionem, quia in fine poſt dationem capelli, & enſis fiet. Dabitur enſis & capellus ſereniſſimo Domino regi Hungariæ per Dominum Epiſcopum Ferrarienſem, vel eo abſente per alium Prælatum, quem rex ipſe ad id dixerit eligendum, nomine ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Pauli divina providentia Papæ II. ſacroſanctæ Romanæ, ac univerſalis Eccleſiæ ſummi Pontificis.

Stabit itaque rex genuflexus coram Prælato ante altare pileo, & enſe in altari exiſtentibus. Et ipſe Prælatus alta voce dicit: *Pater noſter* &c. & compleat ſecrete uſque: *Et ne nos* &c. Deinde dicat alta voce: *Et ne nos* &c.

℟. *Sed libera &c.*
℣. *Salvum fac ſervum tuum Domine.*
℟. *Deus meus ſperantem in te.*
℣. *Eſto ei Domine turris fortitudinis.*
℟. *A facie inimicorum ſuorum.*
℣. *Nihil proficiant inimici in eo.*
℟. *Et filii iniquitatis non noceant ei.*
℣. *Domine exaudi &c.*
℟. *Et clamor &c.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oratio.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui cuncta ſolus ordinas, & recte diſponis, qui ad coercendam malitiam reproborum, & perfidorum, infidelium, & Hæreticorum, uſum gladii in terris hominibus tua ſalubri diſpoſitione permiſiſti, & militarem ordinem ad populi protectionem inſtitui voluiſti, clementiam tuam Domine ſuppliciter exoramus, ut ſicut David puero tuo Goliam ſuperandi largitus es facultatem, & Judam Machabæum de feritate gentium nomen tuum non invocantium, triumphalem feciſti; ita & huic famulo tuo Mathiæ regi noſtro, qui pro tui nominis honore, ac fidei, & Eccleſiæ tuitione colla ſupponit, pietate cæleſti vires, & audaciam ad fidei, & juſtitiæ, Eccleſiæque defenſionem tribuas, & præſtet fidei, & charitatis augmentum, & da ei timorem pariter, & amorem, humilitatem, perſeverantiam, obedientiam, & patientiam bonam, & cuncta in eo recte diſponas, ut omnia ipſe recta, & juſta defendat, perfidorum, infidelium, & hæreticorum feritatem confundat, victoriam de iis optatam tua ineffabili interveniente benignitate per omnia aſſequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Oratio.

Deus in cujus manu ſunt corda regum, & qui regnorum omnium protector exiſtis, inclina ad preces humilitatis noſtræ aures miſericordiæ tuæ, & Mathiæ regi noſtro regimen tuæ ſapientiæ appone, ut hauſtis de tuo fonte conſiliis tibi placeat, & cunctis bonis operibus ſemper intendat.

Alia devota Oratio.

Prætende, quæſumus Domine, famulo tuo Mathiæ regi noſtrò dexteram tuam *cæleſtis auxilii, ut se toto corde perquirat, &, quæ digne poſtulat, aſſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.*

Datur pileus, & in capite ponitur Domino Regi per ipſum Prælatum dicendo: *Accipe ſignum gloriæ, & honoris de benedictione Apoſtolica in nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus ſancti †: Amen.*

Datur enſis Domino Regi per Prælatum dicendo: *Accipe gladium ipſum de Apoſtolica Benedictione, ut ſis defenſor fidei, & Juſtitiæ, protector Eccleſiarum, viduarum, & pupillorum in nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus ſancti †. Amen. Et utaris eo ad defenſionem ſanctæ Dei Eccleſiæ, & ad confuſionem omnium inimicorum ſanctæ fidei Chriſtianæ, nec non protectionem tuam, & ſubditorum tuorum. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Accingatur per Prælatum enſe Dominus rex, capellum in capite tenens; qui Prælatus dicet:

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime: etiam attende, quod ſancti

An. Chr. **1471.**

diligenter coſultabat. Conſultationi Legati ex Auſtria intervenerant, quos Cæ-
ſar, ob crebras Turcorum in Carinthiam ac Carnioliam excurſiones pacis cupi-
dus in Hungariam miſerat, qui poſtquam Jaurinum ad regem veniſſent, ex po-
ſitis Legationis capitibus, Fridericum, qui comitia Imperii Principibus Ratis-
bonam indixiſſet, fœdera inſtaurare velle referebant, ut nihil in cauſa eſſet, quo
minus Ratisbonæ communibus conſiliis de bello Turcis inferendo tranſigere-
tur. Verum ubi neutris conveniſſet, cum ſola induciarum ſpe dimiſſi Legati
ſunt. Abhinc res Bohemicas reſumere placuit; ſcriptumque Oratoribus quos
ab feſto Epiphaniorum Eperieſino Bohemiæ cauſa in Poloniam miſerat (*d*), &
rebus, quam poſſent, celeriter ad finem adductis domum maturarent: tum de
futuro in Bohemos bello ſententiæ rogatæ: viſum eſt plerisque, ac in primis Ha-
nuſſio, ut rex tempore uteretur, ac prius, ver quam ingruat, copias ex Sile-
ſia, ac Moravia concitas Bohemiæ limitibus admoveret: defuncto Rochezana,
pronas Optimatum qui Podiebradio hactenus favebant, voluntates fore; cujus
rei nuper adeo manifeſta indicia dediſſent, cum is coacto Pragæ conventu, re-
gni poſſeſſionem excluſo Wladislao in filios ſuos transſcribere connifus eſſet: re-
fragatos fuiſſe propemodum omnes, animique dubios hæſiſſe, an in Mathiam
potius, an Wladislaum ſtudia ſua conferrent, ancipite etiam in utramvis partem
Georgio, qui ſpe ſua dejectus, haud ſatis exactum habebat, utris ſeſe conjunge-
ret: armorum oſtentatione citra negotium, facileque pro rege pronunciaturum,
modo ne Mathias temporis ſibi opportunitatem elabi pateretur.

Conſultantibus Legati ex Auſtria interveniunt, ac infectis rebus remittuntur.

Dum copias Bohemiæ propius admovere parat

Hannuſſii adhortatione mirifice erectus, ſine mora collectis militum ſup-
plementis in Moraviam contendit, cum ex improviſo, antequam provinciam
ingreſſus eſſet, certis nunciis affertur, Podiebradium XI. Calendas Apriles ex
hydrope extinctum (*e*), Proceresque Pragam coeuntes Kutnohoram comitia e-
dixiſſe, in quibus de legendo rege ex gentis, regnique norma acturi eſſent. Ma-
thias cognita Georgii morte, quamquam obtinendæ Bohemiæ cupidiſſimus eſſet,
neque nullum ex electione, ac peracta Olomucii coronatione jus ſibi ad capeſ-
ſendum regnum eſſe videret, dubius hærebat tamen, num captandis Optima-
tum ſuffragiis opera ſibi potius danda eſſet, an contra, quod exercitum in prom-
ptu habebat, & regnum factionibus præterea diſtractum, ut animorum con-
ſenſione, ſic neceſſaria ad defenſionem militia carebat, aperta vi, armorumque
metu ad regni poſſeſſionem eluctaretur. Ac vi quidem ut ageret, cum facilis
ſuapte natura ad belli ſtudium, tum Proceres plerique ex Bohemia, Moravia-
que, in primis Roſenſes, Sternbergici, Novodomæi, Lippæi, & Bozkovicii
ſuadebant: unus contra Kolowrathius, qui vivo Podiebradio primus belli au-
ctor erat, commutata nunc ſententia, rem omnem pacis, & amicitiæ potius
oſtentatione, quam vi, aut jure armorum tentandam arbitrabatur. *Noſſe ſe*,
ut Peſſina ſcribit, (*f*) *ingenium Bohemorum, illorum præſertim regni Procerum, qui
adverſas partes tuendas, fovendasque ſuſceperunt: quippe palam dicunt, & tantum non*

Audit Podiebradium mortem oppetiiſſe.

non gladio, ſed fide vicerunt regna in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen.
Item dicat Prælatus: *Excitieris a ſomno, & vigila in fide, & fama laudabili.*
Item dicat Prælatus: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia Altiſſimi in te. Accingere gladio tuo ſuper fæmur tuum potentiſſime.* Item dicat Prælatus: *Dominus vobiscum.* ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens potentiſſime, & ſempiterne Deus, ſuper hunc famulum tuum, Mathiam Regem noſtrum, qui eminenti hoc mucrone circumcingi deſiderat, gratiam tuæ benedictionis † infunde, & dexteræ tuæ virtute fretum fac contra cuncta adverſantia cæleſtibus armari præſidiis, quo nullis in hoc ſæculo, tempeſtatibus bellorum, ac inimicorum noſtrorum, perfidorum, infidelium, & hæreticorum turbetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Deinde dicat Prælatus: ℣. *Pax tecum.* ℟. Et cum &c. Et regi det oſculum pacis: deinde Chorus cantabit: *Te Deum Laudamus &c.* Quo finito Prælatus dabit benedictionem. Et erit finis.

(*d*) Exſtat ea de re inſtrumentum in Diplomatar. MS. Polon. Tom. II. SOMERSBERGII.

(*e*) BONFINIUS, aliique haud pauci anno proxime elapſo inſigni cum errore mortuum ſcribunt.

(*f*) In phoſphoro ſepticorni Radio III.

1471. *clamant, liberis populi Bohemici ſuffragiis legi, & ad reipublicæ gubernacula vocari reges, idque non ad privata aliquorum de ſtatibus placita, ſed publica Comitiorum vota pertinere, & idcirco neque Zdendokoni Sternbergico ſoli, cum aliquot paucis legere, neque Pontifici pro arbitrio regem obtrudere per leges licuiſſe. Proinde longe conſultius ſibi videri, regnum ab iis nova legatione petere, idque ſe exiſtimare facilius impetrari poſſe, quam armis, & bello, cujus eventus mille fortunæ caſibus ſubjiciuntur, extorquendum putare. Poſt multa demum in utramque partem propoſita, & magna contentione agitata ad extremum pleriſque omnia alia prius, quam vim experiri placuit. Miſſi itaque in Bohemiam Legati, qui ſtatuum primoribus Pragæ primum, deinde Kutnoboræ creandi novi regis cauſa congregatis poſtulata regis proponerent. Neque ſecus fortaſſe accidiſſet, quam ſperabatur: Zdenko ſiquidem a Sternberg, cum aliis ſuæ factionis Baronibus tunc præſens, uti erat eloquio, & auctoritate potens, tam in circulis privatis, quam alias, ubi de regis electione conſultatum fuiſſet, exquiſitis rationibus, & cauſis id cumprimis, ne cuipiam ſuffragia addicerent, quam Mathiæ, qui rebus adverſus Turcas præclare geſtis in aliis regiis virtutibus nemini eſſet poſtponendus, urgebat, & animos quarumdam jam etiam flectere videbatur. Sed eam inter hæc nunciis percrebuiſſet inopinatis, Mathiam valido cum exercitu Brunam veniſſe, & aliis poſt alios accurrentibus, referentibusque, illum iter ſuum Bohemiam verſus citatis paſſibus proſequi, jamque ad Iglaviam caſtra poſuiſſe, ſama autem ultra verum ferebatur, ducere illum quindecim millia equitum, cum tamen non niſi tria in Comitatu haberet, Bohemi per hoc vim ſibi intentari exiſtimantes, adeoque ira, & indignatione frementes, Legatos ejus oppido excedere juſſerunt. In publico demum conſeſſu auditæ plurimorum ſententiæ id concordi voce aſſeverantium: nunquam ſe hoſtem, qui tot cruentis affeciſſet cladibus Bohemiam, hodieque vim minari non ceſſet, ſuis cervicibus impoſituros.*

Quæ res illi in Bohemorum comitiis multum obſuit,

Hunc in modum Mathias importuna armorum oſtentatione ſpem ſibi ad obtinendam Bohemiam multum ſuccidit, tametſi, ut primum, quid de ſe in Comitiis ſpargeretur ex Epiſcopo Agrienſi, & Vayvoda tranſylvano Legutis ſuis cognovit, retracto a Bohemia milite errorem utcunque correxiſſe videri poſſit. Verum altius inſederat Bohemis, iis præſertim, qui Podiebradio olim ſtudebant, de intentata vi, ac tyrannide ſuſpicio, quam ut evelli tam repente ex eorum animis potuerit: nec nihil prorſus factionum, quæ in comitiis regnabant, copia ad affligendam Mathiæ cauſam contulit. Etenim *Bohemia*, ut Campanus Ratisbonæ tum commoratus ad Papienſem cardinalem ſcripſit, (g) *Bohemia tripartita eſt omnis; alii cupiunt Polonam magna pollicentem præſidia, ad hunc diem nulla præſtantem; ii ſunt hæretici quidam, ſperant impune ſe victuros ſub eo rege, in cujus regno infinitæ prope ſunt hæreſes. Catholici Hungarum, cui jusjurandum præſtiterunt, magna ex parte ſequuntur. Promiſcue utrinque multi, & Catholici, & Hæretici Albertum Saxonem amplectuntur. Germani ad hunc inclinant omnes, & metu Hungari, & quod fere omnes intima affinitate junguntur, quamquam hactenus multum conſilii, nihil auxilii miſere.* Ceteri uamque, inter quos præter Miſnenſem Marchionem, ac Henricum Podiebradii filium, Francorum quoque rex, cum Ludovico Bavaro fuere, poſtquam Mathiæ, & Wladiſlai factionem ſibi prævalere compererunt, ſuapte ab regni ambitu deſtitere. Sunt qui Fridericum quoque Cæſarem inter canditatos nomen fuiſſe profeſſum affirment, ſin minus ad obtinendam regni poſſeſſionem, certe ad ægre faciendum Mathiæ, cui maximam Catholicorum partem ſtudere non neſciebat. Sed iſtorum error, Legatorum, quos Cæſar ad conciliandos Mathiæ animos in Bohemiam miſerat, ſtudio, ac opera facile refellitur, niſi forte, ut ex eventu, poſtea non obſcure patuit, ad faciendum magis fucum, quam conteſtandam amicitiæ ſignificationem Fridericum hæc egiſſe opinemur.

Tum præceps Legati Apoſtolici ſtudium

Aeſtuantibus ita ex æmulorum ambitu partium ſtudiis, Legati ſedis Apoſtolicæ Ferrarienſis, ac Wratislavienſis Epiſcopi, quamquam animo minime malo, haud tamen ad temporis habitum provido vulgatis per Bohemiam litteris, graviſſimas ex ritu Eccleſiæ pœnas iis, penes quos ſuffragationis jus erat, comminati fuut, niſi Mathiam regem juberent. Ea re Bohemi non modo in priore

ſen-

(g) Epiſt. III. Tom. II. Maſquardi FREHERI ſcript. rer. Germ.

ſententia, qua Hungarum ſpe regni excluſere, confirmati ſunt, ſed junctis præterea animis, præterito Saxone in Wladislaum apertis ſtudiis inclinarunt. (*b*)

Ferrarienſis veritus, ne præcipiti, quo uſus erat, conſilio invidiam ſibi conſciſceret, ſtudia eorum, qui Cuthnæ Polono favebant, occupanda ratus, ac poteſtate, quam ad eam rem a Paulo habuit, uſus peractis rite ſacris Mathiam Bohemiæ regem pronunciavit, & ſpectantibus Friderici Legatis, novamque dignitatis confirmationem Cæſaris nomine ratam habentibus, per regnum vulgavit. Juvat, quem in modum res ea geſta ſit, ex litteris, quas propterea ad Papam Iglavia Ferrarienſis dederat, cognoſcere. (*i*)

Quo Mathiam Bohemiæ regem contra comitia pronunciavit.

„ Beatiſſime Pater, & clementiſſime Domine poſt humillima pedum o-
„ ſcula beatorum. Regem cum his, qui ſecum erant, non parum turbatum
„ reperi, quod ad tantum opus requiſitus, & excitatus tam per veſtram ſan-
„ ctitatem, quam per Cæſarem, pro cujus ſalute, & defenſione (*k*) nou modo
„ regnum, & regni incolas, ſed proprium corpus expoſuiſſet, a nullo ſubſidii
„ aliquid ad rem tantam poſſit habere: imputare Barones aliquos Catholicos,
„ quod ueque de confirmatione, neque de corona aliquid factum eſſet, quæ
„ duo ſi fuiſſent obtenta, magna pars eorum, qui Georgium ſequebantur, de
„ ipſo deſperati ad partem regis ſe convertiſſent. Quibus perceptis metuens ut
„ dixi, de imminentibus periculis, ut eum ad plenam confidentiam excitarem,
„ hortatus ſum eum, ut bouo animo eſſet, nec differret, quin res illæ adeſſent
„ ſibi, & Baronibus ipſis, cum locus requireret, aut neceſſitas urgeret. Tunc
„ etſi nou parum confortatus exſtitit, animumque ad ulteriorem proſecutionem
„ acceperit, certior factus quod a veſtra ſanctitate, etiamſi cetera deeſſent, nun-
„ quam relinqueretur, voluit tamen dictum Nicolaum ad pedes veſtræ beatitu-
„ dinis mittere, cui inter alia ſingulariter commiſit de dictis confirmatione, &
„ corona inſtantiam facere, allegatis ipſorum Baronum rationibus, quemadmo-
„ dum ſanctitas veſtra per eundem Nicolaum, & poſtea per præfatum fratrem
„ Gabrielem, ac demum per Dominum Ladislaum, ultimum ſuæ Majeſtatis O-
„ ratorem clarius accepit. Dum itaque hac ſpe per totam illam æſtatem tanta
„ adverſus ipſos hæreticos, quanta prius nunquam experti ſunt, feciſſet, re-
„ greſſusque ad Hungariam non obſtantibus multis impedimentis, de quibus
„ alias ſignificavi veſtræ ſanctitati, firmo, ac maguo animo teneretur reverten-
„ di in Bohemiam cum exercitu, cujus magnam partem jam etiam hiemali tem-
„ pore coadunaverat, conveniſſemusque in Jaurinum, ubi & Oratores Cæſaris
„ erant, cum quibus nihil ſperabatur præter bonam pacem, & concordiam, ſu-
„ pervenere tandem præfati Oratores ſui, diu expectati, a veſtra ſanctitate cum
„ eodem fratre Gabriele, qui cum multam fidem facerent, conſiderans ego,
„ quod omnia ad votum tranſirent, ue perturbarem tranquilla, certificavi eum
„ authoritatem confirmationis adeſſe, ſi urgeret neceſſitas, & rebus cœptis ex-
„ pediret.

Cujus rei rationes Pontifici per litteras reddit.

„ Poſt paucos autem dies Hæretici (Georgii nimirum) mors nunciata
„ eſt, ex qua etiam ut alias ſcripſi magna eſt celebrata lætitia. Sed utinam inde
„ graviora non ſequantur. Cum itaque nuper huc pariter poſt dicti Hæretici
„ mortem conveniſſemus, & rex exercitum ad preces multorum tam Catholi-
„ corum, quam Hæreticorum, retro in diverſis locis prout nuper ſcripſi, re-
„ liquiſſet, Baroneſque cum Prælatis, & plurium civitatum, & oppidorum
„ Oratoribus conveniſſent, auditis etiam illis non ſolum indignis, ſed etiam
„ execrandis, quæ in Praga loqui, & agi dicebantur, cœpere Catholici ipſi in-
„ ſtare, rexque rogare, ut electionem præfatam confirmarem, demonſtrantes,
„ quod ſi hoc facerem, magno adjumento rebus fidei, & regis futurum eſſet.

(*b*) PESSINA citato radio III.

(*i*) RAYNALD in Annal. Eccl. ad hunc ann. Num. XXX.

(*k*) Innuit belli a Mathia obmoti cauſam; quarum una quoque erat, quod Bohemi Auſtriam vaſtaſſent, ut alias ex Mathiæ litteris memoravi.

1471.

„ Poſtea vero, dum inter deliberaudum conſideraſſent, melius eſſe, ut
„ re indicata confirmatio hujuſce modi ſuſpenderetur, quod cernerent, quid
„ in Diæta montium Cuthnis concluderetur: Sperabant enim Hæreticos in ſuam
„ ſententiam, & electionem jam Olomucii factam levius, ſi differretur, addu-
„ cere poſſe; ſic ad diætam perrexerunt. Ubi vero e diæta eo, quod in allega-
„ tis modo ſignificavi, regreſſi ſunt, illico magis inſtiterunt cum rege, ut ele-
„ ctionem eorum confirmarem, aſſerentes, quod non dubitarent plurimum rebus
„ conducere, ſi fieret, omnemque moram ulteriorem plurimum nocituram fore,
„ plurimaque ſcandala parituram, quod noſtrorum animi terrerentur, Hæreti-
„ corum vero in varia ſcinderentur, & in perfidia ſua firmarentur ex confictis
„ de beatitudine veſtra mendaciis, quibus nihil jam magis obſiſtere poterat,
„ quam electionis ipſius ex veſtra ſanctitate confirmatio. Propter quæ, & mul-
„ ta alia, quæ deducta ſunt, & maxime, quod etiam in alleviationem beatitu-
„ diuis veſtræ uou mediocriter foret, quocunque alio modo, ſi etiam Hæretici
„ poſtea declinarent, præmiſſis orationibus, & miſſarum placationibus dictam
„ confirmationem judicio etiam fratris Gabrielis, nou ulterius prorogandam eſſe
„ viſum eſt.

„ Id, quod etiam acceſſit, quod Orator ſereniſſimi Domini Imperatoris,
„ inter alia, quæ propoſnit, dum huc advenit, coram rege, & omnibus, qui
„ aderant, aſſeruit, ſe ad hoc miſſum eſſe, ut ex eodem Domino Imperatore
„ regi aſſiſteret, ut Bohemiæ coronam aſſequeretur, omnibusque, & Bohemis,
„ & aliis, quibus opus eſſet, eam eſſe mentem, & voluntatem Imperialem de-
„ clararet, & ut ipſum in regem, & Dominum Bohemiæ aſſumerent, & ei
„ tamquam vero regi Bohemiæ parerent. Quæ res etſi Hæreticos aliquos a ſua
„ jam concepta etiam pro libito opinione, & ſuaſione prædictorum non remo-
„ verit, cum poſtea, ut in perfidia ſua remaneant, qua re nil magis deſiderant,
„ aliud fecerint, ſatisfactum eſt tameu & debito, & æquo, & Catholicis, ac
„ ſanctitatis veſtræ fidelibus, nec uon periculis plurimis obviatum. Datum
„ Iglaviæ III. Julii MCCCCLXXI.

Vicit tamen factio, quæ Wladiſlaum Polonum elegerat,

Hæc prorſus Comitiorum Cuthnenſium acta, quemadmodum in utramvis partem geſta fuere: ex quibus compertum omnino habemus, Mathiæ nou modo Catholicos, ſed magnam Hæreticorum quoque partem, ut regnnm ab Georgii exceſſu adipiſceretur, citra aſſentationem ſtuduiſſe; fuiſſeque idem omnibus conſilium, ut, ſi ceteroquin res in conventu male cederet, Legatus Pontificius auctoritate Apoſtolica primam regis electionem, biennio abhinc plerorumque conſenſione factam, confirmaret: ſpe haud dubia perſuaſi, nova regis confirmatione adverſarios metu perculſos, ab Wladiſlao facile in Mathiæ partem traductum iri: ſed aliter, quam exiſtimatum ſit, acciderat: factioſi, quidvis Legatus Pontificis cum Optimatibus pro Mathia egiſſent, vim eſſe interpretati, electo vigeſima ſeptima Maji Wladiſlao Caſimiri Poloniæ regis filio Oratores Cracoviam miſere, qui novum regem officiorum cauſa adirent: & nt quamprimum ad capeſſendam rempublicam adeſſe vellet, hortarentur. *Atque ita ſciſſo ſacerdotio*, ut ſcribit Peſſina (*l*), *non erat minus in re civili divortium, aliis Mathiam, aliis Wladiſlaum reſpicientibus, cum tanta rerum confuſione, ut reipublicæ ve-ut ebriæ gemina omnia objicerentur.*

Propoſitis eidem conditionibus.

Wladiſlaus accepto de electione ſui nuncio, Legatiſque Cracoviam venientibus incredibili lætitia geſtiens, facile couditionibus, quas Bohemi totius regni nomine afferebant, tametſi non eſſent molliſſimæ, ſubſcripſit. Eas hujusmodi fuiſſe ex publico inſtrumento conſtat. (*m*) *Electio Cutnæ facta nihil præjudicet Pragenſium privilegiis: compactata rex tueatur: Baronibus, Equitibus, urbibus jura, privilegia, conſuetudines, & quidquid jam poſſident, confirmet: Carlſtainenſem arcem, coronam, aliaque cimelia regni, nulli committat ſine ſcitu ordinum regni: nulli extero ullam dignitatem, neque arcium præfecturas conferat. Conabitur, ut rex Georgius, licet jam mor-*

(*l*) Loco ſæpe laudato.

(*m*) Apud Balbin. epit. rer. Bohem. in notis ad Libri V. Caput XI.

mortuus, ab excommunicationibus, & cenſuris abſolvatur: nihil a regno abalienabit: Joannæ reginæ dotem ſuam relinquet: Idem eſt de filiis Georgii regis: Victorinum e captivitate eximere conabitur: militibus ſolvet iis, qui ob regem Georgium aliquid paſſi ſunt, ditiones, & ſua reſtituet: cum Principibus & Electoribus Imperii pacem ſervabit. Alberto Saxoniæ duci expenſas in bonum regni factas remunerabitur. His pactis ſubſcribens (*n*). Legatos liberaliter exceptos domum remiſit, pollicitus, ſe cum exercitu, ut Magiſtratum adiret, proximo, cum primum liceret, tempore in Bohemiam venturum.

Mathias propterea Legatos ad Conventum Ratisbonenſem mittit.

Re in hunc locum adducta nihilo fractior animis Mathias ſpem obtinendi regni minime poſuerat. Placuit, quoniam Bohemia feudum imperii erat, & Cæſar miſſo legato, ut narratum eſt, regi favere videbatur, Legatos Ratisbonam mittere, quo Fridericus indictis pridem comitiis maxima Principum concurſione eum pacandæ Germaniæ, tum Turcici belli cauſa venerat; quorum opera aut irrita redderetur Wladislai electio, aut Mathias, cujus magnum apud Germanos nomen erat, in adita dudum poſſeſſione regni firmaretur. Miſſus erat Kolowratius regis ante alios ſtudioſus, qui, quamquam omnem in commendanda cauſa operam naviter locaſſet, nihil tamen, quod ad ſummam rei faceret, obtinuit. Id mirum plerisque videbatur, quod & Cæſarem Mathiæ partibus addictum prius fuiſſe noſſent, & Pontificem in eo, maxime elaborare ſciebant, ut Hungarus præ Polono voti damnaretur. Campanus, qui Ratisbonenſi conventui intererat, parum proſperæ legationis cauſam ad Cardinalem Papienſem ſcribens utcunque indicat. (*o*) *De Bohemicis* (inquit) *jam puto ad te eſſe per atum, filium Poloni, ex Ladislai, qui veneno adoleſcens periit, natum ſorore, regem appellatum; ſed ab iis duntaxat, qui & religioni, & Hungaro adverſantur. - - - Cæſar, cui faveat, incertum eſt, niſi quod Hungaro propter veterem contentionem & Pawnkircheri cauſa* (*p*) *putatur infenſus.* Nec nihil ad hanc rem Legatos, quos Strigonienſis Archiepiſcopus, & quidam Optimates Hungariæ ad conventum miſerant, itidem contuliſſe putandum eſt, quos veroſimile eſt, tempore uſos multa in Mathiam clanculum molitos fuiſſe, ut aliquam futuræ ſeceſſioni æquitatis ſpeciem prætenderent, nam ut idem Campanus rurſum ſcribit (*q*), *recitatæ etiam Strigonienſium, & Optimatum Hungariæ* (ſunt litteræ) *quibus ſignificabatur diviſum eſſe biſariam Turcorum exercitum: partem Carnioliam in fines Cæſaris contendere, partem ad ripam Savi fluminis conſediſſe, eo conſilio, ut exitu aliquo explorato, & communito excurrerent, & depopulari Hungariam poſſint. Centum jam annis pugnatum ab Hungaris cum Turcis eſſe, exinanitum jam, & viris, & viribus regnum: niſi ope quoque juvetur externa, non poſſe diutius tam aſſiduum, tamque potentem hoſtem ſuſtinere.* Hæc illo ab legatis dicta, non inanis ſuſpicio erat, ut invidiam Mathiæ apud Cæſarem, ac Germanos conciliarent, quaſi alieno regno inhians, ſuum barbarorum feritati prudens volensque deſtitueret, atque ita non plane nullam cauſam, cur Caſimirum ex Polonia evocatum Mathiæ opponerent, habere viderentur.

Sed irrito prorſus conatu.

Utcunque tamen illi Eccleſiaſticus ordo in Bohemia favet.

Sed hæc intra conjecturam. Hanuſſius de Kolowrath, quem regis nomine ad Ratisbonenſem conventum adiiſſe memoravimus, poſtquam Cæſarem Mathiæ partes frigide tueri, quin Wladislao etiam magis præ illo favere vidiſſet, litteras ad ſacerdotum Pragenſis Eccleſiæ Collegium ſcripſit, quibus mandata complexus eſt, uti Mathiam legitimum regem per Bohemiam promulgent, & in refractarios pœnis Eccleſiaſticis libere, ac fortiter animadverterent. *Vobis venerabili Stanislao artium Magiſtro, Archidiacono Litomericenſi, & Canonico in Eccleſia Pragenſi, commiſſario noſtro ſalutem in Domino, & in commiſſis diligentiam in ſancta obedientia plurima ſuſtinentibus pro merito vitæ ſempiternæ. Ex mandato reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini Laurentii Epiſcopi Ferrarienſis, ſedis Apoſtolicæ Legati notificamus, quod ſereniſſimus Dominus Mathias Hungariæ, & Bohemiæ rex, auctoritate ſedis Apoſtolicæ per re-*

(*n*) Subſcriptio eſt: datum Cracoviæ per manus Zbignæi de Oleſznitz Secretarii regis Poloniæ.

(*o*) Loco citato epiſt. VI.

(*p*) Quaſi Mathias illum, cum novas res in Auſtria contra Fridericum moliebatur, foviſſet, ut alibi jam indicavimus.

(*q*) Ibidem epiſt. VIII.

1471. *verendiſſimum in Chriſto Patrem, & Dominum delegatum ſupra nominatum, in oppido Iglava Olomucenſis Diœceſis eſt ſolenniter & publiee conſirmatus. Quare vobis auctoritate reverendiſſimorum delegatorum, & noſtra committimus, & mandamus, quatenus omnes & ſingulos Prælatos, Barones, milites, Nobiles, & civitates moneatis, ipſisque divulgetis, & prænuncietis, ſereniſſimum Dominum Mathiam regem eſſe Bohemiæ, & non alium legitime electum per Catholicos Prælatos, Principes, Barones, Nobiles, & civitates regni ejusdem, ad quos ex tunc jure ipſo electio pertinebat; nunc vero per ſedem Apoſtolicam confirmatum, atque iterum approbatum; quatenus illi tamquam Bohemiæ regi obſequantur, & famulentur, contradictores quoslibet per cenſuram Eccleſiaſticam, & ſub pœnis in proceſſibus contentis compeſcendo. Datum Ratisbonæ XVI. Auguſti, anno MCCCCLXXI. ſub ſigillo noſtro nativo.* (r)

Tametſi Wladislaus interea coronatus rurſum omnia turbaret.

Neque hic tamen conatus, tanquam ultima machina ad molliendos factioſorum animos admotus, quidquam valuit, quod Wladislaus comparatis domi rebus, ſalutatoque patre cum numeroſo exercitu Bohemiam ingreſſus, ac magnis itineribus Pragam contendens, viceſima ſecuuda Septembris corona a Podolienſi, & Laodiceno Epiſcopis incinctus eſſet. Qua re tametſi raones ſibi Mathias magnopere conturbatas ſenſit, ne tamen nullum laboris fructum legiſſe videretur, Sileſiam cum Moravia ad propulſandam vim egregie communivit, ſervatoque regis Bohemiæ titulo, ut liquidum in regnum jus præferret, Zdenkouem Sternbergicum, cujus maxima in ſe merita fuere, Hungarorum more Palatinum Bohemiæ creavit. (s)

Bouſinius, qui res hujus anni, cum proximo mire commiſcet, & quædam in ſequentem annum perperam traducit, Mathiam, ubi iuauguratum ex nunciis Wladislaum comperit, adeo excanduiſſe perhibet, ut illata crebro Bohemiæ populatione, armorum metum ac vaſtatiouem ad propinquos Pragæ montes circumferret. Quod quanto cum errore ſcribat, facile ex Bohemicis illorum temporum ſcriptoribus conficitur, qui regem repulſæ dolore actum in Bohemiam quidem irrumpere voluiſſe, ſed obortis ex improviſo in Hungaria turbis ab ſententia avocatum celeriter domum rediiſſe, ut incendium in ipſo ortu præfocaret, memoriæ prodiderunt.

Mathias ob turbas domeſticas in Hungariam revocatus.

Turbæ, ab Caſimiro, fratre Wladislai, obmotæ; qui Joannis Strigonienſis Archiepiſcopi, ac plerorumque Optimatum litteris ad capeſſendum regnum invitatus eodem prorſus tempore in Hungariam irrupturus ferebatur, quo Wladislaus Bohemiam petebat, crediderim, ut eadem opera utrioque comprehenſo Mathiæ difficillimam novi belli aleam redderent. Hæc quidem utriusque deſtinatio finisque videri poterat, magnumque iſthinc periculum regi conflatum erat, niſi promto quod in rebus improviſis maxime exeruit, ingenio ſeſe ex diſcrimine explicuiſſet. Fecerat enim Caſimirus ad rem ex ſententia conficiendam multo ante maximos in Polonia apparatus, ac prius ex regno quam profectionem ſuis ediceret, publicas Cracoviæ litteras vulgavit, quibus cauſas transportandi iu Hungariam belli, ne nou æquitas ſibi deeſſe videretur, prolixe reddit. De earum argumento facilis ex titulo fit conjectura, qui in hæc verba habet. (t) *Caſimirus Dei gratia ſereniſſimi Domuü Domnu Caſimiri eadem gratia regis Poloniæ, Ducis Lithuaniæ, ac Ruſſiæ, Pruſſiæque Hæredis filius, regni Hungariæ Domnus naturalis ac hæres, Mathiæ de Huniad regni Hungariæ uſurpatori ſalutem.*

Caſimirum Wladislai fratrem ab Hungaria e-

A vulgatis litteris cum viginti millium exercitu Hungariæ, qua Caſſovia Poloniæ finitima eſt, infuſus ad Agriam prius conſtitit, quam Mathias rebus Bohemicis intentus, hoſtis, ac ſuorum molitiones comperiſſet. Præcipuum ſeceſſionis auctorem, quamquam de rege, ac Regno præclare alias meritus eſſet, Strigonienſem præſulem fuiſſe, qui paternos regis amicos fere pleroſque in ſuas ad-

(r) Pessina loco laudato.

(s) Balbin. Epit. rer. Bohem. Lib. V. Cap. XI. De Palatini autem titulo, quo Sternbergicum rex ornavit, infra ex litteris conſtabit.

(t) Ex Cod. MS. Num. 224. Bibl. Aug. Palatinæ Vindebon. ſed tam deformatum ob chartæ pallorem, & ſcribentis contortam manum, ut legere totum nequiverim.

adverſum Mathiam partes pellexerit, ſupra memoratum eſt : ſeceſſionis contra cauſæ, nec ipſi Bonfinio, tametſi rebus geſtis Synchrono, ſatis, ut videtur, perſpicuæ, compertæque. *Cur autem* (ſcribit (*u*)) *paterni imprimis amici conjuratio- nis authores fuerint, cauſæ nonnullæ referuntur, nam ii ea gravitate ac fide ſunt habiti, ut nullius levitatis, & perfidiæ rei exiſtimari poſſe videantur. Metropolitam præ indignatio- ne varias res novas molitum fuiſſe dicunt. Rex enim jam compos ſui factus, ab Optimatum conſilus, quibus hactenus fuerat obnoxius, ſe aſſerere cœperat, ſuo, non alieno ductu, & conſilio utebatur, confutabat illorum dicta, ſi quid quandoque liberius ſuaſiſſent; cuncta ſo- lus agere videri volebat. Contra illi auctoritatis hinc jacturam haud modicam ſe facere ar- bitrabantur. Acceſſerat extraordinarii ſtipendii inſolens impoſitio, quam dicam nominant; quæ non modo domeſticatim, ſed viritim plerumque indicebatur. Et quamvis aſſidua bella graviſſima tributa poſtularent, inſolens tamen vectigal nimis grave cuique videbatur : quin etiam Epiſcopatuum proventus uſurpare cæperat, & cum pro publica ſalute dimicaret, id ſibi licere reputavit : hoc tamen non ſine Laurentii Roborellæ Apoſtolici Legati auctoritate fe- cerat. Quare illum multi graviter incuſant, quod primus Mathiæ regi, & animadver- tendi in Pontifices, ſacerdotesque, & ex uſu belli baſilicarum proventus uſurpandi poteſta- tem fecerit. Summum enim nefas arbitrabantur, Pontifices, & ſacerdotes, qui ſemidei cenſeri debent, profanæ cenſuræ eſſe obnoxios. Archiepiſcopo Strigonienſi fodinarum auri decimas, quæ urburæ vocantur, abſtulerat, quæ magni fuerant momenti, nonnullis Epi- ſcopatibus etiam vectigalia occuparat. Quod ab eo plerique haud temere factum putant : partim ne in tanta rerum copia laſcivirent, partim ne opibus adaucti regi bellum inferrent. Inſuper formidoloſus Optimatibus, & violentus eſſe cæperat, & tacito quodam nutu ſe ſolum imperare, parere cæteros velle indicabat : qui autem apud eum nimia plurimum auctoritate valuerant, ex attenuata dignitate id ægre ferebant. His igitur cauſis Archiepiſcopum Strigonienſem, ac cæteros, ut nova molirentur, adactos eſſe opinantur.* De quibus, ut qui volet, arbitretur : ſatis autem conſtat Bonfinium cauſam ſeceſſionis in Epiſco- pos ut plurimum, neque ſine invidia rejeciſſe : cum tamen, etſi decumas auri Archiepiſcopo ab rege ſublatas non inficiar, inter compertiſſima ſit, Mathiam, ob imperata extra ordinem toties viritim tributa, ex quibus militiam aleret. ſibi apud ſuos negotium confeciſſe; præſertim, quod & coronationis tempore nihil, quod non ex legum ſcito foret, acturum ſe jurejurando pollicitus eſſet, & quoties præterea ſtipendium præter morem rogaſſet. toties nihil regni ſe con- ſuetudinibus adverſum velle conſtituere, publicis litteris fidem dederit, cujus vadimonium cum Proceres in ſe recepiſſent, viderentque ſuam eatenus autori- tatem labaſcere, rege cum non nulla regni jactura externis bellis occupato, ſatis cauſæ, cur ſeceſſionem facerent, ſe habere arbitrati ſunt, ut adeo ex tot Hun- gariæ provinciis vix novem eſſent, quæ non cum Polono, adverſus Mathiam ſentirent.

vocatum, cum exercitu iſtbic reperit.

Ut primum conjurationis fama ad vulgus manavit, & Caſimirus cum ex- ercitu, quem factioſorum acceſſione permultum auxerat, Nitriæ appropinquaſ- ſet, Mathias collecto, quanta celeritate poterat, ex Sileſia, & Moravia milite Budam properavit : accitisque eam in urbem Proceribus brevi magnam ex con- juratis partem, oppidorum, villarumque largitione ſibi conciliat, quorum opera cum exercitus decem, ac ſex millium conflatus erat, in Polonos movit, non tam animo committendi prælii, neque enim ſatis ſuorum fidei credere poterat, quam ut Caſimirum Nitriæ concluſum, aut ad deditionem faciendam cogeret, aut intercluſo commeatu non rogatum hoſpitem regno exigeret. Cum enim regem in hoſtes movere Hungari, qui Caſimiri hactenus fortunam ſecuti erant, intel- lexiſſent, partim ipſa criminis conſcientia, partim pœnarum metu acti plerique deſertis Polonis, ad obedientiam rediere, ut adeo Caſimirus, qui caſtra prius pro urbe fixerat, retracto in arcem milite non jam vim, ſed defenſionem appa- rare neceſſe haberet.

Cui, conciliatis primum proceribus, copias ad Nitriam opponit.

Qua fortuna, eventuque res ad Nitriam geſta ſit, ſcriptoribus non per- inde video convenire, aliter Poloni, rurſus noſtri aliter narrationem texunt. Cromerus (*x*) in hæc verba geſtæ rei ſeriem contulit : *Interim autem, dum hæc*

Et in ea urbe concluſum

(*u*) Dec. IV. Lib. III.

(*x*) De rebus Polon. Lib. XXVII.

1471. *faciunt, merceaarii milites, qui externi fere erant, e caſtris Caſimiri junioris apud Nitriam poſitis, dilabi cœpere ob non ſoluta ſtipendia: quorum diſceſſione moti primores exercitus, perſuaſerunt Caſimiro, ut relicto ad præſidium Nitriæ Jaſenio cum quatuor millibus, ipſe cum reliquis copiis in tutum ſe reciperet prius, quam ab hoſte, qui auctis copiis adeſſe nunciabatur, obſideretur: qui quidem receptus effuſæ fugæ fuit ſimillimus. In itinere ad ſexaginta quadrigas, quæ ſequebantur, fugientes amiſere, ab agreſtibus interceptas. Ejus autem ignominiæ culpa penes Derslaum Ritbviavium potiſſimum fuiſſe dicitur. Sed merito ea tunc Polonis divinitus accidiſſe credita eſt, propterea, quod proficiſcentes in Hungariam, ſoluta prorſus diſciplina militari, non modo a vi & rapinis ſacrorum juxta, ac profanorum, ſed etiam a ſtupris puellarum, & matronarum, & omnis generis injuriis, & contumeliis ſibi non temperaverant.* Hactenus Cromerns: neque eſt, cur Polono de ſuis narranti refragemur, niſi quod illatas ſociis injurias male occupat, nec veriſimile ſit hæc a Polonis, cum Hungariam ingrederentur, patrata eſſe, quæ in exitu, ſed ſuo damno, acta fuere: alioquin nec impune id illis futurum erat, nec, ſi ita fuit, ſociorum acceſſione novam ad ſuos milites manum conflaſſent.

Volens prudensque elabi permittit

Itaque Caſimirus, ſi Bonfinio credimus, Nitriæ a Mathia concluſus, cum videret, ne ſpem quidem regni, ne dicam regnum ipſum ab ſe retineri poſſe, ad hæc veritus, ne ſi victorem irritaret, durius aliquid in ſe ſtatueretur, per internuncios ea lege tutam ſibi abitionem pactus, ut ne unquam infeſtis armis Hungariam invaderet, concubia nocte, ac diſſimulante etiam Mathia, urbe exceſſit, relictoque iſthic cum quatuor millibus Jaſenio, incolumis in Poloniam elnctatus eſt. Non eadem cnm iis, qui præſidio arci remanſerant, clementia transactum. Namque inedia diu vexati, cum & ipſi multis precibus ſalvam ad ſuos migrationem ab rege in hanc conditionem impetraſſent, ut Hungaria excedentes, ab injuria ſibi temperarent; parnm initi pacti memores, ſpolia, ac prædas latrocinantium more agebant, eoqne facinore iram regis ita provocaverant, ut ulciſcendæ injuriæ copiam paſſim agreſtibus faceret: qui indulgenia naviter nſi, facto in palantes impetn, excuſſaque præda male mulctatos, diminutosqne ex regni finibus ejecere. (*y*) Sed, quod jam ſupra indicavi, plurium annorum res hoc loco Bonfinius confundit: neque enim emiſſo, aut ejecto Nitria Caſimiro, arx, & nrbs in noſtrorum poteſtatem hoc qnidem anno pervenerat, nt mox ex publico litterarum inſtrumento manifeſtum faciam. Quamobrem veriſimile eſt Jaſenium cum quatuor Polonorum millibus noſtrorum obſidionem tota hieme fortiter toleraſſe, quoad inedia ad deditionem compnlſus, eo, quo Bonfinius narrat, modo magna ſuorum parte mulctatus e regno ejectus eſſet.

Res in hunc modum Ujlakii conſilio acta eſt.

Ceterum ferunt Nicolaum Ujlakium, qnem Mathias hand ita dudum Bosniæ regem creaverat, ſive ut eſſet, qui Barbarorum impetus ſua virtute frangeret, ſeu ambitioſi & nova molientis hominis cupiditati ſatis voluerit factum, rei ex ſententia geſtæ autorem fuiſſe, quod, cum per litteras ab rege conſuleretur, quid ſibi in re tam ambigua faciendum, omittendumve cenſeret, hortator fuiſſet, ut contracto celeriter milite Polonos, detrectata pugnæ copia, ſolo armorum metu contineret, ita futurum, ut quando hiems jam ingrueret, plerique cum ob annonæ, tum temporis difficultatem deſertis ſuopte militiæ ſignis ab hoſte dilaberentur, quod, ſi ut ſpes non vana eſſet, fieret, tum prona regi futura omnia, ſeu indagine veluti cinctum Polonum ad faciendam deditionem vellet compellere, ſive pactis conventis, ut temporis eventusque ratio ſuaderet, ex cuſtodia liberum in Poloniam dimittere. Hunc in modum conſilii penes Ujlakium, rei contra geſtæ lans penes regem fuit.

Archiepiſcopus Strigonienſis ſeditionis au-

Profligato partim, partim concluſo hoſte rex Budam regreſſus in ſeditionis auctores animadvertere conſtituit. Itaque indicto regni conventu Strigonienſem Archiepiſcopum in urbem accerſierat, ſeu pœnam, ut erat præcipitis non nunquam iræ, ex reo captnrus, ſeu, quod in patris loco eum ſemper habuiſſet, redintegrandæ amicitiæ cauſa. Venieutem, & ſub graviſſimi colloquii ſpecie in an-

(*y*) Bonfini. Dec. IV. Lib. III.

aulam pellectum, honeſta cuſtodia obſervari ab rege juſſum, Bonfinius ſcribit; quod mihi creditu per quam arduum eſt, cum eum haud multo poſt initis per arbitros pactis conventis, quibus amicitia utrinque in integrum reſtituta eſt, Strigonii ſubſcripſiſſe comperiam: niſi forte aut mature cognito periculo diſcrimini ſeſe eripuit, aut ſuopte ab Mathia dimiſſus eſt. Quidvis fuerit, rex cum videret conciliato Archiepiſcopo ceteros quoque conjuratos ad obedientiam iſtius exemplo redituros, haud ægre patiebatur, ut Gabriel Colocenſis Archiepiſcopus, cum Agrienſi præſule adſcitis ſecum Orſſagio Palatino, & Emerico Scepuſienſi, quibus magna prius cum Joanne interceſſerat familiaritas, propoſitis in medium conditionibus, ſaniora edoctum, veteri ſecum amicitiæ illigaret. Strigonium igitur profecti, ac diu multumque collatis conſiliis, fœdus denique inter regem, & Archiepiſcopum conciliant, in hanc ſententiam deinde vulgatum. (z)

Hor cuſtodiæ mandatur

„ Nos Gabriel electus, & confirmatus Colocenſis, Joannes Epiſcopus
„ Agrienſis, Michaël Orſság de Guth Hungariæ Palatinus, & Emericus de Za-
„ polya comes perpetuus Scepuſienſis memoriæ commendamus: quod quamvis
„ certis annis proxime elapſis, inter ſereniſſimum Principem Dominum Mathiam
„ Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ &c. regem, Dominum noſtrum gratioſiſſimum
„ & reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum Joannem Archiepiſcopum
„ Strigonienſem &c. certa odia, & ſuſpiciones ſeminatæ fuerint, & conceptæ,
„ ipſe quoque Dominus noſter rex contra ipſum Dominum Strigonienſem his de
„ cauſis gravem geſſerit animum, tamen ut hujusmodi ſuſpiciones, & odia inter
„ ipſos penitus condeſcendant, de voluntate, & ſpeciali commiſſione dicti Domini
„ noſtri regis, & compaſſione ipſius Domini Joannis Archiepiſcopi conſiderantes
„ futuram pacem reipublicæ regni Hungariæ, commodumque & utilitatem ex-
„ inde ſecuturam, eosdem Dominum noſtrum regem, & ipſum Dominum Joan-
„ nem Archiepiſcopum Strigonienſem tanquam arbitri, & mediatores in articu-
„ lis infra ſcriptis fide & juramento partium firmatis concordavimus & ad unionem
„ reduximus.

Mox per regni Proceres regi conciliatus liber dimiſſus.

„ Primo, quod reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus Strigonienſis
„ præſtabit juramentum ſuper ſervanda fidelitate Domino noſtro regi Mathiæ,
„ & quod quamdiu vixerit, nunquam alium pro rege Hungariæ nominabit,
„ habebit, vel tenebit; ſed eidem tamquam vero, & legitimo regi Hungariæ
„ omni poſſe ſuo, facultate, aſſiſtendo conſilio, favore, & auxilio adhærebit,
„ & aſſiſtet, & inimicis regiæ Majeſtatis erit manifeſtus inimicus. Item quod
„ Dominus Joannes Archiepiſcopus Strigonienſis omnia caſtra, & caſtella ſua,
„ & Eccleſiæ ſuæ aſſignabit manibus fidelium, & proborum hominum in eisdem
„ locabit Hungaros, quos jurare faciet, quod eidem Domino Joanni Archiepi-
„ ſcopo, & per eum Domino noſtro regi erunt fideles. Et ſi Domino Joanni
„ Archiepiſcopo mori contingeret, prædicta caſtra, & caſtella nemini alteri,
„ niſi Majeſtati regiæ aſſignabuntur. Item quod quando Dominus noſter rex
„ requiſierit Dominum Joannem Archiepiſcopum Strigonienſem, ex tunc idem
„ Dominus Archiepiſcopus Strigonienſis, quotiescunque opus fuerit, & neceſ-
„ ſitas poſtulaverit, ad caſtra ſua homines, & familiares regiæ Majeſtatis intro
„ mittet, ut ex illis caſtris iidem familiares majeſtatis regiæ omnibus inimicis
„ regiæ Majeſtatis & regni facilius reſiſtere poſſint: ita tamen, quod Majeſtas
„ regia promittet, quod Caſtellanos, & familiares Domini Archiepiſcopi Strigo-
„ nienſis ex caſtris ſuis non ejicient, neque exinde bonis, & poſſeſſionibus ſuis
„ damna inferent. Item quod idem Dominus Joannes Archiepiſcopus Strigo-
„ nienſis toto poſſe, & omnibus conatibus ſuis laborabit pro recuperatione ca-
„ ſtri, & civitatis Nitrienſis, (a) & etiam caſtelli Berzencze, ſi jam alienatum
„ non eſſet, caſu autem, quo id facere non poſſet, idem Dominus Joannes Ar-

Conditiones inter illum & Mathiam initæ.

(z) Ex Tom. MS. rer. Hung. R. P. Gabriel. HEYENESI, ut illud Wladislaus II. ad preces Thom. Agrien. Epiſcopi tranſumi fecit anno 1498.

(a) Itaque nondum Nitria, quod noſtri ſcriptores paſſim habent, Polonis hoc anno erepta.

1471. „ chiepiſcopus omni humanitate, facultate, & aſſiſtentia adhærebit regiæ Ma-
„ jeſtati, quemadmodum alii Prælati, & Barones regni Hungariæ. Item quod
„ Dominus Joannes Archiepiſcopus Strigonienſis caſtellum in Sexard erectum,
„ & etiam ſi in Lasko erectum eſſet, dirui faciet, & ſi erecta non eſſent, erigi
„ non permittet.

„ Item, quod omnes proventus Eccleſiæ Strigonienſis, tam de lucro ca-
„ meræ ratione decimarum, quam de aliis proventibus regiis de Tranſylvania,
„ & Sclavonia, & mineris, ac etiam cuſionibus pecuniarum juxta antiquam
„ conſnetudinem quomodolibet provenire debentem regia Majeſtas perſolvi fi-
„ ciet Domino Archiepiſcopo Strigonienſi, & Eccleſiæ ſoæ. Item quod duran-
„ te hujusmodi differentia, quidquid contra affines, fratres, & familiares ipſius
„ Domini Joannis Archiepiſcopi Strigonienſis in curia regia quomodocunque,
„ & ad quorumvis inſtantiam adjudicatum fuiſſet, novo judicio Prælatorum,
„ & Baronum hujus regni, & etiam Magiſtrorum Proto-Notariorum ad octa-
„ vas occurrentes ſubmittatur, & debito fine juxta veram legem, & conſue-
„ tudinem cognoſcatur, & terminetur. Item, quod jura, jurisdictiones, li-
„ bertates, & privilegia, quæ per ſummos Pontifices, & per divos reges Hun-
„ gariæ eidem Eccleſiæ Strigonienſi, & Archiepiſcopis collatæ, & conceſſæ ſunt,
„ & etiam de jure patronatus, abbatiarum de Bel, & Szent-Job, nec non præ
„ poſiturarum de Ság & de Bozok, quas Majeſtas regia alias præfato Domino
„ Archiepiſcopo Strigonienſi dederat, etiam alias, quæ conſtant ex privilegiis
„ Eccleſiæ Strigonienſis, ſine læſione obſerventur. Item, quod illa ſeptem mil-
„ lia florenorum auri, quibus Majeſtas regia Domino Joanni Archiepiſcopo Stri-
„ gonienſi obligatur, hoc modo ſolvantur. Quia in comitatu Simigienſi ſere-
„ niſſimo Domino regi contributio octoginta denariorum nunc dicatur, ex illis
„ octoginta denariis reverendiſſimo Domino Joanni Archiepiſcopo Strigonienſi
„ de ſingulis portis ſinguli viginti denarii ratione proventuum lucri cameræ,
„ quæ ex illo comitatu ſemper eidem Domino Archiepiſcopo Strigonienſi pro-
„ venire debebunt, reddantur, & inſuper ex eadem contributione Simigienſi,
„ idem Dominus rex præfato Domino Archiepiſcopo Strigonienſi mille florenos
„ auri ſolvet, & ſolvi faciet. Conſimiliter, qoia in comitatu Tholnenſi ſere-
„ niſſimo Domino noſtro regi contributio octoginta denariorum futora eſt, ex
„ illis octoginta denariis reverendiſſimo Domino Joanni Archiepiſcopo Strigo-
„ nienſi de ſingulis portis ſinguli viginti denarii ratione proventuum lucri ca-
„ meræ, qui ex illo comitatu Tholnenſi ſemper eidem Domino Strigonienſi ſi-
„ militer pro lucro cameræ, & decimis provenire debebunt, reddantur, & in-
„ ſoper ex eadem contributione idem Dominus noſter rex præfato Domino Jo-
„ anni Archiepiſcopo Strigonienſi mille florenos auri ſolvet, & ſolvi faciet.
„ Reliquos autem quinque millia florenorum auri regia Majeſtas ſolvet ſucceſſi-
„ ve, ita videlicet, quod totalis ſolutio dictorum ſeptem millium florenorum
„ auri compleatur per regiam Majeſtatem uſque diem mediæ quadrageſimæ pro-
„ xime venturæ. Item, quod Majeſtas regia ſecundum quod per Prælatos, &
„ Barones nuper concluſum erat, proventus lucri cameræ ex illis doobus comi-
„ tatibus Tholnenſi, & Simigienſi ſingulis futuris annis propter decimas, quas
„ idem Dominus Joannes Archiepiſcopus Strigonienſis ex lucro cameræ de jure
„ habere debet, eidem Domino Joanni Archiepiſcopo Strigonienſi, & ejus Ec-
„ cleſiæ vita ſibi comite deputet, & adſcribat, ſalvis ſemper libertatibus Eccle-
„ ſiæ Strigonienſis.

„ Item, ut idem Dominus Joannes Archiepiſcopus Strigonienſis in Do-
„ mino rege plenam habere fiduciam, & idem Dominus rex viciſſim in ejus fide,
„ & fidelitate certus eſſe poſſit, & ſecuros, omnia, quæ hactenus qualiter-
„ cunque, & quomodocuuque contra Majeſtatem regiam feciſſet, & commi-
„ ſiſſet, condeſcendat, omnemque indignationem ſuam, & gravem animum,
„ ſive ſuſpicionem, quam hactenus contra ipſum regia Majeſtas habuit, & geſ-
„ ſit, ſub fide ſua Chriſtiana, ex corde ſuo ſine dolo, & fraude removeat, &
„ penitus aboleat ab eo, & ab ipſius familia. Item, quod ſuggeſtionem, &
in-

» inductionem quorumcunque quacunque ratione, inventione, & colore con-
» tra ſtatum, honorem, & perſonam ipſius Domini Joannis Archiepiſcopi Stri-
» gonienſis, & in periculum capitis, vel captivitatem ipſius ſereniſſimus Domi-
» nus noſter rex nunquam aliquid mali, vel ſiniſtri machinabitur, vel faciet,
» aut etiam fieri procurabit, & permittet occulte vel manifeſte, ſed eum tam-
» diu, quousque idem Dominus rex vivet, & ſimiliter ipſe Dominus Joannes
» Archiepiſcopus Strigonienſis vivet, & ſemper ita certum eſſe vult, & ſecurum,
» ut omni tempore absque aliqua formidine, timore, vel ſuſpicione, ac ſine
» periculo capitis, & rerum ſuarum ad Curiam Majeſtatis Regiæ tute, & ſe-
» cure veniat, ibique pauſet, & moretur tamdiu, quousque voluerit, & opus
» erit, & cum voluerit iterum ad propria ſalvus revertatur, & redeat ſub ſalvo
» conductu regio, & tutela ſpeciali. Et ſi qui contra ipſum Dominum Joannem
» Archiepiſcopum in Curia regia, vel extra curiam regiam ubicunque, aliquid
» objicerent, illud absque bona, certa, & vera probatione Majeſtas regia non
» credet, nec acceptabit. Sed ſi aliquid ex hujusmodi objectis per evidentia
» teſtimonia compertum fuerit, pro eo ipſum in rebus, & bonis ſuis emenda-
» bit, & puniet juxta morem aliorum regni Hungariæ, ſalvis ſemper ejusdem
» Domini Joannis Archiepiſcopi Strigonienſis capite & perſona. Item quod
» Dominus Archiepiſcopus ad ſuggeſtionem, vel verba quorumcunque coram
» regia Majeſtate objectum ſibi fuiſſe audiverit, id ſtatim regiæ Majeſtati ſigni-
» ficare tenebitur, & Majeſtas regia illud ratificabit cum conſilio Prælatorum, &
» Baronum ſuorum. Si vero contra ipſum Dominum Strigonienſem aliquid
» regia Majeſtas audiverit, illud ſimiliter Domino Strigonienſi intimabit, & de
» his, quæ contra ipſum fuerint coram Majeſtate regia propoſita tenebitur ipſe
» Dominus Strigonienſis vel expurgare ſe, vel ad intimata regia reſpondere
» coram Prælatis, & Baronibus: Item quod præfatus Dominus Joannes Archi-
» epiſcopus Strigonienſis illis, qui ſereniſſimo Domino noſtro regi rebelles eſſent,
» aut fierent, contra Majeſtatem regiam eos non juvabit, ſed toto conamine ſuo
» idem Dominus Joannes Archiepiſcopus Strigonienſis penes Majeſtatem regiam
» aſſiſtet, & eidem adhærebit. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, &
» teſtimonium præmiſſorum præſentes litteras penes ſigillum præfati Domini
» noſtri regis, & ipſius Domini Joannis Archiepiſcopi Strigonienſis, ſigillis no-
» ſtris, quibus utimur, fecimus conſignari. Datum Strigonii feria quinta proxi-
» ma ante feſtum beati Thomæ Apoſtoli, anno MCCCCLXXI. Et nos Mathias
» Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ &c. rex fatemur, & recognoſcimus, præſentem
» diſpoſitionem Prælatorum, & Baronum noſtrorum & articulos in eadem diſpo-
» ſitione contentos, de noſtro conſenſu, & voluntate factos eſſe, quam quidem
» diſpoſitionem promittimus fide noſtra Chriſtiana cum appoſitione manus noſtræ
» propriæ, & impreſſione ſigilli noſtri firmiter obſervare.

Mathias Rex
manu propria.

» Et nos Joannes Archiepiſcopus Strigonienſis, fatemur, ac recognoſci-
» mus præſentem diſpoſitionem Dominorum Prælatorum, & Baronum, & ar-
» ticulos in eadem diſpoſitos, & contentos de noſtra voluntate factos eſſe, quam
» quidem diſpoſitionem promittimus ad fidem noſtram Chriſtianam, conſcientia
» noſtra mediante cum impreſſione ſigilli noſtri, & ſcripturæ manus noſtræ fir-
» miter, & inconcuſſe obſervare.

» Joannes Archiepiſcopus
» manu propria ſubſcripſi.

Hæc præcipua conciliatæ inter utrumque pacis capita; quæ tamen non diu ſibi conſtitiſſe, ſeu quod parum ſincero animo inita, ſive arrepta magis, quam oblata cauſa rurſum reſciſſa eſſent ad annum ſequentem memorandi locus erit.

1472.

Sixtus Papa Wladiſlaum cum Mathia conciliare nititur.

Interea res Bohemiæ, & ſi earum Sixtus Pontifex maximus, qui Paulo priore anno ſucceſſerat, ſtudioſiſſimus eſſet, ambiguo ſatis loco fuere. Mathia enim in ſedanda penitus domeſtica ſeditione occupato, Pontifex miſſo in Germaniam Legato Cardinali Aquilejenſi id maxime curaverat, ut reſtituta inter æmulos reges pace, utrumque ad bellum Turcis inferendum conciliaret. Hæc data in primis Legato mandata: quibus ſi parum proficeret, ſacrorum comminatione non modo in Wladiſlaum, ſed eos quoque, qui huic contra Hungarum ſtuderent, ut libere uteretur, imperatum. Prius tamen, quam illo res evaderet, periculum ex Caſimiro Poloniæ rege, cujus imperio filium omnia moliri conſtabat, capere placuit, num deſertis Bohemorum partibus, amicitiam, viresque cum Mathia vellet jungere, his eum litteris, ut id facere non gravetur, majorem in modum adhortans. (b)

Scriptis ad illius patrem litteris,

REGI POLONIÆ.

Sapientiæ tuæ eſſet, chariſſime fili! conſiderare, quam bellum hoc contra chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Mathiam Hungariæ regem illuſtrem, pro Bohemis ſuſceptum, non decet puritatem fidei tuam: tu enim Catholicus bonus more chariſſimorum tuorum progenitorum ſemper fuiſti; Bohemi vero, quos defendis, execrata hæreſi imbuti, juſto Dei, & Apoſtolicæ ſedis judicia damnati ſunt, ut mirum ferme videatur, quod ipſa tua majeſtas pro damnata cauſa arma ſumpſerit, optentque amnes, qui bene tibi conſultum volunt, ut ab incepta hujuſmodi, in quo nihil laudis eſt, te retrahas. Optamus & nos hoc ipſum, quia te paterne amamus: proinde hortamur, & quanto poſſumus ſtudio per viſcera miſericordiæ Dei noſtri rogamus, ut arma deponas, & ulterius ipſum regem Hungariæ non appugnes: illum enim pro puritate fidei laborantem, Apoſtolica ſancta ſedes, veritatis magiſtra, & juſtitiæ tutrix, opprimi non permittit, & omnibus opportunis aliis auxiliis proſequetur. Datum Romæ apud S. Petrum anno MCCCCLXXI. nonis Martii, anno primo.

Et Bohemis ab fidei ſacramento abſolutis

Litteris haud multo ante edictum præmiſit, quo per orbem Chriſtianum vulgato, ſacramentum fidei, quod Wladiſlao Bohemi dixerant, omnino irritum reddit, Mathiamque, cum ex ſedis Apoſtolicæ conſilio ſacrum bellum pro redintegranda religione Podiebradio moviſſet, ab hujus exceſſu legitimum regem pronunciat. Id hujus tenoris erat: (c)

Ad perpetuam rei memoriam.

Sicut nobis, quod cum gravi cordis amaritudine referimus, innotuit, & facti demonſtrat notorietas, Caſimirus rex Poloniæ, ac ejus primogenitus hæreticis ipſis favere, nec non auxilium, conſilium, & favorem præbere, eoſque receptare, & quod deterius eſt, idem primogenitus dominia chariſſimi in Chriſto filii noſtri Mathiæ Hungariæ, & Bohemiæ regis illuſtris, adverſus eaſdem perfidos hæreticos, ac ipſorum receptatores, ut eos ad rectitudinis, & veræ Catholicæ fidei tramitem reducat, vel illos antequam dominicum gregem magis, ac magis inficiant, hæreſeſque ſuas protendant, aſſidue bella gerentis invadere, & proſequi non eſt veritus, in gravem Dei offenſam, fidei Catholicæ detrimentum, ac perniciofum exemplum, & ſcandalum plurimorum. Nas igitur, ad quos ex debito paſtoralis officii nobis ab alta, licet inſufficientibus meritis, commiſſi ſpectat, ſuper præmiſſis providere, & ne Caſimirus, & Primogenitus prædicti nimirum adverſus memoratum Mathiam regem, cujus intereſt pro tutela fidei, pra defenſione reipublicæ, & pra communi periculo vitando contra perfidiſſimas Turcos bella gerere, invaleſcant, obviare; omnes, & ſingulos cujuſcunque Nobilitatis, etiam Ducalis, Comitialis, vel Baronalis ſtatus, gradus, vel conditionis fuerint, jure homagii, vaſallagii, ac juramento fidelitatis, etiam ratione feudorum, vel alias quomodolibet Caſimiro, ſeu primogenito præfatis, eorumque nunc, & in poſterum forſan adhærentibus vel præſtantibus auxilium, conſilium, vel favorem, aſtrictos, & obligatos, ab hujuſmodi præſtatione homagii, vaſallagii, & omni vinculo juramenti tam reali, quam perſonali, nec non a quacunque pœnarum ſententia, ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium abſolvimus. - - Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ MCCCCLXXI. Calendis Martii, Pontificatus noſtri anno primo.

Ne-

(b) Apud RAYNALD Annal. Eccl. ad ann. 1472. Num. XXX.

(c) Ibid. ad eund. ann.

1472.

Minas præterea Sileſiis ac Moravis intentat, niſi Mathiam ſectarentur.

Neque ſatis, propenſo in Mathiam Pontifici, erat Bohemos jurejurando ſolutos ab Wladislao amoliri, graviſſimas præterea ſacrorum minas eodem tempore non modo his, ſed Sileſiis etiam, ac Moravis intentarat, qui Polonum deinceps ſectarentur aperte commonſtrans, Wladislaum, cum ab Catholicis Bohemiæ Proceribus, ut regnum ex Podiebradii tyrannide liberaret, olim vocatus venire renuiſſet, jure electionis prorſus excidiſſe: Itaque niſi Mathiæ, tanquam legitimo regi, obedientiam præſtarent, ſe pro ſua poteſtate omnibus, qui refragari auſint, ſacris interdicturum eſſe. (d)

„ Dilectis filiis, Nobilibus viris, Ducibus, Baronibus, militibus, & aliis cujusvis ſtatus, & conditionis fuerint, Regni Bohemiæ, Ducatus Sileſiæ, & Marchionatus Moraviæ perſonis, chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Mathiam regem Hungariæ in regem Bohemiæ, & Marchionem Moraviæ non recognoſcentibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Congregatis in unum Electoribus, ac votis eorum in primogenitum chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caſimiri Poloniæ regis illuſtris, quem idoneum, & aptum, nec non tantæ regalis dignitatis culminis benignum acceptorem arbitrabantur, concurrentibus, eundem primogenitum, dummodo ipſos ſine mora ab ipſius Jerſici (ſeu Georgii Podiebradii) oppreſſione liberaret, elegerunt. Sed licet debite requiſitus, ut electionem pro eo factam acceptaret, fideles, & Catholicos ab hæretico oppreſſos libertati traderet, hæreſes exſtirparet, ac ipſorum Hæreticorum inſolentias reprimeret, & eos ad veræ fidei cultum reduceret, aut ipſos deleret, tamen idem primogenitus in gravem fidei læſionem, ac regnicolarum, & habitatorum jacturam, & diſpendium non modicum, electionem de eo, ut præfertur, factam acceptare, & in ſe ſponte ſuſcipere recuſaverat, tandem electores ipſi ulteriori dicti regni viduitati, ampliori regnicolarum prædictorum diſcrimini providere volentes, ac etiam, ut facilius hæreſes, quæ in dies plus, plus inibi pullulabant, & diffundebantur, celerius exterminarentur, chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Mathiam Hungariæ, & etiam nunc ipſius Bohemiæ regem unanimiter, & concorditer in eorum, & regnicolarum, nec non vaſallorum, & ſubditorum regem elegerunt. Quæ quidem electio tamquam ſancte, juſte, & canonice facta per venerabilem fratrem noſtrum Laurentium Epiſcopum Ferrarienſem Apoſtolicæ ſedis cum poteſtate Legati de latere Nuncium Apoſtolica authoritate exſtitit confirmata, ipſeque Mathias rex tamquam Catholicus Athleta, præmiſſis in ſe benigne ſuſceptis, grandes exercitus, gentemque belligeram, non ſine gravibus laboribus, & magna expenſarum mole, regnique ſui Hungariæ detrimento, in præfatum Bohemiæ regnum, ejusque adjacentes partes traduxit, cauſam fidei egit, & indefeſſe tutatus eſt.

„ Et ſicut diſplicenter accepimus, licet idem Mathias rex, ut præmittitur, in regem Bohemiæ ſancte, juſte, & canonice electus, & electio ipſa confirmata fuerit, & pro fidei, Patriæ, & perſonarum illarum partium tutela, ac communi periculo repellendo hæreſum, & hæreticorum ad rectitudinis, & fidei Catholicæ tramitem reductionem, aut alias eliminationem graves labores, & expenſarum onera pertulerit, ingentesque exercitus in ipſum Bohemiæ regnum traduxerit, & indefeſſe perferre, & traducere, nec non bella gerere etiam in perſona non ceſſet, nihilominus vos eum in regem, Principem, Marchionem, & Dominum recognoſcere, ſibique fidelitatis debitæ juramentum, & homagium præſtare minime curatis.

„ Nos igitur cupientes, ut memoratus Mathias rex, ab omnibus & ſingulis Ducibus, Baronibus, militibus, & aliis cujusvis ſtatus dicti regni Bohemiæ, Ducatus Sileſiæ, ac Marchionatus Moraviæ hujusmodi perſonis in regem recognoſcatur, & habeatur, ac ſibi fidelitatis debitæ juramentum, nec non homagium hujusmodi præſtetur, ut hæreſes, nec non hæreticos prædictos reducere, aut exterminare, ut præmittitur, valeat; vos omnes, & ſingulos, quotquot eſtis, hortamur, & in virtute ſanctæ obedientiæ, ac per vi-

(d) Apud eund. eod. ann.

1472. „ viſcera miſericordiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti requirimus & monemus, ac
„ ſub excommunicationis, nec non omnium, & ſingulorum feudorum, privi-
„ legiorum, conceſſionum, & indultorum quorumcunque perditionis, & amiſ-
„ ſionis pœnis mandamus, quatenus ipſum Mathiam regem, in veſtrum, & ipſius
„ regni Bohemiæ regem, nec non Ducatus, & Marchionatus, & Dominiorum,
„ quibus ipſe Jerſicus privatus exſtitit, Principem, & Dominum ex nunc ha-
„ beatis, nec non fidelitatis debitæ juramentum, & homagium, ac vaſallagium
„ hujusmodi omni mora, omni dilatione, & contradictione ſepoſitis, etiam
„ omnium, & ſingulorum veſtrorum ſubditorum nomine præſtetis, nec non ut
„ hæreſes, ac hæretici hujusmodi, illorumque fautores, receptatores, adhæ-
„ rentes, & defenſores absque alicujus moræ diſpendio exterminari poſſint, ipſe-
„ que Mathias pacifica regni Bohemiæ, Ducatus, Marchionatus, & Dominiorum
„ prædictorum potiri poſſit, atque frui poſſeſſione, omne ipſi Mathiæ regi circa
„ præmiſſa auxilium, conſilium, & favorem adhibeatis, & impendatis, & ab
„ aliis, quantum in vobis fuerit, impendi, & præberi faciatis: ſic enim facien-
„ tes ultra noſtram, & dicti Mathiæ regis benevolentiam, & gratiam, præmium
„ æternæ retributionis conſequemini. Alioquin enim cogemur adverſus vos ad
„ graviores ſententias, & pœnas procedere, quod nobis grave, & admodum
„ moleſtum foret. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ
„ MCCCCLXXI. Calendis Martii, Pontificatus noſtri anno primo.

Irriti tamen hi conatus omnes fuere.

Hic poſtremus fere Sixti pro rege conatus fuit, eventu tamen nihilo, quam prius feliciori; quod Bohemi vim ac præjudicium libertati ſuæ creari arbitrantes, tanto firmius Wladislao adhæſere, quanto magis Papa, irritato fidei ſacramento, Mathiæ ſtudebat: fuitque multorum, nec inanis fortaſſe opinio, potuiſſe rem ex ſententia omnino confieri, ſi aut hic poſitis tantiſper armis, quod plerique ex Bohemiæ Proceribus ſuaſerant, factioſorum ſtudia amicitiæ ſimulacro captaſſet, aut Pontifex cum Legato electionem, qua Mathiam ab Optimatibus regem declaratum eſſe alias memoravimus, multo poſterius confirmaſſet. Ita fere conſilia, quæ deproperantur, nec ad temporis habitum, nec gentis morem exacta eſſe ſolent.

Strigonienſis Archiepiſcopus regis juſſu Wiſſegradum ductus

Cum hæc in Bohemia Bohemiæ cauſa geruntur, novæ rurſum in Hungaria regem inter, & Archiepiſcopum Strigonienſem lites recruduerant, tanto utrinque animorum æſtu, ut Mathias officii, quo ſacros viros alias complexus eſt, parum memor, Antiſtitem Viſſegradum deduci, arctaque cuſtodia teneri juſſerit: ſive conditionum, quas anno priore inierat, pœnitentia regem ſubiret, ſeu novas rurſum res Archiepiſcopum contra datam fidem moliri ſuſpicio erat: neque de nihilo eam prorſus fuiſſe multorum conjectura fuit, quod Joannes Quinque-Eccleſienſis Antiſtes Archiepiſcopi ex ſorore nepos, ut primum, quid illo futurum eſſet, intellexerat, arrepta fuga in Croatiam ſeceſſerit, iſthinc ſi quid gravius immineret, Italiam petiturus. Hæc in carcerem conjecti Præſulis cauſa prodita eſt: ceterum haud multo poſt Procerum interventu, libertati reſtitutum lego conditionibus tamen multo, quam anno abhinc, gravioribus oneratum, quas rex, ne quid temere in virum egiſſe videretur, hoc diplomate vulgavit. (e)

gravioribus, quam antea conditionibus dimittitur.

„ Nos Mathias Dei gratia rex Hungariæ, Bohemiæ &c. ſignificamus tenore
„ præſentium, quibus expedit, univerſis: quod nos ad preces, & humilimam
„ ſupplicationem nonnullorum fidelium Prælatorum, & Baronum noſtrorum,
„ per eos noſtræ (factam) Majeſtati, ſuper diſſenſionibus, & differentiis inter
„ nos, & Dominum Joannem Archiepiſcopum Strigonienſem his diebus transactis,
„ exortis cum eodem Domino Joanne Archiepiſcopo, & ſuis diſpoſuimus, atque
„ concordavimus, modo, & ordine inferius articulatim conſcripto. Primo vi-
„ delicet, quod nos eundem Dominum Joannem Archiepiſcopum de præſenti
„ captivitate noſtra omnino emittemus, & plene liberum faciemus, ita quod
„ ipſe ſicut liber ſit exire, & intrare caſtrum Strigonienſe, quodque in caſtro
„ eodem triginta duos famulos tenere poſſit, qui debebunt jurare fideli noſtro,
re-

(e) Ex Tom. MS. rerum Hung. R. P. Gabrielis Hevenessy e S. J. Num. LXI.

» reverendo in Chriſto Patri Domino Joanni Epiſcopo Agrienſi, in cujus manus
» fideles dictum caſtrum Strigonienſe aſſignabitur, ad obſervandam ſibi omnem
» fidelitatem, ſine dolo, & fraude, prout ſatis late dictum eſt. Item, ut propter
» hanc deliberationem præfati Domini Archiepiſcopi, caſtellani, & famuli ejusdem
» in dicto caſtro Strigonienſi conſtituti, idem caſtrum teneantur dare ad manus
» fideles præfati Domini Joannis Epiſcopi Agrienſis, ita, ut dum ipſe Dominus
» Joannes Archiepiſcopus plene liber fuerit, & caſtrum prædictum ad dictas fide-
» les manus aſſignabitur, ipſi Archiepiſcopus & Epiſcopus de conſervatione ejus-
» dem caſtri ſimul diſponant, & concordent. Item diſpoſitum eſt, ut dum præfa-
» tus Dominus Archiepiſcopus libertati reſtituetur, ex tunc caſtra, videlicet:
» Dragol, Berzencze Kevyſelye, & Thoplicze ad manus fidelis præfati Joannis
» Epiſcopi ſine omni difficultate, & coutradictione aſſignet. Item, quod præfatus
» Dominus Joannes Archiepiſcopus poſt hanc ſuam eliberationem in juriſdictione,
» & auctoritate uon minoretur, ſed tam in ſpiritualibus, & temporalibus, quam
» etiam jure patronatus, prout hucusque plenam exercere valeat auctoritatem.
» Item, quod omnes poſſeſſiones præfati Domini Joannis Archiepiſcopi, tam
» proprias, quam etiam Eccleſiæ ſuæ, & Capituli, quæ tempore præſentium
» differentiarum per noſtros occupatæ ſuut, ſine damno, & offenſa, quæ in po-
» ſterum fieri poſſent, remitti facere teneamur. Item, quod præfatus Dominus
» Joannes Archiepiſcopus omues officialatus villarum, & poſſeſſionum ſuarum
» ſit liber conferre familiaribus ſuis, quibus voluerit, præter poſſeſſiones, ad
» caſtellanatum caſtri Strigouienſis ab autiquo pertinentes; quas caſtellani ejus-
» dem caſtri Strigonienſis per dictum Dominum Joannem Epiſcopum Agrienſem
» deputandi teneant, eo modo, prout caſtellani hactenus habuerunt. Item ſi
» aliquando aliqui ex officialibus prædictis ad dictum Dominum Archiepiſcopum
» venire voluerint, puta, quatuor, ſex, aut plures ſine armis, & cum uno
» parvulo libere ad dictum caſtrum intro mittantur, & ſiue omni ſervo admit-
» tantur. Item quod poſtquam nos cum rege Poloniæ coucordiam, & finalem
» diſpoſitiouem habuerimus, præfatum caſtrum Strigonienſe, & omnia alia, quæ
» apud manus fidelis prædicti Domini Epiſcopi fuerunt, eidem Domino Joanni
» Archiepiſcopo ſiue aliqua difficultate remitti facere teneamur. Ita tamen, quod
» caſtellani ſui in caſtris ipſius conſtituti, juvent uobis, & ſibi, prout alias Stri-
» gonii diſpoſitum eſt. Item, quod caſtri Zonda, ex quo idem caſtrum ante
» concluſionem præſeutis diſpoſitionis obtentum fuit, ita, ut nunc eſt, remaneat,
» etiamſi dictus Dominus Joanues Archiepiſcopus libertati reſtituatur. Item,
» ſi medio tempore præfatum Dominum Joannem Archiepiſcopum mori contin-
» gat, ex tunc idem Dominus Epiſcopus, & caſtellani prædictum caſtrum Stri-
» gonienſe, & dicta alia caſtra ad manus noſtras tradere teneantur: ſi vero nobis
» prius ſiue hæredibus legitimis, quod Deus avertat, mori contingat, ex tunc
» idem Dominus Epiſcopus, & ſui caſtellani ſimiliter idem caſtrum, uti & alia
» libere, & ſine difficultate antefato Domino Joanni Archiepiſcopo remittere,
» ac ſe, & manus ſuas de eisdem omnino excipere teneantur. Item, quod omnia
» bona & jura antefati Domini Archiepiſcopi & Eccleſiæ ſuæ, ac Capituli ſui
» ubicunque - - - præſertim - - domum ipſius Domini Archiepiſcopi - - -
» bona omnia alia ſubditorum (*f*) & aliorum ad eum pertineutium, in dicto
» caſtro Strigonienſi, & alias ubicunque exiſtentium, tam ſcilicet Eccleſiaſtico-
» rum, quam etiam famulorum ubicunque nunc, & in futurum ſalva remanere
» faciemus, nosque cum Prælatis, & Baronibus noſtris infra ſcriptis reſpon-
» deamus ex parte omnium, ut illa bona in dicto caſtro, & extra per neminem
» auferentur violenter. Item, quod nos caſtellanis, & aliis ſubditis dicti Domini
» Archiepiſcopi, & ceteris ad eum pertinentibus tam Eccleſiaſticis, quam Sæcu-
» laribns in dicto caſtro Strigonienſi, & in aliis caſtris ſuis, ac alias ubicunque
» conſtitutis, nec uon capitibus, rebus, beneficiis, & aliis bonis eorum quibus-

(*f*) Apographum, quod præ manibus habui, interpolatum hoc loco fuit: credo ſcribam aut in legendo hæſiſſe, aut Authographum re ipſa iſthic mancum fuiſſe.

1472. „ vis, de conſilio, & deliberatioue Dominorum Prælatorum, & Barouum no-
„ ſtrorum plenam gratiam facimus per præſentes, neque per quempiam ratione
„ bujusmodi hactenus commiſſorum illos in perſonis, & rebus impediri, vel ad
„ judicium evocari permittemus. Item, quod poſſeſſiones, & portiones poſ-
„ ſeſſionum, ac jura omnia familiarium, & ſubditorum dicti Domini Archiepiſcopi,
„ & ad eum pertinentium, ſiquæ jam de facto ab iis occupatæ ſunt, eisdem plene,
„ & ſine difficultate remittimus, & remitti faciemus. Item, ut omnes familia-
„ res, & ſubditos dicti Domini Archiepiſcopi, & ad eum pertinentes, qui vi-
„ delicet cum eo, vel alias qualitercunque per nos, & noſtros detenti ſunt, liberos
„ dimittemus de captivitate, & emitti faciemus, promittentes verbo noſtro re-
„ gio, & bona fide, quod præmiſſa omnia dicto Domino Archiepiſcopo, & ſuis
„ obſervabuutur, & obſervari faciemus in quantum præfatus Domiuus Archi-
„ epiſcopus, & ſui nobis hoc idem obſervabunt, ſalvis tamen, ſi medio tem-
„ pore cum ipſo Domino Archiepiſcopo aliquas alias diſpoſitiones faceremus.
„ Harum litterarum noſtrarum vigore, & teſtimonio mediante. Datum Budæ feria
„ quarta proxima poſt feſtum reſurrectionis Domini anno ejusdem MCCCCLXXII.
„ regni noſtri anno decimo quinto, coronationis vero nono.

„ Et nos Laurentius Epiſcopus Ferrarienſis Apoſtolicæ ſedis Legatus,
„ Gabriel electus, & confirmatus Colocenſis, & Bachienſis Eccleſiariarum, ſum-
„ mus, & Secretarius Cancellarius regius, Joannes Agrieuſis, & Albertus
„ Veſzprimienſis Eccleſiarum Epiſcopi: Michael Orſzág de Guth, regni Hun-
„ gariæ Palatinus: Comes Stephanus de Bathor Judex Curiæ Regiæ; Nicolaus
„ Cſupor de Mouoſzlo Wayvoda Tranſilvanus, Zdenko de Sternberg Palatinus
„ regni Bohemiæ, & Joannes Erneſtus Comes Zolienſis promittimus penes præ-
„ fatum Dominum uoſtrum regem. quod ipſe præfatam diſpoſitiouem, & omnia
„ præmiſſa dicto Domino Joanni Archiepiſcopo, obſervabit, nos quoque obſer-
„ vabimus. In cujus rei teſtimonium penes ſigillum Domini noſtri regis, etiam
„ ſigilla noſtra apponi fecimus. Datum ut ſupra.

Non multo poſt ex animi mœrore obit.

Emiſſus e cuſtodia Archiepiſcopus haud diu ſuperſtes fuit; mœrore enim animi tabeſcens aliquot poſt menſes IV. idus Auguſtas obüt: vir magnæ ſemper apud regem gratiæ, & auctoritatis, niſi quod iu exitu ab ſe ipſo deſciſcens, turpi perfidiæ nota famam ad poſteros commaculavit. Doctus ipſe, & Doctorum Mæcenas, qui uobiliſſimam Strigonii Bibliothecam regis animuun æmulatus condidit: Aſtrologiæ paulo, quam dignitas ejus poſtulabat, ſtudioſior, fertur icones quatuor Mathiæ ſuccedentium ex ordine regum hieroglyphica pictura expreſſas in atrio intueutium oculis ſpectandas præbuiſſe: quarum prima regem in throno dormientem, altera effigiem, præ cujus pedibns ignis quaquaverſum ſparſus obvia quævis populabatur, tertia nudos athletas inter ſeſe de corona luctantes, quarta denique Leonem cum diademate cydari obvoluto exprimeret. (*g*) Quæ etſi cum iis, quæ poſtea acciderant, probabili eventu congruere obſervaium eſt, mirum tamen videri poterat virum, qui futura, & louge ab ſe poſita tam acriter mente complexus ſit, gratiæ ſuæ apud regem occupatæ viciſſitudinem non multo ante proſpexiſſe.

Eodem fato Joannes Quinque-Eccleſienſis rapitur. Hujus laus a litteris.

Archiepiſcopum brevi poſt tempore nepos ejus, Joannes Quinque-Eccleſienſis Antiſtes eodem fato raptus exceperat, in exillo, quod ſpoute regis iram veritus, èlegerat, finem vitæ faciens, incredibile ſni non modo in Hungaria, ſed Italia quoque deſiderium reliquit. *Annos ſeptendecim, ut Bonfinius* (*b*) de eo refert, *ſub Guarini Veronenſis diſciplina fuerat, utramque ab ineunte pueritia linguam imbiberat. Præceptor ejus ſæpe dicere ſolebat, ſe nullum adbuc ex Italis, peregriniſque diſcipulis babuiſſe, qui præſtantia, docilitate, fœcunditateque ingenii cum Joanne Pannonio conferri poſſet. Si latine loquebatur, in urbe Roma: ſi græce, mediis natum Athenis affirmaſſes. Nibil barbariei actio, & oratio redolebat. Natum ad carmen ingenium reputaveris, in proſa oratione non injucundum. Quod ſi in publicis curis, & procellis non fluctuaſſet, nimirum cum priſcis oratoribus & poetis certare potuiſſet.* Ab obitu tamen diu inhumatus

(*g*) Gregorius PETHŐ in Chron. Hungarico. (*b*) Dec. IV. Lib. III.

marus jacuit, quod Quinque-Eccleſienſe Sacerdotum collegium, hunc ob Mathiæ irum honorem defuncto habere vereretur; quoad rex rem edoctus, caſtigansque eorum oſcitantiam, ſe in vivos ſolum, cum peccaſſent, non item mortuos animadvertere ſolitum eſſe, honeſtiſſimas viro ceteroquin non male de ſe, & repoblica merito exequias decreſſet. Sepulcro hos verſus, quos vivens fecerat, regis permiſſu inſculptos fuiſſe comperio.

Hic ſitus eſt Janus, Patrium qui primus ad Iſtrum
 Duxit laurigeras ex Helicone Deas.
Hunc ſaltem titulum livor permitte ſepulto,
 Invidiæ non eſt in monumenta locus. (*i*)

Rex dimiſſo e captivitate Victorino in Bohemiam movet.

Utriusque morte magna cura ſolutus Mathias, innovatisque cum Friderico amicitiæ fœderibus, res Bohemicas tanto acriori animo complecti viſus eſt, quanto minus ante ob comprimendam domi ſeditionem iis vacandi tempus habebat. Pontificiis maxime edictis ad ſpem rurſum erectus eſt, viam ſibi ad invadendam Bohemiam, Victorini, quem captivum hactenus tenuerat, opera complanari poſſe arbitratus eſt. Itaque libertate donatum, itineris ſibi ſocium in Moraviam eſſe voluit; ex qua collecto celeriter exercitu in Bohemiam irrumpens illius ope Colinum oppidum per deditionem accepit, eique extemporaneis operibus communito præſidium lectiſſimi militis imponens, bellum ex ea urbe metumque in regni mediterranea proferre meditabatur.

En re Caſimirus territus Legatum ad Mathiam mittit.

Ea re gravis metus Polonis, ac Caſimiro Wladislai cauſa nihil non metuendi incuſſus; qui ut periculum a filio averteret, caſtellanum Sandecenſem ad Mathiam legarat, pacem, aut inducias conflaturum. Auctor regi, hortatorque ad ineunda cum Hungaro fœdera Marcus Bembus Cardinalis Aquilejenſis erat, quem ab Sixto Legati honore ornatum in Poloniam miſſum alias narratum eſt. Quo rerum eventu legatus apud Mathiam egerit, haud una, eademque eſt ſcriptorum opinio: qui res Auſtriacas litteris complexi ſunt, (*k*) regem, quod ingentis ſpiritus vir præreptam ſibi Bohemiam dolenter ferret, ac compreſſa domi conjuratione magnam auri, argentique vim ex ſeditioſis conflaſſet, vilipenſa Caſimiri inopia, fretumque nova cum Cæſare inita amicitia vix aliquot menſium inducias ab ſe impetrari paſſum fuiſſe; cumque Caſimirus pacis conditiones non ſatis gratas proponeret, Legato per deſpicatum reſpondiſſe, ſibi ea pace omnino opus non videri, adjeciſſeque præterea, ſed aliquanto, quam reges deceat, intemperantius, venturum ſe brevi, & Calvo, depilis enim Caſimirus erat, reliquos quoque crines evulſurum.

(*i*) Ludov. Tubero Lib. III. Comment. de ſuis temporibus vitam ejus ad Wladislai ætatem adducit, ſed opinor hunc cum altero Joanne Veſprimienſium Præſule confuſum eſſe. Quo loco & illud viſum addere: opuſcula ejus juſſu Mathiæ regis ſerius poſtea per Petrum Archiepiſcopum Colocenſem collecta fuiſſe. Certe de epigrammatibus id diſerte ad Michaelem de Keſzthewith, Lectorem, & Canonicum Strigonienſem ſcribens memorat. *Ceterum*, ait, *a reverendo Domino Varadienſi nuper inter colloquendum, cum de Johanne Pannonio ſermo incidiſſet, intelleximus epigrammata illius, quæ nos alias regis Mathiæ juſſu in unum collegiſſe meminimus, apud Paternitatem veſtram tranſcripta eſſe, quæ nos certe avidiſſimo cuperemus videre animo, cum ob illius præſtantiſſimi viri memoriam, tum vero quod multis verborum ſalibus, & rerum varietatibus exuberent, adeo, ut neminem unquam poëtarum viderimus, veterem illum epigrammatum poëtam Martialem fabre magis expreſſiſſe. Noſter liber, in pargamenum tranſcribi feceramus, ſub adverſitatis noſtræ tempore amiſſus eſt. Rogamus paternitatem veſtram, ſi carere libello ipſo, parvo tempore, poteritis, facite, ut illum habeamus; cito enim tranſcribi faciemus: vel ſi eo vos quoque interdum pro ſolatio indigetis, facite vos tranſcribi, tantum emendate, & nos labore duplici, tranſcribendi videlicet, & remittendi levabitis: valete. Ex Buda Sabbatho poſt nativitatem S. Joan. Bapt. 1496.*

(*k*) De Roo Hiſt. Auſt. Lib. VIII.

1472.

Ex quo ſpes pacis haud levis affulgebat,

Poloni contra, Mathiam onnuas inducias metu Turcici belli libenter petenti Legato conceſſiſſe memorant; quas tamen Caſimirus, quod pacta quædam immodice decora complecterentur, refutatis iniquioribus conditionibus, breviori temporis ſpatio comperendinari voluerit, ueque porro, quam ad diem Divo Joonni Baptiſtæ notalem durare. Quod qua confidentia ſcriptores Poloni memoriæ prodiderint, non video, cum ne ipſi quidem diffiteantur, Caſimirum imperato extra ordinem tributo mognopere opud Mathiam egiſſe, nt indicto Olomucium, aut Nyſſam conventu, accitis ex Bohemia quoque Legatis ſuos itidem nuncios mittere ne gravaretur: ſe uovem ex primoribus regni ſuis viris illo etiam legaturum, quorum collotis conſiliis pax fœdusque perpetuum ſtatueretur. Ea certe fama Europam pervaſerat, & ſpes nou minima fuit, belli, ſi tres potentiſſimi reges, in eo conventu amicitiam poſitis odiis inſtaurarent, communi ſtudio, oc viribus in Turcos transferendi. Quod ubi ad Sixti Pontificis aures relatum eſſet, mire lætus offerri ſibi ultro rationem, qua conflatam ſibi æmulorum gratia invidiam ab ſe amoliri poſſet, Legatum datis litteris valde cohortatus eſt, ut conventui intereſſe omnino ſatageret, daretque, quam poſſet, operam ne reges fruſtra oratores ad conciliandam inter ſe amicitiam illo miſiſſe videantur. (l)

Præſertim quod Papa Legatum Apoſtolicum ad conciliandos reges mitteret,

Dilecto filio noſtro Mareo tit. S. Marci Presbytero Cardinali, in partibus Germaniæ, Hungariæ, & Poloniæ noſtro, & Apoſtolicæ ſedis Legato, &c. te dilectiſſime Fili in Domino benedicimus, & pro noſtro ardenti futuræ pacis deſiderio hortamur, ut toto pectore ad celebrandam diætam, ac pacem conficiendam incumbas, nihil monendo, & ſuadendo omittas, pericula tum privata, tum publica ante oculos omnium ponas, quantum boni in pace, quantum mali in diſcordia ſit, explices, obteſteris per Dei, & Apoſtolicæ ſedis reverentiam, ut concordiam ſepoſita omni contentione ſectentur: maximum nobis ex pace gaudium, maximum emolumentum rebus ipſis, maxima Chriſtianitati utilitas, non mediocris bonos circumſpectioni tuæ accedit. Si vero, quod miſericors Deus ſua pietate avertat, tua opera effici pax non poſſit, volumus reges eosdem auctoritate noſtra moneas, ut ad uos oratores ſuos ſufficienti mandato ſuffultos, intra trimeſtre a die mandati eis facti, mittant, & usque ad ipſorum oratorum reditum ab armis, belloque ceſſent. In nullo enim Domino auctore, deeſſe volumus regum ipſorum tranquillitati, & reipublicæ Chriſtianæ ſaluti. His peractis poteris ad nos eum Dei, & noſtra benedictione redire, præſentia enim tua ſedi Apoſtolicæ utilis, & neceſſaria eſt. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ MCCCCLXXII. Pontificatus noſtri anno ſecundo. Adjecerat his privata quoque mandata, quibus copiam legato facit, ut ſi aliter regibus convenire uou poſſet, quam ut quisque parta regni ditione potiretur, fœdus iu has etiam conditiones, quod temperatæ in primis viderentur, omnino confirmaret. Id conſilium tametſi nunc quidem fructu caruit, poſtea tamen, quam æmulos belli jam, armorumque tæderet, uſu ipſo, ut narrobitur, mirifice probatum eſt.

An. Chr. **1473.**

Ægre tamen induciæ conſtant.

Ineunte enim anno, cum ſub initium Februarii od condictum locum oratores regum coiviſſent, non modo quod Pontifex vehementer optobat, pax inter partes non coaluit, ſed de induciis etiam difficillime transactum eſt. Mathias eatenus in cauſa fuit; qui, dum fœderum tractatio per Legatos Nyſſæ ageretur, Brunam cum quatuor Equitum millibus promovit, partim ut Bohemorum animos ex propinguo ſollicitaret, partim, nt oſtentatione armorum Poloniæ Legatos ad utiles ſibi conditiones per metum adigeret. Itaque cum magis ad bellum, quam pacem rex ſpectare videretur, res in conventu ſæpe abrupta, iterumque redintegrata eſt, quoad Pontificis Legati ſtudio, induciæ in Auguſtum menſem prorogatæ eſſent, ſub cujus medium Opaviam rurſus Legati, Bohemorum quidem ſex, ex Hungaris autem, & Polonis octo convenirent.

Mathia domum reverſo Turcici Legati Budam veniunt

Ita tum re, cujus cauſa Legati convenerant, infecta diſceſſum eſt. Neque Mathias reducto iu hiberna milite, diutius in Moravia moratus domum maturavit, quod per nuncios intellexiſſet, oratores ob Mahomete Turcorum Sultano affuturos, qui pacem confecturi ad Nicolaum Ujlakium recens Boſniæ regulum ab Mathia appellatum, cum muneribus veniſſent. Re enim vera Barbari circum-

(l) Apud RAYNALD. Annal. Eccl. ad ann. 1472.

cumferente per Aſiam latius in dies Uſumcaſano Meſopotamiæ rege victorias, ad incitas fere redacti, in metu maximo erant, ne perdito orientis Imperio, in Europæ angulo concluſi, Chriſtianorum armis deſtitnerentur; præſertim, quod certis indiciis comperiſſent, Venetos ingenti claſſe Uſumcaſano opem in mediterraneo laturos. Qnare, ne terra marique vires diſtrahere opus eſſet, Mahometes Legatos ad Ujlakium cum muneribus miſit, plurima ei pollicitus, ſi pro ſua apud regem gratia, & auctoritate fœdus conficeret. Is & condirionum, qoas honeſtiſſimas barbari obtulerant, ſpe adductus, & provectæ ætatis virio laborum pertæſus, faciles legatis aures præbuit, pacemque, ſi Boſnia, quam tenerent, & Servia decederetur, ſe impetraturum recepit. Edoctus Mahometis voluntatem Mathias Legatos Budam venire juſſit, ut, bonane fide pacem peterent, an contra, ipſe coram exploraret. Illi magnis uſi itineribus, haud multo poſt in urbe aderant, admiſſique ad regem fœderis conditiones in hæc capita propoſueront: pax utrinque firma eſſet, mutua ſibi cum opus foret auxilia præſtarent: Mahometem Boſnia ac Servia deceſſurum, ſi ſibi per Hungariam ad reliquos Chriſtianos aditus daretur, polliceri ſe, cum per regis ditiones iretur, militem in diſciplina habitum iri, neque cum maleficio tranſiturum. (*m*) Mathias ſive dolum pacificationi ineſſe arbitratus eſt, ſeu ab nomine hominis Chriſtiani alienam rem eſſe exiſtimavit, cum reliquorum periculo, ſuæ, ſuorumque ſaluti conſulere, rejectis conditionibus pacem aſpernatus eſt.

Abhinc fama Principum aulas paſſim oberrabat, regem cum Mahomete in Chriſtianorum perniciem ictis fœderibus conſpiraſſe, quæ cum ad Sixtum quoqoe allata eſſet, difficile dictu eſt, quanto mœrore ejus animum perculerit, quod id & præter opitionem eveniſſet, & dum commune adverſus Barbaros bellum moliretur, præcipuam rei ex ſententia gerendæ ſpem in Mathia collocaſſet. Itaque, quod unum ſuperabat, datis ad regem graviſſimi argumenti litteris abducere eum ab nefario fœdere niſus eſt, quantam ſibi, tametſi bona fide barbari agerent, apud omnes Chriſtianos inconſtantiæ, ac levitatis notam inuſturus eſſet, prolixe commonſtrans. (*n*)

Quibus rejectis cum maligna fama ſpargeretur, regem cum barbaris pacem iniiſſe,

REGI HUNGARIÆ.

„ Mathia rex glorioſe! attende primum, quæ fides eſſe ribi de fallaci
„ homine poteſt, tu Chriſtum ſequeris, ille Mahometis inſaniam: tu pro Evan-
„ gelio contra eum in hunc diem pugnaſti, illius arma contra te ad tuendam
„ dæmonum ſectam intenta ſemper fuerunt. Memento pugnarum a Patre
„ Vayvoda, & te toties commiſſarum, cædium quoque, quæ de Turcis multæ
„ ſunt factæ: ſcit ille tua in primis virtute per hos annos obſtitum, quo minus
„ tantum imperio potuerit progredi, quantum optavit: unum te odio habet,
„ atque unum te perditum cupit; quo ſublato uihil non de Chriſtianis ſperan-
„ dum ſibi cognoſcit; ſi quid blandiatur interim, aut ſiquid prom ttet tibi, non
„ alia ratione id faciet, quam ut & conſulat ſibi, & in omnem occaſionem te
„ opprimat. Exempla infidelitatis ſuæ non ſunt longe petenda, te, tuumque
„ regnum circumdant: recogita, quæ noſtra memoria in Servia, & in Boſna ab
„ eo ſunt geſta, quibusque fallaciis miſeri Chriſtiani nimiæ pœnas fiduciæ ulti-
„ mas dederint; videbis, ſi deſint cetera, hæc ſatis eſſe ad ceterorum documen-
„ tum, & tuum: credendum illi uon eſt, merces amicitiæ ab eo nulla quærenda.
„ De religione contenditur: ille tuetur ſuam: tu tuam: diverſitas hæc cauſæ
„ conciliare animos veſtros nullis pactionibus poteſt; aut tibi dimittendus eſt
„ Chriſtus, aut Turcus ſuſpectus ſemper habendus. Adde, quod negligendum
„ non eſt, quo animo Principes Hungari, quo etiam populi pacificationem hanc
„ ſint accepturi: fidelis Deo ſemper tua gens fuit, militavit nomini altiſſimi,
„ cupidiusque ad pugnam, quam ad nuptias cæteris eſt ſemper profecta. Quid
„ judicaturos de te illos exiſtimas, intuentes nulla urgente neceſſitate, ſola cu-

Pontifex eum ab fœdere abſtrahere nititur.

(*m*) Colligitur id ex oratione legatorum Hungariæ, quam anno 1479. ad Principes Imperii habuere, quam ſuo loco referemus.

(*n*) Apud RAYNALD. ad præſentem annum.

1473. „ piditate, aut Serviæ, aut Boſnæ nou modo cum execrando hoſte ſentire, ſed
„ ad oppugnandos oppugnatores ſuos copias jungere. Non omnium intra Hun-
„ gariam fortaſſe pacati tibi ſunt animi, ſunt facile multi, quos tua virtus of-
„ fendat, multos etiam gloria urat, danda non videtur occaſio, ut qui de te
„ ſentiunt bene, ſentire jam male incipiant, & qui criminari opera optant, etiam
„ exagitandi facultatem aperte accipiant. Religione, & conſtantia, & in pericu-
„ lis fide, quibus regnum paraſti, in poſterum tibi eſt retinendum. Proximam
„ quoque Bohemiam tot jam anuos a te oppugnatam, nonne dicturam agnoſcis:
„ uon pro judicio romanæ ſedis, tollendisque erroribus, ſed ad ſolam ampliandæ
„ poteſtatis curam tam diu bellatum eſſe, tantamque rerum, atque hominum
„ editam ſtragem, quando pro Servia, & Boſna non cum hæreticis, ſed quod
„ fœdius eſt, pacem procuratam cum infidelibus inſpicient. Retinendum ubi-
„ que etiam inter tuos eſt nomen bonum fili chariſſime! idque non modo ante-
„ ponendum ceteris rebus, ſed morte etiam, ſi expediat, redimendum. Qua
„ in re animadverti quoque oportet, quantum Cæſar, & circumſtantes Ger-
„ maniæ Principes improbaturi factum hoc ſint, quantumque miraturi mutatio-
„ uem hanc ſubitam, tantæque jacturæ, creſcet haud dubie illis ſuſpicio, in te
„ amor non creſcet, novorum forte etiam conſiliorum cauſam præſtabis, quæ
„ qualia futura ſint, arbitrari tu melius potes, cui uota ſunt propinqua.

Sed tam famam in exitu malignam fuiſſe patuit.

Hactenus Pontifex: quæ nos quoque Romani ſcriptoris opinionem ſecuti, in medium proferre e re annalium arbitrati ſumus, ue quid, quod Mathiæ parum houorificum erat, ex aſſentationis ſtudio præteriiſſe videamur. Sed multa narrationi huic inſuut, quæ verene an coutra ex ſuſpicione in litteras relata ſint, dubium magnopere obmoveant, alioquin tametſi Bonfinius annum hunc rebus omnino vacuum prætermiſerit, nuſpiam apud patrios ſcriptores ullum conciliatæ cum barbaro pacis veſtigium exſtat; ueque finitimi uobis Auſtrii illius meminere: Poloni autem ceteroquin immodice dicaces in Mathiam, miro ſilentio tam indecorum regi fœdus involvunt, non prætерituri, ſi quid veri vulgatæ tam malignæ famæ ſubeſſet. Ad hæc nihil prorſus cauſæ erat, cur amicitiam tam alieno tempore cum Mahomete iniret, quem Aſiaticis turbis occupatum nihil in Huugariam moliturum providerat, & quem alias adverſus occidentis, orientisque imperatores eodem tempore graviſſimo bello diſtentum legimus, veriſimile non eſt, uunc, cum illi cum ſolis Bohemis res erat, tam dejecto animo precariam velut pacem a barbaris flagitaſſe, a quibus nihil prorſus regno diſcriminis imminebat. Itaque illud, quod ſupra narravimus, veritati magis conſentaneum eſt: barbaros quidem Uſumcaſani victoriis in Aſia fere oppreſſos, fœderum conciliationem Ujlakii opera apud regem quæſiiſſe, repulſam autem paſſos, ut hoſtibus ſuis rationes turbarent, de induſtria, ut fit, initæ pacis famam in vulgus emiſiſſe, quam Romani, ut longinque poſiti erant, falſo metu occupati facile creditam in litteras retulerint.

LIBER

LIBER II.

Interea dies Comitiis Oppaviam præſtitutus aderat, ad quem trium potentiſſimarum gentium, ex pactis conventis, Legati convenirent, viſuri, utrum ex induciis pax ſtabilis, perpetuaque coaleſceret. Venere ex Polonia, ut regibus ante convenerat, octo viri; a Mathia præter Albertum Veſprimienſem epiſcopum & Albertum Coſtcam Bohemum, Rudolphus Wratislavienſis antiſtes cum tribus urbis conſulibus adfuit. Nequidquam tamen in eo conventu ad ſummam rei profectum eſt, quod quæcunque conditiones in medium propoſitæ erant, eorum deſtinationi, ac ſtudio a quibus miſſi erant, vehementer adverſari viderentur: igitur, cum diu, multumque nullo operæ pretio litigatum eſſet, in hæc pacta omnibus citra difficultatem convenerat: Stropkovia, quam Poloni ad agendas in Hungaria prædas inſederant, deducto præſidio Mathiæ redderetur; conditionum vero, in quas fœdus conficeret, arbitrium penes Carolum audacem Burgundiæ Ducem ut eſſet. Hoc modo utrinque, animo in futura intento diſceſſum eſt: quod Hungari a Carolo, cui cum Mathia ob animi, & armorum ſimilitudinem non nulla familiaritas interceſſerat, pacem regno perutilem ſperarent, Poloni contra, conſilia tempori accommoda ſe capturos arbitrarentur. (*a*)

Regum Legati novas in conventu inducias conciliant, & pacis arbitrium Carolo Burgundiæ Duci deferunt.

Soluto couventu, receptoque Stropkoviæ oppido, in Acephalos fratres arma converſa ſunt. Erat ea non temnendo numero cruce ſignatorum manus, ex Polonis maximam partem conflata, quæ cum comm uni inter ſe ſtudio viveret, neque ſibi quemquam præfici pateretur, fratres Acephali nuncupati ſunt. Actis diu in Auſtria latrociniis Eyczingeri ductu ejecti, in ea ora Hungariæ, quæ ad Poloniam vergit, conſederant, munitis, & præſidio firmatis Mandragora, & Bucovecia caſtellis, unde crebro procurrentes ſpolia longe lateque agebant. Ad hos reprimendos parva manu profectus Mathias, expugnata brevi Mandragora omnem eam colluviem aut ferro interemit, aut in Poloniam ejecit. Buccoveciam dein adortus, ea quoque per deditionem potitus eſt: uobiliores, ſponſione accepta, ſe uunquam contra Huugaros, aut pro rege ſuo, patriaque militiam profeſſuros, domum redire ſine maleficio paſſus eſt: plebeos contra deportatis prius in caſtra armis, ignominiæ cauſa fuſtibus munitos cum ſingulis modo veſtibus emiſit. (*b*)

Mathias conciliatis induciis Acephalos profligat.

Profligatis circiter autumni finem Acephalis, aliud rurſus in annum ſequentem bellum cum Polonis exortum, ſcriptores illius temporis memorant. Mathias enim, quod victos anno priori hoſtes, ab Caſimiro ſubornatos contra ſe fuiſſe ſuſpicabatur, ſive adeo compertum habebat, præveniendum hoſtis ingenium ratus, ipſa hieme exercitum ſex millium duce Thoma Tarcio in montanas Poloniæ provincias immiſit, collocato in ſilvis, quæ Hungariam a Polonis dividunt, præſidio, ad quod ſe, ut caſus, fortunave ferret, tuto inde reciperent. Moniti per ſpeculatores Poloni de noſtrorum conſilio, ac molitionibus, nihilo diligentiores ad vim propulſandam fuere, quam prius ad conficiendos apparatus ſolliciti. Itaque Hungari, viſa Polonorum deſidia, latiſſime in medi-

An. Chr. 1474.

Quorum cauſa deinde in Polonos movet.

Z 2 ter-

(*a*) Cromer. de rebus Polon. Lib. XXVIII. (*b*) Idem ibid.

1474. terranea procurrentes, ferro, & igni eorum ditiones fœdum in morem vaſtabant. *Smigrodum oppidum noctu ſcalis admotis cœperunt; arcem vero ictibus bombardarum quaſſatam per deditionem acceſſerunt, & novis propugnaculis, foſſisque munierunt. Direpti ſunt ea excurſione, & incenſi vici, ſive oppida, Joslaum, Brotecum, Colocia, Frislatum, Dembovetia, Dulia, & Pilsna, quæ tunc opulenta erat, & prope ducenti pagi; indeque captivorum ingens numerus in Hungariam abactus. In ſenes vero, & pueros ferro ſævitum eſt. Corſna oppidum, quamvis parum abfuerit, quin proderetur, naviter tamen defenſum; itemque arx Goleſſia Tinecenſis abbatis, Muſſina vero Epiſcopi Cracovienſis propter paucitatem defenſorum ex pacto dedita.* (*c*)

Miſſis tamen ad ſe Legatis pacatus fœdus conficit

Inſpectabat hæc Caſimirus, Visliciæ cum ſuis conventum agens, expertusque difficiliores in conflando tributo, quod extra ordinem ad propulſandam hoſtium vim imperabat, ingenti curarum mole angebatur, quoad procerum interventu, decretaque militia, quæ libera & arbitraria nobilitati tunc erat, pro facultatum reditnumque cujusvis modulo imperata eſſet, ut primo quovis tempore Opatovecii ad arcendum bellum Hungaricum regi præſentaretur. Prævolaverat illo Caſimirus, ut exemplo ſuo ceteros periculi magnitudine citius conciret, verum nobilitas mandata lenis, lentique regis vilipendens, ſolutaque militari diſciplina, haud minore damno, quam Hungari per ditiones graſſata optimam Caſimiri voluntatem intercepit. Itaque malebat per nuncios Mathiam ad pacem flectere, quam bellum per ſupinam ſuorum oſcitantiam nullo fructu, & cum aliqua ſuæ auctoritatis diminutione gerere, præſertim, quod ob abalienatos a Mathia Siculos, quorum ſtudia Stephanus Moldaviæ Vayvoda captabat; facilem ad conciliationem amicitiæ non de nihilo fore exiſtimavit. Convenerant igitur utrinque Proceres; Poloni Lublovii, Hungari in antiquam villam; ac multis propoſitis, viciſſimque rejectis conditionibus X. Calendas Martias in hæc

In has conditiones.

pacta fœdus percuſſum eſt: pax inter reges, ac regna conſtans, perpetuaque ſit: nemo prædandi cauſa ultro, citroque auſit commeare: qui contra faxit, ex legum ſcito puniatur: res, quæ bello ablatæ eſſent, ex aſſe reſtituerent: privatæ injuriæ ex juris norma complanentur: ſtipendiorum, quæ militi contra fas retenta erant, auctarium viritim fieret: ſi quid deinceps controverſiæ intercederet, id Optimates utriusque regni ad veterem morem dirimerent. Rata rex pacta conventa altero die habuit, quæ poſtea regni ordines VIII. Calendas Majas Budæ ſuo itidem nomine confirmarunt. Sed cum pactis ita generatim conſtitutis facile utrique viderent novarum deinceps litium cauſas ex improviſo oriri poſſe, placuit fœderis conditiones arctioribus limitibus in hunc modum circumſcribere. Smigrodi caſtrum per Hungaros interceptum, deductis iſthinc bona fide præſidiariis Domino reſtitueretur: eodem jure Muſina Epiſcopi Cracovienſis arx gauderet: de injuriis utriusque regni indicto ad VI. idus Septembris in annum ſequentem conventu tranſigatur: Valachiæ, & Moldaviæ Wayvoda inducias in biennium habeat, de utraque autem provincia Proceres in futuro conventu viſuros, Hungariæne, an Poloniæ juribus obnoxiæ ſint; interea neutris integrum eſſet, eas bello appetere: tredecim Scepuſii oppidorum pignus, quoad rationes diluerentur, ratum omnino eſſet. Eadem opera cum Uladislao quoque Caſimiri filio transactum: ut Hungaro cum Polono, & Bohema triennes induciæ eſſent; quibus per regna vulgatis nefas omnino ſit cuiquam in alium arma corripere: qui faceret, ejus ſubditi ne ei dicto audientes eſſent. (*d*)

In Hungariam vurſus novum a Turcis, & Siculis metum repreſſit.

His fœderibus Mathias, tametſi multa, quæ bello occuparat, reſtituenda eſſent, tanto libentius ſubſcripſit, quanto certiores nuntii ex Hungaria afferebantur, Mahometem victo in Aſia Uſumcaſano reditum in Europam parare, tum Siculos, apud quos Fancſio Duce rumor de regis morte ſparſus percrebuit, novas res moliri. Igitur confecta cum Polonis pace, in Hungariam revolans, & hos in officio continuit, & apparatus, ſi quid a Mahomete periculi ingrueret, jam multo ante occupavit.

His

(*c*) Idem ibid.

(*d*) Diplomatar. MS. Polon. apud Cl. SOMMERSBERG. Tom. II. Scriptor. rer. Sileſ.

Tum Moldaviæ Vayvodam in clientem recipit.

His intentum curis nuncii a Stephano Moldaviæ Dynaſta interpellant, qui earum rerum, quæ in proximo conventu de ſe conſtitutæ fuiſſent, ignarus, vehementer regem orabat, ut ſe in clientelam receptum adverſus barbarorum impetus tueri velit: adfuturos citra dubium, cum primum confecto in Aſia bello reverterentur, ut ditiſſimam provinciam, & ſitu illius peropportunam in ſuam poteſtatem redigant: malle ſe patrocinio potentiſſimi regis adjutum, more ſuorum deceſſorum clientelam profiteri, quam ſub barbarorum jugo, vitæ, & fortunarum nunquam ſecurum gemere. Venturum ſe adeo ipſum Budam cum officii cauſa, tum ut de futuri belli rationibus cum rege conferret, modo publicæ fidei litteras ſibi mittere ne gravaretur. Non difficilem ſe Mathias præbuit, bonoque animo juſſum, datis litteris in clientelam recipit, affuturum etiam ab ſe nuncium, ex quo de ſuo in illum animo cognoſceret, pollicitus eſt. (e) *Spectabilis ac magnifice fidelis, nobis ſincere dilecte Ex declaratione nuntii, & familiaris tui, qui per te litteris credentionalibus ad nos deſtinatus fuit, intelleximus bonam voluntatem tuam, & optimum animum, recuperatis jam, ſicut intimas, majori parte bonis, & hæreditatibus tuis, quas tyrannide, & ſævitia Turcarum Imperatoris amiſeras, nobis, & ſacræ coronæ noſtræ ſerviendo, teque offers nobis, ad ſervitia, quæcunque tibi in iſtis partibus mandaremus, promptiſſimum, & paratiſſimum; quod nos grato animo ſuſcipimus, & pro hujusmodi oblatione grates ampliſſimas dicimus tibi, parati hanc promptitudinem, & obſequendi deſiderium benevolentia noſtra regia, & favore proſequi ſemper gratioſo, & magis, quam tu, tamquam relator fidei, & ſalutis, hujusmodi obſequia non tam nobis, quam Chriſtianitati, una pro augmento fidei, ſponte, & non monitus te ſuſceptarum obtuliſti. Scias itaque nos tua obſequia grato animo recipere, & debito tibi gratitudinis officio paratos compenſare. Litteras ſalvi conductus, ſive ſecuritatis, quo liceat tibi, tuisque ſecure ad nos, & regna noſtra ſemper ambulare, per hominem tuum, ſicut optaſti, transmiſimus, & miſſuri ſumus brevi ad te noſtrum hominem cum informatione latiori, qui mentem noſtram erga te, & deſiderium noſtrum ſuper iis, quæ a te nunc optamus fieri, tibi clarius explicabit: ſimul & de caſtro, quod a nobis petiiſti, dicet optimam voluntatem noſtram tibi. Nos enim parati ſumus & in hoc, & in aliis tibi complacere, dum modo videamus in experientia oblatum nobis, & coronæ obſequium noſtræ tuum. Hortamur itaque fidelitatem tuam, & requirimus, ut cum tuis omnibus paratum te teneas, usque ad adventum hominis noſtri, ut cum familiaris noſter ad te pervenerit, & mandata noſtra tibi expoſuerit, ſtatim id negotium, quod tibi nomine noſtro explicabit, promto ſtudio aggredi poſſis, & perficere juxta declarationem hominis noſtri. Qua in re facies nobis obſequium ſingulare, & quod a nobis optaſti, indubitate conſequeris.*

Ac in Moldaviam profectus cum eo tranſigit,

Nuncium, cujus rex meminit, ad Stephanum in Moldaviam miſſum, ſuſpicor Blaſium Magyar fuiſſe, Tranſilvaniæ id temporis, ac Siculis præfectum (f): quem haud multo poſt Mathiam quoque, dum ad componendos Siculos proficiſcitur, in Moldaviam ſequutum eſſe Corononenſis templi inſcriptio docet. (g) Quid iſthic vero, aut quibus conditionibus inter utrumque tranſactum ſit, nemo, quod ſciam, ſcriptorum tradidit: illud extra dubium eſt, Stephanum in Mathiæ clientelam conceſſiſſe; hunc autem, ſi ex iis, quæ poſtea conſequuta ſunt, conjecturam licet capere, auxiliares ex Tranſilvanis, & Siculis copias pollicitum eſſe, ſi, cujus non inanis ſuſpicio erat, periculum a Mahomete ingrueret: quæ eventu ipſo deinceps confirmata declarabimus.

Ea de cauſa Caſimirus cum Wladiſlao bel-

Res utcunque cum Stephano confecta, graves Caſimiro, ac Wladislao curas concivit, magnopere dubiis, ſatine bona fide Mathias conditionibus fœderis ſtaturus eſſet, qui contra pacta nuper conventa, Moldavum in clientelam recepiſſet, pari inconſtantia in ſe quoque graſſaturum, ſi vel cauſæ ſuſpicio offerretur. Itaque quidquid id eſſet, occupanda Hungari ſtudia rati, delectus ut-

(e) Epiſt. MATHIÆ CORVINI Parte IV. pag. 146.

(f) Patet id ex Diplomate inter MSS. adverſaria HUSZTII de anno 1473. Et CROMERI Lib. XXVIII. ubi Blaſium Magyar, ſed male ad inferendam vaſtitatem, Moldaviæ immiſſum memorat.

(g) Tomo I. Script. rer. Hung. ſed perperam id menſe Novembri eveniſſe iſthic notatur, quod id temporis Vratislaviæ regem fuiſſe coævi ſcriptores referunt.

1474. utrique per regna haberi imperant, factoque in omnem eventum apparatu bellum velut e longinquo moliri placuit. Accedebat, quod Joannes Saganenſium Dux, ſubornante, ut creditum eſt, Mathia, transmiſſo Viadro flumine, in Poloniam irrumpens, vaſtitatem latiſſime circumferret, advectisque Vratiſlaviæ bombardis munitas urbes aggredi pararet: tum vero nihil dubitatum, quin Mathias ex inſidiis bellum machinaretur. Id Caſimiro claſſici inſtar ad corripienda arma fuit, monitoque filio, ut copias in promtu haberet, conflato ſexaginta millium exercitu, vocatisque in ſuppetias Tartaris Sileſiæ infeſtis ſignis appropinquabat.

lum regi obmovent.

Qui de illorum ſtudiis certior redditus Vratiſlaviam contendit.

Edoctus celeribus nunciis per Sileſios Mathias, quid Poloni molirentur, haud diu moratus, facto ex veteranis delectu, conflatoque duodecim, aut, ut alii malunt, ſeptem duntaxat millium exercitu in Sileſiam contendit, ut Vratiſlaviam prius, quam hoſtis adeſſet, in omnes belli eventus compararet, quod locus eſſet, ſive ad inferendam, ſive arcendam vim peropportunus. Magnis uſus itineribus facile Caſimirum antevertit, miſſisque obviam legatis, inducias offerebat, ſi deducto limitibus Sileſiæ exercitu, locum, in quo arbitri congrederentur, deſignaret. Sive revera hic Mathiæ animus fuit, ſeu circumducere eo fuco hoſtem voluerit, Caſimirus rejectis Legatorum poſtulatis, non prius de pace acturum ſe reſpondit, quam Wladislaus adfuiſſet, ſimulque Sileſiam ingreſſus, vaſtato Opolienſi tractu, Vratiſlaviam progreditur, caſtra ad Olaviam vicum, quatuor ſtadiis ab urbe diſſitum metatus.

Et communitis ad urbem caſtris, hoſtem circumducere conſtituit.

Mathias poſtquam dolo viam obſeptam, bellumque aperte gerendum vidit, communitis tumultuario opere ad monaſterium ſancti Vincentii caſtris, in omnem rei bene gerendæ occaſionem attentus, curas eo converterat, ut prius Caſimirum aggrederetur, quam ſuas cum illo Wladislaus copias jungeret. Id aperto marte periclitari arduum erat, & plenum diſcriminis, cum hoſtis & numero prævaleret, & prælii copiam haberet in arbitratu, quod ſi etiam cum ingenti hoſtis damno manus conſereretur, tantum tamen ſemper virium illi reliquum fore, quantum non modo ad ſe in caſtris concludendum, ſed ſigna quoque patente in campo rurſus conferenda ſatis eſſet. Ita anxium Caſimiri oſcitantia metu abſolvit: videbat eum, & minus, quam in hoſtico oporteret, cautum, & ſpe pacis componendæ ſecurius, ac remiſſius agere. Ea occaſione utendum ratus Mathias, die undecima Octobris ſub noctis initia equitatum cum parte peditatus emittit, ut Polonos pabulationi intentos aggrederentur. Illi totam noctem profecti, oriente ſole ad Zvanovicum pagum Polonos temere oberrantes offendunt, partitisque copiis reſiſtere auſos, magna edita ſtrage in fugam agunt, eodem impetu in ſtationes Polonicas invecti, caſtris hoſtium infunduntur, lateque cœdem edunt, quoad revocato a metu animo Lithuani cum Tartaris, Jaſenio duce, in ordines coorti, dimicationem auſpicarentur. Noſtri ne hoſtium copia circumfunderentur, velut re præclare patrata, receptui cecinere, ac pedetentim collatis per intervalla ſignis, Vratiſlaviam ſe recepere. Deſiderati utrinque ſupra mille, ac duo Tribuni Mathiæ, Guilielmus Bernſteinius Bohemus, & Petrus Haugvicius Sileſius. Hoſtium multo majorem cladem eſſe oportuit, quod ex improviſo oppreſſi, & in fuga, tum caſtrorum loco cæderentur. Caſimirus ea clade irritatus Francoſteinium exuſſit, parique errore finitimos vicos flammis involvit: parum futuri providus, ea inclementia hoſti nihil noceri, ſuis autem maximam annonæ difficultatem, ut eventu poſtea cognitum eſt, creari. (b)

Facta ex caſtris eruptione Polonos fugat.

Poloni Bohemis conjuncti regem lente obſidione aggreſſi.

Dum hæc fiunt, Wladislaus cum viginti millium exercitu maximam partem pedeſtri ad patrem venit, haud leviter tamen ad Munſterbergam prius per Hungaros in inſidiis latentes mulctatus. Conjunctis viribus placuit primum communem caſtris locum prope flumen capere, ſed cum ab Hungaris perpetuo globorum grandine, & muralibus machinis peterentur, ſubducta mœnibus caſtra ſunt, & ad Cantium oppidum, qua verſus Auſtrum vergit, locata: eo, ut apparebat, conſilio, ut Mathiam longa obſidione feſſum, bellique tædio captum ad ineundas, quas vellent, pacis conditiones ingratiis cogerent. Sed hujus

(b) Henelius in Annal. Sileſ. Cureus in Annal. & Polonici Scriptores paſſim.

jus conſilii fœdus omnino eventus fuit. Reges enim tantis copiis cum abundarent, deſides tempus terere, nihil in medium conſulere, caſtra non vallo, non foſſa, nec excobiis munire: miles imperia Ducum aut vilipendere, aut lente exequi, licenterque ab ordinibus, & ſignis evagari: Ad hæc, dum quidquid annonæ in hoſtico fuit, imprudentes cremant, paulum poſt dira fames exorta. Hæc Poloni ſcriptores, ut adeo mirer, in litteras referre auſos eſſe, Mathiam, ubi tam magno numero exercitum vidiſſet, cum ſuſpiriis, & vulſione capillorum dixiſſe: *facile ſe totum orbem ſuo imperio ſubjugaturum eſſe, ſi tantas, talesque haberet copias, quantas, qualesque contra ſe hoſtes ſui adduxiſſent.* (*i*)

Mathias viſa hoſtis ignavia, urbis portas nec die, nec nocte claudi juſſit, ſæpeque equitatum ex inſidiis in palantes urbe emittens, brevi tantam captivorum copiam contraxit, ut Vratislaviæ, & in vicinis urbibus omnes turres, carceres, & ergaſtula Polonis, & Bohemis replerentur. Neque ſic tamen Caſimirus, tametſi bruma etiam inclementior jam ingruiſſet, ad ſolvendam obſidionem, ſi tamen obſidio erat, cogi poterat. Quam ob rem cum Mathias commeatus penuria hoſtem laborare ciret, Poloniæ aditus, per qnos annona invehi potnit, inſideri jubet, ſimul mandata dat Stephano Scepuſienſi, & Paulo Kiniſco, ut cum copiarum parte, quas recens ex Hungaria in ſubſidium adduxerant, Poloniam majorem incurrerent, ſpe fretus, inimicos ea ratione ad propria defendenda reditnros. Ille adſcitis ſecum Friderico Lignicenſium Duce, & Caſparo Noſticio oblatam provinciam naviter procurat, illatusque celeriter in majorem Poloniam, Meſericum, magni iſthic nominis arcem deditione capit. Eadem opera Nicolaus Opolienſium Dnx Mathiæ juſſu in aliam Poloniæ partem ad ſolis ortum irrupit, percurſaque latiſſime provincia vaſtitatem quaquaverſum circumferebat. (*k*)

Hujus virtute cum in caſtris, tum in Polonia cladem incipiunt

Ea res Polonnm conſilii rationes mutare compulit. *Moti enim his incommodis reges, pater, & filius flecti ſe ad pacem paſſi ſunt. Decima nona Novembris in libero campo primum congreſſi ſunt Caſimirus, & Mathias; ubi quidem ambitione quadam ridicula inter reges certatum eſt. Uladislaum Mathias ad colloquim non admittebat: ipſe autem non ignarus moris Polonici, ſciebat Polonos poſtulaturos, ut Caſimirum nudato capite cum ſignificatione demiſſionis ſalutaret. Hoc ut eluderet, progreſſus eſt in equo, veſte aurea pulcherrima indutus, caputque nudum, etſi aura erat aſperrima, corona ex foliis rutæ ornaverat: Caſimirum ſui multis pellibus texerant, easque de induſtria collo obvinxerant, ut honorem Mathiæ habere non poſſe videretur. In via tamen de conſilio, & cultu Mathiæ certior factus, ipſe etiam capitis tegumenta abjecit. Impetratum eſt a Mathia, ut pateretur vocari etiam Uladislaum, & colloquio dies dictus ad viceſimam primam Novembrir. Ibi prope pagum Mocorium erecta ſunt tria tentoria, ſed eo die, cum in collocutione Mathias in Uladislaum excandeſceret, nihil profectum, & tota res in conventum conſiliariorum in urbem Vratislaviam rejecta.* (*l*)

Itaque Caſimirus cum Mathia congreſſus de pace agit.

Dum Proceres communibus ſtudiis in conciliandam pacem incumbunt, Mathias amicitiæ pulcherrimum etiam beneficentiæ exemplum adjecit: *exercitum Polonicum, qui inedia contabeſcebat, & miſeram vitam vix ex eſu raparum ſuſtentabat, totum triduum ex urbe pavit: nam ſuper alias clades, decima octava Novembris incendium in caſtris ortum fuerat, quod magnam partem caſtrorum conſumſit, perierunt multi homines, jumenta, & ſupra quingentos currus, victu, & inſtrumentis bellicis cremati ſunt.* (*m*)

Hujus in Polonos liberalitas.

Parum tamen ea humanitatis ſignificatione ad perpetuam pacem profectum eſt, quam Mathias, niſi Hedvigis Caſimiri filia ſibi in manus conveniret, omnino abnuebat. Facile futuris bellis caveri poterat, ſi aut Caſimirus præter modum uxorius non fuiſſet, aut Fridericus Cæſar nuptiarum conciliationi per clandeſtinos nuncios non interceſſiſſet. Itaque irritatus repulſa Mathias, magisque contemptu, quem Eliſabetha Caſimiri conjux generis ignobilitatem ſibi obiciens palam præferebat, quam belli diuturnitate feſſus, triginta menſium in-

Pax tamen conciliari non potuit: & quas ob cauſas.

(*i*) Cromerus cit. Libro.
(*k*) Idem cit. locis.
(*l*) Curæus in annal. Sileſ.
(*m*) Idem ibid.

1474. ducias Polono, ac Bohemo conceſſit; dimiſſis captivis, &, quæ utrinque intercepta eſſent oppida, ſine damni penſatione reſtitutis. Ita bellum, ſi vires hoſtis ſpectes, Mathiæ formidoloſum, paucis copiis, brevique tempore cum ingenti regis gloria diſſipatum, & a Polonis re prorſus infecta diſceſſum eſt. Abeuntes Gabriel Rongonus Agrienſis Epiſcopus, faceti vir ingenii, hoc carmine exagitavit. (*n*)

Bruma venit, nix alta ruit, migrate Poloni,
O fugite ad proprios algida turba lares.

An. Chr.
1475. Mathias propulſato eatenus periculo ſub principium anni ſequentis Sueidnicium profectus, Fürſtenſteinium, quod Bohemi crebra iſthinc in Sileſiam latrocinia exercerent, adhibitis machinis in poteſtatem redegit, Wladislao, qui tum Pragam advenerat, aut non invito, aut, quod per hiemem impeditiſſimum iter eſſet, ſubſidio laborantibus venire fruſtra conniſo: quem tamen Poloni ſcriptores fœdo errore decepti, aulico equitatu ſuffultum per aſperrima montium juga ſuis in ſuppetias advolaſſe, Hungarosque, eum ad Fürſtenſteinium obſidionem moliuntur, inſigni cum clade profligaſſe memorant.

Mathias occupata a Polonis loca recuperat.

Abhinc conſtituta re monetaria, Ducem Ratiborienſem, ceteroſque, quos cum Polono ſenſiſſe ſuſpicio erat, aut eum conſilio, reque juviſſe certis indiciis compertum, magna auri, argentique ſumma mulctavit, ratus reipublicæ multum intereſſe, ſi hominibus ad res novas moliendas ſuapte pronis, nervos deinceps accideret. Eandem ob cauſam Olſnicenſem ducatum juribus regiis aſſertum ibat. Erat Conrado Nigro, ad quem Olſnicenſis provincia attinebat, uxor Maſovia genere, fœmina audax in primis, & conſilii ſupra ſexus conditionem prompti, magnique, quam ſi Caſimirus ſuadentem, ut derivato ob modicas aquas alioſum Viadro, Hungaros penitus circumvallaret, ſequutus fuiſſet, actum cum Mathia videri poterat. Itaque iratus propterea mulieri Mathias, eam ex Sileſia ejecturus erat, niſi Conradus Albus, defuncti Ducis frater, jus provinciæ, quod numerato ære ad Saxoniæ duces transferre meditabatur, commutata ſententia Mathiæ tranſcripſiſſet. Ille cum exercitu profectus accepto fidei ſacramento, conſtitutoque qui vicaria poteſtate Ducatum adminiſtraret, Conrado Albo, militem in hiberna diſtribuit, invitis magnopere Sileſiis, quod feſſis expeditione hiemali militibus, omne licentiæ, ac libidinis genus, contra quam alias ſolitus erat, indulgeret. Neque id ſine regis exemplo eveniſſe, credibile eſt, quem conſtet, cum viduus erat, ex nobili puella apud Sileſos Joannem filium procreaſſe. (*o*)

Et Olſnicenſem Ducatum juribus ſuis vindicat.

Hæc inter certis nunciis ex Moldavia affertur, Stephanum Vayvodam XVI. Calendas Februarias inſigni ex Turcis victoria potitum, copias Barbarorum internecione propemodum deleſſe. Mahometes, qui, victo in Aſia Uſumcaſano, ægre ferebat, Stephanum detrectata obedientia in clientelam Mathiæ conceſſiſſe, cum centum, ac viginti, ut Sanutus auctor eſt; (*p*) equitum millibus, Moldaviæ appropinquabat, ut pœnam ex fœdifrago caperet, provinciamque armis rurſum vindicaret. Admonitus periculi Stephanus coacto celeriter milite, adſcitisque ſedecim ex Tranſilvania, ex Siculis vero quinque auxiliariorum millibus, magnis animis Mahometi obviam profectus, Alpium fauces, qua barbaris neceſſarius tranſitus erat, cum Blaſio Magyaro Tranſilvaniæ Vayvoda occupat, (*q*) ſtructiſque pro locorum poſitu inſidiis, barbaris nihil tale veritis præſtola-

Moldaviæ Vayvoda inſigni ex Turcis victoria potitur.

(*n*) Idem ibid.

(*o*) Nomen puellæ nuſpiam, quod ſcio, exſtat proditum: Joannem autem Corvinum familiam deinde in Sileſia, & Bohemia propagaſſe, quæ Sandretsky, aut Sandratsky dicta ſit, Sileſitici ſcriptores, in primis Godefridus Burkhard in commentariis ad rem numariam Hungaricam Jacobi Mellenii, pro certo affirmant, ob ſimilitudinem ſcuti gentilicii.

(*p*) In vitis Ducum Venetorum apud MANSI in notis ad annal. Raynaldi ad an. præſentem.

(*q*) Ex diploma. de anno 1474. inter MSS. adverſaria HUSZTII. Et ex CROMERO rer. Polon. Lib. XXVIII. ſed male contorquet nomen in Mejerbalaſſum.

ſtolatur. Ea providentia fructu non caruit: Turci enim, trajecto facile Danubio, quem hiems glacie duraverat, quod hoſtis ſe aſpectabilem nuſpiam præberet, in inſidias præcipitati, erumpentibus undique cum ſociorum manu Moldavis, iniquiſſimo loco ad conſerendum prælium coguntur. Coorta eſt pugna acerrima, & cruenta: ſed cum barbari copia ipſa ſibi obeſſent, neque ut in anguſta montium valle, faucibusque comprehenſi erant, equitatu uti poſſent, adeo conferta cæde ſternuntur, ut ex tanto numero pauciſſimos fuga evaſiſſe proditum ſit. Inter captivos magna nobilium pars cum quatuor primi nominis Ducibus fuere: erepta triginta ſex, (*r*) aut, ut alii malunt, (*s*) amplius centum militaria ſigna cum ditiſſimis manubiis in poteſtatem victoris venere: quorum alia ſummo Pontifici, tum Caſimiro, ac Mathiæ regibus, velut certum victoriæ argumentum ab Stephano transmiſſa Cromerus ſolita in Mathiam dicacitate memorat. Nam cum idem bellum narratione complexus eſſet, *adnixus* (ſcribit) *eſt tamen Mathias gloriam illius victoriæ in ſe transferre, dimiſſis quoquoverſus litteris, quibus jactabat a Præfecto ſuo Stephano Palatino Turcas profligatos eſſe. Nec multo ante tamen ipſe non contemnendam cladem ab illo ipſo Præfecto, quemadmodum videri volebat, ſuo acceperat, cum ſex millia Hungarorum Blaſio Magyaro Duce ad vaſtandam Moldaviam miſiſſet. Ita nihil pudebat hominem vanitatis ſuæ.* (*t*)

Parum liberale, ne dicam impudens, in Mathiam dictum: quem ex Sanuto, graviſſimo hiſtoriarum ſcriptore, conſtet, ſi gloriatus propterea eſt, non de nihilo gloriatum fuiſſe, quod miſſis in ſuppetias ſedecim Tranſilvanorum millibus haud leve ad victoriam eam momentum contuliſſet: perinde nihili eſt; Blaſium Magyarum, cum Moldaviam vaſtare ab rege juſſus eſſet, cladem reportaſſe: nihil enim neceſſe erat, Stephanum in ſua provincia infeſtari, quem ſponte ab Turcis ſecedentem in Hungarorum clientelam conceſſiſſe idem Sanutus refert, & nos alias ex Mathiæ litteris perſpicuum fecimus: quinque autem Siculorum millia, quæ Cromerus in Moldaviam a rege miſſa ſomniat, Michovius Cromero vetuſtior, rebusque geſtis ſuppar, armorum ſocios fuiſſe, non item hoſtes diſerte affirmat. (*u*) Ita Poloni ſcriptoris obtrectatio, alterius Poloni auctoritate convulſa, regem a vanitatis, quam illi prorſus leviter impingit, nota abſolvit.

Cujus pars ad Mathiam quoque attinuit, quamvis contra Poloni obloquantur.

Ceterum, ſi non male opinor, ea ſcriptorum ſententia, Sixti litteris quoque refellitur, qui comperta ex Stephani nunciis victoriæ fama, non dubitavit illius partem Mathiæ tribuere, captaque iſthinc occaſione regem alioquin pronum, ad obmovendum Turcis bellum, porro incendere. (*x*) *Chariſſime in Chriſto fili noſter, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Tuam ſerenitatem, & optimam voluntatem, ac præclariſſima geſta circa defenſionem fidei Catholicæ, & immanes Turcas exterminandos, & confundendos, etiamſi linguæ hominum tacerent, tua magnifica, & glorioſa facinora oſtenderent. Sæpe enim Chriſtianorum exercitus te duce maximam Turcarum, & aliorum infidelium multitudinem ſuperavit, & tandem tuis virtutibus victoriam ex illis ſæpius reportaſti, & ubi opus fit, Catholicis Principibus, & populis pro fide Chriſtiana decertantibus opportuna præſidia contuliſti. Noviſſime vero accepimus, quod in ea victoria, quam pridem dilectus filius, nobilis vir, Stephanus Vayvoda in Moldavia adverſus Turcas adeptus fuit, non parvam laudem, ac gloriam tibi vendicaſti. Tuis enim ſubſidiis advenientibus, & opem adferentibus, & authoritate tuæ regiæ amplitudinis, de perfidiſſimis Turcis, ſtrage maxima, & ruina illis illata, opima ſpolia, & captivos idem Stephanus retulit, quorum non parvam partem ad tuam ſublimitatem, ſicut percepimus, transmiſit.* Sed id ad elevandam Poloni ſcriptoris auctoritatem ſatis utcunque fuerit.

Cui Pontifex propterea gratulatur.

Per idem tempus, quo relatæ ex barbaris victoriæ fama per Europam vulgata eſt, ſplendidiſſima ab Ferdinando Neapolitano rege legatio Vratislaviam venerat, quam multi ex Italiæ Proceribus, nec pauci Senatores Veneti, primique

Rex præſentibus Legatis

(*r*) Inſcriptio templi Coronenſis.
(*s*) SPONDANUS ex Michovio.
(*t*) CROMERUS rer. Pol. Libr. XXVIII.
(*u*) Epiſt. MATHIÆ CORVINI Parte IV. pag. 15.
(*x*) RAYNALD. in Annal. Eccleſ. ad hunc ann.

1475. que ordinis viri, cum ducentorum equitum comitatu cohoneſtarunt. Mathias enim, poſtquam fruſtra Hedvigis Polonæ nuptias ambiiſſet, ad Beatricem, Ferdinandi filiam, quam & formæ elegantia, & animi dotibus reliquas Italiæ Principes fœminas antecellere fama erat, animum applicuit, egitque de ea ſibi deſpondenda ſub anni prioris exitum, cum Barienſi Epiſcopo, qui Ferdinandi oomioe orator apud Mathiam bello Polonico interfuit. Accepti igitur incredibili pompa, & ſplendore Vratislaviæ Legati, cum ad diem quintum Februarii ſenatus iis datus eſſet, Ferdinandi Neapolitani regis uomine ſalutem Mathiæ precati, miſſos ſe ajebant, ut quoniam regis filiam in manus ſibi convenire petiiſſet, illius auctoritate voluntatem eam, ſi prior adhuc ſententia animo ſederet, publico ritu, ac ceremonia ratam haberet. Mathias eo uuncio mire exhilaratos, gratiam ſe Ferdinando, quod generi prærogativa ſe ornatum voluiſſet, habere reſpondit, futurumque, ut contracto eo vinculo uon ſanguinis ſolum uecesſitudine, ſed pari armorum etiam in Turcas ſtudio deinceps copularentur. Simul firmata ea die per jusjurandum ſponſione, donatos ſplendidiſſimis muneribus oratores haud multo poſt cum mandatis dimiſit, affuturos ab ſe quoqoe Legatos, qui ſalutato ſocero, ſponſam ea, qua par eſſet, dignitate in Hungariam deducerent.

Neapolitanis Beatricem ſibi ſpondet,

Nequaquam ex illegitimo thoro, ut quidam putant, natam.

Nou me fugit, pleroſque ſcriptores in ea upinione eſſe, ut Beatricem ex illegitimo thoro a Ferdinando ſuſceptam affirment, eamque paſſim jam ſic inoleviſſe, ut cui dubium propterea ubmoveatur, ueminem fere reperiam. Mihi tamen, niſi errorem ab Italo ſcriptore, qui uou nullius auctoritatis ſit, dedocear, haud tantum animi eſt, ut iis eateuus adſtipuler. Neque enim aut coævo teſte, aut qui ætate illi proximus ſit, ad firmandam ſuſpicionem illos uti video. Crediderim errorem a Ferdinandi, qui Beatricem ex Iſabella Claromontana conjuge genuerat, incunabulis obrepſiſſe: quem cum ex Alphonſo V. extra thorum conjugalem prognatum conſtet, facile eam naſcendi conditionem in Beatricem detorſerint.

Poſtea in Hungariam reverſus, Sabacſium arcem Turcis eripit

Sed id utcunque ſit: Mathias dimiſſis Neapolim Legatis, rebusque, ne quid per abſentiam turbaretur, in Sileſia diligenter comparatis, in Hungariam rediit, uſusque Procerum liberalitate, qua anno abhinc celebrato abſente rege conventu aureum uumum in ſingulorum poſſeſſiones imperaverant, profectionem iu Turcas militibus edixit. Urebat eum cum barbari audacia, qua anno priore Varadinum usque, tametſi cum clade ſuorum, procurrerat, tum erectum ad Savi ripam Sabacſium, ex quo ſæpe per inſidias, crebro etiam aperta vi in Sclavoniam procurrens ingentes prædas agebat, dilapſisque ex metu colonis pulcherrimum terræ tractum vaſtiſſimum reddiderat. Eam igitur latrocinii arcem, tametſi hiems uondum præteriſſet, imperata profectione ab fundo convellere cupiens, quantis commodum poterat itineribus ad Savum cum decem mercenariorum millibus progreſſus, rem magis, quam ſperabat, impeditam reperit: fuere enim Sabacſio quinque Turcarum millia præſidio impoſita, neque louge hiuc alios pro iſtorum ſalute excubare rumor erat: magno tamen animo, & confidentia Savum transmitteus, loco obſidionem incredibili celeritate circumdedit; quaſſatumque majoribus machinis, trigeſimo, quam oppugnari cœptus eſt, die in poteſtatem redegit, Turcis, quod ſemel, iterumque juſſi deditionem nollent facere, pene ad unum interfectis. In ea oppugnatione quiddam memoria haud indignum eveniſſe proditum eſt: cum enim Mathias ſomni alias eſſet leniſſimi, ut tenui etiam forte fortuna concito murmure expergiſceret, id tamen temporis, dum fragores ex machinis inuſitatæ magnitudinis ederentur, murique ex frequenti verberatione creparent, ac tellus ea vi commota ſubſultaret, placidus iu multas horas, altumque dormiit, quod ipſum pathos heroicum fuiſſe a multis exiſtimatum eſt. (y)

Et Szenderoviam irrito conatu tentat.

A capto, deſtructoque, ne uſui hoſtibus eſſet, Sabacſio iu ditiones barbarorum magis ſe inſinuans Szenderoviam tribus ad ſtruendam oppugnationem erectis caſtellis tentavit, ſed cum is locus virtute præſidiariorum egregie defen-

de-

(y) Cureus in Annal. Siles.

An. Chr. 1475.

deretur, majorque eſſet ambitu, quam ut tam paucis cum copiis penitus intercludi poſſet, ſoluta obſidione, & corruptis trans Savum ferro, ignique hoſtium provinciis, victor in Hungariam rediit. Reducem Dominicus Alerienſis Epiſcopus, & Joannes Emus, Pontificis, Venetique Senatus nomine ſalutarunt, allatis nonaginta tribus aureorum millibus, quæ in ſtipendia, & bellum Turcicum erogarentur. Quibus ille, animo in futuras res intentus, liberaliter uſus, agmen, quod ex ærario regio aluerat, & ob textos ex ferreo filo thoraces nigrum poſtea appellatum eſt, novo delectu auctum ibat, quo ille fere, quod denſis ordinibus ſtipatum ſtatariam pugnam iniret, ad victoriam uti ſolebat.

Splendidiſſimam Legationem Neapolim pro adducenda Beatrice mittit.

Ab armis ad nuptias animum revocans, cum in anni prioris exitu Colocenſem Archiepiſcopum cum Nicolao Banſio Neapolim jam præmiſiſſet, de nova iſthuc mittenda legatione ſollicitus, multo ante præcipuos ex Proceribus commonefecit, ut in legendo apparatu, qui regis, regnique dignitatem exteris commendaret, diligentiam omnem collocarent. Principes Legationis fuere Rudolfus Vratislavienſis, & Joannes Varadienſis Epiſcopi: qua de re ad illum regis litteræ in hunc tenorem extant (z) *Reverendiſſime in Chriſto Pater! fidelis nobis, ſincere dilecte! quemadmodum ſuperioribus temporibus fidelis nobis dilectus, Dominus reverendus epiſcopus Arbenſis nomine noſtro paternitati veſtræ ſignificarat, ita & nunc dicimus, hanc eſſe voluntatem, & intentionem noſtram, ut paternitas veſtra in legatione noſtræ Majeſtatis Neapolim ſe conferat, & quia paternitatem veſtram ad hujus expeditionis onus paratam, & voluntariam intelligimus, eidem paternitati veſtræ magnas gratias habemus. Ubi autem paternitas veſtra de numero equitum ſcribit, dicimus, quod XXV. equitibus paternitas veſtra rem taliter diſponat, & ordinet, ut tam honori Majeſtatis noſtræ, quam etiam paternitati veſtræ conveniat. Pro expenſis autem ex diſpoſitione, & ordinatione noſtra habebit in Canonia mille, & quingentos aureos. De die vero receſſus, quia ab oratoribus noſtris Neapoli conſtitutis nondum certiores redditi ſumus, in præſenti quidquam ſcribere nequimus: verum quam primum ab ipſis oratoribus noſtris certificati fuerimus, paternitati veſtræ reverendiſſimæ tam diem receſſus, quam etiam quo, & per quam viam paternitas veſtra proficiſci debeat, ſignificari curabimus. Alia autem agat paternitas veſtra, prout honori Majeſtatis noſtræ conducibilius fore eadem cenſebit, juxta innatam ſuam prudentiam, quam jam longa tempore aquiſivit, quod a paternitate veſtra gratioſe recognoſcere curabimus.* Adjectus Legatis ſeptingentorum equitum comitatus, cum ditiſſimis muneribus, juſſique, niſi alia interim mandata darentur, in principio veris anno inſequente Neapolim proficiſci. (a)

An. Chr. 1476.

Nuptiales apparatus Strigon. Archiep. intercipit, ad Cæſarem transfugiens.

Imperatos tanta cura nuptiales apparatus Joannis Archiepiſcopi Strigonienſis, cognomento Alemanni, turbulentum ingenium, ac perfidia intercepit: qui in anni primordio, corraſis trecenties mille florenis, multaque auri, argentique ſupellectili, inſalutato Mathia ad Fridericum Cæſarem, plus infamiæ, quam opum vehens defecit. Quod eo moleſte magis regi acciderat, quo minus ab homine, de quo non male meritus eſſet, eam ſeceſſionem poſſe fieri exiſtimabat. Vratislaviæ enim patre carpentario natus, cum Bohemicum bellum exarſerat, in Hungariam delatus, ob miram lingvarum peritiam, & in tractandis rebus facilitatem inter Optimates primum, tum ab rege cognitus Varadienſem, poſtea Agrienſem Epiſcopatus obtinuit, quoad fatis functo Vitézio, incredibili ſimulationis arte Mathiam ſic occuparet, ut non modo ad Strigonienſem Archiepiſcopatum, præteritis multis cum nobilitate, tum doctrina fulgentibus, evaderet, ſed purpura etiam Mathiæ ſtudio a Pontifice donaretur.

Quæ fugæ cauſa fuerit.

Quid cauſæ homini, ut ſeceſſionem moliretur fuerit, haud ſatis inter Scriptores convenit. Bonfinius aut ſeductum ab Imperatore ſcribit, objecta ſpe Salisburgenſis Archiepiſcopatus, aut gravi apud regem ſuſpicione laboraſſe, quaſi clanculum Friderico ſtuderet. Quominus illos audiendos eſſe arbitror, qui eum honoris ambitu, ob Gabrielem Agrienſem Epiſcopum, dum is inter Cardinales quoque cooptatus eſſet, ab Mathia deſciviſſe ferunt, cumque mutatæ ſtationis cauſam rogaretur, jlocaliter dicere ſolitum eſſe: *oculis ſuis intolerabilem fuiſſe pul-*

(z) Epiſt. MATH. CORVINI Parte IV. pag. 22. (a) CURÆUS in Annal. Siles.

1476. *verem, quem monachus ille* (Minorum enim inſtitutum Gabriel ante infulas profeſſus erat) *ſuo firmate ſuſcitaſſet* (*b*): quem non niſi anno ab hinc tertio purpura ornatum Maphæus Volaterranus prodidit. (*c*) Opinor ſpe pingvioris beneficii ab Friderico in partes pellectum, ſive ut nuptias eum Beatrice conflandas diſſiparet, neque enim ſuſcepto hærede viam ſibi ad regnum ullam viderat, ſeu ut proditis, quæ in aula tractabantur, conſiliis, multo ante rebus ſuis poſſet conſulere: quæ cum rex vel clam comperiſſet, vel, ne comperiret, Archiepiſcopus vereretur, Vitézii in carcerem compacti exemplo cautior, convaſatis rebus ad Cæſarem transfugit. Utrumvis ſit: certe primus hinc velut gradus ad mutuas utrinque ſuſpiciones, ex his ad acre, diuturnumque bellum, quod poſtea recruduit, factus eſt.

Rex Moldavo periclitanti ſubſidia promittit.

Gravior ab hac regem cura exceperat, quod rumor ab Savo allatus paſſim crebreſceret, Mahometem novos, ingentesqoe ad bellum apparatus facere, itaque conſilia ſua clam etiam ſuis habere, ut in quam partem evaſura belli moles eſſet, non ſatis cognoſci poſſet. Facile intellexit Mathias barbari deſtinationes aut in Moldaviam, aut adverſum ſeſe erupturas, quod neque cladem ab Stephano acceptam, neque Sabacſium ab ſe nuper deſtructum æquo ſatis animo ferre Mahometem ſciret. Itaque, in utrumvis barbaros vires converteret, neceſſarios apparatus antevertere plerisque viſum eſt, ſeu ad ferendam ſociis opem, ſeu ad periculum ab Huugariæ jugulo repellendum. Id cum per regni provincias, dimiſſis ubique Legatis, diligenter agit; nuncii ab Stephano Vayvoda adſunt, qui eam tempeſtatem in Moldaviam ſeſe exoneraturam, velut rem certam affirmavere: itaque magno omnes in metu eſſe, ne exhauſtis per tot bella viribus jugum barbari ingratiis ferre cogantur: unam in rege ſpem reliquam eſſe, cujus non ſolum fortunam, ſed nomen etiam Turci metuerent: ageret proinde & partim miſſis in ſuppetias auxiliariis, partim traducto trans Savum bello, & ſocios adjutum iret, & hoſtis ſtudia divideret: alioquin periculum eſſe præſentiſſimum, ne, ſi nullam conclamatis rebus opem tulerit, polcherrima provincia, quæ haud ita dudum in regis clientelam ſe dediſſet, magno Transſilvaniæ damno ad hoſtem malit deficere, quam ſuomet diſcrimine iram victoris irritare. Rex bono eſſe animo Legatos juſſerat, ſeque multo ante de ſociorum periculo edoctum, magnos per regnum delectus imperaſſe reſpondit, quibus, ubi primum ex provinciis concirentur, laborantibus ſubſidio affuturus eſſet: Hæc Stephano referrent, auctoresque illi eſſent ſuo nomine, ut detrectata pugnæ copia bellum magis traheret, quam propulſaret: ita barbaros nihil agendo ſenſim armorum faſtidio captum iri, & ſibi ad ferenda ſubſidia quantum ſatis eſſet, temporis præberi. Hac ſpe dimiſſi legati ſunt, cujus qui deinceps exitus fuerit, in loco narrabitur.

Metus illius cauſa Italiam conſternat.

Ceterum fama belli in Moldavos commovendi late per Europam vulgata ſuſpenſos multorum animos tenuit, veritos præcipue, ne, ſi Mahometes Moldaviam in poteſtatem redigeret, impune poſtea in ceteras Chriſtianorum provincias, ſanguinarius hoſtis graſſaretur. In Italia maxime trepidatum, &, ſi fama vero major non erat, barbaros quingenis millibus profectionem adornare creditum eſt. In hunc enim modum Papienſis ad Cardinalem Mantuanum id temporis litteras dedit. (*d*) *Amplior multo animi ſolicitudo de Turcorum in Moldavos deſcenſu eſt ſuſcipienda: tanta quingentorum millium multitudo, tamque immanis quem juſte non terreat? exercitata illa quidem ſic ad noſtra eſt bella, ac ſic flos ejus ex noſtris tranſfugis conſtat, ut merito non manus noſtræ modo, ſed noſtra quoque in nos militaris jam pugnet induſtria. Quod moliti ſunt hactenus mari, in metu non fuit, litora tantum, & litoribus proxima claſſe vexantur: ſumma rerum in diſcrimen non venit: tunc timendum eſt extremum exitium, cum terreſtribus copiis petimur, viæque certæ, non dubio mari barbaræ vires creduntur. Galli, Afri, Gothi, Oſtrogothi, Hunni, & Vandali, atque id omne genus externorum examinum, terra, non mari, ad nos irrupere, & miſeram Italiam oppreſſere. Nunquam Mantuane Pater! moveri in Hungaros hæc arma intelligo, ut nos*

totus

(*b*) Hansiz. Tom. II. Germ. ſacræ pag. 533. (*d*) Raynald. Annal. Eccleſ. ad annum 1476.
(*c*) In ſuo Diar.

totus mente concutiar, atque ante oculos verſetur futura ſors noſtra. Divino munere datum id regnum Chriſtianis reliquis eſt, ut pro omnibus pugnet, petenteſque nos tempeſtates virtute ſua diſtineat: ſi ſemel, quod Deus, Sanctique probibeant, cedat, plagamque accipiat, qualem inſerre victrix barbaries ſolet, quid impediti, quid clauſi interim eſt, ut non illico increduli nos, atque ad præſidium ſeri, vel jugulum gladio præbeamus, vel jugo miſerrimæ ſervitutis colla ſubdamus. Orandus eſt Deus, ut impietatum noſtrarum oblitus memor ſit miſericordiæ ſuæ, detque Chriſtiano nomini, quod opera Chriſtiana minus ſunt merita. Ego quidem & pendere animo, & angi, & formidare ante non deſinam, quam intellexero, conatus tantos aut fractos prælio eſſe, aut omni tempore diſſolutos.

Neque diu poſt, quæ Cardinalis optabat, eventu firmata ſunt. Etſi enim Mahometes majores, quam cum bellum in Aſiam traduxerat, apparatus in Moldavos feciſſet, initoque cnm Tartaris fœdere, hos præterea in Stephanum concitaſſet, irritus tamen, Dei auxilio, uterque conatus fuit. Ac Tartaros qoidem, exuſtis latiſſime agris, ne hoſti frumentatio, aut pabulatio eſſet, inedia pene enectos, prælio adortus Stephanus, facile in fugam egit, in qua, quod viarum ignari eſſent, maxima pars cæſi, plerique capti, ac veonm deinde dati. Cum Turcis contra aliquanto difficilior oborta dimicatio eſt: quos dum objectis ad Danubium copiis trajectu arcere non poſſet, partitis in inſidias agminibus magis carpebat, quam infeſtabat, fortuna tamen tam proſpera, ac ſi conferto prælio victor exceſſiſſet. Ferunt enim ea ratiooe ad triginta Turcarum millia deleta. Ad extremum cum tam incondito barbarorum examini ſuſtinendo non eſſet, paucis ſuorum amiſſis in profundos ſaltus, ac montium juga ſe ſubduxit.

Moldavus profligatis Tartaris in anguſtias ab Turcis compellitur.

Abhinc via barbaris ad impune graſſandum aperta eſt, qui vaſtata latiſſime Moldavia, ac Valachia in Tranſilvaniam quoque irrumpere conſtitutum habebant, niſi fama adventantis in ſubſidium Mathiæ certis nunciis percrebuiſſet: qua vehementer perculſi collectis temere ſpoliis, fugientibus ſimiles ad ſua rediere. Didita per orbem barbarorum fuga, ingentem militaris ſcientiæ exiſtimationem regi apnd exteros conciliavit. Ipſe adeo Sixtus Pontifex maximus, poſtquam rem ex litteris cujusdam Ducis, qoi Mathiæ auſpicio in ſnppetias Moldavis venerat, comperiſſet, temperare ſibi non potuit, quin gaudii magnitudinem, quod ex tam ſecundo eventu perceperat, regi ſignificaret, eique propterea Italiæ nomine gratularetur. (*e*)

Qui ſola Mathiæ in ſubſidium adventantis fama in ſuas ditiones redeunt.

MATHIÆ REGI HUNGARIÆ ILLUSTRI!

„ Chariſſime in Chriſto fili noſter! ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Accepimus litteras celſitudinis tnæ, & illis accluſum exemplum litterarum cujusdam ductoris copiarum tuarum, ex quibus optatiſſima intelleximus: perfidum ſcilicet tyrannum Turcorum, qui dilecto filio nobili viro Stephano Vayvodæ Moldaviæ crudeliſſimum bellum intulerat, & jam loca ejos gravi obſidione premebat, nondum armis conſpectis, ſed ſolo terrore nominis tui obſidionem reliquiſſe, terga vertiſſe, ac turpiſſimam fugam arripuiſſe. Quæ res vix dici poteſt, quantam nobis, & toti Italiæ conſolationem attulerit, tum quod eſt reipublicæ Chriſtianæ admodum ſalutaris, tum quod ad propagationem gloriæ tuæ non medlocriter ſpectat. Laudamus igitur Majeſtatem tnam paterno animo complectentes, & ex parte Dei omnipotentis benedicimus tibi. Quippe chariſſime fili! quamvis maximam expectationem propter ſpectata egregia tua facta ſuſcipiamus, & oculi omnium in te conjecti ſint, non ſolum ea adimples, ſed in dies exſuperas, facisque, ut omnes Chriſtiani non admirentur tantum, ſed vehementius etiam te ament. Agimus propterea ſalvatori noſtro gratias, qui in te tantam operetur virtutem, ut plane ſperandum videatur, eum, optatum finem nefario Turcorum bello illis per-

Cui Pontifex propterea Italiæ nomine gratulatur.

(*e*) Epiſt. MATHIÆ CORVINI Parte IV. pag. 10.

1476. „ perdomitis, & ſubactis per te imponere velle, & hanc tam glorioſam palmam „ celſitudini tuæ reſervaſſe. Si potes igitur, ut facis, celſo nomini victoriam „ proſequere, tibi ipſi glorioſam, reliquis ſalutarem, qua tibi divinum, & humanum vendicabis honorem. Quod ad nos ſpectat, noctes, & dies in hac „ cogitatione tranſigimus, ut tibi ſperata mittantur ſubſidia. Ad quam rem „ Deo favente omnes Italiæ potentatus promtos efficimus, prout videre jam „ potuiſti ex parte, & in dies videbis.

Et CC. aureorum millia in ſtipendium mittit.

Erat tum Pontifex Fulgenti, cum Principum Italiæ Legatis agens, ut, quæ polliciti fuiſſent, ſubſidia in bellum Turcicum Mathiæ mitterentur, brevique Ferdinandi deſignati regis ſoceri ſtudio, conflata ſunt ducenta aureorum numum millia, & in Hungariam transmiſſa: quibus tamen exorto ad annum bello in Fridericum Cæſarem Mathiam uſum fuiſſe, non levis ſuſpicio erat.

Polonicorum ſcriptorum in Mathiam convicium refellitur.

Id Pontificis, Italiæque in Mathiam ſtudium fuit; atque ob rem feliciter geſtam exiſtimatio: at Poloni, quibus Moldavo per Hungaros adjuto, jus in eam provinciam vehementer dubium reddebatur, prope inviti tam proſpera armorum incrementa eminus intuebantur, & obtrectandi ſtudio, quidquid id laudis erat, quod rex bello illo conſequutus fuit, diminutum ibant. Mahometem non tam regii nominis fama metuque conſternatum fugam arripuiſſe, ſed propter claſſem in Iſtro tempeſtate disjectam, tum inedia, ac lue peſtifera in exercitu graſſantibus coactum receptui ceciniſſe: quaſi vero navali bello, non terreſtri Moldavia peti, & in poteſtatem redigi debuerit, nec barbari jacturam eam, procul poſito Mathia, reparare, advectoque ex finitimis provinciis, quæ illorum imperio obnoxiæ erant, commeatu bellum trahere, hoſteque in latebras ſe recipere coacto, ex ſententia finire etiam potuerint. His Cromerus, ut fere in Mathiam ſolet, convicium addens, regem parum liberaliter exagitat, quod ex re alieno auſpicio geſta gloriæ compendium turpiter aucupatus fuiſſet. *Mathias* (inquit) *rex Hungarorum, ubi cognovit Mahometem ſe cum exercitu e Moldavia recepiſſe, hinc quoque vanam gloriam, compendiumque apud Italos aucupatus eſt, abuſus hominum credulitate. A ſe enim pulſum Turcam turpiter fugam cœpiſſe, litteris divulgavit, excidiumque ejus pollicebatur: quam vanitatem ejus alebant apud exteras gentes viri litterati, munificentia ejus deliniti, res geſtas ejus ſcriptis ſuis in immenſum attollentes.* (*f*) Hæc ille; ſed parum futuri providus: qui cum regis gloriam elevare eatenus nititur, quod mercenaria litteratorum, qui in Italia erant, opera ad poſteros manaſſet, ſibi, qui res Polonorum præclare, ac cum laude geſtas litteris complexus fuerit, ſimilem ob cauſam fidei auctoramentum derogare videatur.

Induciæ cum Caſimiro conſtantur.

A fugato Mahomete, cum nihil barbarus nondum ſoluta regis militia, in Europam auſurus appareret, utque ſpem præterea amitteret rurſum tentandæ aleæ, e re communi Chriſtianorum Mathias futurum arbitratus eſt, ſi conciliato cum Polonis fœdere ſecuritatem ſibi a finitimis conficeret qua ab tergo tutus, omnibus viribus in Mahometem, ſi forte illum belli cupido rurſum inceſſeret, converteretur. Itaque non modo non invito, ſed facili etiam Caſimiro in ea re uſus. Legatos ad antiquam villam, quo Poloni itidem affuturi ferebantur, cum mandatis mittit, ut de conditionibus, quantum æquitatis, ac honoris ratio ſineret, boni publici cauſa aliquid remitterent, ſi ceteroquin conſtans fœdus, bonaque fide conflari poſſe videretur. Nec intractabilem ſe penitus per Legatos Caſimirus præbuit, niſi Wladislai cauſa pacis tractatio pene ad finem adducta, per Bohemiæ Oratores intercepta adhæſiſſet: cum enim hi inſtantiſſimo ſtudio vellent, uti Mathias Bohemiæ regis titulo ſeſe abdicaret, neque ſi hæc conditio non iniretur, mandata ad conciliandum fœdus ſe afferre dicerent, reſciſſa omni ſpe pacis, ad inducias ventum eſt. Eæ in hæc pacta ſancitæ: triginta menſium tempus, quo induciæ prius definitæ eſſent, prorogaretur; quoad indicto rurſum conventu pax confieret: interea, quæ quis parta

Quibus conditionibus

ſuperiore bello haberet, bona fide retineat: injuriæ oblitterarentur, nullo diſcrimine Hungarus, Bohemus, Polonusve eſſet, qua prærogativa etiam Auſtrales gau-

(*f*) Rer. Polon. Lib. XXVIII.

gauderent, qui in fidem Mathiæ conceſſiſſent: eum denique, qui pactis non ſtaret, pro hoſte habitum iri. Hunc in modum ratæ ab omnibus habitæ induciæ ſunt, & ab Cæſare litteris etiam firmatæ, quemadmodum ex publico anni ſequentis inſtrumento, quo Mathias Friderico bellum indixit, perſpicuum fiet.

Rex ſponſam Albæ regiæ exſpectans

Hactenus ſatis pacatæ domi, foriſque res erant, & tempus inſtantibus nuptiis opportunum. Jamque ſponſa ſalutato poſtremum patre, & ab Oliverio Caraffa Cardinali XVII. Calendas Octobris coronata, Neapoli moviſſe peroratores nunciabatur, prætæritaque Urbinatum, Venetorum, ac Ferrarienſium ditione, a quibus ſummo ſplendore accepta fuiſſet, ad Carnorum fines affutura; cum rex, avocata tantiſper ab armis mente futuros amores verſans, decem viros ex Optimatibus obviam mittit, qui cum officii, tum ſecuritatis cauſa, barbari enim venturæ inſidiari non vano rumore ferebantur, Beatricem in Hungariam deducerent. Quam illi provinciam ſumma fide, ac diligentia exequuti, modicis de induſtria, exploratiſque per ſpeculatores itineribus, reginam, ut mandatum erat, Albam regiam comitati, novitate viſendorum apparatuum, pompæque ſpectandæ avidum populum ex toto regno excivere,

Eidem magna Principum corona ſtipatus obviam it

Mathias utprimum ſponſam urbi appropinquare intellexit, maxima Principum, tum exterorum Legatorum, ac Procerum domeſticorum corona ſtipatus obviam ſe Beatrici dedit, ut venientem ſplendidiſſimo, quam poſſet fieri, apparatu acciperet. *Tria*, ut Palatini Comitis Legatus pompæ ſpectator ſcribit (g) *erant tentoria ſub dio poſita, in loco, qui ſtadium ab urbe diſtat: quorum unum villoſo purpureo holoſerico circumveſtitum, reliqua duo aliis rebus contecta erant. Prope illa ignis ardebat maximus, accenſus lignis, & ſarmentis, ubi rex Mathias cum Boſnæ rege de equis deſcenderunt, & Mathias rex Boſnæ regem, & Palatini, atque Saxoniæ Electorum, & Ottonis Bavariæ Ducis Legatos a dextra conſtituit, magni Comitis* (h) *filio præferente gladium: ſed a læva Venetorum Oratores. & Archiepiſcopos, atque Epiſcopos Hungariæ conſiſtere juſſit. Ante tentoria totus ager ſecundum longitudinem, erat integris duodecim cæruleis pannis conſtratus; ubi Principes ex utroque latere, & rex in medio ſtabant. Tum igitur Dux de Limbach miſſus a regina ſertum pulcherrime textum regi offerebat, ex quo pendebat annulus, & in annulo incluſus erat adamas magni pretii, nec longe poſt regina ſequebatur, vecta in deaurato, & ſumtuoſo curru. Cum advecta ad locum pannis conſtratum deſcendit, & deducta per pannos cum ad medium fere pannorum proceſſiſſet, & regem obvium haberet, in genua paulatim deſluxit, ſed a rege comiter ſublata, & amantiſſime excepta fuit. Sic illam ſalutatam rex ipſe in magnificum tentorium ducebat, rege Boſnæ, & ceteris Legatis, & dominis ante, & pone incedentibus, ſicut rex eos ire voluerat, niſi quod Veneti interdum ordinem turbarent. Ad Reginam in tentorium ingreſſam Epiſcopus Gabriel Italico ſermone loqui regis nomine cœpit, & adventum ipſius ſalvum eſſe juſſit, & præſertim dolorem regis commemoravit, quem ex ipſius diuturno, & laborioſo itinere cœpiſſet: cum illa ſtatim prudentiſſime, & humaniſſime paucis, ſed honeſtiſſimis, & prudenter compoſitis verbis ipſa reſpondit, & regi gratias egit.*

Atque in urbem inducit.

Peracto in hunc modum primæ ſalutationis officio, *inflari rex in tubas juſſit, & regina in niveum gradarium, rex vero in equum ſpadiceum conſcendit: & erant equi ambo regaliter ornati, frenis & reliquis omnibus ornamentis aureis, et aliquin toto corpore circum amicti attalicis, & phrygiis tegumentis, in quibus gemmæ intextæ elucebant plurimæ.* (i) Urbem ingreſſis quies data, ac deinceps, cujus cauſa Albem maxime ventum eſt, inaugurationi omnia apparari. Ingens præſtituto die ad templum, in quo coronanda regina erat, cum Principum, tum exterorum concurſatio facta, diribitis, quæ ſingulos pro dignitatis gradu occupare neceſſe eſſet, ſpaciis. *In iſtam ſplendidam hominum coronam ingreſſi Archiepiſcopi, & Epiſcopi, atque præpoſiti quatuor infulati, & pulcherrimis religioſis veſtimentis ad faciendum Sacrum or-*

Tum coronari jubet.

(g) Tom. I. Script. rer. Hung. pag. 519.

(h) Quo nomine ſine dubio Comitem Palatii, ſeu, ut nos ſolemus, Palatinum regni accipit.

(i) Idem Palatini Comitis Legatus ibid.

1476. *nati: cum Epiſcopus Veſprimienſis officium cantaſſet miniſtrantibus aliis; & ſacrum uſque eo factum eſſet, ut jam agnus hymnus cantari deberet, dum demum reginam juxta aram producebant, ubi ſub expanſo velo exuta in ſubuculam, & induta primum cyclade aurea, quæ in dextro brachio, & humero patebat, & nudum corpus conſpiciendum præbebat, tandem palla aurea rubra ſupra cycladem veſtita fuit. Interim rex Boſnæ cum aureo pomo, & ſceptro ad regem Hungariæ ſponſum, ex adverſo ante ſellam ipſius adducitur, & inde regem ad ſummum altare ad reginam uſque comitatur, ubi rex & regina ante aram procumbunt in genua: Epiſcopus vero, & alii clerici cantionibus Eccleſiaſticis, & conſuetis ceremoniis utrumque conſecrant. Et cum regina pro more iſtius pompæ fidem Chriſtianæ Eccleſiæ juraſſet, chriſmate & balſamo in dextro brachio inungitur. Deinde Comes magnus regem interrogat: an diadema regium vellet reginæ imponi? & cum rex annuiſſet, ille idem magnus Comes, & reliqui Magnates in caput reginæ coronam imponunt, continuoque in tubas inflant tubicines, tanto numero & ſtudia, ut vox nullius exaudiri poſſet. Sic rex veſtitus regali pallio, & diademate in ſellam ſuam recumbit, & equeſtrem dignitatem confert regis Neapolitani filio, Chriſtophoro Duci Bavariæ, & primariis viris quam plurimis. Finito Sacro rex eo ordine, quo advenerat, in hoſpitium ſuum, ut etiam regina in deſtinatum ipſi conclave revertit.* (*k*)

Ab inauguratione Budam ſumma pompa reginam deducit.

Ab inauguratione dies aliquot hilariis dati, dum Budam conſummandis nuptiarum ſolemnibus deſtinatam, ſpectatiſſima pompa profectum. Juvat ipſam itineris rationem, tum majeſtatis apparatum ex eo, qui ſpectator adfuit, depromere. *Primum aliquot inſtructiſſimæ equeſtres turmæ ante regem, & reginam antecedebant, ac ante regem Principes, & Legati Principum, & Veneti ordine ſuperius explicato, niſi quod Veneti antiquum obtinerent, & juxta regem Hungariæ, & reginam ſponſam, regisque Neapolitani filium, & item apud Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Principum Legatos ſparſim equitare vellent, donec a Gabriele Epiſcopo, cui rex mandatum dederat, in ordinem ante Principes, et Principum Legatos reducerentur, quod ut illis parum honorificum fuit, ſic inviti permittebant Deinde ante regem proxime ante Legatos Electorum, & Principum adoleſcentes novem florente ætate, tanquam cubicularii regis pulcherrime veſtiti proceſſerunt, veſti generoſis, magnificeque contectis equis, & circumcincti argenteis gladiis, & in veſtimentis præferentes colorem regiorum inſignium. Poſt illos pueri totidem ſequebantur in laudatiſſimis caballis, quorum frena, & veſtimenta omnia maximis pretioſiſſimis margaritis abundabant. Sed rex in albo equo ante omnes enitebat, & amnia aurea habebat equi ornamenta, & pallium regis, & ſocci, in quibus equitabat, margaritis, & gemmis erant pleniſſima, & alioquin tota equitandi, & veſtiendi ratio, magno artificio ad Germanicam conſuetudinem erat comparata. Poſt regem puer unus equitabat, cujus equus vaſto corpore inſtratum habebat margaritis cumulatum, & frontale tanquam coronam auro, perlis, & gemmis refertam, & puer duo geſtabat aurea ſcuta, ut meo quidem judicio equus hic unicus quatuor millibus Hungaricorum ducatorum redimi non potuiſſet. - - Juxta regem in albo equo gradario, toto aureo, regina erat, ornata regaliter in palla bombicina lutea, & ſub ea in cærulea cyclade aurea, & coronam in capite gerebat, videbaturque tota ex auro conflata fuiſſe, & ex gemmis: octo etiam Budam ingrediens regina aureos currus habebat, & junctos ſingulis ſex caballos niveos. - - Jam pene ad mœnia urbis rex adequitaverat, cum in vicino prata ſodales Chriſtophori Bavariæ Ducis - - - haſtis proxime in regis, & reginæ oculis dimicarent, & caderent ambo: & cum ſtatim alii duo equites concurriſſent, & pariter ambo in terram procubuiſſent, magnum regina perterrita extulit clamorem. Interim in urbem cœptum erat ingredi: cum infinita religioſorum hominum multitudo cum reliquiis Sanctorum in vicina portis area occurrerent, & reginam honeſtiſſime exciperent, quam dein ipſi ſemper præeuntes in ædem uſque B. Mariæ Virginis deduxerunt: ubi cum cantio illa: Te Deum laudamus, decantata eſſet ſolenniter, rex reginam iterum manibus comprehenſam extra templum eduxit.* (*l*)

Et convivio cum ceteris Principibus accipit.

Inde in palatium eodem pompæ ſplendore conceſſum; ac ad epulas, quas rex Principibus, & qui in iſtorum loco adfuere, Legatis daturus erat, in cœnaculo condictum. *Cœnaculum illud*, ut rurſum Palatini Comitis Legatus narrat, *magnificum erat palatium, dignum regio ſplendore, veſtitum attalicis, & boloſericis rubris aulæis, in quibus perlæ magno numero paſſim interpoſitæ erant. In eo primum menſa ſtabat*

(*k*) Idem ibid. (*l*) Idem ibid.

Cænaculi apparatus

bat orbicularis, ante quam de pariete tapes totus aureus pendebat, menſæ latitudinem adæquans. Supra menſam expanſa tria erant ex villoſo boloſerico longa tapetia, in quorum uno reginæ inſignia ad duorum ſcutorum ſimilitudinem auro & perlis intexta erant, duabus coronis ſupra incumbentibus; ſed in reliquis duobus eodem modo expreſſa inſignia regis conſpiciebantur. In hac menſa rex, & regina accubuerunt, & ad dextram regis Neapolitani filius, Archiepiſcopus, Duces, & alii regis Oratores: dein Ferrarienſes, & Venetorum Legati: Verum ad ſiniſtram proximus reginæ ſedebat Chriſtophorus Dux Bavariæ, & ab eo Palatini, & Saxonis Electorum, item Ludovici, & Ottonis Bavariæ Principum Conſiliarii. In medio cænaculo ante regiam menſam abacus circum lapideam columnam erat quadratus, diſtinctus octo gradibus: in quorum primo fercula, malvia, & regis, atque reginæ pocula, & aliorum magnatum una reponebantur, ad uſum regalis menſæ: reliqui ſeptem gradus in omnes partes circum circa lagenas, cantaros, trullas, & pocula continebant, atque hæc omnia maxima, & ex auro, & argento artificioſe, ſplendideque cælata. In infima etiam gradu, duo ſtabant ex argento facti monocerotes: quorum unus maximus, alter mediocris erat, & uterque in fronte vera genuina iſtius animalis cornua efferebat. Ante menſam in pavimento fons erat, affabre, & ſingulari artificio, ex argenti trecentis libris formatus, tanta altitudine, quantam vir procerus adæquare vix poſſet: & juxta fontem quinque argentea caniſtra: item totum argenteum dolium pendebat in ſublimi ſuſpenſum, cum multis fiſtulis, & epiſtomiis, unde pro regia, & aliis menſis vina deſumebantur. Præter iſta ſuperfuerunt adhuc octo abaci, & cum fontem, panaria, & monocerotes adnumeras, fuerunt in omnibus abacis, vaſa argentea nongenta, & octoginta, præter pocula, quorum in menſis tum uſus erat. (m)

Convivii ſplendor.

Hic loci ſplendor, & luxus; ciborum copiam, modumque idem in hæc verba perſequitur. *Cum regis atque reginæ cibus afferretur, præcedebant ante cibum, Hinco Georgii Podiebradii Bohemiæ regis filius, & juxta eum Boſnæ rex, & ad hujus latus Dux Sileſiæ: Sed cibum deſerebant Hungarici reguli, Barones: reliqua etiam fercula, quæ convictoribus menſæ regalis praponebantur, iidem Barones apportabant: ſed ante ea, quæ regis Neapolitani filius habiturus erat, quatuor ante ibant Germanici, & Bohemici Barones, & ante Chriſtophori Bavariæ Principis victum, Dux Nicolaus, & Hungarici Barones, ut etiam poſtremo ante legatorum Germaniæ Principum cibos quatuor iterum Hungarici Barones præceſſerunt. Eodem modo, qui ante menſam regalem Legatis tum Italis, tum Germanis miniſtrarunt, in proponendo, & removendo cibo, & in aliis neceſſariis ad convivium officiis, erant omnes vel Comitum, vel Baronum, vel primariorum equitum dignitate conſpicui.* (n)

Convivarum frequentia

Haud ſcio, an quidquam ad Majeſtatis, elegantiæ, dignitatiſque ſplendorem exquiſitius fieri potuerit, cum reges, regumque filii, ac Duces in ſervorum loco ad menſam Mathiæ ab obſequio erant. Suus etiam convivarum reliquis honos habitus eſt: nam & *ad reliquos octo abacos infra regiam menſam, octo etiam erant aliæ collocatæ, & inſtructæ menſæ; ad ſingulos abacos ſingulæ menſæ, in quibus primum ȝynæceum conſidebat, & in eo mater regis, tum Neapolitani regis, & Legatorum miuiſtri, & deinde Gubernator, Comes magnus, & alii Hungariæ reguli, & Epiſcopi, quibus omnibus octo reliquæ menſæ complebantur.* (o)

Inde choreæ ductæ.

Et ne nihil moribus etiam ſeculi daretur. *Cum menſæ remotæ eſſent, ſaltationi in eodem cænaculo dabatur locus: & primæ choreæ Electorum, & Principum Germaniæ Conſiliariis ex ordine tribuebantur: deinde Chriſtophoro Duci Bavariæ, tertias rex, & regina ducebat, & poſt regem filius Neapolitani regis cum ſorore ſponſa - - quarto loco ſaltabat: et cum quinto magnus Comes, et ſexto Dux Limpachius ſaltationem abſolviſſent, finis tunc iſtius rei fuit, et rex in conclave, ſed regina in gynæceum ſeceſſit, ubi Legatis Principum, qui illam eo usque deduxerant, gratias egit, et abeundi fecit poteſtatem.* (p)

Et ludi equeſtres exhibiti

Atque hæc integrum ante concelebratas nuptias quatriduum acta fuere: dies reliqui, quoniam trucibus ſpectaculis eo tempore mos erat virtutis de ſe opinionem facere, ludis equeſtribus exacti ſunt, ut rurſum, quem ſupra narrantem induximus, memorat. *Die Saturni proximo*, inquit, - - *venit paulo poſt lucem Watzel a Sternach Baro invitaturus Principum, et imperii Legatos, qui etiam* com-

(*m*) Ibid. (*n*) Ibid. (*o*) Idem. ibid. (*p*) Idem ibid.

1476. *comparuerunt, et poſtquam cum rege in eadem menſa cœpiſſent ex iisdem patinis cibum, dimiſſi a rege in hoſpitium reverterunt, ſed veſperi Dux Bavariæ Chriſtophorus, et Hinco Munſterbergenſis in ludum equeſtrem prodibant, uterque uno equite ſtipatus. Et primum duces concurrebant, ac tametſi Dux Chriſtophorus Munſterbergenſis Ducis ſcutum, et partem loricæ perrupiſſet, tamen ambo de equis dejecti, humi procubuerant. Secundo poſt Duces Joannes a Stein eques Chriſtophori Ducis ſocius cum Bohemo Hinconis Ducis ſocio, cum factus eſſet concurſus jacuerunt ambo in terra proſtrati.* (q)

Beatrix regi in manus conveni

Solutis eodem veſpere ludis, Principes, Duceſque, & qui cohoneſtandæ ſolemnitati aderant, Principum, ac provinciarum Legati ad ipſa nuptiarum ſolemnia in diem ſequentem regio nomine, ut adeſſent, orati ſunt. *Itaque die ſolis circiter octavam Watzlaus a Sternach ſecum in aulam Legatos Principum in regis conclave deducit, quod novum erat maximum cœnaculum: in quo Principes, tum religioſi, tum politici, et item Legati Principum, et Comites, Barones, equites, et nobiles quam plurimi convenerunt, et eo tempore etiam primum advenit Victorinus Munſterbergenſis Princeps, qui hactenus abſuit.* Paratis ad deduceodam pompam omnibus *rex ex ſuo conclavi in magnum illud cœnaculum ingreſſus ſalutat omnes ordine, & primo loco Principes, ac Principum Legatos, quo facto exierunt omnes, & conſcenderunt equos, ut etiam rex & regina. Sic igitur magna ſolemnitate, et ſingulari omnium rerum luxu in templum D. Mariæ proceſſerunt, ubi regem proxime antegreſſi Duces, et regis Neapolitani Oratores, et ante hos Electorum, Principum Germaniæ Legati, et deinde Veneti, et alii, ordinem a Marſchallo acceptum retinebant. Ante fores templi de equis deſcenderunt, et eodem ordine in templum ad ſummam aram uſque perrexerunt, ubi duo erant ſedilia ex adverſo poſita, et aureis precioſiſſimis pulvinis, et aulæis exornata: in quorum uno ad dexteram rex, in altero regina ſtabat, amicta cyclade rubra aurea maximi precii, et ſuper eam palla, et in capite coronata regio inſigni, margaritarum, et auri, et gemmarum pleniſſimo. Supra regem, et reginam erat cœlum portatile, ut vocant, ſublatum in ſublime expanſum aureum integumentum, quod ſex bacillis ſex Duces ſuſtinebant. Gabriel vero Epiſcopus aquam luſtralem, conſecratam primum, poſtea ſpargebat. Tum rex reginam manu complexus ad aram una ſecum adducit, et poſtquam Epiſcopus pro Chriſtianorum conſuetudine juratam inter eos matrimonii fidem ſumma cum ceremonia confirmaſſet, ad ſuum uterque redit ſedile; et cum mater regis, et item regis Neapolitani filius novis ſponſis optaſſent ſalutem, atque hi viciſſim egiſſent gratias, cœptum eſt Sacrum fieri magna dignitate, et religione: in quo paulo ante benedictionem rex iterum reginam manu comprehendens, et ante aram conſtituens, cum ea in genua procumbit; et cum ſalutem illis Epiſcopus multis verbis eſſet precatus, erecti ad ſellas ſuas redeunt, et libro evangeliorum, atque pace, quam vocant, circumlatis, totoque Sacro confecto diſcedunt e templo, et in aulam, ut a Marſchallo diſpoſiti erant, ordine redeunt, proximeque ante regis conclave deſiliunt ab equis, et cum rege, atque regina in novum magnum ingrediuntur cœnaculum.* (r)

Quam Principum Legati donis exornant.

Datum deinde eſt Legatis Ludovici Ducis Bavariæ cognomento Divitis, temporis quidpiam, quos cum pro more rex placide audiſſet, convivium opipare inſtructum, eadem prorſus magnificentia, & diſcumbentium ritu, quemdies pronubus obtinuerat, iniri juſſit. *Fercula tum duodecim conquiſitiſſima apponebantur, et poſtea cum menſa fuiſſet oblata, et manus rex, atque regina laviſſent, et ſurrexiſſent de menſa, cœperunt Principum Legati dona, quæ a ſuis acceperant, offerre reginæ: quibus illa ſingulis, quomodo gratias pro pulcherrimis, et gratiſſimis muneribus agi vellet, interpreti ſuo, Georgio a Stein explicavit. Dum hæc fiunt, duo equites adveniunt, qui ante conſpectum regis, et reginæ haſtilibus congreſſi de equis, ambo decidunt. Sed poſtero die, qui lunæ erat, Dux Limbachius, et Joannes ab Hag frater Germanus eodem equeſtris ludi genere conflixerunt eodem ſucceſſu: et rex atque regina in aurea traha, quam niveus equus ducebat, cum ludicros illos concurſus ſpectaſſent, poſtea per omnes urbis vicos circumcurrebant, inſequentibus aliis quam plurimis trahis.* (s) Ita nuptiis denique finis impoſitus eſt: quæ tametſi non nullis præter modum prolixa videbuntur, reticenda tamen non erunt, quo opinionem faſtidioſorum quorundam, qui ne-

ſcio,

(q) Ibid. (r) Idem ibid. (s) Idem ibid.

ſcio, quam barbariem apud majores noſtros eatenus obtinuiſſe ſibi perſuadent, ex eorum animis eximeremus.

Turci nuptarum tempore in Chriſtianas ditiones incurrunt.

Fridericus cum Caſimiro quoque, ac Wladislao ad cohoneſtandos nuptiarum apparatus vocati, ne per Legatos quidem adeſſe volebant, quæ res conjecturæ locum præbuit, novos regis amores, quemadmodum poſtea evenit, conflato rurſus bello interceptum iri. Quamquam Mahometes iſtorum conatus anteverterat, uſusque tempore, quo rex geniali amore abſorptus lætitiæ, ac voluptati ſeſe dabat, facta ſub medium Octobris ex Boſniæ regno eruptione Carnioliam, Carinthiam, ac Stiriæ partem incurſabat, actaque ingenti præda plurima mortalium millia in miſerrimam captivitatem abduxit. Eodem armorum impetu muniriones, quas Mathias frenandis barbaris ad Szenderoviam exſtruxerat, partim vi, partim deditione in poteſtatem redegit: & quia regis exemplo Præfectos, qui conſtitutis domi Legatis provinciarum, Budam ad condecorandam pompam confluxerant, publicæ itidem lætitiæ vacare barbaro conſtabat, Daciam ex improviſo aggreſſus, vaſtata igne, ferroque provincia, quadraginta hominum millia nullo accepto maleficio trans danubium abſtraxit.

An. Chr. 1477.

Magna tunc regi invidia, & novum cum Cæſare bellum conflatum.

Ea res, tametſi nec a noſtris improſpere ad Belgradum ſigna collata eſſent, non modo multum ex Mathiæ gloria apud exteros detrivit, ſed novum illi præterea in Cæſare hoſtem conſciverat: qui cum acceptam nuper a barbaris in Carniolia, Carinthia, ac Stiria cladem, aut diſſimulante aut concitante etiam Mathia, illatam eſſe arbitraretur, aut, quod noh nulli exiſtimant, celebratis cum Beatrice nuptiis ſpem tibi, quam ex pactis habebat, ad Hungariæ regnum ſuccidi videret, ſancito cum Polonis, ac Bohemis fœdere, quo auxilia Friderico ſtipulati ſunt, bellum in Mathiam commovit: primumque Procerum quosdam, qui regi clam ſtudebant, atque ante alios Ulricum Graveneggerum, ſtrenuum militia virum aggreſſus, bonis mulctatum ex Auſtria exegit, factaque per hiemem in Hungariam procurſione, ſatis quid animo agitaret, in aperto poſuit.

Itaque rex Cæſaris amicitiæ, ac fœderi

Id Mathiæ inſtar claſſici ad vim propulſandam fuit: cum enim ex pactis conventis, ut alias narravimus, Auſtriæ Proceres, qui cum rege ſentiebant, conciliato nuper cum Caſimiro fœdere iisdem pacis conditionibus, Friderico non invito, comprehenderentur, iis provincia armorum vi ejectis, dubium non erat, Cæſarem violata pace apertum bellum meditari. Itaque cum eorum partes, quemadmodum ex pactis debebat, fruſtra per nuncios egiſſet, haud porro morandum ratus, litteras, *diffidatorias* vulgus vocat, Viennam mittit, quibus & conflatæ nuper amicitiæ renunciat, & cauſam illati belli, ne qua apud exteros invidia laboraret, ab ſe amolitur. (t)

Per publicas litteras renunciat.

„ Mathias Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ rex, notum facimus univerſis,
„ & ſingulis Principibus Eccleſiaſticis, & ſecularibus, aliisque cujuscunque ſta-
„ tus, conditionis, & dignitatis, & præeminentiæ hominibus præſentes in-
„ ſpecturis. Quod cum ſereniſſimus princeps Dominus Fridericus Imperator &c.
„ in illis treugis, quas nos communi opera, & conſenſu præfati regis Poloniæ
„ firmaveramus, incluſus ſit, & habeatur: easque treugas ipſe Dominus Im-
„ perator per litteras ſuas pendenti ſigillo ſuo confectas, quoad omnes continen-
„ tias clauſulas, & articulos ſeſe obſervaturum promiſit, & ſe in illis ipſis treugis
„ incluſum per litteras, & promiſſa recognovit, tamen - - promiſſionis, & lit-
„ terarum, ac recognitionis ſuæ immemor contra formam treugarum, contra
„ fidem publicam, contra juſtum, & honeſtum, contra inſcriptionem nobis per
„ dictum primogenitum regis Poloniæ mediantibus ſuis litteris factam, in qui-
„ bus inter cetera, iſta ponuntur formalia: *Ita tamen, quod omnes iſti barones,*
& nobiles in dominiis ipſius Domini Imperatoris, qui ſunt ſub patrocinio Domini Mathiæ
regis Hungariæ &c. ſint, & ex nunc eſſe intelligantur incluſi in præſentibus treugis:
„ eos ipſos nobiles ſub protectione noſtra exiſtentes, qui in illis ipſis treu-
„ gis incluſi fuerunt, durante treuga invaſit; nulla juſtitia a nobis petita,

„ no-

(t) Exſtant in Cod. MS. Hiſt. profanæ Num. 224. Bibl. Auguſtæ Vindobon. ſine anno: ſed litteris aliis de anno 1477. ſubnexæ.

1477. „ nobisque omnino irrequiſitis; eidem Domino Imperatori per litteras, & nun-
„ cios ſæpius obtulimus, & tanquam veræ pacis amatores, juſtas cum eo con-
„ ditiones habere quæſivimus, ipſe tamen omni noſtra oblatione contempta, ab
„ incepto non deſtitit, nec usque modo deſiſtit: nec veritus eſt fidem publicam,
„ & continentiam treugarum contra jus, fasque violare, inſuper in regno noſtro
„ Hungariæ per gentes ſuas hoſtilem direptionem fecit, in præjudicium noſtrum,
„ & injuriam regni noſtri valde magnam, fidei publicæ, & promiſſionis ſuorum
„ contemptum, & transgreſſionem ſatis manifeſtam. Præterea cum omnibus
„ ferme potentatibus Chriſtianis, in primis ſanctiſſimo domino noſtro Papæ no-
„ torium, manifeſtumque ſit, nos a duobus ferme annis retro actis contra Tur-
„ cos pro defenſione fidei arma ſuſcepiſſe - - - in quo pio, & ſanctiſſimo opere
„ non impedimentum, ſed potius præſidium, & auxilium expectaſſemus, ipſe
„ tamen dominus Imperator officii ſui publici immemor, cujus magis intereſſet
„ rem publicam Chriſtianam defendere, ne eſſet præfati officii negligens; quippe
„ cujus ſubditi quoque - - - ſæpe per hoſtes fidei laceſſiti ſunt, non cogitando,
„ nec animadvertendo, onus tam ſanctum, & publicum, quod nos humeris no-
„ ſtris ſuſcepimus, - - injuriis, - - nos laceſſendo intermittere compellit. Super
„ quibus omnibus nos Deo in primis, & univerſæ chriſtianitati, nec non vobis
„ omnibus, & ſingulis Eccleſiaſticis, & ſecularibus principibus, aliis cujuscun-
„ que ſtatus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ hominibus proteſtamur,
„ fidemque publicam invocamus, ut ſi quid nos iniquo, injuſtoque bello la-
„ ceſſiti, injuriisque, & damnis maximis provocati, pro noſtra, & regni no-
„ ſtri defenſione, intermiſſo fidei negotio, facere cogimur, non nobis, qui pa-
„ cem potius, quam diſcordiam ſemper amaverimus, ſed illis, qui nos laceſ-
„ ſunt, coram Deo, & hominibus imputetur. Equidem nos ad omnia juſta,
„ & honeſta media, ut præmiſſum eſt, fuiſſemus benevoli, & parati, dummo-
„ do a nobis ea fuiſſent accepta, & admiſſa. Is igitur ſit in culpa, qui diſcor-
„ diæ - - - contra fidem, & promiſſum, occaſionem dedit, & qui, cum fidem
„ ſuam, & promiſſionem obſervare negligat, ubi pro fide Catholica decertare
„ tenetur, etiam illos, qui pro fide militant, impio bello, & iniquo abſtrahe-
„ re, & avertere contendit. Nos enim, licet multa injuſte paſſi, hactenus
„ contra treugas nihil in quopiam innovamus, inducti maxime zelo defenſio-
„ nis fidei, & pacis, quod ſi majoribus adhuc, & intolerabilibus prememur
„ injuriis, & nos cogemur defendere, non nobis, ſed illi, qui huic malo occa-
„ ſionem dedit, ab omnibus imputetur: quoniam nos, invocato omnipotentis
„ Dei adjutorio, qui ſemper juſtitiæ, & æquitati favet, bellum injuſtum non
„ inferimus, ſed pro poſſe noſtro propulſabimus illatum; vim namque vi re-
„ pellere, fas, & jura permittunt.

Ejusdem argumenti litteras ad Imperii principes dedit.

Hæc Mathias ad Auſtriæ ordines univerſe vulgaverat: ad Fridericum pridie idus Junias (*u*) ſeorſim litteras dedit ejusdem fere argumenti, ſimulque ſe eum, ac ditiones omnes, quæ ſibi auxilio futuræ eſſent, pro hoſte habiturum declarat. In eandem ſententiam, quaſi litteris prius, quam ferro res decernenda eſſet, biduo poſt (*x*) ad imperii Principes Buda ſcripſit, cauſas, cur Cæſari bellum indiceret, prolixe reddens, obteſtansque ſingulos, ne ei, ſi quæ ſubſidia e Germania peteret, ulla decerni paterentur: ſe nihil in imperium, aut ejus Principes, cum quibus ſibi hactenus amice conveniſſet, moliturum: Friderico duntaxat, quod pactis conventis non ſtetiſſet, graviſſimisque præterea ſe affeciſſet injuriis, bellum admotum iri. Graviora hæc Cæſari viſa, quam ut conſueta diſſimulatione præteriret: igitur ipſe litteras quoque ad ordines Hungariæ miſit, quibus & innocentiam ſuam palam facere nititur, & injuriarum cauſas in Mathiam rejicit, hortaturque, ut veterum pactorum memores, ad iniquiſſimum

(*u*) Königs Mathiæ Fehde, und Abſagsbrif an Keyſer Friderich III. und deſſen Erblande. Ofen Pfingſtag vor St. Veit 1477. Exſtant in Tab. Auguſtæ Domus.

(*x*) Habentur Germanice in Cod. MS. Hiſt. prof. 224. Bibli. Auguſt. Vindobon. fol. 33.

mum bellum regi ſuo non modo opem, ſed ne conſilium quidem præſtare vellent. (*y*)

Dignæ prorſus memoratu ſunt litteræ, quas propterea Fridericus ad Hungariæ Optimates dederat, ex quibus, uter bello anſam præbuerit, difficulter judicium conſtitui poſſit, facileque appareat, armis non minus, quam odiis utrinque certatum fuiſſe: ita invidiæ, quæ ex obmoto bello conflari poterat, cauſas, alter in alterum conjicere moliebatur. Ad hunc autem modum Cæſar regni ordinibus ſcripſit. *Cui Cæſar reſpondet*

„ Fridericus Divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper au- *Scriptis*
„ guſtus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. rex, Dux Auſtriæ, Stiriæ &c. *ad regni*
„ venerabilibus, honorabilibus, devotis, religioſis, magnificis, generoſis, no- *ordines*
„ bilibus, fidelibus, nobis ſincere dilectis, omnibus, & ſingulis, Prælatis, Ba- *litteris*
„ ronibus, militaribus, communitatibus & aliis Hungariæ incolis, & ſubditis
„ gratiam Cæſaream, & omne bonum. Significamus vobis, & notum eſſe vo-
„ lumus, regem Mathiam nos, contra perpetuam pacem, & mutuas inſcri-
„ ptiones, ac fœdera inter nos, & eum, & utriusque noſtrum ſubditos, &
„ regna, ac dominia factam, & ejus ac veſtris, & prædeceſſorum veſtrorum
„ litteris, & ſigillis roboratam, ac confirmatam per ſedem Apoſtolicam, litteris
„ ſuis patentibus diffidaſſe, & nobis apertum indixiſſe bellum. Et licet dudum
„ antea, clam, & aperte nos, & ſubditos noſtros aſſiduo bello, & injuriis pro-
„ vocaverit, & vobis ejus hoſtilitas cognita fuerit, ut ſimili nova diffidatione
„ contra nos opus non fuiſſet, quando & prius ſæpenumero per ſuos Capita-
„ neos ejus nomine fuimus diffidati. Quamquam non ambigimus, id minime
„ de conſenſu, & voluntate veſtra factum fuiſſe, quia tamen is ſuis propriis
„ litteris nos, & dominia noſtra pro ſe, & ſuis diffidavit, in quibus nos de
„ pluribus inſimulat injuriis, quibus per nos provocatus ſit, voluimus vobis,
„ qui univerſe pro ipſo, & toto regno Hungariæ pro obſervantia perpetuæ pa-
„ cis, ac intuitu fœderis eſtis conſtricti, in hoc veritatem rei aperire, & inno-
„ centiam noſtram detegere, ut intelligatis, nos ab eo ſuper his haud juſte cri-
„ minari, & diffidationis ſuæ nullam præſtitiſſe cauſam, nec occaſionem.

„ In primis quidem incipit in ſua diffidatione, ſe ad deſiderium, & re-
„ quiſitum noſtrum, ac ad opem nobis ferendam bellum Bohemicum ſuſcepiſſe,
„ quemadmodum etiam aliquando jactare ſolitus eſt. Sed profecto minime ad
„ hoc per nos inductus, neque requiſitus fuit, nec ad inſtantiam noſtram hoc
„ bellum ſuſcepit, ſed, Duce Victorino Auſtriam depopulante, eum rogavi-
„ mus, ut nobis, quemadmodum ſibi ante, caſtellum (*z*) prius etiam per nos
„ miſſa fuere auxilia, contra Victorinum opem mitteret, quoniam compertum
„ habebamus, eum ad quorundam regnicolarum Bohemiæ inſtigationem hoc bel-
„ lum ſuſcepiſſe, & modo expeditioni in Moraviam fuiſſe accinctum. In qua
„ etiam expeditione nos, & dominia noſtra, plus ei opis tulimus quam nobis
„ is ferebat. Qualiter autem in propria perſona venerit, etiam docuit even-
„ tus: quia - - regnum - - paulo poſt nobis inconſultis ſuſcepit. & demum,
„ poſtquam ſe nunc regem Bohemiæ appellavit, nos ſuper hoc conſulebat. (*a*)
„ Subjungit præterea, per nos ſibi litteris fuiſſe cautum, quod ſi ipſe hoſtes no-
„ ſtros, tunc Auſtriam latrocinantes, ab Auſtria propelleret, & rebelles ſubdi-
„ tos ad noſtram reduceret obedientiam, quod eum de regalibus Bohemiæ

(*y*) Ibid. fol. 27. ſed quos legere vix poſſis.

(*z*) Opinor CASTELLI nomine, pagum Koſztolány non longe Tirnavia ſitum, venire; quo cum ſe Bohemi fratres acephali recepiſſent, Cæſar regi ſubſidia ad expugnandum locum miſit, ut in annalibus memoravi.

(*a*) Obſcurus hic etiam locus: credo hanc eſſe ſententiam: Mathiam Corvinum, poſtquam volentibus Bohemiæ, ac Moraviæ Proceribus regis Bohemiæ titulum ſumſiſſet, Cæſarem de ea re, ſed ſero, conſuluiſſe.

1477. „ infendare vellemus: hoſtibus autem ab eo ejectis, & rebellibus noſtris, quos
„ ad inſtantiam in ſuam recepiſſet protectionem - - - aſſernit etiam omnia rata
„ firma obſervari, de quibus cum litteris noſtris caviſſemus, nos clanculum ad
„ Imperium abiiſſe. Super quibus admodum miramur: nam ſi ita eſſet, dudum
„ cum hujus modi litteris noſtris ſuper hoc nos requiſiſſet, nec tanto tempore
„ illas ſuppreſſiſſet: Verum recordamur, ad ejus inſtigarionem, & ſtipendium,
„ eoſdem hoſtes noſtros Auſtriam invaſiſſe, & ejus ope, & ductu complures
„ in ea erexiſſe muniriones, prædictoſque rebelles noſtros ad eum defeciſſe, &
„ rebellaſſe, rebusque per eum confectis, tandem ex poſtulato per noſtrum - -
„ Oratorem - - nobiſcum practicaſſe, & ſe obtuliſſe, quod ipſos hoſtes noſtros
„ ab Auſtria removeret, & rebelles ad noſtram duceret obedienriam, ſi ei ti-
„ tulum regni Bohemiæ concederemus, & eum regem appellaremus, quod cum
„ ſibi pollicebamur, ſi prædicta adimpleret Sed nihil eorum fecit, quæ pro-
„ miſit, imo hoſtes noſtros ſine ſtipendio in Auſtria retinuit, & rebelles noſtros
„ in ſua rebellione tutatus eſt, donec ipſi hoſtes per noſtros ab Auſtria, expu-
„ gnatis eorum munitionibus, quas ſuo nomine tenebant, ejicerentur: nec
„ conſonum rationi, nec veri ſimile eſt, nos ei ad hoc condeſcendiſſe, ut ipſe
„ eoſdem rebelles noſtros adverſus nos protegeret, & tutaretur, ut hactenus
„ fecit, & hodie facit. Nec clam, ſed convocatis prius per nos omnibus Im-
„ perii Principibus, & communitatibus, ad Auſtriam palam acceſſimus, & de-
„ mum poſtquam lapſum fuit tempus, infra quod ea, quæ promiſit, adimple-
„ re neglexit, & recuſavit. Aſſerit nos inſuper - - cum inimicis ſuis, Polonis
„ fœdus pepigiſſe: non inficiamur nos cum ſereniſſimis regibus Poloniæ, & Bo-
„ hemiæ, conſanguineis noſtris fœdus pepigiſſe, adverſus inſolentias, injurias,
„ & bella, quibus ab eo infeſtamur: qui qu dem reges, ut Catholici Princi-
„ pes, ſemper in obedientia Romanæ Eccleſiæ fuere, & hodie ſunt. Increpat
„ contra nos treugas in Sleſia initas, ſecum, & cum rebellibus noſtris non ſer-
„ vaſſe - - -, imo ipſi rebelles noſtri eaſdem treugas multipliciter violarunt.
„ Nam pa'am eſt, ipſis treugis durantibus, novas munitiones ſuper Danubium
„ erexiſſe, & inibi nova vectigalia exegiſſe, & percepiſſe. Similiter & ipſe nos
„ per Capitaneos ſuos diffidavit, & dominia noſtra igne, & ferro depopulatus
„ eſt: nec nos ipſis treugis, ut ait, intereramus, nec his Oratores noſtri inter-
„ fuere, ſed ab eiſdem regibus Bohemiæ, & Poloniæ in eis fuimus comprehen-
„ ſi: in quo licet verebamur, ut accidit, eas nobiſcum nunc obſervare, ceteras
„ tamen diſſenſiones noluimus; ne ipſe occaſionem dicendi habeat, eum per
„ nos ab armis, infidelibus, inſereudis fuiſſe retractum. Quas quidem treugas,
„ ut ipſi ſcitis, nos cum inclito regno Hungariæ, & ipſo rege Mathia inviola-
„ biliter obſervavimus, & a noſtris fecimus obſervari. Quod vero rebelles no-
„ ſtros ad noſtram obedientiam reducere curaverit, quis nos digne de hoc mo-
„ nere poterit; tamen nobis & naturali eorum domino, & principi patriæ id
„ juſto jure licuit. Inquit poſtea, ſe multos nobiſcum iniiſſe tractatus, in qui-
„ bus ſe ad omnia æqua, & rationabilia obtulerat. Fatemur quidem multos
„ inter nos, & eundem per utriusque noſtrum conſiliarios interveniſſe tracta-
„ tus: ſed conſtat ſuis Oratoribus, quos ad hujus modi tractatus miſit, quod
„ eorum, quæ nobiſcum tractavit, & concluſit, clam apud hoſtes noſtros, &
„ rebelles ſemper contrarium molitus eſt, & practicavit. Neque unquam com-
„ perimus, eum in eiſdem tractatibus ſinceram mentem, & conſtantem ani-
„ mum habuiſſe: ſed in his ſemper plus adverſariis noſtris, etiam quibuscun-
„ que, quam nobis faviſſe, nihilque eorum, quæ inter nos, & eum concluſa
„ fuerunt, eum obſervaſſe, neque impleviſſe, & non aliud, quam nos per hu-
„ jus modi tractatus circumvenire conatus eſt.

„ Refert etiam, quod nos per oratores ſuos rogaverit, & interpellati
„ ſimus, ut a bellis abſtineamus, & ſibi contra Turcos feramus auxilia. Porro
„ nemo ignorat, ab eo tempore, quo ipſe pactatus eſt, neque ſibi, neque ſuis
„ per nos bellum fuiſſe illatum, at contra is ſemper tum clam, tum aperte bello,

&

„ & injuriis laceſſivit nos, nunc Andream Pamkirch, nunc alios contra nos con-
„ citando. Unde congruebat, & licuiſſet nobis viciſſim arma inferre regno
„ Hungariæ, & vim vi repellere, cum tamen ea contra voluntatem veſtram fieri
„ cognoviſſemus, nos in hoc temperavimus, innocentiæ veſtræ rationem haben-
„ tes, nulliusque rei tam cupidi fuimus, eique per oratores ſuos renunciavi-
„ mus, nos omnino inclinatos, & diſpoſitos, eum contra infideles juvare dum-
„ modo ipſe a bello nobis inferendo abſtineat, & ſe de rebellibus noſtris non im-
„ pediat. Nihil tamen per hoc profecimus, ſed ipſe paulo poſt ad inſtantiam
„ rebellium noſtrorum, nos per Capitaneos ſuos diffidavit, & terras, ac ſubditos
„ noſtros multipliciter damnificavit. Sibi fuiſſemus (parati) ferre auxilia contra
„ infideles, ſi ipſe fructuoſe adverſus eos arma, & potentiam ſuam convertiſſet.
„ Sed hactenus nihil profecto arduum contra eos fecit, niſi quantum ad oſten-
„ tationem factum eſt: quin imo nobis expreſſe nunciavit, ſe auxilia ex Imperio
„ decreta, & contra Turcos nolle habere. Similiter cum ſuperiori anno ex Im-
„ perio, a bello Burgundico revertebamur, omnibus Principibus, & communi-
„ tatibus ſcripſi, & exhortatus ſum, ut nobis adverſus infideles non nulla mit-
„ terentur auxilia: ex quo conſtat, auxilia contra Turcos per nos ſibi non ſub-
„ tracta, ſed potius per eum repudiata. Similiter pecunias a Chriſti fidelibus
„ ſibi contra Turcos collatas, non contra Turcos, ſed ad perniciem noſtram,
„ & aliorum fidelium convertit. Poſtremo nos culpat, quod cum ipſe nos lit-
„ teris ſuis certiores fecerit, dominum noſtrum ſanctiſſimum treugas ad unum
„ annum prorogaviſſe, - - - Oratores ſuus de cetero coram nobis comparere
„ per nos petitum ſit. Sane ſi ita foret, non ab re contigiſſet; quoniam - - -
„ pleriſque annis nihil eorum, quæ ad nos ſcripſit, aut nunciavit, opere ipſo
„ implevit, noſque perſecutus eſt: ſed in hoc ita vacavit ut non ſolum nobis,
„ ſed & Oratoribus ſuis ludibrium fecerit, tanta ejus inconſtantia eſt, & mu-
„ tabilitas. Subjungit etiam, nos de nobiſmet ipſis ſentire, nos ad procuran-
„ dam rem publicam non eſſe idoneos: hoc profecto pro eo affert, quod faci-
„ lius aliena, quam ſua carpit. Nam clarum eſt, nos hactenus gubernaculis
„ ſacri Romani Imperii ita præfuiſſe, quod ipſum Imperium tempore noſtri
„ regiminis, magis adauctum, quam diminutum ſit, nihilque detrimenti acce-
„ pit, quamquam ipſe data opera quam plures in Imperio ad bellum nobis in-
„ ferendum contra ſolicitavit, prout in terris hæreditariis facere conſuevit. Qoam
„ autem ſolerti regimine ipſe regnum Hungariæ adminiſtraverit, argumento ac-
„ cidit, quod tempore ſui regiminis pene dimidium regni; nullo reſiſtente ab
„ infidelibus ſibi ademtum eſt, atque amiſit: ac regnum ipſum nulla urgente
„ regni neceſſitate, & ſua duntaxat incuria, abſque omni externo bello pene
„ contrivit, & exactionibus, & aliis modis ad ſummam redegit inopiam, ac
„ vaſtitatem: ad quod ſibi nullam præſtitimus occaſionem, ſed ſemper ſecum,
„ & cum inclito regno Hungariæ, ut compertum habetur, inconcuſſam pacem
„ ſervavimus: ipſe nam etiam Mathias contra, nos clam, & aperte bello per-
„ ſecutus eſt, & innumeris damnis affecit. Et ſuo tempore ſupra dicta, & alia
„ plura coram ſummo Pontifice, & aliis regibus, & principibus cum veritate
„ deducere poſſumus, ut intelligant, nos in his, de quibus nos in ſua diffida-
„ tione criminatur, culpa vacare, & eum nobis in hoc injuriari & modo in
„ promtu poſſemus ea ita refellere, ut intelligeret ſibi, ut regi non licere, mi-
„ nores, aut ei conſimiles principes ludibrioſis verborum levitatibus laceſſere.
„ Maluimus tamen in hoc honori noſtro deferre, & eum relinquere moribus
„ ſuis, quam ei paria verba referre, & ſecum concertare altercationibus. Et
„ cum vos una cum præfato rege Mathia ad obſervantiam perpetuæ pacis, ac
„ fœderis ſitis obligati, hæc pro innocentia noſtra, & rei veritate vobis nota
„ eſſe volumus, vos, & quemlibet veſtrum ſtudioſe, & magnopere rogantes,
„ quatenus tum juſtitiæ, tum æquitatis intuitu, contemplati fidem utrinque
„ inter ſe conſiſtentem, præfato regi Mathiæ nullam opem, auxilium, neque
„ conſilium contra nos præſtare, neque ei aſſiſtere, neque adhærere in hoc bello
„ velitis. Id erga vos, & quemlibet veſtrum promereri, & generoſius recogno-

1477. „ ſcere volumus. Datum Viennæ, XXVI. die menſis Junii, anno MCCCC. „ LXXVII. Imperii noſtri, XXVII. regnorum noſtrorum, Romani XXXVIII. „ Hungariæ vero XVIIII.

Quamquam minime in obſcuro ſit, haud pauca eorum, quæ Cæſar Mathiæ objecerat, veritati conſentanea eſſe, tamen non perinde, ac utriusque dignitas poſtulabat, decori rationem utrinque habitam fuiſſe conſtat, quæ res non modo ad ſopiendam belli flammam nihil attulit, ſed irritatis odio animis pertinacius etiam poſtea bellum conflaverat. Ceterum quam ob cauſam Fridericus mediam fere regni partem ab Hungaria per Turcos, & deſidiam regis avulſam ſcribat, haud ſatis intelligo: cum Mathiam ad ceteras regni ditiones magnam quoque Boſniæ partem, præter Moraviam, ac Sileſiam adjeciſſe perſpicuum ſit: niſi forte damna a barbaris crebro illata, ac vaſtatam procurſionibus Hungariam, eo nomine venire voluerit.

Inde coacto exercitu A verborum litigio ad arma ventum eſt: ac quamquam ſententiæ, utrum bellum Cæſari inferendum, an potius diſſidia amicitiæ inſtauratione complananda eſſent, vehementer variarent, Mathias tamen ſuopte armorum cupidus, probato eorum, qui pacem aſpernabantur conſilio, militi, ut ad Jaurinum coiret, edixit. Nusquam alias tanta ſub ſigna confluentium copia, ſeu prædarum, quas opimas in Auſtria ſe capturos putabant, ſpe allecti, ſeu armorum gloria accenſi. Ex his, ne quid ob gentium varietatem, turbarum daretur, placuit caſtra trifariam dividi; ut & Hungari in gravem, ac levem equitatum diremti cum peditum decem millibus ſeorſim haberent, & Bohemi, quorum maxima pars equites Cataphracti, aut Balliſtarii, tum Raſciani, qui vexillationibus potiſſimum conſueverant, ſecernerentur. Exercitum univerſe ex ſeptemdecim millibus conflatum coævus Auſtriacarum rerum Scriptor memoriæ prodidit. (*b*)

In Austriam irrumpit, & aliquot loca capit His copiis inſtructum regem, Fridericus novo facinore ad maturandum bellum laceſſivit. Cum enim Wladislao Viennam profecto feudum, ut vocant, ſolenni ritu contuliſſet, Mathias id ſuam injuriam eſſe interpretatus, motis ab Jaurino caſtris in Auſtriam torrentis inſtar irrupit, oppugnatoque, quod in limitibus Hungariæ ad frenandum danubium opportuno ſitu eſt, Hamburgo, poſtque triplicem aſſultum capta urbe nihil tale opinantibus Auſtriis in mediterranea ſeſe effudit, primoque impetu Trautmonsdorffium, & Berchtoldi vicum; aliaque oppida occupat: tum dimiſſo equitatu, qui Prukam ad Laytæ amnem ex diverticulo tentaret, agrosque inter Viennam, ac Neoſtadium popularetur, Viennam contendit. Jam urbem Cæſar deſeruerat, paucisque ſuorum ſtipatus Crembſium primum, tum Lincium fugiens, auxilia, quæ Bohemi, ac Poloni ſe miſſuros receperant, opperiri, neque prius, quam ſubſidiarii adeſſent, aperto ſe campo credere conſtitutum habebat. (*c*)

Impoſito Viennenſium pontibus præſidio, ſigna porro infert. Ea ceſſatione Mathias, tametſi tam nobilem prædam ſibi e manibus elapſam graviter doleret, citra cunctationem uſus, caſtra Viennæ admovet, ſpe per amicorum operam, qui in urbe ſuas partes aperte tuebantur, ad eam capiendam potiſſimum adductus. Sed cum iſti numero pauci eſſent, Cæſarque urbis cuſtodiam illis, quorum cognita ſibi fides erat, mandaſſet, mutanda penitus conſilii ratio fuit. Itaque capto prius Viennenſi ponte, relictaque ad urbem mediocri manu, quæ cives in obſidionis metu teneret, reliquum exercitum in ſuperiorem Auſtriam ſecum rapit, captoque per iter Clauſtroburgo, ac foro tritici, Tulnam adhibitis machinis in deditionem recepit. Inde caſtra Crembſio admoveri juſſit, mandataque Legatis obſidione, ipſe adſcitis in ſocietatem haud paucis Auſtriæ proceribus, Marichekum, fanum S. Hyppoliti, Greiffenſteinium, aliaque oppida, quibus Crembſium commeatu, & ſpe ſolvendæ obſidionis excluderetur, in poteſtatem redacta præſidio militari communivit. Invenio ſupra ſeptuaginta arces,

(*b*) Apud Cl. Bernardum LINTE in Annal. Claravalenſ. ad annum 1477. ex charta monaſterii coæva. *Circa idem tempus recenſuit rex Hungariæ Mathias ad XVII. millia equeſtrium & pedeſtrium.*

(*c*) Idem ibid.

ces, oppidaque ab noſtris intercepta; Styram quoque tentatam, ut adeo præter Lincium pene nihil, quod Cæſari pareret, reliquum fuerit. (d)

Crembſium interim Pauli Kiniſii ſtudio traducta quoque trans Danubium obſidione naviter premebatur, obſeſſis fruſtra ſemel, iterumque, ac ſæpius alias ab Friderico opem flagitantibus: quo minus autem deditionem facerent, allatus ſæpius ex Zvetlenſium agro commeatus, quantum ad tolerandos hoſtes ſatis eſſet, in cauſa erat. Id cum Legati Mathiæ, qui obſidionem curabant, vi impedire fruſtra conniſi eſſent, neque enim diſtrahere copias tutum erat, Abbatem Cœnobii cum ſuis ad dicendum fidei ſacramentum adigere moliebantur, rati, ea ratione urbem annonæ penuria coactam; facilius de deditione conſilium inituram. Itaque quid fieri vellent, Abbatem, datis in hæc verba litteris certum reddidere. (e) *Paulus de Kynis, nec non Joannes Zelény de Szanov gentium ſereniſſimi Principis domini, domini Mathiæ regis Hungariæ, & Bohemiæ &c. Campeſtrales Capitanei, vos venerabilem virum Dominum Abbatem Clauſtri Zvetla præſentibus admonemus: quatenus mox agnitis præſentibus, univerſis, & ſingulis veſtris ſubditis ad veſtrum clauſtrum pertinentibus committatis, ut ad nos veniant pro homagio diſponendo: eadem ſi non feceritis, ex tunc nos eosdem diverſis gravaminibus ad homagium compellere curabimus, vosque etiam factum veſtrum cum clauſtro provideatis, ita ut ſitis regi ſubditus, & fidelis, ſecus non facturus, ut ſi damna irrecuperabilia cupitis evitare. Datum in loco campeſtri circa expugnationem civitatis Crembs anno Domini MCCCCLXXVII. feria ſexta ante feſtum Simonis, & Judæ.* Abbas ea denunciatione territus, cum nec datam Cæſari fidem violare vellet, neque hoſtem irritare, diſſimulandum ratus, reſpondere diſtulit, minasque ipſo tempore irritas fore ſperabat. Verum Kyniſius viſo, Abbatis tergiverſatione deditionem urbis longius protractum iri, datis multo acerbioribus, quam priores fuerint, litteris, mandarat: *quatenus ſine mora lectis litteris ſuis, ſubditos ſuos omnes, & ſingulos ad caſtra dirigat homagii faciendi gratia: ſi neglexerit, ſciat ſubditos ſuos ab iisdem gladio, igne, aliisque diverſiſſimis gravaminibus perdendos fore, & clauſtro damna irrecuperabilia inferenda. Datum in exercitu ſub civitate Crembs, anno Domini MCCCCLXXVII. feria ſexta poſt Leonhardi.* (f)

Crembſium per legatos obſidet.

Sed commode accidit, quod præter opinionem de transactis inter partes quindecim dierum induciis, nuncius repente in caſtris adeſſet, qui Legatos regis nomine ab vi, & injuria abſtinere juſſerat. Induciarum auctores Pontifex, ac Veneti fuere, qui, cum haud levi metu tenerentur, ne Mahometes diſtractis inter ſe Chriſtianorum Principum viribus, horum diſſidia in ſuum commodum verteret, facile Cæſari, fruſtra ſuppetias Polonorum expectanti perſuaſerant, ut de induciis, quoad pax confieret, ſecum agi pateretur. Itaque Gemundæ Auſtriæ ſuperioris oppido coeuntibus utrinque Legatis ita transactum eſt. (g) Induciæ ab die lunæ, qui ſacram Divo Martino lucem præcedit, initium caperent, diesque quindecim bona fide ſervarentur. Interea Mathias nec in Auſtriam, nec Stiriam ſe quidquam moliturum reciperet. neve equitatum ex caſtris, niſi pabulationis cauſa emittat: copiis ad Crembſium eodem, quem tenebant loco morari fas eſſet, citra tamen maleficium urbi inferendum: Viennæ, qua parte ab Hungaro obſeſſa eſt, nihil commeatus importari integrum ſit. Cæſar cum ſuis ne ultra Laureacum regi appropinquare auſit: poſtremum quæcunque oppida bello capta eſſent, induciarum jure citra fraudem, dolumque fruerentur.

Hæc inter XV. dierum induciæ conflantur.

Abhinc ſpes pacis utcunque oborta: præſertim quod Cæſar prius de fœdere, quam tranſigeretur, concordiam cum rege iniret, qua cautum erat, ut exauctoratis Galeaciis, qui Mediolanenſem Ducatum per vim invaſerant, Fridericus Ferdinandi Siciliæ regis filius vicaria poteſtate ducatui præeſſet, cui Cunigunda Cæſaris filia in manus conveniret: tum conflata inter fœderatos amici-

Tum inito adverſum Galeacios fœdere

(d) Idem ibid.
(e) Idem ibid.
(f) Idem ibid.

(g) Cod. MS. Hiſt. profan. Num. 224. Bibli. Auguſt. Vindobon. fol. 35.

1477. tia, alter alterius provinciarum in ſe vadimonium reciperet, communique conſenſu, ac viribus in barbaros bellum duceretur. (*b*)

Pax Beatricis opera ſancitur. Beatrix, quæ belli exitum Poſonii ſpectabat, ut magno per ſeſe pacis deſiderio tenebatur, ita, cum de conciliatis induciis nuncium accepit, obtinendæ illius ſpe haud leviter ducta, regem ac Cæſarem crebris litteris convenerat, illum obſecrans, ut mitius ageret, hunc, quod ſanguinis neceſſitudine ſibi junctus eſſet, per amicitiæ nomen obteſtata, ne æquas pacis conditiones recuſaret. Neque prorſus nihil reginæ precibus uterque tribuit; prorogatisque induciis ſerio de pace agi cœptum. Mathias Gabrielem Epiſcopum Agrienſem Legati Apoſtolicæ ſedis prærogativa id temporis ornatum, cum Joanne Varadienſi Epiſcopo, ac Emerico Zapolya ad ſanciendam pacem cum mandatis in ſuperiorem Auſtriam ad Cæſarem miſit: (*i*) quorum operam cum Veneti mirifice adjutum ireot, & Fridericus armorum tædio jam dudum teneretur, facile in coodiiooes, quas Mathias dictaverat, conventum eſt, quibus uou modo belli impendia largiter ſarcirentur, ſed rei geſtæ laus, ac gloria maximam partem penes regem eſſet. Auſtriaci ſcriptores paucis admodum capitibus conflatum fœdus prodidere: *Imperator capta abs rege loca reciperet, quamprimum ipſe centum quinquaginta aureorum nummum millia numeraſſet; utque obſidiones omnes ab eo die ſolverentur.* (*k*) Sed præſtat pacta conventa, ut regiis litteris comprehenduntur, in lucem efferre, ne quid, quod ad illuſtrandas belli Auſtriaci res attinet, præteriiſſe de induſtria videamur. (*l*)

Pacis tabulæ, & conditiones. „ Mathias Dei gratia Hungariæ, & Bohemiæ &c. rex, tenore præſentium
„ recognoſcimus, & notum facimus, quibus expedit, univerſis. Quod pro
„ nobis, & regno noſtro Hungariæ, & ſucceſſoribus noſtris regibus, cum ſe-
„ reniſſimo Principe Domino Friderico Romanorum Imperatore, ac ſucceſſori-
„ bus ſuis Auſtriæ Ducibus, ac terris ſuis hæreditariis ſuper bello, & differen-
„ tiis inter nos, & eum hinc inde ſubortis, & vertentibus, medio reverendiſ-
„ ſimi, reverendorumque patrum Gabrielis Epiſcopi Agrienſis, Apoſtolicæ ſedis
„ Legati, & Joannis electi, & confirmati Varadienſis, & magnificorum Eme-
„ rici de Zapolya Comitis perpetui terræ Scepuſienſis, Nicolai filii Banfi de
„ Liudua Comitis Poſonienſis, & venerabilis Georgii Præpoſiti Poſonienſis Apo-
„ ſtolicæ ſedis Protonotarii, fidelium dilectorum ad præfatum Cæſarem Ora-
„ torum noſtrorum cum pleno mandato ad nos deſtiuatorum, plene, & ami-
„ cabiliter concordati ſumus, & pacem reformavimus medio articulorum in-
„ fra ſcriptorum, promittentes in verbo noſtro regio, nos eandem pacem, &
„ concordiam in omnibus, & ſingulis dictis, articulis, conventionibus, & con-
„ cluſionibus, in quibus ad eorum obſervantiam adſtringimur, cum ſereniſſimo
„ prædicto Imperatore, ſucceſſoribus, dominiis, & terris ſuis, firmiter, & im-
„ mobiliter obſervare.

„ In primis quidem concluſum eſt, quod firma, ſincera, integra, &
„ perpetua pax inter Imperialem Majeſtatem, & ſucceſſores ſuos Auſtriæ Duces,
„ terraſque eorum hæreditarias ab una, & ſereniſſimum Dominum regem, &
„ ſucceſſores ſuos Hungariæ reges, ipſumque regnum parte ex altera, ſit, &
„ immobiliter obſervetur, ſine omni dolo, & fraude: & quod ipſi Principes,
„ tamquam pater, & filius mutuo ſe benevolentia complectantur, & favoribus
„ proſequantur, procurautes bona fide, alter alterius honorem, & utilitatem,
„ tamquam propriam; præcaventeſque malum ab invicem, prout decet veros
„ amicos, & ſtrictiſſime confœderatos, nullaque hoſtilitas ex dominiis, & terris
„ alterius, in alterius dominia exerceri, aut aliquid via facti attentari per ipſos
„ Principes aliquando permittatur, & quod amici unius partis ſiut, & intelligantur

eſſe

(*b*) In Auctar. Diplomatar. quod Doctiſſ. Kollar. bello Pannonico Urſini Velii adjecit.

(*i*) In eodem Cod. MS. fol. 78.

(*k*) Gerardus de Roo Hiſt. Auſtr. Lib. VIII.

(*l*) Extant in Tabul. Aug. domus, ut notat Doctiſſ. Kollar Auctario Diplomat. nos ex laudato Cod. MS. tametſi, quod magnopere dolemus, mancum expromimus.

„ eſſe amici alterius partis, & e contra: & quod vigore præſentis inſcriptionis,
„ & mutuæ confœderationis omnes aliæ ligæ, & intelligentiæ, fœdera & pacta,
„ tam per Imperialem Majeſtatem, quam per ipſum Dominum regem cum qui-
„ buscunque Principibus, & cujuscunque conditionis hominibus hactenus inita,
„ & facta, in quantum huic confœderationi adverſarentur, ex nunc ſint irrita,
„ & caſſa, & penitus annullata, exceptis ſemper dignitate Apoſtolicæ ſedis, &
„ perſona Romani Pontificis, nec non ſereniſſimi Principis, Domini Ferdinandi
„ Siciliæ regis.

„ Item concluſum eſt: quod pro conſervatione ipſius pacis, neutra par-
„ tium aliquem hominem cujuscunque conditionis ſervet in terris, & dominiis
„ ſuis, in detrimentum alterius partis, & damnum: Item concluſum eſt: quod
„ deinceps neutra partium ſe impediat de ſubditis alterius - - directe, vel in-
„ directe, ſine alterius expreſſo conſenſu, & voluntate. Sed quod omnes libere
„ dimittantur ad veram, & plenam obedientiam Principis ſui: & ſi qua hacte-
„ nus obligatio cum aliquo, vel aliquibus interveniſſet, vigore præſentis in-
„ ſcriptionis caſſa ſit, & penitus annullata intelligatur, qualitercunque interve-
„ nerit: & quod litteræ Imperialis Majeſtatis datæ Domino regi, in favorem
„ confœderatorum reſtituantur Imperiali Majeſtati, ſi ſint apud regem, aut ſuos.

„ Item concluſum eſt; quod poſtquam regiæ Majeſtati præſentatæ fuerint
„ litteræ inveſtituræ de regno Bohemiæ, & Electoratu ſacri Imperii - - in ipſa
„ forma, qua datæ ſunt primogenito regis Poloniæ - -, illico omnem exerci-
„ tum Campeſtrem regia Majeſtas educat de terris Imperialis Majeſtatis, rever-
„ ſalesque litteras, juramentum præſtare ſolitum continentes, Imperiali Maje-
„ ſtati tribuat, & quod Imperialis Majeſtas in proxima - - conventione ipſum
„ Dominum regem introducit de præfatis regno, & electoratu. Item conclu-
„ ſum eſt, quod ſi primogenitus regis Poloniæ, ſive ipſe rex Poloniæ nomine
„ dictæ inveſtituræ bellum moveret Imperiali Majeſtati, ex tunc regia Majeſtas
„ cum ſuo poſſe obligata ſit, & teneatur Imperiali Majeſtati ſuccurrere, tam-
„ quam patri chariſſimo - - - Item concluſum eſt, quod ſoluto exercitu fiat
„ una generalis diæta in civitate Crembs ſub die epiphaniarum Domini proximo
„ venturo, ad quam conveniant omnes ſtatus, tam ſuperioris, quam inferio-
„ ris Auſtriæ, & quod omnes, & ſinguli ſic conventi cujuscunque conditionis,
„ aut ſtatus exiſtant, habeant liberum, & ſalvum conductum ex utraque parte,
„ eundi, ſtandi, & ad propria redeundi.

„ Item concluſum eſt: quod in ipſa diæta omnes quatuor ſtatus tam ſu-
„ perioris, quam inferioris Auſtriæ ſe inſcribant, & obligent in litteras Impe-
„ riales deſuper ſimiliter datas, ad dandum, & integre perſolvendum regiæ Ma-
„ jeſtati - - die Martini proxime futuro, quinquaginta millia florenorum, eos-
„ que præſentare in oppido Haimburg ad manus regias, & hominum ſuorum,
„ ad id deputandorum: & ſimiliter - - altero die Martini - - alia quinquagin-
„ ta millia in præfato loco pariter præſentari debebunt ad manus regias, vel ho-
„ minum ſuorum ſine dolo, & fraude: cauto, quod ſi dicta ſumma in prædi-
„ ctis terminis non ſolveretur, libera ſit regia Majeſtas illam quocunque modo
„ requirere cum omni damno, & intereſſe, ſine ulla initæ pacis, & concordiæ
„ offenſione, reliquis omnibus, & capitulis, & clauſulis ſalvis, & in ſuo robo-
„ re permanentibus. Item concluſum eſt: quod litteræ obligatoriæ tam Impe-
„ rialis Majeſtatis, quam ſtatuum provinciæ de prædicta ſumma ſimul cum lit-
„ teris regiis abſolutoriis, & quietationibus omnium caſtrorum, & oppidorum
„ ſimul tradantur ad fideles manus, prout conventum fuit, quibus litteris, hinc
„ inde partibus, aſſignatis, & traditis, illico caſtra, & oppida, ac loca omnia
„ in iſto bello per regiam Majeſtatem, & ſuos acquiſita, Imperiali Majeſtati, &
„ quibus debentur, reſtituantur. Item concluſum eſt: quod poſt concluſio-
„ nem tractatuum, & depoſitiones litterarum ad fideles manus, nec non in re-
„ ſtitutione oppidorum, caſtrorum & locorum nulla violentia de novo incolis
„ terræ fiat, nulla ſpolia, nulla exactio: ſed propriis contenti exire homines
„ regii ſine offenſione illorum, a quibus exibunt, & debeant, & teneantur,

1477. „ ſine dolo, & fraude: & ipſi homines regii ſimiliter absque omni injuria ire
„ permittantur cum bonis, & rebus eorum.
„ Item concluſum eſt: quod confœderati ſubditi Imperialis Majeſtatis,
„ qui hactenus regiæ Majeſtati adhæſerunt: & quod eis dentur litteræ Imperialis
„ Majeſtatis plenæ indulgentiæ, ſi optaverint; datis viciſſim inſcriptionibus de fi-
„ delitate, & obedientia debita: & quod prima oppoſitio eis per Imperialem Maje-
„ ſtatem non imputabitur: & quod bona immobilia ab eis ablata reſtituantur
„ abſque ulla difficultate: & quod ipſi baſtias guerrarum temporibus ſupra Da-
„ nubium, aut alibi erectas diſtrahant, & annullent: & quod ipſi omnia telo-
„ nia tam in terra, quam in aqua, ac alias injuſtas exactiones, quas hactenus
„ libere exegerunt abſque mora dimittant, nec ultra unquam exigant, ſed ſi-
„ cut ceteri incolæ plenam, & debitam obedientiam ſuæ Imperiali Majeſtati ex-
„ hibeant, & quod excommunicati abſolvantur. Item concluſum eſt: quod
„ omnes litteræ obligatoriæ, tam regiæ Majeſtatis ad præfatos confœderatos,
„ quam ipſorum ad regiam Majeſtatem in vicem reſtituantur, & nihilominus
„ ex nunc vigore præſentis inſcriptionis hujus modi litteræ caſſæ ſint, & intel-
„ ligantur penitus annullatæ. Item concluſum eſt: quod omnes, & ſinguli op-
„ pidani, & cujuscunque conditionis nobiles, & ignobiles, ſpirituales, & ſe-
„ culares homines, qui in ipſo bello regiæ Majeſtati vel ſe ſubdiderunt, & ad-
„ hærent de præſenti, tuti & ſecuri exiſtant: nec eis per Imperialem Majeſta-
„ tem, aut alios quoscunque imputetur, ſed in bona gratia, & favore obſer-
„ ventur. Item concluſum eſt de ſtipendiariis,* qui receſſerunt ab imperiali
„ Majeſtate, & ad regiam Majeſtatem iverunt, pro illo ſtipendio, quod petunt,
„ ab Imperiali Majeſtate in dicta proxima diæta in Crembs celebranda diſponatur,
„ & cum ipſis, prout juſtum fuerit, concordetur. (*m*) - - - Datum in Cor-
„ neuburg die prima Decembris Anno MCCCCLXXVII.

Bonſinii circa fœderis tabulas error.

Hactenus fœderis tabulæ, quas ego a Bonſinio rebus geſtis proximo neque omnes, neque bona ſatis fide annalibus comprehenſas, vehementer miror. Nam confecto bello in has poſt longam diſceptationem conditiones partibus conveniſſe memorat. (*n*) *Ut Imperator ob bellum juſte indictum Mathiam regem præſtaret indemnem: centum, & quinquaginta aureorum millia pro belli ſumtu ad præſtitutum anni tempus rependeret: Mathias obſidionem ſtatim ſolveret, captas omnes urbes, & caſtella, ubi ſatis factum fuerit, continuo redderet: pia filii, patrisque nomina, & antiquæ pactiones, ratæ firmæque manerent. Si ad ſtatum diem Mathiæ haud quaquam ſatisfactum* (fuerit) *ſuo jure univerſam Auſtriam occupare, occupatamque legitime poſſidere, & in regni Pannonici provinciam redigere liceret, neque ullo impietatis, & injuſtitiæ crimine alicubi gentium notari poſſet.* Hæc ille: atqui fœderis tabulæ centum duntaxat millium florenorum meminere: neque ſi ad præſtitutos dies non penderentur, jus ad invadendam Auſtriam, ut liquet, conceſſum, quam ſi Bonſinio credimus, invadere ſupervacaneum erat, quod capta bello oppida non ante exhibitam pecuniam reddi opporteret, quæ tamen, ut primum feudi jura in Bohemiam ab Cæſare obtinuit, ab Mathia reductis copiis reddita eſſe ex pacificationis inſtrumento perſpicuum eſt. Nec adeo veteres, dum corona redimeretur, pactiones novo hoc fœdere firmatas uſpiam proditum eſt: quin ſunt haud pauci, qui Cæſarem juri ſuo in regno Hungariæ, cujus titulum hactenus uſurpaverat, tum quoque nuncium miſiſſe perhibeant. (*o*) Cujus tamen fidem, quod integras pacificationis tabulas nanciſci nequierim, præſtare vix auſim.

Pacis

(*m*) Exemplar quo uſus ſum, ita finit: *in præmiſſorum vero omnium robur, & evidens teſtimonium præfato Domino Friderico.* Cetera mancum eſt: diem & locum ex Auctar. Diplom. Doctiſſ. KOLLARII ſubſtitui.

(*n*) Dec. IV. Lib. V.

(*o*) Gerard. de Roo Hiſt. Auſtr. Libr. VIII. MICHOVIUS in Chronic. Reg. Pol. Lib. IV. Cap. LXXII. *Imperator ei* (Mathiæ) *regalia ſecundo contulit, . . & renunciavit de regno Hungariæ.* CROMER. rer. Polon. Lib. XXVIII. *ut is* (Fridericus) *ſe omni jure, ac titulo regni Hungarici abdicaret.*

An. Chr. 1477.

Rex confecta pace in Hungariam redit.

Pacis negotium hactenus deductum ne quid deinceps interciperet, Mathias XV. Calendas Januarias, mandata cum ad Auſtriacos, qui in ſuas partes belli tempore ſeceſſerant, tum ad ſuos per provinciam ſparſos miſerat, quibus conciliatam cum Friderico pacem ſignificat; Itaque redditis ſine precio captivis ab injuria inferenda deinceps abſtinerent, & amicitiam colerent. (*p*) Quibus rite conſtitutis deducto maximam partem in Hungariam exercitu Poſonium triumphanti ſimilis ad Beatricem contendit.

An. Chr. 1478.

Fridericus ſequenti anno pacis tabulas vulgat.

Fridericus, etſi pacis conditiones graviſſimæ eſſent, tanto libentius iis ſubſcribendum putavit, quanto magis ob domeſticos tumultus, neque ſatis ſtabilem ſuorum in ſe fidem Maximiliani filii ſpem, atque fortunam firmari oportere arbitratus eſt. Quare pacata utcunque Auſtria Græcium Stirorum abiit, unde V. idus Januarias vulgatis fœderibus, juſſisque, ſi quos ex Hungaris per bellum cepiſſent, liberos dimitti, (*q*) nuptiis Maximiliani cum Maria Caroli Burgundici filia conciliandis animum applicuit, ſive ampliſſimarum in Belgio provinciarum deſiderio ductus eſſet, ſive opum, fortunarumque affluentiam quæreret, quibus ſi potiretur, ſatis futurum ſibi virium putabat, ad bellum meliore eventu propulſandum.

Mathias a bello litteras, & litteratos ſingulari ſtudio complexus

Mathias viciſſim tam honorifica, utilique pace lætus, ubi cum Beatrice totam pene Hungariam peragratus eſſet, Budam reverſus pacis ſtudia cum ſuapte natura, tum conjugis adhortatione incitatus reſumſit, ut regnum, quod ſuo auſpicio belli laude nulli facile ſecundum aſſet, litterarum quoque gloria ceteris non concederet. Itaque accitis ex Europa viris multiplici doctrinarum genere conſpicuis, non contentus Poſonii, quam a præterlabente Iſtro, Iſtropolitanam dixere, litterarum Academiam condere, Budæ etiam, quam præ ceteris urbibus colebat, alteram moliri cœpit, & ſcientiarum genere, & affluentium copia multo ampliſſimam. Nam cum & iis, qui doctrinam publice profitebantur, & qui ſe iſtis inſtituendos dederant, ex regio ærario ſtipendia decreviſſet, haud minores illis ad diligentiam animos ſuffecit, quam iſtis diſcendi gloriam exacuerit: quo factum, ut confluentibus ex Italia, Germania, Græciaque pleriſque, quos litterarum ardor inceſſerat, quidquid fere apud alios doctum, ac eruditum eſſet, Hungaria pene una poſſideret. Nihil hic me exauctum narratione complecti, Petrus Niger ex Divi Dominici ordine, Herbipoli Budam evocatus fidem facit: ad regem enim ſcribens: (*r*) *Nec tantum armis*, inquit, *ac viribus popu m tuum celeberrime Princeps ſplendidum reddere, tutumque, atque tranquillum ſervare deſudas, ſed induſtria, & cenſu magnopere curas cum bonis artibus, & litteris adornare. Inſtituiſti namque hac civitate Buda, florentiſſima regni tui ſede, apud Prædicatores ordinis Fratres univerſale gymnaſium, ubi cuncti generis diſciplinæ, Philoſophiæ, Theologiæ, ſanctæque ſcripturæ ubertim poſſit, quod quisque cupit, haurire. Operi vero tam pio, tamque mortalibus profuturo, non ſolum originis, & fundamenti unicus author extitiſti, ſed gratiæ quoque, & authoritatis, conſervationis, atque proventus, benignus et ſemper indultor. Præceptores namque, & qui regendo ſtudio præſidentes habentur, aurum quotannis abs tua Majeſtate affluenter excipiunt: ſcholaſticis vero ipſis, conſervis meis, cibos, veſtimenta, lectos, & quæ hominibus per diem, ac noctem opportuna ſunt, abunde largiris. Præſeferunt namque hæc in omnes beneficia tua te regem clementiæ, ac benignitatis eſſe, demonſtrant ſapientiam, humanitatem oſtendunt, munificentiamque declarant. Ad cujus digniſſimi ſtudii jucunda principia ex Herbipoli Germaniæ civitate evocatus ſum ... Jam data ſunt rei exordia ſua, & ſummo opitulante Deo dulces litterarum fructus carpuntur in dies.* Suus etiam elegantioribus litteris honos habitus, & cura; in

(*p*) Extant litteræ in Tab. Aug. domus, ut notat in Auct. Diplom. Doct. KOLLAR. Datæ in *Korneuburg Pfingſtag vor St. Thomas Tag* (18. Decembris) *anno 1477.*

(*q*) Extant ibid. *Gebotsbrif von Kaiſer Friderichen an alle ſeine Kriegsleute, Beamte, und Unterthanen, daſs ſie den mit Mathias König von Ungarn geſchloſſenen Friden halten, und alle Gefangene frey laſſen ſollen. Grätz Freytag nach Heil. drey Königen* (9. Januarii) *anno 1478.*

(*r*) Sigismundus FERRARIUS de rebus Hungaricæ Provinciæ Ordinis Prædicatorum, Parte III. Lib. III. pag. 451. 52.

1478. quo genere ut quis princeps habebatur, aliunde in regnum excitus, crebris, & ampliſſimis donis ornatus eſt, honore etiam ſupra ceteros exculti, quod apud regem, ſeu is militiæ, ſive domi eſſet, primæ, ac familiaris prope admiſſionis haberentur.

Splendiſſimam, ac copioſam Bibliothecam condit.

Ad hæc ne ſua ſcientiis adminicula, ſplendorque deeſſent, Bibliothecam inſanis adeo ſumtibus molitus eſt, ut illi & librorum copia, & precio, ac decore, quas Europa id temporis habuit, paucæ omnino conferri poſſent. (*s*) Juvat doctiſſimi ſua ætate Præſulis, qui ad eam creber inviſerat, cominusque omnia intuebatur, narratione uti, ne quis nos hæc pro libidine comminiſci in animum inducat. (*t*) *Buda*, inquit, *præter ſitum atque architecturam tam regiam, tum corpore Divi Joannis Eleemoſinarii inſignis fuit, tum ob bibliothecas Mathiæ Corvini regis, memorabilis, & admiranda. Qua itur ad ſtationem ex latere interioris bibliothecæ ad ſacellum Divi Joannis, perforatum, unde rex ſacrum audire conſuevit, duæ obviæ ſunt ædes concameratæ: quarum altera voluminibus Græcis, partim e medio Græciæ, partim ex aliis orientis regionibus per regem non minori cura, quam labore eo congeſtis, referta erat: altera interior, continebat codices totius linguæ latinæ, a primis rudimentis ad arcem usque omnium ſcientiarum, per capſulas, & loculamenta, ordine quosque ſuo diſtinctos. Tegebat horum quodlibet velum ſericeum, coloribus, auroque variegatum, cum indice diſciplinæ, & profeſſionis, in quas libri erant diſcreti. Maxima voluminum pars conſtabat membranis, colligato ſerico, umbilicis, fibulisque argenteis, auro lucidis. Audivi a majoribus, Mathiam regem, dum viveret, aluiſſe ſemper ad triginta ſervos amanuenſes, pingendi peritos, quorum ego pleroſque, illo mortuo, noveram. Horum erant opera omnes fere & Græci, & latini codices conſcripti. Præfectus his Felix Raguſinus Dalmata, & ipſe jam ſenex mihi cognitus, qui non modo Græce, & Latine, ſed Chaldaice, & Arabice, doctus, præterea in ipſa quoque pictura exercitatus, ſedulo advertebat, ne quis error in deſcribendis litteris committeretur: præter has, & aliæ duæ erant bibliothecæ in locis diverſis arcis, ſed prioribus inferiores.* Hoc loco precium, niſi luxum dicere malimus, & decor fuit: Librorum præſtantiam Braſſicanus ita commendat. (*u*) *Quot libros, tot etiam theſauros iſthic inſpexi. Dii immortales! quam jucundum hoc ſpectaculum fuiſſe quis credat? tunc certe non in bibliotheca, ſed in Jovis gremio, quod ajunt, mihi eſſe videbar. Tantum hic erat antiquorum, Græcorum ſimul, & Hebraicorum voluminum, quæ Mathias ille rex capta jam Conſtantinopoli, everſisque multis aliis ampliſſimis Græciæ urbibus, e media Græcia inæſtimandis ſumtibus coemerat, ac, tanquam mancipia ex barbarorum cataſtis, atque compedibus, receperat. Tantum hic erat latinorum librorum, & veterum, & recentiorum - - ut nusquam alibi, quod ego quidem ſciam. - - Omitto poetas, oratores, philoſophos, atque hiſtoricos, quorum hic immenſam vim inſpicere licuiſſet: vidimus auctores Græcos innumerabiles, infinitaque in poetas omnes commentaria, nemini doctorum, aut paucis viſa.* Quinquaginta univerſe voluminum millia fuiſſe,

(*s*) Braſſicanus in epiſt. ad Chriſtophorum a Stadion Epiſcopum Auguſtenſem *Aſinius Pollio*, inquit, *primus Romæ Bibliothecam in fano Herculis dedicavit. Hanc laudem patrum noſtrorum memoria ſi non ſuperavit, æquavit tamen inclytus ille, & nunquam ſatis laudandus Pannoniæ rex Mathias, qui Bibliothecam ſuam, quam ex omni ſcriptorum genere confertiſſimam inſtruxerat, in amæniſſimo etiam templo dedicavit.* Et Angelus Politianus Lib. IX. Epiſt. I. qua poemation *Nutritia* dictum, Mathiæ conſecrat, ita ſcribit: *Bibliothecam video jam pridem comparat, omnium, ſicut expectamus, non ornatiſſimam ſolum, ſed etiam copioſiſſimam.* Adde Bartholomæum Fontium in epiſtola, qua Mathiæ opus ſuum dicat, in hæc verba ſcribentem: *interim hunc oro benignus excipe, inter aliosque auctores, in iſta Bibliotheca totius orbis terrarum nobiliſſima Fontium tuum repone.* Sed de Bibliothecæ hujus precio, & magnificentia, tum, ut ſenſim collapſa ſit, eruditam, ac elegantem diſſertationem ſuperiore anno Viennæ vulgavit vir quidam doctus ex ordine D. Auguſtini, qui nomen ſuum his litteris exprimit. F. X. S. O. S. A. Ex litterarum initiis ſuſpicor meum olim Poſonii condiſcipulum fuiſſe: ſi me conjectura non fallit, magnopere gaudeo, pene conſimili nos argumento occupar.

(*t*) Nicolaus Olahus poſtea Archiepiſc. Strigon. In App. Belii ad Hiſtoriam Hung. Dec. I. Monum. I. Cap. V. pag. 9.

(*u*) Eadem Epiſt.

fuiſſe, memoriæ eſt proditum. (x) Sed tam exquiſito theſauro, quid poſtea factum ſit, alias memorandi locus erit; ex quo partem aliquam & mihi obtigiſſe, quaotivis precii eſt, gaodeo. (y)

Haud multo inferior, quoniam ad hunc locum delapſi ſumus, inſtruendis ædificiis, magnificentia, ſplendorque. (z) *Budenſem arcem, ubi præter magnifica Sigismundi ædificia nihil ſpectatione dignum erat, excolere adorſus eſt: retractiorem aulam nimis exornavit: quippe, qui a danubii parte ædiculam ſtatuit, hydraulicisque organis, item ſacro fonte duplici, marmoreo, & argenteo decoravit: collegium adjecit honeſtiſſimum Sacerdotum: Supra bibliothecam ſtatuit, mira utriusque linguæ fœcunditate completam, cultus quoque librorum luxurioſiſſimus. Ante hanc cubiculum eſt in abſida curvatum, ubi cœlum univerſum conſpicere licet, qua ſpectat ad auſtrum. Palatia erexit haud parum a Romano luxu differentia; ubi laxa triclinia, procita, cubiculaque ſuperbiſſima, item laquearia ubique varia, & aurata, multa inſignium varietate diſtincta; poſtes inſuper emblemate conſpicui, inſignesque camini, in quorum faſtigiis quadrigæ, ac multa Romanorum ſtemmata ſunt ſculpta; infra hypothecæ, theſaurique, ad ſolis exortum variæ cænationes, ac cubibula, quo altioribus ſcalis, & ambulacro ſane ſubitur: buleuterium hic, & æſtivaculaque multa: item heliocamini, & auratæ zetæ, præter hæc alta, abditaque ſecreta, argentei lecti, argenteæque cathedræ. Ad occaſum vetuſtum opus, nondum inſtauratum: in medio area veteri porticu circumdata, quam duplicia coronant ambulacra; quorum ſupremum novoque palatio præpoſitum, qua ad ſumma triclima conſcenditur, duodecim ſigniferi orbis ſideribus inſigne, non ſine admiratione ſuſpicitur, teſſelata, vermiculataque ubique pavimenta teruntur, non nulla encauſtica ſunt: Caldariæ paſſim, ſrigidariæque cellæ: hypocauſta in tricliniis, mammatis tegulis obtecta, quæ non modo colorum pulchritudine, ſed animalium confictorum varietate conſpicua. In ſubdivalibus e conſpectu pedeſtres très ſtatuæ; ex alto non inermes adeuntibus objiciuntur: galeatus in medio Mathias conſtitutus, haſta, clipeoque innitens, cogitabundus: a dextra pater; & ſubtriſtis a læva Ladislaus. In medio ſubdivalium fons æneus marmoreo lacu circumventus, cui Pallas galeata, ſubcinctaque imminet. Ad aulæ hujus aditum in anteriore ſubdivali, quod multo laxius eſt, hinc & hinc duæ conſtitutæ ex ære ſtatuæ nudæ, clipeo, ſecuri, enſe juxta minantes, ad baſim circumſculpta ſunt trophæa. In hac igitur quadrata area, ante Sigismundi atria conſtituta, vetus e latere palatium inſtaurare cœperat, quod, ſi præſtare potuiſſet, plurimum de ſuperba vetuſtate referebat. Geminas hic ſcalas adjecerat, porphyrea marmore, æneisque candelabris inſignes: ex eodem lapide geminas huic januas ſuperſtruxerat, quas ænei poſtes, & affabre facti, Herculeisque laboribus admirabiles, & non minus a tergo, quam fronte ſpectabiles exornabant: quibus illud Antonii Bonfinis epigramma mandavit incidi:*

> *Atria cum ſtatuis, ductis ex ære, foresque,*
> *Corvini referunt Principis ingenium.*
> *Mathiam partos tot poſt ex hoſte triumphos,*
> *Virtus, æs, marmor, ſcripta, perire vetant.*

Contignationes huic inſano ſumptu deſtinarat, quibus laquearia, aurigantes per æthera planetas continerent, erratilesque curſus miro ſuſpectu referrent. In fronte ſubgrundiis tectorum triglyphos ſubjicere decreverat, & qua poſſet arte conſpicuum opus efficere. In fontem regiæ per octo fere ſtadia pixidatis tubis, fiſtulisque plumbeis aquam ſubduxerat. Sigismundi ambulacrum, quod totam fere arcem ambibat, ne pari quidem ſumptu proſequi cœpit: Ille æternitatis deſtinatione, hic temporaria in ambulacro mora ædificavit: laxos, longosque ibi tractus inſtituit: ſpecularia quoque multa, item atrium murorum nimis im-

Et regiam magnificis ædibus, & ſubſtructionibus ornat.

(x) Paulus Fabri in comment. de Bibliotheca Budenſi. p. XIII.

(y) Qu. Curtius Rufus in membrana, aureis litteris initialibus vario colore inſperſo ornatus. In fine hæc habentur: *Deſcripſit Florentiæ Petrus Cenninius Anno Domini 1467. VII. idus April.*

(z) Bonfin. Dec. IV. Lib. VI.

1478. *impoſitum ex lignato opere confectum, ubi triclinium, cubiculum, præterea apodyterium, & paulo retractius lucubratorium, graphiariumque locum perfecit, ſed inventum veſanam ruinam in danubium minari videbatur.* Hæc in modum diverticuli: ne exteri non nullam prorſus, quod quidam leviter oggerunt, majoribus noſtris ſeu litterarum, ſeu externæ magnificentiæ curam fuiſſe neſcirent. Nunc ad Mathiæ res deinceps geſtas revertamus.

Indicto Budam conventu

Confecto feliciter bello Auſtriaco cum Pontifex, ac Veneti ſtipendia, quæ hactenus in bellum Turcicum decreverant, ne iis rex adverſus Cæſarem uteretur, abrogaſſent, veritus Mathias, ne, ſi pax ſtabilis, ut poſtea evenit, non eſſet, aut barbari Hungariam rurſum infeſtarent, nervus ſibi ad propulſandum periculum deeſſet, indicto Budam regni conventu, conſulere Proceres joſſit, ut de rationibus, quibus ærarii auctarium fieri poſſet, etiam, atque etiam viderent. Illi & regis felicitate, & communi in patriam periculo moti haud difficulter, decreto tributi auctario, jubenti morem geſſerant: eadem tamen opera, quod milites, quibus rex multum tribuere ſolitus erat, populari pene licentia per regnum graſſarentur, leges ex patrum ſcito condidere, quibus non modo licentiæ modus poneretur, ſed aliis etiam malis, quæ occupato exteris bellis rege invaluerant, ſapienter cautum eſſet. Eas Mathias, ſive æqua peti videret, ſeu nuperna Procerum ſeceſſione cautior redditus, publico poſtea edicto firmavit, ex quo non nulla, quæ ad res illius temporis illuſtrandas attinent, depromere non abs re annalium fuerit. (*a*)

Optimatum conſilio leges condit.

„ Nos Mathias Dei gratia rex Hungariæ, Bohemiæ, &c. memoriæ com-
„ mendamus per præſentes. Quod redeuntibus jam pridem nobis, conceſſo
„ divinitus nobili triumpho, & felici victoria de bello Auſtriæ, in hanc urbem
„ noſtram Bodenſem, convenientibus ibidem tunc in diæta generali fidelibus
„ noſtris univerſis, Prælatis, Baronibus, & Proceribus, & Electis omnium co-
„ mitatuum regni noſtri nobilibus, tractantibusque eisdem, de iis, quæ utili-
„ tatem, bonam pacem, tranquillum ſtatum ipſius regni concernerent præciſe:
„ quibus ſic diutius laborantibus, volventibus, revolventibus rebus, & nego-
„ tiis, defenſionem, & conſervationem regni reſpicientibus, iidem domini Præ-
„ lati, ac Barones, & nobiles ante dicti inter ceteras eorum laudabiles ordina-
„ tiones, præſentarunt nobis certos articulos, utpote infra ſcriptos. ſupplican-
„ tes humiliter noſtræ Majeſtati. ut eosdem articulos acceptare, & ratificare,
„ eosdemque, & eorum quemlibet, ex innata noſtra benignitate confirmare di-
„ gnaremur. Quorum quidem articulorum primus talis eſt:

„ Sereniſſime Princeps! quamvis a magno tempore ſatis ſimus gravati,
„ tamen conſiderata opportuna neceſſitate, attenta etiam petitione Majeſtatis ve-
„ ſtræ, nuper per fideles Oratores in præſenti congregatione facta, confiſi in-
„ ſuper benignitati ejusdem, ut deinceps (*b*) in antea nos benevolentia ſua re-
„ gia proſequatur, nobisque dominus gratioſiſſimus, & benigniſſimus exiſtat,
„ in omnibus conſuetudinibus antiquis nos gratioſe conſervabit, contribuimus
„ hoc anno præſenti Majeſtati veſtræ de ſingulis portis Jobagionum noſtrorum,
„ florenum unum cum lucro cameræ computando. Item ut Majeſtas veſtra eo
„ melius neceſſitati ſuæ, ac libertati, & reſtaurationi regnorum ſuorum pro-
„ videre, defenſionique contra inſultus Turcarum magis intendere poſſit, pol-
„ licemur in ſequentibus quinque annis, ſcilicet a futuro feſto Circumciſionis
„ Domini. anni videlicet ejusdem milleſimi, quadringenteſimi ſeptuageſimi no-
„ ni, ſimiliter contribuere veſtræ Majeſtati de ſingulis portis Jobagionum no-
„ ſtrorum, prout infra notabitur, ſimul cum lucro cameræ Majeſtatis veſtræ
„ computando, florenum unum: hoc tamen declarato, quod prima contribu-
„ tio exigatur in feſto Circumciſionis Domini proxime affuturo; reliquæ autem
„ usque ad completionem quinque annorum, ſemper in feſtivitatibus beati Mar-

tini

(*a*) Exſtat in Corpore Juris patrii.

(*b*) Fortaſſe melius: *deinceps ut antea*: ſic enim ſententia ſibi conſtaret.

„ tini exigantur, ita, quod Majeſtas veſtra dignetur acceptare articulos infra
„ ſcriptos.

„ Primo quod iſtis annis ſequentibus Prælati, Barones, Proceres, nobi-
„ les, & quicunque regnicolæ hujus regni ſub quacunque occaſione, contra
„ quoscunque inimicos veſtræ ſereniſſimæ Majeſtatis, & regni ſui exercituare
„ non teneantur; excepto duntaxat, ſi Romanorum, & Turcorum Imperato-
„ res, & Poloniæ, Bohemiæque reges, ac Baſſam Romaniæ cum exercitu
„ hoc regnum Majeſtatis veſtræ perſonaliter invadere contingeret. Quodſi ali-
„ quo caſu accideret, tunc quilibet regnicolarum, juxta antiquam conſuetudi-
„ nem regni exercituare teneatur: & ne aliquis ſe ab ingreſſu exercitus hujus-
„ modi pecuniis exonerare, vel eximere, & redimere poſſit. Item dicatio præ-
„ ſens, & futura hoc modo fiet. Quod nobiles unius ſeſſionis, domus allodia-
„ les Nobilium, ac familiarium eorundem, qui expenſis dominorum ſuorum
„ nutrirentur, villici quoque, & nimium pauperes non dicentur, neque loca
„ deſerta, & molendina: de capitibus dicarum duo denarii, & non plures re-
„ cipiantur: & neque villicus, neque villa expenſas dicatoribus dare teneatur.
„ Pro uno floreno denarii centum recipiantur, & non ultra: inquilini autem
„ illi dicentur, qui terras arabiles, ſeſſionem, vel vineas proprias colunt; alii au-
„ tem non dicentur. Præterea in omni Comitatu adjungatur ſemper unus dicatori
„ idoneus Nobilis, qui cum juramento teneatur videre, & facere, ſecundum con-
„ tenta præſentis decreti, ea, quæ & ſereniſſimo Domino regi, & ipſi comita-
„ tui juſta ſunt. Et inſuper in una ſede judiciaria ad hanc rem deputanda, te-
„ neantur in quolibet Comitatu omnes villici importare capita dicarum a tribus
„ integris annis, & cum juramento, & etiam in regeſto ipſi comitatui præſen-
„ tare, & ea Domino regi Comitatus ipſe fideliter reſcribere debeat. Item quia
„ hoc regnum ſerenitatis veſtræ ſuper alia gravamina, propter oppreſſiones per
„ exercituantes equites, & pedites ad ultimam deſolationem, & exacerbationem
„ magnam in tantum devenit, quod jam pauperes incolæ regni hujus vix vitæ
„ neceſſaria habere poſſint, humillimis, & devotis precibus ſupplicamus Ma-
„ jeſtati veſtræ, ut eadem conſideratis noſtris obſequioſis fidelitatibus, attentis
„ etiam deſolationibus regni ſui, ut idem aliqualiter reſpiret, & vires ſuas
„ priſtinas recuperet, dignetur tenere talem modum, & viam, ne deinceps in-
„ colæ ipſi hujus regni per ipſos exercituantes equites, quemadmodum hacte-
„ nus, oppreſſionem & deſolationem patiantur; neque per labores finitimorum
„ caſtrorum, & exactiones victualium opprimantur: demptis ædificationibus
„ caſtrorum Kewy (c), Poſazin, & Haram (d), quæ ſi reparabuntur, Comi-
„ tatus illis propinquiores adjumento eſſe debebunt: & quod exercituantes in
„ domibus Nobilium, & allodiis non deſcendant. Item quod infra iſtos præ-
„ ſcriptos quinque annos per omnes Comitatus hujus regni, congregationes
„ generales, ſeu judicia univerſalia in Comitatibus fieri ſolita, non celebrentur,
„ propter inopiam ipſius regni, demptis comitatibus, Poſega, Valko, Sirmien-
„ ſi, Baranya, Chanadienſi, Themeſienſi, Zarand, & Orodienſi, in quibus di-
„ verſa furticinia, latrocinia, mutilationes, hominum venditiones, decollatio-
„ nes, aliaque multiplicia malorum genera committi dicuntur: Propter quæ
„ judicia generalia ibi non omittantur, ſed celebrentur, ita videlicet, quod in
„ prætactis judiciis pecuniæ defenſuales non exigantur, ſed neque birſagia;

(c) Rectius Köi, aut Kövi, quaſi dicas lapideus: inde provinciæ Kövienſis nomen. Jacet inter Savum, & Moravam amnes, complectiturque Belgradum, ut habet Iſtvánfius Hiſtoriar. L. 6. Huic vicina eſt provincia Machovienſis a Savo itidem verſus Moravam porrecta ad fluvium Colubram vergens. Iſti proxima eſt Orbacenſis circa Savum, & Drinum fluvios. Zebernikenſis ab hac in Boſniam introrſum abit.

(d) Nunc Haran Geographis audit inter Pancſovam, & Orſovam, & cognominem ſibi provinciam efficit, cui Karaſovienſis Comitatus adjacet, & infra Haramenſem provincia Severienſis, aut Zewrinienſis ſecundum Danubium extenſa. Vide Timonis imaginem novæ Hungar.

1478. „ inſuper etiam factum poſſeſſionum non judicetur. Præteritis autem iſtis annis hujusmodi congregationes generales non aliter, niſi conſilio dominorum Prælatorum, Baronum, & Procerum regni celebrentur.

„ Item pro poſſeſſionibus, & bonis occupatis, ſive per donationem regiam, ſive alio modo commiſſis, poſſint fieri contra occupatores, breves evocationes, & procedatur contra eos juxta regni conſuetudinem ordine juris. Si vero tempore ſtatutionis juxta conſuetudinem legitimi apparuerint contradictores, impetrator talis poſſeſſionis non debet intro ire, nec permanere in dominio poſſeſſionis: quod ſi auſu temerario factum fuerit, procedatur contra eum ordine juris per breves evocationes, & convincatur talis in æſtimatione illius poſſeſſionis, vel bonorum, ſicut antiquitus fuit. Item quod ſerenitas veſtra ad ſimplicem querimoniam, quorumcunque bona Nobilium occupari facere non permittat. Item quod Majeſtas veſtra, absque juris ordine majorem non captivet, niſi eos, quos jura regni conſueta captivari permittunt. Neque aliquem e Prælatis, Baronibus, & Nobilibus hujus regni exulet, aut captivet ſine conſilio, & ſententia Prælatorum, Baronum, Procerum, & Nobilium, ſicuti antiquitus erat conſuetum. - - Item quod ſerenitas veſtra ea omnia, quæ pro reſtauratione, & conſervatione regni ſui, articulatim in hoc regeſto ſunt conſcripta, benigne acceptare, roborare, atque conſiderata fidelitate noſtra in omnibus conſuetudinibus, & libertatibus antiquis, ſecundum decreta prædeceſſorum regum ſerenitatis veſtræ, quorum decreta tempore coronationis ſuæ, Albæ confirmavit, tenere, & conſervare dignetur gratioſe. - - - Quibus quidem articulis, per eosdem Prælatos, Barones, & Nobiles Comitatuum regni noſtri ante dictos, noſtræ Majeſtati, ut promiſſum eſt, præſentatis, cum ad humillimam ſupplicationem eorundem nobis porrectam, tum etiam ex eo, quia prædictos articulos, ad bonam pacem, & tranquillum ſt.tum, utilitatemque regni noſtri ordinatos eſſe conſpeximus, eosdem articulos acceptavimus, & ratificavimus, dictosque Prælatos, Barones, Nobiles, & eorum quemlibet in eisdem conſervare polliciti ſumus: imo acceptamus, & ratificamus, pollicemurque harum noſtrarum vigore, & teſtimonio litterarum mediante. Datum Budæ prædicta in Dominica, quaſi modo geniti, anno Domini MCCCCLXXVIII.

Turci in ditiones Hungariæ incurrentes cladem accipiunt.

Neque modico regni commodo id eveniſſe videri potuit, quod in decernendo extra ordinem titulo Proceres mire conſentientes rex haberet: brevi enim poſt tempore barbari ſpe prædarum allecti ad Savum rurſus populationem circumferebant. Expeditionis ducem Thraciæ præfectum fuiſſe comperio, Beghergum Romaniæ, Turci annales dicunt, qui, cum parum proſpera fortuna ad Moream adhæſiſſet, ut ſe Mahometi egregio facinore probaret, traducto illinc in Hungariæ provincias bello, gloriæ, ac ſpoliorum compendia quærebat. Sed ut cauſa belli, ita ſecundo quoque illius eventu deſtitutus, conſerto cum noſtris prælio graviſſima clade affectus eſt, amiſſoque maximam partem exercitu ægre ſalutem in fuga reperit. Hæc annales Turcici: (*e*) de quibus magnum apud Scriptores noſtros ſilentium: opinor, cladem, quam hi ad alterum abhinc annum ab Emerico Niſſorio, & Lupo Myſiæ Deſpota Turcis ad Pozazinum illatam præcipiunt, ad præſentem annum, ut annales Turcici habent, revocandam eſſe.

Catharina Bosniæ regina.

Per idem tempus Romæ quiddam eveniſſe memoriæ proditum eſt, annalibus noſtris, quod id ad Boſniam attinet, minime prætereundum. Sed rei illuſtrandæ gratia paulo altius, & præter, mihi quam mos ſit, narrationem ordiri neceſſe habeo. Capto per dolum, cæſoque a Mahomete Stephano, qui omnium poſtremus ex Illyricis, ut alias a nobis memoratum eſt, rerum in Boſnia potitus fuit, Maria ejus conjux in Hungariam fugiens Mathiæ ſe fidei credidit,

cum

(*e*) Apud Leunclavium ad ann. 1478.

tum Catharina interim, quæ Radivojo cæſi regis fratri nuptui collocata erat, cum filio impubere Gliubeſcia Raguſam primum, tum Romam contenderet; ( ) ubi Regium in morem a Pontificibus habita, dum morti proxima videretur, Sixtum, & qui huic ſucceſſuri eſſent, Pontifices regni Boſnenſis hæredes ex aſſe ultima voluntate ſcripſit. Non nullum plane operæ precium feram, ſi teſtamenti tabulas depromſero, ſic vero habent. (g)

In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen, anno incarnationis Dominicæ MCDLXXVIII. indictione XI. die vero XX menſis Octobris, pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris, & Domini noſtri Domini Sixti, divina providentio Papæ IV. In mei notarii, & teſtium infra ſcriptorum, & ſubſcriptorum ad omnia, & ſingula infra ſcripta vocatorum ſpecialiter, & rogatorum præſentia, Illuſtriſſima Domina Catharina quondam Ducis Stephani filia, Regina Boſnæ, nunc in alma urbe in regione Pineæ in domo ſuæ ſolitæ habitationis prope Eccleſiam S. Marci de urbe conſtituta, ægra corpore ſana tamen, & compos mente - - - volens, quod licet per immaniſſimum Chriſtianæ religionis hoſtem Turcum retro actis temporibus de facto, & per tyrannidem prædicto regno Boſnæ pulſa, & ſpoliata ſit, propterea tamen jus præfati regni non amiſit, nec amittit, quod ſpectat ad eam, propter incapacitatem, & inhabilitatem filiorum ſuorum legitimorum, & naturalium, & illuſtriſſimi regis Thomæ memorati regni Boſnæ, ex profeſſione Mahometanæ ſectæ contractam, habensque fiduciam in Domino, qui nullum violentum ſinit eſſe perpetuum, quod prædictum regnum aliquando de manu tyrannica, & hoſtili excidet, & evertetur ab ea, & Chriſtianæ ſubjicietur ditioni, volens propterea incolis regni prædicti, & regno conſulere, ne ad manus veniat aliquorum, nullum habentium jus in regno, ſed ſuum juridicum, & legitimum habeat regem, præfata regina ex præmiſſis, & quibusdam aliis rationabilibus cauſis animum ſuum moventibus, ac memor munificentiæ, gratiarum & beneficiorum a ſancta Romana Eccleſia, & Apoſtolica ſede, a felice, & ſancta memoria Pauli Papæ II. & ſanctiſſimo Domino noſtro Sixto Papa IV. collatorum, qui eam gratiſſima hoſpitalitate ſunt ſemper proſecuti, ſubveniendo eidem ſecundum regiam dignitatem condigno annuali ſtipendio, & proviſione ſufficienti pro ſuis neceſſitatibus: in prædicto regno Boſnæ cum omnibus & ſingulis juribus, pertinentiis, dependentibus, connexis, & annexis præfati regni civitatibus, caſtris, terris, villis, juribus, & jurisdictionibus, ac utili, & directo ejusdem Dominio, ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, & ſedem Apoſtolicam, ac prædictum ſanctiſſimum Dominum Sixtum divina providentia Papam IV & ſuos Succeſſores Canonice electos, & intrantes, univerſales hæredes, ac Succeſſores inſtituit.

Sedem Apoſtolicam regni hæredem ex aſſe ſcribit

Rogavitque, & rogat per ſolemne fidei commiſſum dictam ſedem Apoſtolicam, ac prædictum ſanctiſſimum Dominum noſtrum, & prædictos Succeſſores, ejusdemque prædictæ ſedis fidei commiſit, & committit, & ita voluit, & ordinavit, quod filio ſuo, & prædicti regis Thomæ legitimo, & naturali Sigismundo, ſi, quod Deus per infinitam ſuam permittat clementiam, ex Mahometanorum vomitu, in quo degit de præſenti, ad veram fidem Chriſti realiter, & cum effectu revertatur, prædictum regnum, & regni jura, dominia, & jurisdictiones absque detractione legis Trebellianicæ plene reſtituat, eumque regem in prædicto regno nominet, intitulet, & inveſtiat, quantum in prædicta ſede Apoſtolica fuerit. Si vero dictus Sigismundus ejus filius ad Chriſtianam fidem non venerit, ut præfertur, tunc in illo caſu dicta illuſtriſſimo domina regina voluit, dictum fidei commiſſum eſſe nullum, irritum, & inane, nulliusque roboris, vel momenti, ac ſi factum non fuiſſet, ſed in tali caſu iterum rogavit, & rogat dictam ſedem Apoſtolicam, & ſanctiſſimum dominum noſtrum, & ſuos ſucceſſores præfatos, & ejus, ac prædictorum fidei committit, quod, ſi filia ejus Catharina, quæ ſimiliter de præſenti Mahometanorum vomitum ſequitur, revertatur realiter, & cum effectu ad ſanctam Chriſtianom fidem, eidem filiæ ſuæ modo, & forma præmiſſis, regnum prædictum integraliter reſtituant, quantum fuerit in eisdem: ambobus autem, & filio, & filia prænominatis, in perfidia Mahometanæ ſectæ perſeverantibus dictum fidei commiſſum prædicta regina voluit ſimiliter eſſe nullum, irritum, & inane, modo, quo ſupra eſt præmiſſum. Et interim dictam ſedem Apoſtolicam poſſe plene, & li-

(f) Du Fresne in Famil. Dalm. & Sclavon. (g) Raynald. annal. Eccleſ. ad hunc annum. Cap. IX. ex lucari.

1478. *bere de prædicto regno, ejus juribus, & titulo diſponere ad ſuam voluntatem, & bene placitum, tamquam de re, patrimonio, hæreditate, & bonis ſuis propriis, quibusvis contradictionibus non obſtantibus* - - - . Hæc Raynaldus ex codice Vaticano ad propagandam inſignis facti ad poſteros memoriam annalibus inſeruit.

Teſtamenti tabulæ non videntur omni prorſus ſuſpicione carere.

Mihi tamen rem cum aliis contendenti, ſatine ſinceræ teſtamenti tabulæ ſint, an contra, non inane prorſus dubium obmovetur. Neque enim hoc loco eam Catharinam venire, quæ Thomæ Jablenovicſii filio in manus convenerat, probabile eſt, etſi aperte ſatis tabulæ id indicare videantur. Nam huic, ut Dufrenius (*b*) auctor eſt, nulli ex Thoma liberi erant, neque Stephani Ducis filiam, ſed ſororem fuiſſe, epitaphium, quod illi Romæ poſitum eſt, (*i*) diſerte docet, quam, ſi modo veritas epitaphio conſtet, anno hujus ſeculi quinquageſimo octavo fatis functam, vitam ad præſentem annum non produxiſſe magis perſpicuum eſt, quam ut negari poſſit. Itaque neceſſe eſt, aut capitalem in epitaphio errorem cubare, aut teſtamenti tabulas non ab hac, ſed ea Catharina, quam Radivojo uxorem fuiſſe, ſupra memoratum eſt, conditas eſſe. Quod imprudente prorſus Mathia eveniſſe oportuit: qui enim jura ſua in Boſniam adverſus Pium II. tam acriter tuitus erat, credibile eſt, ſi rei hujus indicia ad eum allata eſſent, perinde juris ſui prærogativas eatenus defenſurum fuiſſe. Sed hæc ex conjectura ſolum dicta velim.

Coeuntibus Olomucium Legatis pax inter Mathiam, & Wladislaum Bohemiæ cauſa conficitur.

Sub hæc cum Mathias intellexiſſet, Fridericum, datis ad Auſtriæ ordines litteris de conficienda centum millium florenorum ſumma, pacem bona fide ſervaturum, ne quid ex Bohemia ſibi turbarum daretur, ad conciliandum per Legatos cum Wladislao fœdus animum adjecit: Jam enim antea regibus convenerat, ut Legati utrinque miſſi, propterea Olomucii in Moravia coirent. Mathias eam provinciam graviſſimis viris committendam ratus, præter Georgium Colocenſem metropolitam, & Protaſium Olomucenſem Epiſcopum, Stephanum quoque Zapolyam, qui Sileſiæ vicaria poteſtate præfuit, cum mandatis eo miſerat, ut quam poſſent, æquis conditionibus pacem ſancirent. Neque multo poſt, etſi in principio res non ſatis ſecundo eventu finem ſortitura videretur, mira omnium conſenſione fœdus percuſſum, & in hæc capita conventum eſt. (*k*)

Pacis conditiones

Imprimis concluſum eſt, quod uterque Princeps in ſuo jure acquiſito permaneat, tamquam dominus hæreditarius, & quilibet eorum titulo regis integro Bohemiæ, prout alii reges Bohemiæ conſueverunt, utatur, ita, ut Dominus rex Mathias dominum regem Uladislaum ſcribat Bohemiæ regem, & Dominus rex Uladislaus ipſum Dominum Mathiam regem ſimiliter nominet, & ſcribat Bohemiæ regem. Similiter ſubditi utriusque regni erga utrumque facere debebunt. Item concluſum eſt, quod rex Mathias condeſcendat regi Uladislao, Barones, militares, terras, civitates, & provincias quaſcunque tenet in Bohemia: ſimiliter etiam rex Uladislaus omnes civitates, terras, provincias, Duces, Barones, & militares, quoscunque tenet in Moravia, & utraque Sileſia, Luſatia, & ſex civitatibus præfato regi Mathiæ condeſcendat.

Item concluſum eſt, quod, poſtquam Uladislaus terras, civitates, caſtra, oppida, & provinciis, Duces, Barones, militares in provinciis Moravia, utraque Sileſia, Luſatia, & ſex civitatibus ſub ditione ſua exiſtentes præfato regi Mathiæ condeſcendat, ſtatim, & in continenti omnes de Moravia, & utraque Sileſia, Luſatia, ac ſex civitatibus teneantur communiter præſtare homagium regi Mathiæ, tamquam vero domino eorum, & hæreditario Bohemiæ regi, & Barones, & Nobiles ſecundum conſuetudinem erga dominos ſuos, & reges Bohemiæ ab antiquo obſervatam, ipſum pro tali rege ſuſcipiant, & teneant, ſibique, & nulli alteri, tamquam eorum vero, & haereditario regi obediant, & poſtquam Dominus rex Mathias Barones, militares, civitates, terras, & provincias, quas in Bo-

be-

(*b*) Citato loco.

(*i*) Idem ibid. eſtque epitaphium id hujusmodi. *D. O. M. Catharinæ reginæ Boſnenſi, Stephani Ducis S. Sabæ ſorori, ex genere Helenæ, & domo principis Stephani natæ, Thomæ regis Boſnæ uxori, quantum vixit, annorum LIII. & obdormivit Romæ anno Domini MCCCCLVIII. die XX. Octobris. Monumentum ipſius ſumptibus poſitum.*

(*k*) RAYNALD. annal. Eccleſ. ad hunc annum.

An. Chr 1478.

bemia tenet, praefato domino Uladiſlao condeſcenderit, illi in terra, & corpore regni Bohemiae, eundem dominum Uladiſlaum regem ſimiliter ſuſcipiant, eidemque promittant, & ſecundum conſuetudinem regni ab antiquo obſervatam facere teneantur, ſibique, & nulli alteri, tamquam eorum vero; & hæreditario regi obediant. E converſo autem reges, dictos ſubditos conſervare in juribus regni, & illarum terrarum, & privilegiis ab antiquo conſuetis promittent, in quantum præſenti diſpoſitioni non obſiſtant.

Item concluſum eſt, quod præſatus dominus rex Mathias durante vita ſua provincias, & patrias Moraviæ, utriusque Sileſiæ, Luſatiæ, & ſex civitatum cum omnibus pertinentiis libere, quiete, pacifice, & absque omni impedimento, & conditione præſati Uladiſlai regis, & regni Bohemiæ, ac ſubditorum coronae ejusdem teneat, poſſideat, & utatur tamquam eorum verus, & haereditarius dominus: ſimiliter rex Uladiſlaus provincias, barones, militares, & loca in Bohemia libere, quiete, ac pacifice, et absque omni impedimento praefati regis Mathiae teneat, poſſideat, et utatur, tamquam eorum verus rex, et dominus haereditarius.

Item concluſum eſt ad confirmandam pacem, et amicitiam utrorumque regum, et ne propter diverſitatem ſucceſſorum diverſa mala, et novae differentiae oriantur, ut, quandocunque poſt obitum regis Mathiae dominus rex Uladiſlaus, aut ſui ſucceſſores, ſeu regnum Bohemiae, praeſatas terras, et provincias Moraviae, utriusque Sileſiae, Luſatiae, et ſex civitatum recipere, et renuntiare corpori Bohemiae voluerint, illud facere poſſint libere, et ſine ullo impedimento regis Hungariae pro tempore exiſtente, vel regni Hungariae &c. „ Adjectæ ſunt plures conditiones, quarum præcipua ea fuit: ut, cum „ provinciæ illæ ad coronam Bohemicam revocarentur, quadraginta aureorum „ Hongaricorum millia Pannoniæ regi penderentur: ſi vero Wladiſlaum præmori contingeret, ac ſuperſtitem Mathiam a regni Bohemici ordinibus ad ſolium „ Bohemicum vocari, conventum eſt, Sileſiam, Luſatiam, Moraviam, & ſex „ alias urbes cum reliquo Bohemiæ regno coalituras. Sancitum etiam, ut ſi„ quis finitimorum regum, ac principum, alterum ipſorum injuſto bello peteret, alterum mutuis opibus, & viribus alteri ſubſidio futurum. De redin„ tegranda vero in Bohemia re Catholica hoc decretum additum.

Item concluſum eſt, quod ex parte differentiarum inter ſedem Apoſtolicam, & Bohemos, poſtquam majeſtates eorum convenient, debebunt hoc negotium ſimiliter pertrahere, & videre de modo, quo tales differentiae poſſint complanari: ſimiliter & diligentiam facere, & ſolicitare, quod quidam Archiepiſcopus ordinetur in regno, qui ab omnibus decenter, & honorifice honoretur, ſuſcipique debebit, & teneri, & ut ſententia excommunicationis per Dominum Paulum Pontificem piae memoriae promulgata tam a vivis, quam a mortuis auferatur, apud dominum Pontificem laboretur. „ Conſtitutum etiam eſt, ut ſolenne re„ gum colloquium in agro inter Olomucium, quo Mathias accederet, & Vin„ zouum, quo Wladiſlaus ſe conferret, celebraretur, in quo fœdus æternum „ Hungaros inter, & Bohemos ſanciretur, deque reſarciendis damnis poſt in„ ducias Wratiſlaviæ pactas illatis ageretur, ac vi occupata reſtituerentur, & „ capti liberarentur. „ *Datum in praefata urbe Olomucenſi die lunae in octava ſancti Andreae Apoſtoli, anno Domini MCCCCLXXVIII.*

Mathias miſſo Pruſſis ſubſidio

Fueritne Caſimirus his pactis comprehenſus, quod integras pactionis tabulas nemo hactenus vulgarit, haud ſatis compertum eſt: ſi quis conjecturæ locus ſit, reor nondum hoc quidem anno fœdus cum Polonis conciliatum, quod Mathiam Pruſſis contra Caſimirum bello implicitis, ſeptem auxiliariorum millia ſuppetias duce Zelenio miſiſſe, multi prodiderunt: tametſi parum ad rei ſummam eo ſubſidio amicis præſtitum ſit: quod auxiliares Hungari, cum ſpecie ferendæ opis Saganenſium Duci, per Pomeraniam ad Crucigeros penetrare nituntur, ab Alberto Brandeburgenſium Marchione, ſemel, atque iterum magna clade profligati eſſent. (*l*)

An. Chr. 1479.

Caſimirum illis

Cum igitur ob locorum intervalla ſociorum cauſam parum armis ab ſe juvari poſſe rex videret, legatione Caſimirum tentare initio ſequentis anni aggreſſus eſt. Miſſus eſt Jaroſlaus Cernahorius, (*m*) poſtulans, uti conventus, qui anno priore ab oratoribus ad Februarii initia Olomucium præſtitutus eſſet, ad

(*l*) CROMERUS rer. Polon. Lib. XXIX. (*m*) Idem ſed male Ciahonorium vocat.

1479.

per Legatos conciliare ſtudet.

Qui ea de cauſa Oratores quoque ad Mathiam mittit.

ad Majnm differretur: futurum id ex re non modo regis, ſed filii etiam Wladiſlai, cum quo, ſi quæ in pactionibus ſuperiore anno initis, obſcura eſſent, illuſtrari nullo negotio poſſint, eademque opera res Pruſſicas communi conſilio facile compoſitum iri, modo datis induciis a bello interea abſtinere vellet. Grata fuit Caſimiro ea legatio, a quo cum viciſſim oratores in Hungariam miſſi fuiſſent, ita cum Mathia transegerant, ut colloquii Olomucenſis rationes, quemadmodum vellet, contrahere, proferreque poſſit: Caſimirum a bello Pruſſis inferendo temperaturum, ſi ab Hungaris duo Epiſcopi, & totidem Proceres ad conventum Siradienſem, quo Poloni ad Pentecoſten venturi eſſent, mitterentur, quorum ſtudio, & conſiliis, facile Caſimirus Crucigeris conciliaretur.

Iſtorum poſtulata, & regis reſponſa

Acceperat Mathias Legatos Vicegradi frequentiſſima Optimatum corona ſtipatus, cumque duas pene horas loquuti, finem aliquando feciſſent, rex *ſplendidam orationem latino ſermone exorſus eſt, in qua capita concionis Polonicæ diſſipata, optimo ordine diſtinxit; poſtulatis regiis ſapienter reſpondit, & ea, de quibus ſecum expoſtulabat Caſimirus, graviter, ac conſtanter, refutavit. Propoſuerant vero Oratores Poloni in veſtibulo ſui ſermonis, exiſtimare Caſimirum, Mathiam præter officium feciſſe, quod Epiſcopos quosdam regni Poloniæ a Caſimiro alienaſſet, eosque in oppugnando ſuo rege pecunia juviſſet. Artem enim eſſe illaudatam, minimeque magno Principe dignam, alterius regis ſubditos ad ſeditionem concitare, & contra jus gentium, religionem juramentorum, nervum humanæ ſocietatis, evertere. Caput hoc, quod plurimum habebat aculeorum, Mathias de induſtria ad finem uſque ſibi reſervarat, & exiſtimabant Poloni, diſſimulari hoc ſtudioſe, quod excuſari non poſſet. Verum Mathias tantum ſubridens: renunciate, inquit, regi veſtro, olim me puerum a praeceptoribus meis tale noema didiciſſe: honeſtus eſt error eorum, qui magnos duces ſequuntur. Anteit me aetate Caſimirus rex, eo igitur magiſtro, & duce uſus ſum. Concitavit ipſe in me non ſolum praecipuos regni mei Epiſcopos, & Proceres, verum etiam ſeditioſos univerſo juvit exercitu, ut me ex regno deturbarent. Non igitur mirabitur, ſi ego leniter exemplum illud aliquando imitari conatus ſim. Erubuerunt Legati, qui meminerant verà regem loqui.* (n)

Ob conflatam inter Venetos & Turcos pacem

Ceterum tam facilem ad ineundam cum Polonis amicitiam regem fuiſſe, minime mirum videri debet, quod conflata inter Venetos, & Turcos pace, nullum dubium erat, quin, quod de Mahomete publicus rumor ferebat, barbari diviſis bifariam viribus Rhodum maritimo, Hungariam terreſtri bello petituri eſſent. Eam fœderum conciliationem graviter Mathias tulit, tum quod ſe, qui ſocius illorum fuiſſet, imprudente facta, tum quod parum honeſtis conditionibus inita eſſet. Quo magis Sixti in illos ſtudium, dum communi Italiæ fœdere eos complexus erat, ſuſpicionem regi obmoverat, quo animo in ſe, & Hungariam Pontifex eſſet, præſertim, quod aliunde comperiſſet, Ferdinandum Siciliæ regem, non pro eo, ac periculi magnitudo poſcebat, adjutum iri. Itaque cum hujus, tum ſui cauſa ad Cardinalem Arragoniæ, Beatricis fratrem, acerbiores, quam alias conſueverat, in Pontificem litteras dedit, quibus quid ſibi de Venetorum inito cum Turcis fœdere videatur, primum explicat, tum malignorum ſufflaminatione incitatus in Sixtum invehitur, propeque armorum comminationem intentat. (o)

Rex acerba epiſtola ad Sixtum data queritur.

Acceptas litteras reverendiſſimae dominationis veſtrae, quas ad nos de geſtis ſuis ex urbe ſcripſit, cognovimus ea omnia, quae per illam acta ſunt apud Pontificem, & de labore, ac diligentia ſua, quam in rebus noſtris impendit, grates dicimus, optamusque, ut omnia ex voto ei ſuccedant. Quantum vero ad praeſentem rerum ſtatum, & conditionem attinet, meminiſſe debet paternitas veſtra, nos olim ea omnia praedixiſſe, quaecunque ſequuta ſunt, vaticinatique inter alia ſumus, Venetos nulla ratione retrahi poſſe a conſortio, & ſocietate Turcorum, quibus ita inviolabili fœdere connexi ſunt, ut nulla poſſint ratione inverti. Praediximus & hoc, quod poſtea manifeſte patuit ex verbis ſpeculatoris intercepti,

(n) Curæus in annal. Sileſiæ, ſed ad annum 1478. magis tamen Cromero eatenus deferendum puto, qui præſenti anno Legationem affigit.

(o) Epiſt. Mathiæ Corvini Parte IV. pag. 62.

pti, & in fune tracti ad torturam, Venetos omni ſtudio fabricare cum Turcis, quæcumque cognoverint fore Chriſtianis rebus, & maxime ſtatui ſereniſſimi domini Patris noſtri communis detrimento, quemadmodum noviſſime fecerunt, quando ipſi Turcos non ſolum induxerunt ad invadendam terram ſanctiſſimi domini noſtri, ſed quo commodius id fieret, etiam præſidio Turcis affuerunt. Sed nos miramur de ſanctiſſimo domino noſtro Pontifice ſummo, qui ſic Venetorum favorem ſuſtinet, ut alios Principes, & in primis ſereniſſimum dominum patrem noſtrum Ferdinandum contemnat, qui quanto ferventius rem ſuam agit apud Pontificem, tanto eum ſibi duriorem experitur. Nobis quoque, ut conjicimus, ſummus Pontifex idem facere conatur, ſperans nos ſeveritate, & inclementia poſſe fieri ad obſequium ſanctæ ſedis promtiores, & id non conſiderat, quod illi remotiores ſimus, nec tam æſtimamus illius malevolentiam erga nos, ut credamus nobis aliquid afferre detrimenti. Quod ſi tentandum erit, uter noſtrorum alteri magis nocere poterit, nos profecto citius illius territoria quam ille noſtra, lædere poterimus; et ideo optaremus, ut alia erga nos, et ipſum patrem noſtrum clementia, et manſuetudine uteretur: alioquin fruſtra erit exemplo alterius nos irritare, qui benevolentiam, et favorem illius more Chriſtiani Principis libenter affectamus, malevolentiam vero, et ſeveritatem non curamus. Datum Budæ. 1479.

Interea dies conventui Olomucenſi præſtitutus appropinquabat, jamque Wladislaus cum copiarum parte, ac Saxoniæ Ducibus, tum regni Optimatibus Vinzonum tendere ferebatur, cum Mathias ob ingentes, quos accipiendo hoſpiti fecerat, apparatus, lentis de induſtria factis itineribus, cum Beatrice, & præcipuis regni Principibus Olomucium aliquanto, quam convenerat, ſerius attigit. Congreſſi ad quintum ab urbe lapidem reges datis dextris aliquamdiu ſeorſim, tum in corona Optimatum colloquuti, fœdus iisdem conditionibus, in quas illud Legati anno priore percuſſerant, innovarunt. Tum Wladislaus cum multarum gentium, qui aderant, Principibus, ac primi ordinis viris Olomucium invitatus, ſplendidiſſimo a Mathia convivio acceptus eſt. Neque exquiſitis ſolum lautitiis, ſed magnificentia, & ſplendore etiam in iis certatum: quando rex eodem prorſus apparatu, quo eum nuptias celebraſſe memoravimus, expromta auri, argentique ſupellectili Bohemum excultum voluit. Ferunt Wladislaum, cum tantam divitiarum affluentiam vidiſſet, ſuis edixiſſe, nunquam eum impune bello laceſſiri poſſe, qui tam copioſo nervo abundaret: Beatricem vero, quæ liberali regis vultu, tum corporis, ac morum elegantia tacite carpebatur, jam tum ignes in animum admiſiſſe, qui poſtea in flammam, ſed, ut eventu poſtea compertum eſt, ſibi fatalem erupere. Hoc luxu Bohemi tredecim dies habiti, firmata rurſum cum Hungaris amicitia, rediere.

Mathias, & Uladislaus mutuo congreſſu pacem confirmant.

Mathias vero miſſis ad Siradienſia comitia Legatis, hac quoque parte regno ſuo quietem, & Crucigeris, quorum cauſa maxime ſollicitus erat, amicitiam confirmare ſatagebat. Miſſi ſunt Stephanus Zapolya, magno in publicarum rerum tractatione ingenio, & ſapientia, tum Wenceslaus Boſcovicius Bohemus, qui collatis diu, multumque cum Caſimiro conſiliis, in hæc capita pacem pepigere: ex induciis, quas cum Mathia inierat, fœdus conſtans, perpetuumque fieret: Magiſter Crucigerorum dicto fidei ſacramento priſtino gratiæ loco eſſet: occupata bello loca Polonis redderet, quam primum hi octo florenorum millia pependiſſent: litteræ autem fœderis, inter Mathiam, ac militiæ Magiſtrum initi, ne quid paci publicæ obturbarent, ad Rudolfum Epiſcopum Vratislavienſem mitterentur, qui eas nemini lectas præſente Joanne Laſocio Cneſnenſi, & nuncio regio concerperet. (p)

Eadem opera cum Caſimiro Polono fœdus inſtauratur.

Magno Hungariæ commodo citra difficultatem cum Polonis transactum eſt; quod eodem tempore crebris ex Tranſilvania nunciis rex edoceretur, Mahometem majore præquam alias exercitu Daciæ inhiare. Itaque procuratis in Sileſia rebus, miſſisque ad ſuos mandatis, quid fieri interea vellet, celerrime in Hungariam redit, coactoque ſub ſigna milite maximis itineribus ſuppetias labo-

Alibegus cum C. millibus Tranſilvaniam infeſtis ſignis ingreſſus.

(p) Cromerus rer. Polon. Lib. XXIX.

1479. rantibus ire jubet. Serum tamen id futurum erat ſubſidium, niſi noſtrorum virtus regis conſilia antevertiſſet. Barbari enim cum centum millium exercitu, cui quinquaginta Præfectos, Turci Baſſas vocant, Mahometes intereſſe voluit, jam in provinciam irruperant, & propagata quaquaverſum vaſtitate ad Albam Juliam conſtitere. Præerat tum Tranſilvanis Stephanus Bathorius, magnum patratis bello rebus, & caſtimonia adeptus nomen: qui ad primam adventantis hoſtis famam, conflato ex Siculis, Saxonibus, ac Valachis exercitu, barbaros præda onuſtos per intervalla ſequutus obſervabat, certus animi, ut primum ſe occaſio daret, pugnam conſerere: ſimul Paulum Kiniſium, quem Poloni ſcriptores male Kneſium dicunt, per nuncios de periculo admonet, rogatque, ut concitis ex ſua præfectura militibus, Temeſienſem tum provinciam curabat, hoſti ſeſe ad fauces, qua reditum parabat, objiceret, ſe ex locorum ac temporis habitu conſilia initurum: properaret modo, & non ſolum pulcherrimi facti, ſed laudis etiam partem caperet; ſibi enim minime dubium eſſe, quin ſi hoſtem ab tergo, & fronte communi opera peterent, victoria in ſolidum potirentur. Kiniſius cum periculi, tum ſocii in primis cauſa, erant enim ambo non virtutis ſolum, ſed fortitudinis etiam collegæ, baud diu moratus, collecto maximam partem pedeſtri agmine, quo ſæpe barbaros alias profligarat, ne prælio, quam res poſcebat, ſerius adeſſet, magnis itineribus in Tranſilvaniam contendit.

Dum ſpoliis onuſtus receptum parat

Interea Alibegus, nam hunc barbaris præfuiſſe proditum eſt vaſtata fœde provincia, actisque immenſis ſpoliis reditum parabat, jamque viginti quinque millia paſſuum ab Alba aberat, cum ex ſpeculatoribus comperit, Stephanum Tranſilvaniæ Wayvodam cum exercitu haud longe in Kenyér Mező quaſi panis campum dicas, agere, poſſeque ob copiarum paucitatem prælio inito facile deleri, ſin contra ad pugnam non cogeretur, non modo prædas in periculo eſſe, ſed in receptu cladem quoque illaturum. Facile barbarus ſuapte prælii cupidus aſſenſerat, relictaque ad prædas cuſtodiendas haud temnenda militum manu, vires omnes in Bathorium convertit. Ille cum hoſtem appropinquare intellexit, ante omnia rem ſacram turmatim fieri juſſerat, tum ſingulis terram Myſticam Euchariſtiæ loco præberi, vocatosque ad prætorium paucis, ut rem fortiter gererent, cohortatus, ſacramentum omnes jubet dicere; neminem injuſſu ducis loco ceſſurum, facturumque mandata quæcunque Dux daturus eſſet, etſi mors oppetenda videretur: quod cum illi datis inter ſe dextris, editoque armorum ſtrepitu ſe facturos ſpopondiſſent, lætus mira ſuorum alacritate Stephanus, aciem, ex locorum ſitu conſilium capiens ſtruere occœpit.

Memorabili prælio per Stephanum Bathorium,

Hanc, & prælii, quod poſtea confectum eſt, exitum Bonfinius, quem ego omnia ex iis, qui pugnæ intererant, accepiſſe arbitror, in hunc modum deſcribit. (q) *In tanto* (inquit) *virorum ardore Vayvoda haudquaquam ceſſandum ratus, inſtructas in cornua ſtatim acies diſponit, ſe cum Cataphracto equitatu in medium collocat, praeſidium a terga munitum relinquit, quo utroque cornu duas equitum alas obtendit. Dextrum cornu propter amnis ripam producit, obtendit ad editiſſimi montis appendices alterum. Cum Saxonibus, Valachis, & Hungaris conſtaret exercitus, - - - Saxones, qui civiliter vivunt, primas pugnæ partes ſibi dari poſtularunt, proximas Valachi: ultimæ Ungaris, & Siculis* (r) *ſuperfuere. - - - Contra Turci ſuas alas explicaverant, recondiderantque a tergo prædam; & collatis utrinque ſignis cum magna ferocia congrediuntur: unum Turcorum agmen in cornu dextrum fertur, & forti a Saxonibus anima excipitur: in ripa fluminis tanta vi pugnatum, ut perbrevi multi caderent. Pari adhuc ſpe certabatur, cum alterum Turcorum agmen immiſſum eſt; cujus impetum Saxones, numero multo pauciores, ſuſtinere nequiverunt. Quare inclinati præter fluvium cæduntur; alii vulneribus confecti cum retro pedem dare nequirent, in aquas aguntur, demerguntureque, ceteri dato terga intra Valachorum ſubſidia ſe recipiunt. Contra illi conſurgunt, obverſanturque, & inſtaurata pugna multos ex hoſtibus obtruncant, nonnullos præcipites in aquas impellunt. Dum hic acer-*

(q) Dec. IV. Lib. VI.

(r) Bonfinius habet *Scythis*: ſubſtitui, ut re ipſa erant, Siculos: alioquin & Hungari Scythicum genus.

acerrime pugnatur, Siculi, qui lævum cornu tenebant, ne minori quidem periculo laborabant: alæ non ſine cruenta pugna utrinque retuſæ, quando inundanti hoſtium multitudini obſtare non poterant, intra Cataphractorum aciem ſe receperant. Valachi cum Saxonibus in dextro cornu miſere cæſi, quamvis multo plus hoſtium ibi opetiiſſet, Maruſius amnis totus cruore infectus eſt. Dum vehementer in utroque cornu laborabatur, Vayvoda antequam res ad triarios redigatur, quadratum Cataphractorum agmen, quod in medio ſtabat, ultra promovet. Cum primus in acie ſtaret, primo gradu, citato equo, cum eo una concidit, ſocii tunc oſtenti iniquitate conſternati ad Saxabanom quinque millibus paſſuum ab Jula diſtantem, vel proximum montem redeundum eſſe cenſebant. At ille quicunque (inqoit) pro Deo „ optimo, maximo, divaque genitrice pugnat, quo nam pacto malis prælium „ auſpiciis inire poteſt? proinde timori parcite, & me forti animo ſequimini, „ commilitones: futura vulnera abominatur equus, ſine quibus bella non ge„ runtur; ſed iſte, mihi credite, hodie victorem me vobiſcum referet. *Mox dicto celerius in Turcos irruit, laborantium animos inſtaurat: cum tanto impetu fertur in hoſtes, ut primum illorum agmen ſine mora proſtraverit. Quod cum Alibegus accepiſſet, quatuor ſimul agmina jungit, ut equitum multitudine circumglomerante Vayvodæ aciem obruat. Remittitur interim in utroque cornu pugnæ furor, & ad prætorianas acies Mars totus vertitur, ibique ſic conſerto prælio dimicatur, ut dux cum duce, Veterani cum Veteranis cominus acerrime certarent. Vayvoda ſex vulneribus una cum equo confoſſus, ad extrema cum ſociis redoctus erat, quamvis cæſorum corporibus obductus eſſet, quo plures tum ex hoſtibus cadebant, eo frequentior undique turba confluebat.*

Paulo Kyniſio in ſubſidium veniente profligatur

Cum ito laboraretur & jam ad præſidiarios ſe recipere non liceret, ecce a tergo Turcorum, a montis vertice cum quadrato, cataphractoque agmine, vexillationumque alis collega Paulus apparet, conſertamque cum hoſte manum cum extemplo proſpectaſſet, citato gradu, edito ingenti clamore una cum tubarum clangore conjuncto, in Turcos irruit: tantoque impetu hos a tergo premit, ut primo congreſſu multi ceciderint: illi cum numero dudum ſuperiores victoreſque fore viderentur a tergo petiti non modo ſpem victoriæ, ſed multitudinis quoque ſpeciem amiſerunt. Paulus duplici accinctus gladio veluti Leo rugiens multo cruore uſque quaque graſſatur, indomitus, quacunque ruit, cuncta obvio proterit, latam & inſignem ſtragem agit, nunc ultimam hoſtibus internecionem obclamitans, nunc ſuorum ferociam inflammans, quandoque uſque adeo intonans, ut a laborantibus & cedentibus exaudiretur. Poſtquam pientiſſimo ſo JEſu Chriſti nomine foveri, ac victoriæ ſucceſſum continuari intellexit, geminatis viribus animiſque intonuit, per infeſta latum iter agmina faciens: „ Ubi ubi Bathor es, inquit, ubi caſtæ caſtitatis ſpecimen, fidei „ propugnaculum, & ſeveræ integritatis exemplum? ſicubi locorum es, ſi „ vivis, adhuc reſponde Bathor! ſum Paulus, pro te, pro patriæ ſalute ad u„ tramque fortunam expeditiſſimus. „ *Senſerat Voyvoda potius ex deſidente hoſtium ferocia, quam ex intenta voce collegam in tempore adfuiſſe, & quamvis multiplici vulnere jam exhauſtus, tamen quia plus alieno quam ſuo cruore fœdatus erat inter congeſta utrinque cadavera,* „ adſum, inquit, mi Paule adſum! adhuc vivitur, dum defecta ruinam „ noſtra corpora minantur, & nutant, tu Catholicam fidem, regnum, patriam„ que tuetor. „ *Cum hæc vix inter cædes, mutuoſque ictus Paulus exaudiviſſet:* „ Si „ vivis adhuc, confide ergo, inquit, & cuncta pro nobis numina dudum ar„ ma ſumſiſſe puta. *Mox circumactum laboranti Vayvodæ agmen proterit, collegæ turmam, quæ jamjam Turcorum, qui circumvenerant, vi caſura videbatur, præſenti morte liberat, additis ſubinde animis agmen in ceteros late ciet. Turci cum fronte, tergoque ſe occluſos intellexere in montem, quem diximus, editiſſimum, proximaque juga diffugiunt, exuuntur caſtris, & opulenta præda nihilo ſegnius, ac illi fugiunt; inſequuntur iſti & per difficillima quæque loca diſquirunt; potiſſima in plano ſtrages acta, & per omnes citra invidiam inſignis, verum paulo minor in montibus patrata cædes. Alibegus habitum linguamque juxta mentitus, paſtoris ductu in montem aufugit, in parvaque caſula ea nocte delituit: at ubi illuxit, conſcenſo equo,* „ abi paſtor, inquit, ad Vayvodam, & te Alibegi ho„ ſpitem fuiſſe nunciato „ *mox dicto celerius, averſoque equo cucurrit, fuſis, fugatiſque Turcis, in eorum caſtra factus eſt impetus, quæ ingenti præda completa dirripiunt, captivos quoque cujuſque ætatis, & ſexus, ad libertatem vindicant, congratulatur pileata turba, pedes, manuſque aſſertrices certatim oſculantur, & gratias agunt: Deinde cæſo*

1479. *fere ad internecionem hoſte, cum receptui ſigna cecinisſent, in agonem, locumque certaminis omnes convenere.*

Noſtri victoria potiti lætitiæ indulgens,

Paulus victoria quamvis haud incruenta lætatus, cum collega, legionibusque victricibus, & pientiſſimis inter cadavera cœnare decrevit: quia ingruente nocte in caſtra redire non poterant, atque multum commeatus & vini, potiti caſtris hoſtium, hinc abſtulerant. Super cadavera ſtratæ menſæ, quippe, quæ usque adeo frequentia, denſaque jacebant, ut per univerſum campum, quaquaverſus in ſtadia pene ſedecim in cadaver proſilire potuiſſes. Appoſitis ergo dapibus accubuere milites, refecta ſatis, ſuperque corpora, & animi lætitia, vinoque plus æquo exhilarati: captivi quoque qui proſpecta dudum victoria hoſtilia caſtra populari cœperant, ibi quaque opu entiſſime diſcubuere cœna non ſine militari cantu tranſacta incompoſito, extemporalique carmine Ducum Procerumque laudes concinuere; mox incaleſcente baccho militarem pyrrichiam ſaltarunt. Cum adhuc armati martiales choreas agunt, elatis in numerum clamoribus cuncta complebant; item cum in publicæ hilaritatis monumentum quotusquisque miles geſtu, motuque corporis aliquid ageret, quo riſum a ceteris exigeret, Paulus ſaltare juſſus in media corona iſa ſubſiliit, medium, ſublimemque cæſum hoſtem humo porrectum dentibus ſine ullo manut adminicula plane corripuit, mox in orbem admirantibus potius quam ridentibus ſpectatoribus numeroſe ſaltavit, choream ſe, & Herculeo quoque viro dignam edidit.

Barbarorum clades.

Hic memorabilis prælii exitus fuit: noſtrorum univerſe octo millia deſiderati, ex Turcis triginta cæſorum millia cum numerus iniretur, reperta ſunt: ceteri palantes ab agreſtibus, qui poſt pugnam undique coorti ſunt, interclusi exitu miſerrime trucidati: ut adeo pene omnes ex tam immani exercitu præter quinquaginta, quos in victoriæ ſignum captivos ſervari placuit, internecione deletos memoriæ ſit proditum.

Rex ob victoriam publicas Deo gratias haberi jubes,

Mathias, quo eventu res in Tranſilvania ageretur vehementer ſollicitus, ubi victoriæ nuncium accepit, incredibili lætitia geſtiens, per omnes regni provincias edixit, ut Deo victoriæ auctori publica gratiarum actio haberetur, ipſeque cum Beatrice, ac præcipuis Optimatibus decreta Budæ ſupplicatione, templa obibat, quo propulſatum ab Hungaria periculum manifeſtis indiciis teſtaretur. Re enim vera, ſi prælium inauſpicato conſertum erat, præcipuo militiæ robore, quod Bathorius cum Kyniſio ductabat, rex mulctatus, haud facile regnum barbarorum libidini ſubducere potuiſſet.

Et Legatos ad Imperii Germaniæ comit a mittit.

Quamquam autem res tam ſecundis auſpiciis in barbarum geſta eſſet, metus tamen regem non de nihilo habuit, ne, ſi cum Venetis, quod rumor ferebat, pacem componeret, majoribus rurſum viribus ſe aggrederetur. Itaque placuit Germaniæ Principes, cum Imperii cauſa collecti eſſent ad commune in Turcos bellum, quod alias meditabantur, & ſocietatem armorum vocare. Miſſi ſunt propterea in Germaniam Legati, inter quos Sigismundum Comitem de Bozin fuiſſe conſtat; quos, ubi ſenatus illis datus eſſet, in hanc ſententiam locutos memoriæ eſt proditum: (s) *Quæ nomine sereniſſimi Principis & Domini, Domini Mathiæ Hungariæ, & Bohemiæ regis dominationibus veſtris magnificus Dominus Sigismundus de S. Georgio & de Bozyn Comes, & ego ſuæ Majeſtatis Oratores propoſituri ſumus, ſi Catholicam fidem non concernerent, pro qua tuenda quisque nulla pericula vitare debet, ſed omnem laborem ſubire, ſi ea graviſſima, & magni momenti non eſſent, & toti Chriſtianitati, niſi celeriter provideatur, pernicioſa, præſertim Principibus & comunitatibus Imperii, longa inſinuatione nos uti oporteret, ut non nullorum opiniones, qui nos forte mendicos exiſtimant, evidentibus rationibus repelleremus. Sed res, de quibus dicturi ſumus, ſi bene advertentur, mentes dominationum veſtrarum ad lachrymas ſaltem cordis commovebunt. Curabimus igitur nobis injuncta clare, aperte, & breviter demonſtrare, ut quisque in Imperio exiſtens inexcuſabilis ſit, & sereniſſimo Domino noſtro regi nulla culpa adſcribi poſſit, ſi quid adverſi ob negligentiam eorum, qui providere debent Chriſtianitati, evenerit. Dicturi igitur ſumus de Turcorum ingenti potentia, de illorum inſatiabili cupidine Chriſti fidelibus dominandi, & in eorum ſanguine graſſandi rabie, deque providendi, ne talia eveniant celeri neceſſitate.*

De

(s) Tom. II. Frecheri rer. Germ. ſed male ad annum 1481. quod Mahometem Orator viventem inducat, qui eo anno jam obierat.

De ingenti igitur potentia Turcorum, & de eorum inſatiabili cupidine Chriſti fidelibus dominandi, & in eorum ſanguine graſſandi rabie pauca breviſſime attingamus. Turcorum gens ex Caſpiis portis egreſſa, feritatem & immanitatem beſtiarum more præſeferens, Pontum, Cappadociam, Galatiam, Bithiniam, Pamphiliam, utramque Phrigiam, Cilices, Cares, & eam Aſiam, quæ minor vocatur, usque ad litora Græciæ maris occupavit. Non unum tantum Principem, ſed diverſos quaſi per factiones ſequebatur. Ex hac Turcorum gente, ut ſcriptum reperimus, quadrageſimum ſecundum abhinc, & centeſimum creatus annum Ottomanus, a quo familia Ottomanorum nominatur, exigui tunc cenſus, & obſcuri, ex collectitio milite una parva manu per ſeditionem conflata, non ſolum Chriſtianos reliquias vexare, verum etiam homines ſuæ gentis armis infeſtis petere, & ſibi ſubdere cupit. Orta inter Turcorum Principes ſeditione, auctoritatem brevi, & nomen, adeptus eſt tempore: urbes & oppida non pauca partim vi, partim deditione in ſuam poteſtatem recepit. Ottomano Orcanes ejus filius ſucceſſit, qui rem a patre commodo praſecutus admodum propagavit: eum Amurates ſuus filius ſubſecutus eſt, qui duabus de Græcorum Imperio diſceptantibus in auxilium ab altero accerſitus Turcorum primus in Græciam tranſivit, ubi conſulto bellum protrahens, poſtquam ambos enervatis, conſumtisque viribus fractos animadvertit, ſumta occaſione arma in eos convertit, magnam partem Daciæ ditioni ſuæ ſubjecit. Is vita functus duos filios reliquit Solimanum, & Bajazetem:. Solimano brevi vita ſubtructo res univerſa ad Bajazetem deducta eſt; qui non ſolum Traciam pene univerſam, exceptu Conſtantinapoli, & Pera, ſed Theſaliam, & Macedoniam olim fere totius orbis dominam Phocidem, Bæotiam, & Atticam majori ex parte occupavit; Myſorum quoque, quas Raſcianos, Illyricos, quos Bosnenſes, Tribullos, quos Bulgaros nunc appellamus, crebris incurſionibus infirmavit. Ecce initium belli Turcorum contra regnum Hungariæ. Hic enim Bajazetes armis membra regni infeſtare cæpit, quod valde notandum, & advertendum eſt. Cum Calupino Bajazetis filio, & natu inter fratres majore, poſtquam primum regnum obtinuit, Sigismundus rex Hungariæ collatis ſignis prælium commiſit, & tumultuoſe fuſus, caſtra, & impedimenta reliquit; Chriſtianorum ingens occiſio facta: Joannes Dux Burgundiæ proavus modernæ duciſſæ eo prælio captus, multo auro libertatem redemit. Calapino Moyſes ejus frater ſucceſſit, qui paulo poſt vita functus Mahometem fratrem reliquit hæredem. Hic Valachis bello attritis tributa gravia imperavit, & nonnullos in Aſia regnis ſpoliavit. Mahomete mortuo Amurates ejus filius Theſſalonicam, magnam in Græcia urbem, quam Veneti tunc poſſidebant, vi captam penitus diripuit. Epiri partem, hoc eſt Albaniæ reliquo regno adjecit, Bosnenſium agros vaſtavit, oppida multa vi cepit, diripuit, atque incendit. Hungariam cum centum millibus pugnatorum intravit, late populatus provinciam. Sterilis annus impedimento fuit, ne regno potiretur, commeatus penuria compulſus ad propria rediit. Hac tempeſtate ſæpe cum Turcis dimicatum eſt, non ſine Joannis Hunyiadis regis noſtri Genitoris ingenti laude, ac noſtrorum, & Turcorum ſæpe maximis ſtragibus. Defuncto Amurate Mahometes ejus filius regni gubernacula ex voto adeptus eſt. Hic eſt ille Mahometes Turcorum modernus Princeps, qui ſibi totius orbis Monarchiam promittere videtur. Hic ille eſt Mahometes, qui poſtquam gubernare cæpit, a bellis contra Chriſtianos, & etiam infideles nunquam ceſſavit. Hic eſt ille Mahometes, qui omnes majores ſuos in augmentanda dominia ſua ſuperavit. Hic eſt ille, qui quanto magis quatitur, tanto fortius inſurgit, & nunquam ceſſat, donec votum ſuum adimpleat, & quem hoſtem reputat, ditioni ſuæ ſubjiciat. Pauca igitur de ſuis geſtis perſtringamus. Conſtantinopolim totius Græciæ, & olim Orientis caput vi cepit, & magna cum cæde diripuit. Peloponeſum, Amoream, fere totum Trapezuntiæ Imperium, Eubæam, hoc eſt, Nigropontum, & alias omnes Ægei maris inſulas excepta Rhodo, Caffam nobiliſſimam in maris Pontico urbem cum Mæotidis palude, & alias urbes circa mare Euxinum & Ponticum, quod mare majus nunc vocatur, exiſtentes, regnumque Boſnæ pro majori parte Raſciam, & Bulgariam Acarnaniam, & Albaniam totam, uſque Dalmatiæ finem ſuo adjecit Imperio. Et Valachos ſibi aliquando parentes habet. Patet igitur manifeſte, quod Mahometes Turcorum Princeps modernus, Majores ſuos potentia ſuperet: ipſe enim per ſuperiores ſuos parta retinuit, & ultra plures & majores addidit provincias, provinciasque per ſuperiores ſuos in parte occupatas integras ſuæ ditioni ſubjecit. Patet etiam manifeſte, quod ejus dominandi cupida inſatiabilis eſt. Rabiem ejus in Chriſti fidelium ſanguine graſſandi non ſolum Hungariæ regnum novit, ſed Carniolia, Carinthia & Stiria uſque ad Bavariæ fines, Teutonicæ nationes non ignorant, & Italia in Iſtria, & in foro Julii uſque Terviſum experta eſt, ubi & trucidati, & captivati innumerabi-

1479. *les fuerunt. Ex quibus omnibus, ut diximus, ingens ipſius Mahometis potentia, & Chri-
ſti fidelibus dominandi inſatiabilis cupido, ac in eorum ſanguine graſſandi rabies manifeſte
apparet: quodque Hungariæ regnum ultra centum annos incurſionibus infirmatum, & bellis
conquaſſatum eſt. Apparet etiam ſolicitudo manifeſta dicti Mahometis, qui plura ſuo tem-
pore, quam ſui majores, in Chriſtianos facinora fecit, & plura acquiſivit: de potentia er-
go Turcorum, & eorum inſatiabili dominandi cupidine ſatis hucusque clare, & aperte di-
ctum eſſe putamus.*

*Nunc vero ad providendi neceſſitatem deſcendamus, in qua ea aperientur, ex qui-
bus intelligent dominationes veſtræ, quod ſereniſſimus rex noſter, ut Chriſtianiſſimus Prin-
ceps toti Chriſtianitati, cujus ruinam, cujusve deſtructionem totam mentis oculo proſpicit,
ex cordis viſceribus compatitur. Nam contra tantam Mahometis potentiam ſua Majeſtas,
quæ olim ſocios habebat, nunc ſola relicta eſt, nec aliunde niſi a Principibus Imperii auxi-
lium expectare poteſt. Quod ſi in ea re deficient Imperii Principes, credant, imo certi
ſint, quod Turcorum adventum in laribus propriis citius videbunt, quam audiant. Veneti
nulla ratione conſtricti, ſola invidia moti, ut ſuam voluntatem pravam, & rebellionem con-
tra ſanctam ſedem Apoſtolicam magis firmarent, quam potius, ut veri filii communis matris
contra rebelles juvare debuiſſent, cum Turco peſſimis conditionibus, & multum injurioſis,
imo toti Chriſtianitati periculoſis pacem inierunt: dederunt Turco munitiſſima caſtra, loca,
& civitates, imo provincias, quas Turci decem, aut quindecim annis expugnare non po-
tuiſſent. Obligarunt ſe, quod Turci per terras, & maria abſque eorum impedimento tute
tranſire poſſent. Portus eorum Turcis apertos tenere promiſerunt, & victualia eis dare,
ac plura alia, quæ in totalem Chriſtianitatis ruinam vergunt, niſi ſubito proviſum fuerit.
Ecce Veneti regiam majeſtatem ſolam reliquerunt, &, quod pejus eſt, creditur, quod ſo-
cios in ea re habeant, pacem cum Turco Majeſtas regia, ſi voluiſſet, prius, quam Ve-
neti, aut alius habere potuiſſet, & eam cum utilitate ſuæ Majeſtatis, & non ſicut Veneti,
qui ſua bona, ut pacem haberent, a ſe alienarunt. Turcus enim per triennium magna cum
inſtantia a ſua Majeſtate pacem quæſivit, & usque Budam pro ea extorquenda ſolemnes tan-
dem Oratores miſit, regiæ Majeſtati regnum Boſnæ, & alia multa offerendo, ſubſidiaque
etiam de propria perſona, ubi opus fuiſſet, Turcus pollicebatur, dummodo ſua Majeſtas
eidem, & ſuis, ſine ſuæ Majeſtatis, & ſuorum damno tranſitum per regnum ſuum ad alios
Chriſtianos permitteret. Hæc omnia regia Majeſtas recuſavit, exiſtimans, ut bonus Chri-
ſtianus alios ſimiliter facturos. Sed proh dolor! Veneti a Turcis, ut diximus, turpiſſimis
conditionibus, & cum Chriſtianorum jactura pacem extorſerunt. Quæ res valde adverten-
da, atque conſideranda eſt: Turcus enim facta prædicta turpiſſima cum Venetis pace non
ignorat, quod ſereniſſimus rex Hungariæ contra eum ſolus relictus eſt, quem credit celerius
deglutire, quam a Chriſti fidelibus ſuæ Majeſtati auxilia præbeantur. Et expugnato Hungariæ
regno totius occidentis & ſeptentrionis Monarchiam Turcus ſibi abſque dubio pollicetur. Ipſe
enim Turcus poſt prædictam cum Venetis turpiſſimam pacem Hungariæ regnum armis infe-
ſtare non ceſſavit; & ut de aliis primis incurſionibus pluribus Turcorum in Hungariæ
regnum taceamus, duas tantum notabiles referemus. Invaſit enim Turcorum gens de menſe
Auguſto fimbrias ſuperioris partis regni ad ea loca per Stiriam in Hungariam intrando, de
quibus nunquam aliquis cogitavit, & inde, ut communis fama eſt, ultra viginti millia ca-
ptivorum abduxit: ſequenti vero menſe Octobri maximo cum exercitu electorum hominum
quadraginta trium millium, & Valachorum numero maximo Tranſilvaniam, ubi nervi re-
gii fiſci, ſalis ſcilicet, & auri, & argenti fodinarum exiſtunt, Turci intrarunt, magna-
que cum præda ad propria redeuntes, ab exercitibus regiæ Majeſtatis Dei gratia non ſine
magna ipſorum cæde proſtrati fuerunt, & omnes capitanei, ſive primarii partim occiſi,
partim capti apud regiam Majeſtatem exiſtunt, ipſorum vero ex minoribus pauci evaſerunt.
Manifeſte igitur apparet, & cum lacrimis referendum eſt, quod Turcus, qui ſolicitiſſimus
eſt, ut pluribus ſuis geſtis comprobari poteſt, Hungariæ regnum totis viribus invadere cito
conabitur, ut & ignominiam, quam in regno Hungariæ nuper accepit, a ſe aboleat, ſuæ
ditioni dictum regnum ſubjugando. Sperat enim a nullo Chriſtianorum auxilia ſuæ Majeſtati
præberi. Regia ergo Majeſtas regni ſui deſtructionem videns, ac totius Chriſtianitatis
cum ſua Majeſtas, ſuumque Hungariæ regnum ultra centum annos a Turcis conquaſſatum,
ipſorum potentiæ ſic ſortiter ut prius reſiſtere non valeat, nos ad Imperii partes miſit, ut
& prædicta pericula ſignificaremus, & unde auxilia celeriter ſperare poterat, ea petere-
mus.*

mus. A nulla enim orbis parte, hac tempeſtate niſi a Principibus Imperii auxilia ſperat. Italia enim, & Hiſpania & Francia cum dominis Ducis Burgundiæ bellis ardent. Sperat tamen ſua Majeſtas, quod, quamvis Veneti, & ſi qui ſunt ſequaces, cum Turco pacem turpiſſimam inierint, ſi Imperii Principes cum effectu ſubito auxilia ſuæ Majeſtati præbeant, prout per nos, qui hic ſumus, cum pleniſſima poteſtate declarabitur, quod regnum ſuum retinebit, & partes Imperii illæſæ ſervabuntur. Conſiderent igitur dominationes veſtræ Turcorum ingentem potentiam, & Mahometis eorum Principis inſatiabilem Chriſti fidelibus dominandi appetitum, ac in agendis ſolicitudinem, & vigilantiam, quodque in mora providendi maximum diſcrimen non ſolum Hungariæ regno, ſed toti Chriſtianitati eſſe poteſt, præſertim nationi, quæ cum Turcis poſt Hungaros immediate vicina eſt, & ad quam Turcis per Hungariam uſque Rhenum, & alias partes facilis tranſitus eſt. Diſponant ergo ſe dominationes veſtræ ad celeriter providendum: nos vero, qui hic ſumus cum pleniſſimo, ut diximus, mandato regiæ Majeſtatis, etiam in ſpecialiſſimis caſibus, poſtquam intellexerimus dominationes veſtras ad providendum cum effectu diſpoſitas, ea dominationibus veſtris aperiemus, quæ non ſolum eiſdem dominationibus veſtris pergrata erunt, & facilia, ſed toti Chriſtianitati utilia. Et intelligent regiam Majeſtatem optime ad defendendam Chriſtianitatem diſpoſitam, ſi ſuæ Majeſtati dominationum veſtrarum auxilia non deerunt

Hæc Mathiæ Oratores pro rei, quam propoſuerant, gravitate ſatis prolixe: *Sed defuere Germani Hungariæ regi, qui eorum auxiliaribus copiis proſequi victoriam, inque Turciam irrumpere potuiſſet, ac Mahometem obterere, ne Rhodum, & Italiam appeteret. Sed Fridericus Imperator gerebat cum Mathia ſimultates, pactaque centum quinquaginta aureorum millia* (t) *pendere denegabat, parantemque armis ea repetere Hungarum ipſum implicare bello in ſuperiori Pannonia, Stiriaque molitus erat.* (u) Ceterum quod Legati Turcos ex Stiria in Hungariam hoc anno irrupiſſe memorant, nemoque ex domeſticis in litteras retulit, ſcriptor Auſtriacus illius plane temporis in hæc verba perhibet: (x) *Item in Anno 1479. fuerunt Turci in Hungaria inter fluvium Raab, & Gunis, & in metis Stiriæ & Sclavoniæ incluſive fluvio Muer.* Quæ ſine dubio indicant barbaros, cum Stiriæ limites percurſaſſent, in eum Hungariæ etiam tractum, qui inter Jaurinum, & Ginſium urbes tenditur, irrupiſſe, actisque ſpoliis per Sclavoniam domum reverſos.

Qui re nulla impetrata redeunt.

Sed id utcunque ſit: Mathias rem ſuperiore prælio adverſum barbaros feliciter in Tranſilvania patratam ad Gabrielem Agrienſem Epiſcopum Romæ tum Oratorem ſuum, perſcripſit, aperte indicans, quam levi negotio, ſi Veneti cum Turcis fœdus non iniiſſent, coerceri barbarorum furor poſſet: ſimul queſtus Pontificis in ſe ſtudium magnopere refrixiſſe, cum ſe ac ſocerum ſuum ex communi Italorum fœdere excluſiſſe de induſtria videatur quo quidaliud vellet, quam deſtitutum ſociorum opera ſanguinario hoſti veluti prædam objicere. Quo animo hæc ab Sixto accepta ſint, non conſtat: credibile eſt, quidquid eatenus objectum erat, Pontificem diſſimulaſſe, quod Cardinales illius nomine datis ad regem litteris criminationem refellere in hæc verba conniſi ſunt. (y)

Rex perſcripta Romam victoria Pontificem tacite carpit.

„ Miſeratione Divina Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi ſanctæ Romanæ
„ Eccleſiæ ſereniſſimo Domino Mathiæ Hungariæ regi poſt ſinceram in Domino
„ charitatem. Legit hoc mane reverendiſſimus Dominus Gabriel Cardinalis A-
„ grienſis coram ſanctiſſimo Domino in conſiſtorio litteras veſtræ Majeſtatis, quas
„ omnes cum ſumma animi lætitia uſque ad calcem audivimus, gratias habentes
„ clementiæ Divinæ, quæ tantam & iteratam victoriam de perfidis Turcis eidem
„ Majeſtati veſtræ contuliſſet, ſimulque celſitudinem veſtram, uti decet tollen-
„ tes ad ſidera, & quemadmodum apud nos certa ſententia ſemper fuit, decernentes
„ ſolam Majeſtatem veſtram Chriſtianæ religioni adverſum impiam gentem illam,
„ a Deo in præſidium datam eſſe. Cum autem ultima clauſula legeretur, in qua
„ Majeſtas veſtra de dilectione ſanctiſſimi Domini noſtri, erga ipſam celſitudinem

Cujus cauſa Cardinales defenſionem adornant

(t) Tabulæ fœderis centum duntaxat florenorum millia habent.

(u) RAYNALD. Annal. Eccleſ. ad hunc annum.

(x) Apud Cl. LINK cit. loco charta MS. coæva.

(y) Epiſt. MATH. CORV. Part. IV. pag. 47.

1479. „ veſtram & minori fervore contra dictos Turcos, cum favore illorum, quos
„ putat immeritos audivimus. negare non poſſumus, quin omnes perturbati fue-
„ rimus, conſiderando hanc ſuggeſtionem factam profecto eſſe ab illis, qui &
„ gloriæ veſtræ Majeſtatis, & ſuæ ſanctitatis operibus, ac ſingulari erga omnes
„ dilectioni ipſius ſanctiſſimi Domini noſtri inviderint.

, Quamquam autem turbare ſanctum propoſitum utriusque ſatore malo-
„ rum inſtigante ſatagant, tamen ob hanc rem etiam cum ipſa latione litterarum
„ conſpeximus, ſanctiſſimum Dominum noſtrum tamquam clementem paren-
„ tem non ceſſare a laudibus veſtræ Majeſtatis, ſicut & hactenus nunquam ceſ-
„ ſavit, nullumque Principem Chriſtianum tenerius, & dulcius ab ipſa ſua ſan-
„ ctitate ſcimus diligi. Noſtri igitur muneris eſſe judicamus, ut apud veſtram
„ Majeſtatem veritatis teſtimonium feramus, hortantes eandem, quod omnes pro
„ virili noſtro facimus, ut tali opinione tamquam a veritate aliena, ſiniſtra, &
„ prorſus indigna animum ſuum averteret, quandoquidem & ipſa rerum ex-
„ perientia omnino contrarium probat. Nunquam ſanctiſſimus Dominus noſter
„ cum Venetis ſe junxit, ut amicis Turcorum, ſed tantis malis ſuis adactos,
„ cum Turcis graves, damnoſas & deſpicabiles pacis inducias habere cognovit;
„ fecit & in hoc, ut in neceſſitate ſtatus hujus ſedis, non plures, ſed omnes
„ Italiæ potentatus favorabiles, & aſſiſtentes haberet. Quantum autem ad Tur-
„ cas attinet, licet ſemper fuerit ſanctitas ſua ferventiſſima, & ſuperdoleat, &
„ quotidie replicet cum ſuſpiriis non habuiſſe progreſſum quem voluiſſet, de-
„ creverat enim, & magno cum labore ad concluſionem uſque deduxerat, ut
„ ſerenitati veſtræ præſidia darentur, nihil etiam nunc omittit, quin omnia poſ-
„ ſibilia faciat. Miſit jam bis non parva ſubſidia Rhodianis, primo pecunia-
„ rum, ſecundo navium, & multa miſit Raguſinis, miſit & Chianis, nunc ve-
„ ro omni poſſibilitate ſereniſſimo regi Ferdinando ſubvenire non ceſſat. Miſit
„ Legatum, dedit decimas, conceſſit cruciatam, miſit pecunias, miſit gentes ---
„ Ex quibus omnibus concludere poteſt, & debet veſtra ſerenitas, non ſine pec-
„ cato gravi contrarias ſuggeſtiones fieri veſtræ Majeſtati, nec poſſe a bono ſpi-
„ ritu eſſe, quod adverſarius ſuggerit. Quas ob res rogamus, & obteſtamur
„ Majeſtatem veſtram, ut depoſita falſa ejusmodi ſuggeſtione velit accipere bo-
„ num animum, & agnoſcere nihil eſſe apud ſanctiſſimum Dominum noſtrum,
„ & ſacrum collegium, quod pro honore, & gloria veſtræ Majeſtatis libentiſſi-
„ mo animo non faciat, precari eandem Majeſtatem veſtram, ut accepta tam pul-
„ chra, & glorioſa oportunitate, & feliciſſima victoria jam tribus vicibus intra
„ paucos menſes a Deo ſibi conceſſa, de qua tantam lætitiam cum proceſſioni-
„ bus populorum, ſolemnitatibus miſſarum, aliisque gaudiorum ſignis demon-
„ ſtrari voluit, quanta nunquam in hac urbe pro quavis re graviſſima oſtenſa eſt,
„ velit, prout de ſe dicit, & nos non dubitamus, omnem ſuum conatum adver-
„ ſus ipſos perfidiſſimos Chriſtianæ religionis hoſtes oſtendere, & non ſolum a
„ Rhodo, ſed jam ab Italia Majeſtas veſtra caſtra impiorum avertat (z) eſt enim
„ nimis acerbum audire, quanta illæ impiiſſimæ belluæ crudelitate adverſus in-
„ expertes populos, quantaque immanitate homines trucident. Quæ res cum
„ longa experientia notæ ſint Majeſtati veſtræ, referre ſuperfluum eſt. Beoe, &
„ feliciter valere, & ſiniſtram de ſanctiſſimo noſtro opinionem, qui una cum
„ ſacro hoc noſtro collegio Majeſtatem veſtram non modo diligit, ſed vehemen-
„ ter amat, omnino deponere ex corde deſideramus.

Quibus rex reſpondet queſtus jura ſua

Mathias utcunque his litteris pacatus diſſimulare tamen non potuit, quin tacite Pontificem de negatis penitus, aut lente miſſis ſubſidiis, argueret, quereturque jus ſuum de legendis Prælatis ab eo præter fas, & regni conſuetudinem turbari. Itaque Cardinalium collegio, quod quædam litterarum capita, quas ad

(z) Rhodus oppugnata ſuadet epiſtolam ad ſequentem annum, gemina autem ut rex ait, de Turcis victoria adpræſentem conſignari oportere. Reor autem Cardinales non re ipſa oppugnatam Rhodum, ſed tentatam eminus ſolum a Turcis, quod hoc anno factum conſtat, innuere.

ad eos dederat, aliter, quam vellet, intellecta eſſent, in hunc modum reſpondit. (a)

a Pontifice uſurpari.

„ Mathias Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ &c. rex, reverendiſſimis in Chriſto patribus & Dominis, Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis S. R. E. Cardinalibus amicis noſtris chariſſimis ſalutem & paratam complacendi voluntatem. Reverendiſſimi in Chriſto patres amici noſtri chariſſimi. Redditæ nobis fuerunt litteræ veſtræ ſignificantes, quanta cum lætitia & gratulatione acceptæ ſint litteræ noſtræ, de iterata ſuper Turcas victoria, nuper ad ſedem Apoſtolicam miſſæ, ex quibus animadvertimus bonam, & ſinceram Romæ dilectionem, & totius cœtus ſacri veſtri erga nos charitatem, comprehendimus etiam ex gratulatione ipſa quantum ſint affectæ Dominationes veſtræ non modo nobis, ſed & rebus chriſtianis. Et utinam ea eſſet in ſacro cœtu veſtro gratulatio, ut futuris rei chriſtianæ ſucceſſibus non tam gratulationis oſtentatione, quam effectu rerum uberior materia præberetur, ſentiret brevi ſedes Apoſtolica, & univerſa chriſtianitas nobis non deeſſe ſtudium & ardorem ad defenſionem chriſtianam, dummodo aliorum quoque pari voto animi ad tam neceſſarium piumque votum, & opus concurrerent. Sed profecto dolemus nos poſt multos, & aſſiduos labores, quos ſine intermiſſione pro fide Catholica & pro defenſione chriſtiana ſuſcipimus, ſæpius a ſanctiſſimo domino noſtro, a quo aliam gratiam mereremur, conturbari, & antequam juſtitia noſtra cognoſcatur, ſanctitatem ſuam in aliorum tranſire ſententiam, quemadmodum fecit de inſula Veglia, quaſi a nobis inique occupata, omnem illis favorem ſanctitas ſua contra nos oſtendit, & nobis inauditis aliorum ſuggeſtionibus inclinata eſt. Quod quidem ſicuti credimus, non feciſſet, ſi ſua ſanctitas noſtram in primis juſtitiam audiviſſet, & Stephanus quandocunque juſtitiam noſtram cognoſcet, aliam de nobis opinionem concipiet, ſpretaque ſuaſione contraria, juſtitiæ, æquitatique conſentanea judicabit. Fuit & hoc nobis grave, quod ſua ſanctitas jus nobis noſtrum, quod in lectionibus Prælatorum regni noſtri a prædeceſſoribus noſtris regibus devolutum eſt ad nos, turbare voluit, cupiens aliis cum præjudicio noſtro, & juris noſtri detrimento de Epiſcopatu Modruſienſi, qui ad noſtram electionem ſemper pertinebat, & pertinet, complacere. (b) Non conſiderat, quantum præjudicii ea res nobis inferat, &, quam impoſſibile ſit nobis in ea re ſanctitati ſuæ morem gerere, & id tolerare. Credimus talia ſanctitas ſua non faceret, ſi ſciret, quanti momenti ea res apud nos Hungaros reputetur. Quod quidem his diebus patuit: cum certos regnicolas harum par-

(a) Epiſt. MATH. CORV. Parte IV. pag. 52.

(b) Res ita habuit: Mathias Andream Dalmatam Jadrenſem ex Prædicatorum Ordine, qui regis Sacellanus, & Beatrici reginæ, a confeſſionibus erat, ad Epiſcopatum Modruſienſem deſtinarat, ut habet FERRAR. de rebus Hung. prov. Ord. Prædicatorum Part. III. Lib. III. Cap. VIII. Pontifex contra, imprudente Mathia, Chriſtophorum Raguſinum, decretorum doctorem, qui apud Cardinalem S. Petri ad vincula Legatum Apoſtolicum in Transalpina Gallia agebat, ei ſedi præfecit; ut liquet ex Ferdinandi ſoceri ad regem epiſtola, qua Raguſinum Mathiæ poſtea commendavit. Hanc ex MS. Codice epiſt. Mathiæ Corvini aliorum gratia expromere operæ precium putavi. *Sereniſſimo, & illuſtriſſimo Principi, & excellentiſſimo Domino Mathiæ Dei gratia Hungariæ, Bohemiæque regi, genero, & filio chariſſimo Ferdinandus eadem gratia rex Siciliæ, Hieruſalem &c. ſalutem & proſperos ſucceſſus. Annis ſuperioribus, cum Modrienſis Eccleſia obitu Epiſcopi, qui in Curia Romana vita functus eſt, vacaſſet, ſummus Pontifex ductus virtute, & meritis reverendi patris Chriſtophori Raguſienſis Decretorum doctoris, eidem, qui eo tempore in Transalpina Gallia apud reverendiſſimum Cardinalem S. Petri ad vincula, Apoſtolicum Legatum agebat, ipſam Eccleſiam contulit, qui Pariſiis ſacris initiatus eſt. Et cum ipſum reverendum Epiſcopum opinione virtutis & probitatis noſtra benevolentia, & commendatione dignum putemus, æquumque ſit, quod juſtiſſimum eſt a juſtiſſimo impetrare, Majeſtatem veſtram rogamus, & hortamur, ut in aſſequenda ipſius Eccleſiæ poſſeſſione ipſum reverendum Epiſcopum, & æquitate, & noſtra gratia commendatum habeat, ut ipſam tandem poſſeſſionem veſtræ Majeſtatis beneficentia conſequatur. Datum in Caſtello novo Neapoli XVIII. Septembris MCCCCLXXXIII.*

1479. „ partium faceremus convenire, a quibus tanti clamores ſunt contra nos habiti, „ quod nos jura noſtra negligamus, quod profecto veriti ſimus, ne populus „ omnis in ſeditionem verteretur. Quæ ut ſanctitas ſua aperte cognoſcat, certa „ eſſe debet, duplicatam illam crucem, quæ regni noſtri inſigne eſt, gentem „ Hungaricam libentius triplicare velle, quam in id conſentire, ut beneficia, „ & Prælaturæ ad jus coronæ ſpectantes, per ſedem Apoſtolicam conferantur. „ Non igitur mirandum, ſi nos pro jure noſtro inſtamus, dum ſonctiſſimus Do- „ minus noſter juri noſtro derogat, & id graviter reputamus. Nos quidem „ ſanctæ ſedi Apoſtolicæ ſemper obedientes ſumus, & a teneris annis uſque ad „ hoc tempus ſemper obſecuti fuimus omni ſtudio: verum expectaremus, ut „ noſtra jura non ſolum non turbentur apud Apoſtolicam ſedem, ſed ab aliis „ turbare volentibus ſedes Apoſtolica nobis aſſiſteret, & nos contra alios nobis „ odverſari volentes in noſtris juribus antiquis conſervaret. Quod autem reve- „ rendiſſimæ dominationes veſtræ innuunt, turbatum eſſe collegium veſtrum „ oudita ultima clauſula litterarum noſtrorum, in qua nos de dilectione noſtri „ ſanctiſſimi Domini imminuto erga nos & de minori fervore ſanctitatis ſuæ con- „ tra Turcas, cum favore Venetorum querebamur: quod ſubjungunt ſanctita- „ tem ſuam non junxiſſe ſe Venetis, ut amicis Turcorum, ſed filios ad ſe re- „ currentes collegiſſe more proprii patris, id autem feciſſe, ut in neceſſitate „ ſanctæ Apoſtolicæ ſedis non plures, ſed omnes Italiæ potentatus favorabiles, „ & aſſiſtentes haberet, ſi pro bono ſedis Apoſtolicæ, & profectu reipublicæ „ Chriſtianæ ſanctitas ſua id fecit, prout litteræ ſancti cœtus confirmant, nos „ profecto confœderationem minime reprobamus, imo vehementer commenda- „ mus, & nunc tempus eſt, ut ſanctitas ſua effectu oſtendat, cum perfidi hoſtis „ immanitas inter ipſa Italiæ viſcera graſſatur, & Venetorum aſſiſtentia magis, „ quam unquam alias neceſſaria eſt; an illi malint ob reverentiam, & favorem „ ſuæ ſanctitatis, Italiæ, & præcipue ordenti parieti vicino ſuccurrere, quam „ Turco hoſti perfidiſſimo adhærere: quod ſi non facient, & induci od hoc non „ poterunt, ne communi totius Chriſtianitatis hoſti odhæreant, honeſtari nulla „ ratione poterunt, quin omnes intelligent ſanctitatem ſuam, favorem illorum, „ qui Turcis adhæreant, rerum Chriſtianarum commodis prætuliſſe, atque per „ iſtam confœderationem tam arduo Chriſtianitatis negotia negligere, quæ poſſent „ ſanctitati ſuæ immortalitatem, & gloriam, & reipublicæ Chriſtianæ ſalutem, „ atque incolumitatem comparare. Bene, & feliciter optamus valere veſtras „ reverendiſſimas dominationes, per quas magno ſtudio affectamus ſanctiſſimum „ Dominum noſtrum ad omnia optima, & utilia deprecari. Dotum Budæ.

Belli Auſtriaci ſemina.

Dubium non eſt, Mathiam mutuis cum Pontifice ſuſpicionibus abhinc, quam Veneti inita cum Turcis poce Italico fœderi ſe junxiſſent, certaſſe, neque propterea tamen quidquam de ſuo adverſum barbaros ſtudio remiſiſſe compertom eſt, etſi ſæpe, nec de nihilo ſociorum ſe opera deſtitui quereretur. Hinc illa cum Sixto fere litterarum altercatio. Sed copioſior ei poſtea cum Cæſare jurgiorum materies oborta eſt: ob utro cauſa ſteterit, difficile eſt conjecturam capere, quod nonnulli Fridericum contemta fœderum ſanctitate militem Hungariæ immiſiſſe ſcribant, alii Mathiam non ſoluta, quæ ex pactis conventis debebatur pecunia, priorem bellum obmoviſſe memorant. Quæ res ſi locum habet juſtam Mathiæ belli cauſam fuiſſe, ex fœderum tabulis, quas ſupra annalibus inſeruimus, extra controverſiam eſt.

Seccovienſem Epiſcopum a Cæſare bonis mulctatum Mathias in

Neque prorſus nihil illo Epiſcopum Seccovienſem contuliſſe veri fit ſimile. Res, ut primordia in conſpicuo ſint, ita habuit. Cæſar Joanni Archiepiſcopo Strigonenſi, quem corraſis clam theſauris, correpta fuga in Auſtriam evaſiſſe memoratum eſt, ſupro, quom credi poteſt, ſtudebat, agebatque, cum Bernardo Salisburgenſium antiſtite, ut commutatis Eccleſiarum ſedibus, hic Viennam, ille Salisburgum concederet. Jamque conditiones, quibus res conficeret, in medium propoſitæ, & mutuo utrinque conſenſu firmotæ erant, cum Mathias, re comperta, per Seccovienſem Epiſcopum pacta conventa interturbavit; re-

reſciſſæ pactionum tabulæ & Joannes re infecta in Auſtriam redire coactus eſt. Id Fridericus, ut par erat, graviſſime tulit, & Seccovienſem, quo auctore Bernardus voluntatem commutarat, fundis, & caſtrorum parte, quæ in Stiria habuerat, exuit. Non poterat Mathias ad ſe confugienti non opem polliceri, præſertim quod fruſtra apud Cæſarem, ut in gratiam reciperetur, periculum feciſſet. Itaque cum ſuſpicio non penitus nulla utrique oboriretur, Fridericum porro in Epiſcopum vi graſſaturum eſſe; placuit, eo in clientelam recepto, fœdus, quo illum ab injuria tutum præſtaret, in has conditiones ſancire. (c) Epiſcopus Seccovium, & quæ in poteſtate haberet, loca regi dederet: rex viciſſim adverſus Cæſaris vim & infeſtationes Epiſcopum, etiam armata, ſi opus ſit, manu tueretur: neque integrum eſſet regi, imprudente eo, aut etiam excluſo cum quoquam fœdus percutere: ſin conciliatus Friderico eſſet, loca omnia, quæ in clientelam acceperat, bona fide, & ſine cunctatione redderet. Cum Bernardo quoque Mathiam fœdus iniiſſe, Chronicon Saliſburgenſe docet, cujus ea præprimis conditio fuerit, ut Archiepiſcopus, quæcunque in Carinthia poſſi-

clientelam recipit

His conditionibus.

(c) In Tabulario Epiſcopii Seccovienſis, ex quo doctiſſ. Erasmus Froelichius e S. J. Diplomata multa vulgavit, hoc quoque Num. LXXXIV. habetur: *Wir Mathias von Gottes Gnaden &c. bekennen offentlich mit dieſem Brief, als der ehrwurdige Fürſt unſer lieber, getreuer, andechtiger Criſtoff Biſchove zu Sekaw, auf unſer Anlangen, und Schreiben, ſo wir ihm tan haben weilent Erczbiſchof Joannem von Gran, mit ſamt unſeren lieben Freundt Erczbiſchof Bernard von Salzburg in ſeinen Firnemen antreffend die Ubergab des Erczbiſtum zu Salzburg Widerſtand zu tun, und ihme das nichs verhelffen, uns darin angeſehen, und gethan hat, durch das den obberührten von Gran in ſeinem beſtimmten Firnemen bishero Widerſtand beſchehen iſt, um aber aus ſolchen Widerſtand von unſerswegen weiland dem genannten von Gran der allerdurchleuchtigſte Fürſt, und Herr Fridrich Röm. Kayſer &c. unſer lieber Vater den obberührten von Seccau mit ſchweren Ungnaden vorgenommen, und in alle ſeine Rends, Nuczen, und Gült eingezogen, und eingenommen, auch durch ſeine Anwaldt ſeinem Amtleut gelübt* (videtur aliquid deeſſe) *Kheynerlai Gehorſamb dem genannten von Seccau zu thun ſonder ſeiner Kayſerl. Majeſtät. Auf ſolches ſich dan der obberührte von Seccau zu der Kayſerl. Majeſtät gefieget hat, und gebetten, in aller Demüthigkeit, ſolche ſchware Ungnad von ihme aufzuheben, und ihm die benannte ſeine Rend, Nücz, Gült, und Amtleut, frey und ledig wider zu ſchaffen, ſich auch darbey erbotten, Recht zu geben und zu nehmen vor unſern Heil. Vater den Pabſt ſeiner Heiligkeit Cardinal oder vor ſeinem geordneten Richter den Erczbiſchof von Salzburg, oder vor der gemeinen Landſchaft in Steyer: ſolch aber ſein Begehren rechtlich, hoch, und zümlich erbiethen bey der Kayſerl. Majeſtät nichs volg gehabt hat, ſondern veracht, dardurch der benannte von Seccau Hilff, Rath, und Beyſtand zu ſuchen getrungen iſt worden, und uns darauf angelangt, und demüthiglich gebetten, ihme wieder ſolchen Gewalt, und Unrecht, Hilff, Rath, und Beyſtand zu thun, damit er wider Recht, und Billigkeit von ſeinem Biſtum Seccau und den ſeinen nicht getrungen werde. Nun haben wir angeſehen ſolche groſse Gewalt und Unbilligkeit, ſo den berührten von Seccau von der Kayſerl. Majeſtät und den ſeinen beſchehen iſt, und haben ihm und ſein Stift Seccau in unſern Schirm genommen, und nehmen ihn auch in Kraft dies Briefs, und geloben ihm auch Hilff, Rath, und Beyſtand zu thun, wider menniglich, die ihm Unrecht, Beſchwarung, und Unbilligkeit thun wollen, oder gethan haben, und uns auch auswendig ſeyn* (videtur rurſum aliquid omiſſum, aut male verſum) *mit ſeinen Widerſachern in dieſen Handl ihn kein Theilung nicht zugeben, noch Bericht zu thun ohne ſein wiſſen, und willen. Er hat auch auf ſolche unſer Zuſag, Hilff, Rath, und Beyſtand, ſeine Geſchlöſſer, mit Nahmen Biſchoffek, S. Georg. bey Wildon, Seccauberg, und Nidergail geoffnet, und eingelaſſen, mit dieſer Beſcheidenheit, daſs wir, und die unſern in die vorbeſtimmte Schlöſſer aus- und einreitten ſollen, und mögen in unſerer Nothdürften, den obberührten von Seccau, und allen den ſeinen ohne Schaden, und darinne unſern Pfenig zöhren &c. und ſo ſich dieſer Handlung, und Sach zwiſchen Ihro der Kayſ. Majeſtät unſer, und des von Seccau Einladung, und Bericht gäbe, ſo geloben wir den genannten von Seccau ſein Nachkommen, vor uns, und unſere Erben, viertzehen Tag nach ſolchem Bericht ohne alles Vertziehen alle ſeine Geſchlöſſer wider eintzuantworten. &c. Geben zu Offen an Mittwoch nach Sanct Martins-Tag. Anno millesimo, quadringenteſimo, ſeptuageſimo nono. Regni Hungariæ vigeſimo ſecundo, Bohemiæ undecimo.*

1479. poſſidebat, oppida regi traderet, atque is viciſſim Bernardum contra Friderici, & Joannis Strigonienſis molitiones defenderet. (*d*)

Simul ab Auſtriæ Ordinibus pactam pecuniæ ſummam petit,

Rebus ita clam Cæſare conſtitutis, Mathias ad Auſtriæ ordines litteras dedit, quibus decretam ex pactis conventis centum millium florenorum ſummam, cujus vadimonium proceres in ſe recepiſſent, dari ad præſtitutum diem ſibi petiit. Quæ cum non daretur, neque eam datum iri provideret, jure ſuo, quod ex pacis fœdere habebat, utendum ratus, oppida, ex quibus promiſſæ ſummæ compenſationem faceret, occupare conſtituit. Nequid tamen moræ ſibi objiceretur, arte ad circumveniendum Fridericum uſus, veniam ab eo oravit, ut ſibi contra Venetos, qui Vegliam inſulam interceperant, militem per Stiriam, & Carinthiam traducere liceret. Ea quod nihil inimicum Cæſar vereretur facile impetrata, Mathias Thomam Tarcium copiis inſtructum profectionem adornare jubet, de fœderibus cum Salisburgenſi Metropolita, & Seccovienſi Epiſcopo initis edocet, quid fieri vellet, paucis exponit, atque rem ſtrenue, & quam poſſet, celerrime ageret, hortatur. Ille nihilo, quam juſſus erat ſegnior, ducto ſub anni finem in Stiriam, ac Carinthiam exercitu, loca Epiſcopis obnoxia ex pacto deditione accepta præſidio in omnem eventum communivit. (*e*)

An. Chr. 1480.

Atque hinc bellum utrinque recrudeſcit.

Hinc bellum utrinque in annum ſequentem tanquam ex inſidiis recruduit. Nam Mathias pecuniam ex pacto urgebat, neque aliam ob cauſam accepta deditione oppida affirmabat, quam quod fœdus cum Salisburgenſi, & Seccovienſi adverſus vim iniquam iciſſet: Cæſar contra violatam pacem & propterea, ſiquid nominis per fœdera contraxiſſet, penitus ſolutum ſeſe contendebat. Ita altercatio ad veris principium tracta eſt: ſed diſſimulata utrinque belli molitione, quod neuter huic cauſam præbere videri vellet. Neque tamen ſic clam res acta eſt, ut non certa ad Germaniæ principes indicia afferrentur, qui veriti, ne obortis rurſum diſſidiis barbari in rem ſuam uterentur, conciliare diſſidentes in primis Bavariæ Dux ſtudebat. Sed hujus quoque arbitrium Fridericus rejecit, ubi primum conditiones pactorum urgeri vidiſſet.

Rex in Turcos profectus a Cæſare in Hungariam irrumpente revocatur,

Hæc inter Turci rurſum in Stiriam, ac Carinthiam effuſi prædas agebant, metusque erat, ne aut Italiam nullo auſo reſiſtere tentarent, aut reduces facto per Hungariam itinere regnum, ut mos illis fuit, vaſtiſſimum redderent. Id Mathiæ mentem ab Cæſare parumper averterat, cupientique tam crebris hoſtium incurſionibus finem facere, animum adjecit, ut conflato exercitu barbaros in reditu, prælio adortus, inſigni clade afficeret. Itaque dato profectioni ſigno ad Savum contendit, ratus fluminis oppoſita, nam illac fere iter barbari, cum prædatum ivere, fecerant, hoſtem ad pugnam ſe pellecturum: ſed cum illo veniſſet, jam Turcos trajecto Savo ad tuta ſe recepiſſe intellexerat. Ergo ne fruſtra plane ſuſcepta profectio videretur, traductis in hoſticum copiis, vaſtitatem latiſſime circumferebat, fuiſſetque nonnullo prorſus operæ precio in mediterranea penetratum, niſi allatis ex Hungaria nunciis, Cæſarem per regis abſentiam in regnum irrupiſſe, a propoſito avocatus eſſet. Intellexerat Mathias, quid Cæſar in animo verſaret, neque diu moratus relictis barbaris in Hungariam properavit, injurias regno per Fridericum illatas ulturus. Ad Savum reduci commodum litteræ ab Sixto redditæ ſunt, quo factum, ut ab vi abſtineret, patereturque arbitrio Pontificis concordiam, ſi modo honeſte confieri poſſet, inter ſe & Cæſarem Legati opera conciliari. Neve Papa dubitaret mala ſe eatenus fide acturum, litteras ad eundem dedit, quibus, quo animo ad concordiam ferretur, in hæc verba explicat: (*f*)

Bea-

(*d*) Tom. II. Script. rer. Auſtriac. Cl. Hieronymi PEZ.

(*e*) Apud Cl. LINCK charta MS. coæva ad annum 1479. *Item rex Hungariæ miſit exercitum contra Venetos per terram Stiriæ & Carinthiæ cum conſenſu Imp. Friderici. Cum pervenit ad mediam terram Stiriæ, occupat eam vaſtando bona-ginando, & occupando eandem . . . omnia bona Eccleſiæ Saltzburgenſis occupando, libenter enim dederunt ſe experta Eccleſia, & Epiſcopus, & recepit Rakarſpurg, Petau, Ciliam civitatem. - - -*

(*f*) Epiſt. MATH. CORV. Parte IV. pag. 68.

1480.

Beatiſſime Pater!

„ Accepi litteras ſanctitatis veſtræ, & contenta earum bene intellexi.
„ Scribit ſanctitas veſtra quemadmodum antea ego ſcripſeram reverendiſſimo
„ Domino Cardinali Agrienſi, audita nuper Turcorum irruptione in terras Im-
„ perialis Majeſtatis me profectionem paraſſe contra illos eo conſilio, ut vel illos
„ itineribus intercludere & prædam abactam ab eis accipere, vel ſaltem ante-
„ quam fines Chriſtianorum egredi intenderent, illos perſequi potuiſſem, ſicut
„ ſanctitas veſtra ſcripſit, celeri itinere, quo potui, illos fui perſecutus; verum
„ cum ipſi de meo apparatu certiores facti ſint, magnis itineribus, diurnis, no-
„ cturniſque ſic avocarunt, ut vel alitibus vix poſſibile fuiſſet, ad illos perveni-
„ re. Jam caſtra noſtra erant collocata ad Savum, cum de diſceſſu illorum mihi
„ renunciatum fuit, ubi etiam intellexeramus aliquos ad deprædanda dominia
„ noſtra declinaſſe, quos una pars noſtri exercitus perſecuta ſic profligarunt, ut
„ ex tribus millibus Turcorum vix ducenti evaſerint. Poſtea dum exercitus
„ noſtros inſtruimus, & copias majores paramus ad hoc, ut trajecto Savo ſini-
„ mine terras Turcorum invadamus, & de injuria Chriſtianis illata ultionem de-
„ bitam capiamus, diverſa ad nos nova perveniunt, inter quæ hoc præcipuum
„ erat, quod affirmabant ſereniſſimum Dominum Romanorum Imperatorem,
„ more ſolito, conari nos in tam ſancto Chriſtianitatis opere perturbare, quo
„ audito licet, ut ſcripſeramus reverendiſſimis Dominis Cardinalibus Agrienſi,
„ & Arragoniæ, omnis intentio noſtra & voluntas eo lata fuerit, ut in Turcos
„ recto itinere contenderemus, tamen mutato poſtea conſilio Savum tranſivera-
„ mus, ut omnem levis armaturæ exercitum, quem paulo ante præmiſeramus,
„ recenſeremus apud Jaiczam, & exinde mitteremus ad faciendas prædas incur-
„ ſiones, & incendia in omnibus Turcorum finibus, qua ulterius progredi po-
„ tuiſſent, quod & fecimus, dimiſſiſque illis jam revertebamur, ut iremus
„ contra Romanorum Imperatorem cum reliquis gentibus noſtris, & hoc mane
„ cum rediviſſemus ad citeriorem Savi portum, ecce in ipſo portu affuerant lit-
„ teræ ſanctitatis veſtræ, noſtra ſtudia, diligentiam, ac ſolicitudinem in rebus
„ fidei mirifice commendantes, ſimulque exhortantes nos per paſſionem Salva-
„ toris noſtri, perque viſcera miſericordiæ ejus, ne deſeramus nobis oblatam
„ divinitus rei bene gerendæ occaſionem, ex quibus litteris multa comprehendi-
„ mus, quæ nobis vehementer placuerunt. Sed ut paucis reſpondeamus beati-
„ tudini veſtræ beatiſſime pater, quamquam omnis voluntas, & intentio noſtra
„ eo jam immutata fuerat, quemadmodum antea diximus, ut præmiſſis illis le-
„ vis armaturæ præcurſoribus nos contra Romanorum Imperatorem converte-
„ remus, & omne robur exercitus noſtri, tamen acceptis litteris ſanctitatis ve-
„ ſtræ, quæ nos adeo ſuaviter, & clementer ad ſuſcipiendam hanc provinciam
„ in negotio fidei exhortantur, ſubitu mutavimus conſilium, & dimiſſo nunc
„ Imperatore, qui nos aſſidue in rebus fidei perturbare quærit, conſtituimus,
„ ut voluntati & deſiderio ſanctitatis veſtræ ſatisfieret, reverti trans Savum, &
„ conſequi illos præcurſores noſtros, nec reverti, quoad nova feliciora de noſtra
„ victoria contra Turcas lætificent ſanctitatem veſtram. - - - De nobis certa ſit,
„ dummodo Chriſtianorum Principum Potentatum, quemadmodum Brevi A-
„ poſtolico nobis inſinuat, non deſint præſidia, quod nos cum ſanctiſſimo illo
„ rege, & Propheta David dicimus: *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos,*
& non convertar, donec deficiart. Sed novit ſanctitas veſtra, quod impares ſint hu-
„ meri noſtri abſque aliorum præſidiu tantum onus tolerare. - - - Quantum
„ vero ad Romanorum Imperatorem attinet, cum quo hortatur nos ſanctitas
„ veſtra ad pacem, & in fine ſubjungit ſe miſſuram Legatum Apoſtolicum, cu-
„ jus ipſe opera tute, & fideliter uti poſſim, reſpondeo ſanctitati veſtræ: profe-
„ cto ipſorum Dominum Aſculanum videri nobis hominem doctum, & pruden-
„ tem, ac optime expertum ad res gerendas ſanctitatis veſtræ; verum id poſſum
„ affirmare de illo, quod dicitur in Evangelio Salvatorem noſtrum dixiſſe: *Diſ-*
cite (inquit) *a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Si ipſe aliquantulum ſeve-
„ rior eſſet, & aggrederetur rem ipſam majori animo, vel ſi alium talem Ora-

A pace tamen ſe non ab- horrere Pontifici ſignifi- cat;

1480. „ torem mitteret ſanctitas veſtra judicio noſtro melius conduceret iſtis rebus.
„ Quia, ut intelligat ſanctitas veſtra mores Imperatoris, ipſe omni conatu refu-
„ git, quandocunque videt ſe trahi ad hoc, quod juſtum eſt. Vellem ego ta-
„ lem Legatum mitteret ſanctitas veſtra, qui videret, agnoſceret, palparet, de-
„ finiretque differentiam negotiorum inter nos, & ſi una pars juſto, & boneſto
„ nollet acquieſcere, non curato favore cujuslibet partis, cogeret partem in-
„ convenientem ad parendum juſto per cenſuras. Et ut eo magis pateat ſancti-
„ tati veſtræ juſtitia, & innocentia, nos contenti ſumus, vel ſanctitatem veſtram
„ ſumere pro arbitrio, & in ejus arbitrium conſentire, & ut ſanctitas veſtra vi-
„ deat, cognoſcat, & definiat inter nos, id, quod factum eſt eum arbitrio, &
„ definitione in nullo volumus refragari. Verum Dominus Imperator, poſtquam
„ videt ſe ad juſtum trahi, ſemper elabitur, quemadmodum fecit nuper; cum
„ nos pro dicto Oratore Apoſtolico reverendiſſimo Domino Epiſcopo Aſculano,
„ Oratori illuſtriſſimi Bavariæ Ducis tamquam mediatori inter nos reſponſum
„ dedimus, ut inſcriptiones, & promiſſa ad comparandum præſidium, contra
„ Turcos præſtarent, ſed Imperator extemplo omnem practicam decidit, &
„ illum mediatorem ſinè ullo bono fine dimiſit. Nos tamen eo non obſtante,
„ licet ipſe nobis parvus ſtimulus ſit, quia vel eum minori Duce exercitus noſtri
„ ſcimus illum caſtigari poſſe pro arbitrio noſtro, tamen ut differentiis inter nos
„ bonus detur finis, parati ſumus, quidquid vel Legatus ſanctitatis veſtræ vel
„ ipſa ſanctitas inter nos pro juſtitia & æquitate decreverit, contentari, & con-
„ fidimus, quod cum noſtram juſtitiam ſanctitas veſtra diſcutiet, tunc Domi-
„ num Imperatorem magis cognoſcet, & ſimul intelliget, nos nihil iniquum
„ contra illum feciſſe. Datum in Tſeſzuek.

Sed cum Fridericum opinione duriorem experiretur,

Ita comparato ad amplectendam pacem rege, ſpes non penitus nulla fuit, amicitiam poſitis odiis inter æmulos redintegratum iri, præſertim quod Legati Apoſtolici opera & auctoritas accederet. Sed Fridericus eluſis Legati conatibus, nec pactis conventis ſtare, neque bellum velle etiam videbatur. Mathias ubi fruſtra omne ab ſe ſtudium concordiæ adhiberi vidit, pertæſus moræ detracta ſimulationis larva bellum Cæſari per litteras indixit, tum quod clanculum, in ſe & regnum multa molitum fuiſſe ex aliis comperiſſet, tum, quod promiſſam pacis ſtipulatione pecuniam non ſolveret, præſertim quod ingentem auri ſummam, Auſtriæ ordinibus ob eum finem imperatam de induſtria retinuiſſet. (*g*) Litterarum porro, quibus fœderi renunciat, hic tenor erat: (*h*)

Bellum illi per litteras denunciat.

„ Sereniſſimo Principi Domino Friderico Romanorum Imperatori, Ma-
„ thias Dei gratia rex Hungariæ, Bohemiæ &c. non diffidavimus hactenus ve-
„ ſtræ ſerenitati, quia nos hoſtem facere vobis noluimus, ne videremur inſcri-
„ ptionibus mutuis contrariari. Sed eum videremus promiſſa Majeſtatis veſtræ
„ nobis facta non ſervari; jura noſtra, quæ nobis ſecundum inſcriptiones, &
„ obligamina veſtra cadunt, quibus potuimus modis inquiſivimus, & in hunc
„ finem ea, quæ poſt non impleta nobis promiſſa inter nos, & Majeſtatem ve-
„ ſtram facta ſunt, ſalva benevolentia noſtra, & amicitia mutua proſecuti ſu-
„ mus, prout in ipſis inſcriptionibus Majeſtatis veſtræ continetur. Verum quia
„ poſtmodum intelleximus, & ipſa rerum experientia cognovimus, Majeſtatem
„ veſtram violatis inſcriptionibus ſuis non contentam plurima contra nos, & ſta-
„ tum, regnumque noſtrum hoſtilia ſine omni juſtitia, & legitima cauſa & ra-
„ tione attentaſſe, non ſolum ſe nobis hoſtem feciſſe, ſed etiam alios pleroſque
„ Principes contra nos incitaſſe, quemadmodum uſque modo facere, & coope-
„ rari non deſinit, idcirco nos volentes, ut par eſt, partes noſtras ab injuriis,
&

(*g*) Chron. Salisburg. apud cit. Cl. Hieronym. Pez. *Imperator graviſſimam Steuram poſuit ſuper Auſtriam tam ſuper Monaſteria, quam ſuper prædia & vineas & vina: ſed dicta pax inter eos non diu duravit: quia Imperator quidem Steuram accepit, regi tamen nihil ſolvit.* - - -

(*h*) Epiſt. Math. Corv. Parte IV. pag. 255.

„ & hoſtilitatibus Majeſtatis veſtræ defenſare, ac cum auxilio Dei illatam nobis hoſtilitatem propulſare, ex nunc Majeſtati veſtræ, ac terris, & dominiis ſuis hæreditariis, & ſignanter Auſtriæ, & Stiriæ diffidimus, illisque omnino in antea invocato Dei auxilio nos hoſtem eſſe in præſentibus declaramus, denunciantes per expreſſum, quod, quidquid deinceps fecerimus, id tamquam contra inimicum & diffidatum hoſtem noſtrum faciemus, & conabimur, quibus poterimus modis auxiliante nobis Deo & juſtitia illatas a Majeſtate veſtra nobis & regno noſtro injurias, & hoſtilitates vindicare. Super quo nolumus a Majeſtate veſtra rem, quæ huic diffidationi noſtræ cauſam, & occaſionem præbuit, aut a quocunque alio nobis imputari.

Et per Legatos ſuos in Stiria, ac Auſtria gerit

Simul atque hæc Cæſari ſcripſit, mandata cum ſupplementis militum ad Tarcium in Stiriam miſit, quibus ad infeſtanda oppida, quæ Friderico obnoxia eſſent, naviter uteretur. At Cæſar more ſuo lentus, poſtpoſita armorum cura litteris ad Imperii Principes datis, Germaniam querelis implevit, injuriam ſibi a Mathia factam contendens, qui pacem contemtis fœderibus prior rupiſſet, (*i*) ad cujus vim propulſandam auxilia ac opem implorat. Sed cum ſubſidii inde ſpes nulla appareret, collecto ex Provincialibus mediocri exercitu limites ab ſuis teneri, ac cuſtodiri juſſit; ut eas partes, quæ hoſtium furorem nondum ſenſiſſent, ab incurſionibus immunes redderet. Ita ad limites conſtituto Cæſari occaſio in Hungariam procurrendi oblata eſt, qua citra moram uſus Sopronienſem provinciam latiſſima populatione vaſtavit, nactusque, qui ſe ei opponerent, Hungaros, magna, ut quidam volunt, (*k*) clade affecit, ut alii contra memorant, non expectato hoſte copias in interiora loca retraxit.

Rege minus in hunc intento ob ſoceri ſui periculum,

Hæc tota æſtate etſi aliquanto, quam pro exacerbato utriusque animo metus erat, languidius agebantur, quod & autumnus impeditas armorum progreſſiones redderet, & Mathiæ allatus a Ferdinando ſocero ex Sicilia nuncius rationes nonnihil conturbare videretur. Turci enim facta ad Rhodum excenſione, non ſolum principem ejus inſulæ urbem arctiſſima obſidione premebant, ſed applicata in Apuliæ litoribus claſſe, Hydruntum quoque interceperant. Quæ res, cum toti Italiæ metum incuteret, ac Ferdinandum in primis haberet ſollicitum, ne barbari porro graſſarentur, ſuppetias ab Mathia petiit, quarum ope, erant enim Hungari ante alios conſerendæ cum Turcis pugnæ gnari, hoſtem ab ſuorum jugulo amoliretur. Graviter, ut æquum erat, ſoceri ſui fortunam rex tulit, deditque ad Blaſium Magyarium, quem ad occupandam inſulam Vegliam præmiſerat, mandata, ut ſi rem ex ſententia iſthic confeciſſet, in Apuliam transfretaret, ac regi non modo auxilio, ſed conſiliis etiam præſto eſſet. Significaverat id ipſum Mathias Ferdinando, pluraque ſe miſſurum auxilia, ſi aliquem illis uſum eſſe ſcriberet, pollicetur. (*l*) *Sereniſſime Princeps, pater noſter chariſſime! heſterno die litteras veſtræ Majeſtatis, ſimul cum reverendiſſimi Domini Cardinalis Agrienſis Legati Apoſtolici nobis redditas accepimus, quibus ſignificatur, Majeſtatem veſtram propter Turcorum præſentiam in periculo eſſe conſtitutam, & requirebatur, ut mille ducentos equites levis armaturæ, quos Huſzaras vocamus, expediremus ad ſtipendium ſuæ Majeſtatis. Doluimus plurimum, & dolemus hoc infortunium Majeſtatis veſtræ, & quemadmodum ſæpe antea ſcripſimus, ita & nunc certiorem illam facimus, omnes adverſitates illius non minus quam proprias noſtras a nobis reputari, quibus devitandis omnem ſpem, & operam ferre parati, & quidquid per nos fieri poſſibile eſt, libenter, & cum omni effectu offerimus, nec minus de malis Majeſtatis veſtræ præſentibus, quam proprie de noſtris cogitamus. Nam enim alienas fortunas eſſe Majeſtatis veſtræ, vel proprias, vel adverſas* du-

cui ſubſidia mittit, pluraque pollicetur.

(*i*) Exſtat in Tabular. Auguſtæ Domus, ut notat doctiſſ. Kollar in Analect. ſuis MS. inſtrumentum ea de re hujus tituli: *Alte notel einer von Kayſer Friderichen, an verſchiedene Chur- und Fürſten des Reichs erlaſſenen Schreibens zur Beantwortung der ihme von König Mathia zu Ungarn aufgebürdeten Schuld, wegen des friedenbruchs mit beylagen. Datum Viennæ 20., und 23. Martii anno 1480.*

(*k*) Eadem charta apud Link. *Item dicebatur, quod populus de exercitu Imperatoris certam, & notabilem ſummam populi regis Hungariæ obtinuiſſet in campo in Hungaria, & multa ſpolia fecerint in Hungaria.*

(*l*) Epiſt. Math. Corv. Parte IV. pag. III.

1480. *ducimus. Et idcirco adverſis rebus ſuis, & in periculo conſtitutis plus quam nobis, omni præſidio poſſibili adeſſe diſpoſiti ſumus, modo doceamur, qualem nobis Majeſtati veſtræ opem ferre neceſſarum ſit. Nam ſicut reverendiſſima Domino Cardinali Agrienſi præfato ſcripſimus, gentes nuper petitas ſub conductu Blaſii Magyar Capitanei noſtri dudum expedivimus, verum propter impedimenta itineris, eos mittere celerius impoſſibile fuit: at ubi tempus aliquantiſper remiſſum ad ambulandum iter pervium reddidit, nulla mora juſſimus eas ambulando feſtinare, quos non dubitamus propediem ad Majeſtatem veſtram perventuros; paratique fuiſſemus & gentes levis armaturæ, hoc eſt, Huſzarones diſponere, dummodo fuiſſemus antea requiſiti, ſed cum jam yſtas gentes præparatas præmiſerimus, non licuiſſet nobis ſine jactura gravi rerum noſtrarum revocare, cum ultra viginti millia ad illos expoſuerimus. Si tamen voluntas Majeſtatis veſtræ fuerit, quam primum aviſati fuerimus, hujusmadi gentes expedire, & in amnibus rebus, quibus poſſumus, morem gerere voluntati, ac deſideria Majeſtatis veſtræ parati erimus, ita tamen, ut certi ſimus, cum gentes illas expedverimus, quod pecuniam apud Segniam accipiant, & in eundem locum navigia illis ad trajiciendum opportuna præmittantur, prout ſuper his omnibus reverendiſſimus Dominus Cardinalis Agrienſis, cui latius ſuper his ſcripſimus, Majeſtati veſtræ mentem noſtram apertius declarabit. Quam ſelicem eſſe, & cunctis his tribulatianibus explicari ſummo cum deſiderio expectamus.*

Atque id in cauſa fuiſſe arbitror, cur bellum in Auſtria hoc quidem anno, mitius, quam alias rex conſueſſet, ageretur; quod ſocerum in periculo deſtituere neque pium exiſtimabat, neque præterea a Cæſare, quem & lentum, & copiis deſtitutum norat, multum ſibi hac parte diſcriminis imminere videret.

An. Chr. **1481.**

Habito militum delectu partem ſocero ſubmittit,

Si quid tamen eatenus ceſſatum eſt, majore cura in principio ſequentis anni belli ſtudia reſumta ſunt, cum ipſa hieme delectus haberi per regnum imperavit, novisque ſupplementis, quos aluerat, ſtipendiarios auxit, quorum partem, ut Ferdinando pollicitus eſt, in Apuliam transmittere conſtitutum habebat. Eum ob finem, ut præſentia ſua rem accelerarct, Zagrabiam profectus, delectos ex legionibus auxiliarios ſecrevit, quos proxime, ubi commodum navigationi iter adeſſet, in Italiam venturos Cardinali Agrieuſi per litteras ſignificavit. Operæ precium eſt, quamquam prolixæ ſint, aliquem illis in annalibus locum præbere, quod militiæ Hungaricæ uſum, moremque, qui id temporis ſive in decernendis præliis, ſeu obſidione urbium obtinebat, ob ocolos ponunt. Itaque pauca de ſociorum ope, ac ſubſidiis univerſe in principio queſtus, ita ad Agrienſem ſcribit. (*m*)

Idque Cardinali Agrienſi apud Ferdinandum moranti ſignificat;

„ Reverſo ad nos Neapoli Joanne Leontio cognovimus omnia, quæ in „ præſentia paternitatis veſtræ cum ſereniſſimo rege Ferdinando patre noſtro „ acta ſunt, & Majeſtatis ſuæ reſponſa bene intelleximus, ex quibus omnibus „ nihil aliod colligimus, niſi quod ſemper putavimus, & paternitati veſtræ ſemper vaticinati ſumus, effectu comprobari, hoc eſt, in facto ſubſidii, quan- „ tumvis verbis teneamur, nihil in finem omnino, vel parum reſultare, & id „ quidem ſi fiat, non ſit ſine maxima tarditate. Non enim ignorat paternitas „ veſtra, quæ, & qualia promiſſa nobis de ſubſidio præſtando facta ſint, & „ etiam nos, quantos labores ſuſceperimus ad exhortationem ſanctiſſimi Domini „ noſtri, & ipſius patris noſtri, in quibus laboribus quam intolerabiles ſumtus habuerimus, non opus eſt referre, quia paternicas veſtra ex ſua pruden- „ tia optime intelligere poteſt. Et quamvis grave admodum, & intolerabile ſit „ ad aliorum exhortationes pro commodo defenſionis publicæ ſine aliorum adju- „ torio noſtra tantummodo exponere, multo tamen gravius, moleſtiusque, quod „ dum alii ſuccurrere neceſſitati publicæ recuſant, nos quoque rebus noſtris io „ tempore providere non ſinunt. Quo fit, ut ex omni parte negotia noſtra „ confundantur, dum nos cum Turca ad certas pacis conditiones devenire potera-

(*m*) Epiſt. MATH. CORV. Parte IV. pag. 263. ſed male ut opinor ad annum 1480. affixa. Data enim eſt X. Martii quæ anni 1480. eſſe non poteſt: quod diſerte habeat Hydruntum jam captum a Turcis eſſe: captum autem eſt, ut habet Volateranus in Diario MS. quod in Biblioth. Vaticana ſervatur, 28[va] Julii anni 1480. Itaque 10. diem Martii hujus Epiſtolæ neceſſe eſt anni 1481. eſſe.

„ teramus, & ad hoc ipſe Turcus uos ſponte etiam hortabatur. Sed tamdiu
„ uos id negotium in complaceutiam aliorum differre, & in ſuſpenſo tenere o-
„ portuit, donec ex utraque parte maneremus in ſicco: hoc eſt, ex hac parte
„ expectatione noſtra fruſtraremur, ex altera vero neſciremus negotia illa tautope-
„ re dilata, in quibus terminis conſiſterent, præſertim cum Turcus ipſe diu,
„ multumque verbis tentus ſit, & nihil usque modo certi de voluntate uoſtra
„ ad pacem iutellexerit, licet apud nos frequentes fecerit inſtautias per diverſos.
„ Quare oportebit tractatus cum illo ab initio reſumere, ſi volumus, ſicut nobis
„ neceſſe erit, ad aliquas conditiones devenire: ſed etiam opus erit, ut aliquid
„ in effectum faciamus, quia niſi facta verbis reſpondeant, uihil omnino cre-
„ dunt. Quod idcirco ſignificare voluimus paternitati veſtræ, ut ſi uos ultima
„ neceſſitate coactos ad aliquas conditiones cum Turco devenire contingat, ſciat
„ nos, ubi opus erit, excuſare, quia, ut præmiſſum eſt, id nequaquam face-
„ remus, niſi nos extrema ueceſſitas coarctaret. Nihilominus ſicuti alias requi-
„ ſiti pro mittendis ad patrem noſtrum gentibus ſumus, cum videamus illum
„ magna neceſſitate laborare, gentes illas, quas a nobis petivit, licet cum diffi-
„ cultate, diſpoſuimus tamen, nemo enim libenter ad eas partes transmeare
„ vellet.

„ Nunc autem CCCC. pedites, & CL. equites ſub conductu Capitanei
„ noſtri, Blaſii Magyar permiſſuri ſumus, reliqui Huſzarones, hoc eſt, CL. alii
„ brevi ſubſequentur; ita, ut in toto CCC. equitum, ex quibus centum erunt
„ armigeri, CC. vero Huſzaroues, numerum compleant. Mittebamus quidem
„ illos, ſicuti jam pridem conſtitueramus, ſimul omnes uno paſſu, ſed navigia,
„ quibus trajicerentur, defuerunt nobis: nusquam enim in dominiis noſtris tot
„ reperire navigia potuimus, licet magnam habuerimus diligentiam, ut potuiſ-
„ ſent uno trajectu trajici. Quapropter oportuit alios propter defectum navi-
„ giorum remanere; ſed & illos brevi expediemus. Solum optamus, ut pater-
„ nitas veſtra ſereniſſimum Dominum regem Ferdinandum, patrem noſtrum
„ moueat, ut aliqua illis navigia ad trajiciendum usque in Segniam præmittau-
„ tur, quo commodius, celeriusque pro oportunitate præſenti trajici poſſint,
„ alioquin oportet illos diu retardari. Ordinet etiam apud patrem noſtrum, ut
„ præmittantur eis obviam aliquot vectores ouerarii, qui arma bellica cum ſclo-
„ petis, thoracibus, clipeis, baliſtis, ſagittis, & globis, quæ omnia nos hinc
„ apparata mittimus, una cum ipſis gentibus noſtris conducere debeant, ſine
„ talibus namque inſtrumentis gentes parum utilitatis efficient. Quæ omnia
„ uos hinc ad ulteriorem portum transmittemus: ſolum provideatur, ut inde
„ ulterius, hoc eſt, ad loca oportuna per vectores onerarios transmittantur: nos
„ enim omnia, quæ poterimus pro parte noſtra, libenter faciemus, prout mu-
„ tuæ neceſſitudinis, & conjunctionis debitum requirit; quamvis ex reſpouſo
„ illius, quod ad nos Leontius attulit, nihil tale intellexerimus, quod vel pro-
„ miſſionibus uobis datis, & expectationi noſtræ, vel certe ſaluti publicæ bouo
„ modo reſponderet. Reſponſum id inter alia continet: rebus ſic ſtantibus, hoc
„ eſt, antequam Turci ex Hidrunto non pellerentur, non poſſe Majeſtatem ſuam
„ aliquid facere ad factum ſubſidii, ſed poſt recuperationem Hidrunti, re-
„ pulſis ex ea provincia Turcis, ſe paratum uſque ad Camiſiam omnia expoue-
„ re, quibus verbis, quid nos fidamus, vel etiam quid exinde eliciamus, uon
„ videmus. Si enim tunc, cum de proximo Majeſtatem ſuam urget inſtans cala-
„ mitas, hoc, quod maxime in rem ſuam pertineret, amicis uou præſtat, multo
„ miuus tunc faceret, cum talibus impedimentis eſſet expeditior. Scribit ſan-
„ ctiſſimus Domiuus noſter CC. millia florenorum uuuc eſſe per ſuam ſanctita-
„ tem decreta dari uobis pro ſubſidio contra Turcas. Eam vero ſummam de-
„ bere per potentatus Italiæ juxta ſuam taxationem contribui, ad quam ſua ſan-
„ ctitas contribuere vellet L. millia florenorum quotannis pro defenſione fidei.
„ Licet vero uos longe plura exponamus, tamen, ſi id ſubſidium nobis accede-
„ ret, adhuc eſſet rebus noſtris defeſſis aliquod adjuvamen. Verum ſicuti ex
„ Brevi Apoſtolico colligimus, neque in iſta limitatione magna ſpes habenda erit

nobis,

1481. „ nobis, cum intelligamus hujusmodi ſummam per Pontificem cum conditione
„ decretam, hoc eſt, quod ſua Sanctitas tantum contribuet, ſi alii quoque Po-
„ tentatus juxta limitationem factam ratam ſuam exhibebuut, & cum aemo
„ adhuc reſponderit, ſe id, quod impoſitum eſt, daturum, veremur, ne uno
„ recuſante omnes in communi ſe retrahant. Nobis tamen uon erit grave dia-
„ tius expectare, dummodo illi, quos vicinum incendium de proximo tangit,
„ ſufferre valeant. Videbunt omnes, quod nos rebus noſtris bono modo con-
„ ſulemus, & authore Deo providebimus, quod ſi pereuudum eſt, primi non
„ pereamus.

Militaris olim apud Hungaros diſciplina, militiæque uſus.

„ Ut autem paternitas veſtra gentium noſtrarum couditiones ſereniſſi-
„ mo Domino regi Ferdinando, patri noſtro declarare valeat, placuit, ai di-
„ verſos ipſarum gentium ordines ſuccincte deſcribamus, quatenus cognitis
„ omnibus ſciat Majeſtas ſua, quot ex quocunque ordine velit ad ſe transmitti.
„ Scire poteſt paternitas veſtra, quæ ſæpius præſentibus oculis vidit gentes ar-
„ morum apud nos tripartito diſtribui ordine: quorum primus ex armigeris
„ conſtituitur: pro qualibet angaria XV. aureos ad quemlibet equum habere
„ volunt, & minus recipere uolunt, ut iſthuc accedant. Alius ordo eſt equi-
„ tum levis armaturæ, quos Huſzarones appellamus: hi pro una angaria X.
„ florenos habere volunt ad unum equum, & aliter iſthuc proficiſci nolunt.
„ In tertio ordine pedites ſunt, & hi quidem diverſis ordinibus diſtincti: horum
„ enim alii gregarii ſunt, alii armigeri, non nulli clipeati. Gregarii milites,
„ ſeu pedites pro qualibet angaria ad unam perſonam habere volunt VIII. aureos,
„ armati vero, & clipeati, cum ſine pueris, & ſervitoribus arma, & clipeos fer-
„ re nequeant, & quia hos pueros opus eſt illis in hunc uſum pro neceſſitate
„ conſervare, volunt eos unusquisque ad arma ſingula, & ad clipeos habere ſi-
„ mul cum duorum hominum ſtipendio. Sunt præterea magiſtri pixidum, qui
„ ſciunt trahere ex ſclopetis, & hujusmodi minoribus inſtrumentis; verum non
„ ita ſtrenui, & utiles ſunt, uti pedites ad traheudum ex pixidibus; ſed poſt
„ clipeatos in initio conflictuum, antequam ſcilicet manus conſerant, item ad ex-
„ pugnationes caſtrorum, & defenſiones maxime utiles ſunt. Itaque volunt &
„ iſti habere tantum, quantum pedites gregarii. Apud nos vero iſta conſuetu-
„ do obſervatur, quod quantacunque peditum ſumma ſit, quinta pars ex pixi-
„ dariis conſtituatur. His itaque omnibus intellectis Majeſtas ſua eligat, quot-
„ quot ex ſingulis ordinibus habere voluerit. Nos enim cognita mente ſuæ Ma-
„ jeſtatis ex omnibus iſtis libenter transmittemus, hac tamen conditione, ut ſua
„ Majeſtas vel huc pro ſtipendio pecuniam mittat, vel ſi placet, ut nos hic eis
„ pecuniam dividamus noſtram, mittat huc aliquem ex ſuis, vel committat
„ reverendo patri Segnienſi, ut illas gentes revideat, & quantum nos ad illas
„ illuc mittendas exponemus, faciatque nos per inſcriptionem ſuam certiores, in
„ quo loco, & quando nos pecuniam ad illos exponendam recipere debeamus.

„ Ut autem Majeſtas ſua mores, & conſuetudinem iſtarum gentium co-
„ gnoſcat, armigeri apud nos muri loco habentur, qui nunquam ſe loco mo-
„ vent, etiamſi ad unum in ſua ſtatione trucidentur. Gentes vero levis ar-
„ maturæ ſecundum oportunitatem excurrunt, & poſtquam feſſi ſunt, vel gra-
„ viora pericula ſentiunt, poſt armatos ſe recipiunt, atque ibi reſtauratis viribus,
„ & reſumto ſpiritu conſiſtunt, donec captata commoditate rurſum ad pugnas
„ excurrant. Peditatum denique omnem & pixidarios, armati, clipeatique mi-
„ lites circumſiſtunt, non aliter, quam ſi in munitione couſiſtant. Clipei nam-
„ que majores ad invicem poſiti per circuitum formant effigiem caſtelli, & pa-
„ rietes repræſentant, quibus protecti gregarii pedites, & omnes, qui in medio
„ ſunt velut ex propugnaculis & munitionibus pugnant, & data oportunitate
„ erumpunt, prout hæc omnia paternitas veſtra, quæ pluribus expeditionibus
„ noſtris interfuit, oculis præſentibus potuit ſæpius intueri. Hæc idcirco vo-
„ luimus deſcribere paternitati veſtræ, ut ſciat Majeſtati regiæ declarare, &
„ exinde Majeſtas ſua deliberare, quot velit ex omnibus ad ſe mitti. Nos autem
„ tales Capitaneos miſimus, qui hæc omnia inſtaurare norunt, prout Majeſtas

ſua

„ ſua eum volet, videre poterit in experientia, & non eſſet malum, ſi ſua Ma-
„ jeſtas videret a Blaſio Magyar, Capitaneo noſtro iſta omnia repræſentari ad
„ probam in conſpectu ſuo: videret enim ad inſtruendas acies quis modus &
„ ordo apud nos obſervetur, & ſi Majeſtati ſuæ placeret, ille ordo teneretur, ſi
„ vero aliter fieret, omnia ad nutum & beneplacitum Majeſtati ſuæ fiant. Sed
„ hoc bene attendere velit, quod is Blaſius Magyar bene expertus ſit Turco-
„ rum mores, qui ſæpius & nobiscum, & ſine nobis Turcorum pugnis &
„ conflictibus interfuit: & ideo ipſe optime callet, qualiter ſit pugnandum cum
„ Turcis. - - - Hoc quoque datur nobis intelligi, quod gentes armorum,
„ quæ in præſidium Majeſtatis regiæ patris noſtri undique concurrunt, magnam
„ patiantur victualium penuriam. Quamobrem vellemus, ut paternitas veſtra
„ noſtram conſuetudinem, quam in expeditionibus noſtris obſervamus, Maje-
„ ſtati ſuæ declararet: hoc eſt, ut, ubicunque gentes armorum conſiſterent,
„ illuc undique fora ducerentur: & bonum eſſet, ut in hoc ſua Majeſtas tene-
„ ret aliquem bonum ordinem, hoc eſt, ut ad omnia vicina oppida, & proxi-
„ mos vicos certos vectores oneratos ſecundum loci conditionem imponeret, qui
„ res venales ad caſtra, ſive ſtationes gentium comportarent, quia hoc modo
„ neque exercitus deficeret neceſſariis, neque lucrum hoc alio præterquam ad
„ commodum, & utilitatem Majeſtatis ſuæ, & ſubſidiorum ſuorum redunda-
„ ret. Si autem Majeſtas ſua Hidruntum expugnare intendit, judicio noſtro
„ bene faceret, ſi uteretur ad hujus expugnationem conſilio Blaſii Magyar Capi-
„ tanei noſtri, & juberet eum præeſſe expugnationi, atque omnia neceſſaria,
„ virgas ſcilicet pro ſepibus, & alterius generis ligna ad expugnationem opor-
„ tuna nutu illius, & conſilio comportari, quod credimus omnia cum minori
„ hominum jactura & cum majori Majeſtatis ſuæ commodo poſſe hoc modo ce-
„ lerius expediri. Accepimus etiam Hidruntum ſic fortificatum eſſe per Tur-
„ cos, ut & bombardæ, & machinæ bellicæ aggeribus, & munitionibus de novo
„ factis parum nocere valeant. Quamobrem conſilium noſtrum eſſet, ut admo-
„ verentur fundæ majores ad eandem expugnationem, ut ex illis oppugnarentur
„ incluſi. Nos quidem habemus octo Segniæ, quas, ſi placeret, libenter illuc
„ mitteremus, quandocunque per Majeſtatem ſuam de hoc requireremur. Mit-
„ temus autem cum funibus & fundibula, & alia id genus machinarum neceſ-
„ ſaria correquiſita. Hæc enim erunt noſtro judicio magis apta ad expugnatio-
„ nem illam, quam bombardæ qualescunque, præſertim ſi oppidum illud la-
„ pidoſum eſt: quia cadentes deſuper lapides plures obruerent, quam ſi trahe-
„ rentur ex bombardis, & fierent cum minori expenſa propter pulveres, quo-
„ rum apparatus magno conſtat: ad fundas autem non amplius, quam lapidi-
„ bus tantum opus foret, & una illarum tres bombardas in fundendo lapides
„ prævaleret. Fertur hic apud nos inſuper, Majeſtatem ſuam bombardariis,
„ hoc eſt, magiſtris optimis carere, qui ſciant ex bombardis trahere, & etiam
„ fabris lignariis, ſive carpentariis plurimum indigere: quod ſi ita eſt, roga-
„ mus, ut Majeſtas ſua hujusmodi indigentias ſuas, quæ ſi damno eſſe poſſunt,
„ non velit celare a nobis, quia nos omnia, quæ neceſſaria fuerint, in copia
„ mittemus, & providebimus cito, quod de his omnibus defectum non patie-
„ tur. Zagrabiæ X. Martii MCCCCLXXXI.

Hæc quamquam minuta & prolixa etiam ſint, commemorare tamen in exterorum gratiam juvit, qui veteris apud Hungaros militiæ normam, modumque aut ignorant, aut fere, ut ceteras res, leviter ſolent perſtringere. Ceterum quod de oblata ſæpe ab Turcis pace rex commemorat, neceſſe eſt poſt profligatos ex Tranſilvania, ejectosque ex Hungaria barbaros eveniſſe, quod jam tum Mahometes Rhodum inſulam, quam priore anno, ſed fruſtra obſederat, apud animum ſuum deſignaſſe videretur.

Infelix in eam inſulam conatus nihil prorſus barbari animos infregerat, quin adeo tanquam ex jacturis incrementa ſumeret, maximos præ quam alias hoc anno terra marique apparatus fieri imperabat, incertis Chriſtianorum Prin-

Rex cum metus eſſet Turcos in

1481.

Hungariam irrupturos

cipum animis, quo ſeſe furor irritati hoſtis effuſurus eſſet, quod copias ita per provincias partitus erat, ut, quo evadere vellet, cognitu eſſet difficillimum. Erant, qui Rhodo inſulæ rurſus metuebant; certior tamen fama fuit, in Hungaros moturum, ut cladis ignominiam, quam apud Dacos acceperat, inſigni victoria elueret. Id cum ſæpe regi per ſpeculatores nunciaretur, veritus, ut ſine ſociorum ſubſidiis hoſti ſuſtinendo eſſet, opem ob Sixto implorabat, diſerte ſcribens, ſe, ſi ab ceteris barbaro deſtitueretur, ſibi regnoque ſuo, ut poſſet, conſulturum. (n) *Poſtquam ego* (inquit) *requiſitioni, & mandato ſanctitatis veſtræ, ut fui ſemper & cupio eſſe obediens, in negotio defenſionis fidei ea agere, quæ mihi poſſibilia, & quæ etiam impoſſibilia videbantur, non deſtiti, jam tandem eo deventum, quod ſemper antea prædicebam. Jam revera experior, Turcum ſcilicet per me irritatum totis in me viribus, & ſtudiis eſſe converſum: ita quippe ſum aviſatus per nonnullos fideles amicos de porta Turcarum Principis, quod etiam plures Capitanei mei & exploratores de Turcia reverſi confirmant: ſtatuiſſe illum in vindictam acceptæ a me nuper injuriæ omnes ſuos conatus dimiſſis ceteris Principibus Chriſtianis, quos bello premebat, in me, & dominia mea convertere, ac uſque ad feſtum S. Joannis Baptiſtæ perſonaliter cum omni potentia in dominia mea ſubintrare, quas novitates litteræ Stephani Vayvodæ Moldavi inter alias plurimas in eadem fere ſententia allatæ confirmant: prout ex iisdem litteris in ſpecie præſentibus incluſis, & ad ſanctitatem veſtram una cum quadam ſchedula Stephani Vayvodæ transmiſſis conſtat, ut ſcilicet nos undique conſtrictos, atque ad ferendam mutuo opem magis impeditos facilius opprimat. De hoc quidem certi ſumus, & id pro explorato habemus, omnes ſuos apparatus contra me, & ad invadenda mea dominia fieri, atque ad feſtum Beati Joannis Baptiſtæ, ſi non antea, illum perſonaliter affuturum in dominiis meis. Ego quidem, prout ſæpius ſanctitati veſtræ declaravi, requiſitioni, & mandato ſanctitatis veſtræ obedire cupiens, atque in omnibus, quibus potui, voluntati, & deſiderio illius obtemperavi, id, quod potui, libenter feci, & in poſterum paratus ſum ſemper, optaſſemque majora pro obſequio ſanctitatis veſtræ facere, ſi mihi vires ſuppeditaſſet ad majora, ſed cum res iſta me vehementer urgeat, placuit de iis novis, quæ veriſſima, certiſſimaque eſſe compertum habeo, certiorem facere ſanctitatem veſtram, orareque, ut attentis rebus meis, quanto in periculo verſentur, ſi Turcus ipſe, ut dubium non eſt, ſuos conatus perficiat, dignetur tandem providere, & nunc maxime oſtendere cum effectu & certitudine, ſi quid ſpei in aliorum præſidio habere debeam, alioquin verendum eſt, ne ego derelinquar, & aliquod in rebus meis periculum immineat, qui ſub ſpe ſanctitatis veſtræ, & etiam crebra aſſecuratione ſereniſſimi domini regis Ferdinandi, patris, & ſoceri mei, non perſonæ, non denique omnibus facultatibus peperci, ſed promtiſſimo animo, maxime ut ſanctitatis veſtræ mandato morem gererem, memet ipſum ad omnia incommoda pro defenſione Chriſtianitatis expoſui, & inſuper quantum ex me cito fieri potuit, præfato ſereniſſimo Domino regi Ferdinando certum numerum gentium pro præſidio miſi. Quod ſi ſua ſanctitas nunc mihi providere vellet, eo tandem præſidio adjutus, me & dominia mea contra hoſtiles inſultus conſervare poſſem, eſſetque hoc non minus pro bono totius Chriſtianitatis, in cujus ego antemurali jaceo, quam ad gloriam, & honorem ſanctitatis veſtræ: vel ſi nihil de aliorum ſuccurſu ſperare debeam, ſupplico, dignetur me ſaltem ſanctitas veſtra ſine ulteriori protractione, quod ego pro ſingulari gratia a ſanctitate veſtra efflagito, reddere certiorem, ut ego ad finem adempta, & depoſita ſpe alieni præſidii ſciam aliter rebus meis oportune conſulere.*

Pontificis opem implorat.

Qui conſtitutis inter Principes Chriſtianos induciis regem juvandum cenſet.

Pontifex acceptis ab rege litteris, communicataque cum ceteris principibus earum ſententia, nihil dubitavit, quin Mahometes, quod dicere ſæpe ſolitum fuiſſe perhibent, ad opprimendam univerſe rem Chriſtianam, mentem animumque adjeciſſet; quo magis metus pleroſque habuit, ne ingentes terra, marique apparatus, quod Mathias adverſus ſe deſignari ſcripſerat, in perniciem Chriſtianorum a barbaro deſtinarentur. Itaque collatis, urgente in primis Ludovico XI. Francorum rege, conſiliis, triennales omnibus, qui bello implicitii eſſent, principibus induciæ ab Sixto conſtitutæ: tum bellum in barbaros communi omnium ſtudio gerendum ſolenniter decretum, ad quod ex ſententia conficiendum Italiæ principes claſſem conferrent, Mathias, qui omnium maxime & Tur-

(n) Epiſt. MATH. CORV. Parte IV. pag. 152.

Turcorum vires, & ingenium noſſet, accepto ab ceteris in militem ſtipendio, hoſtem terra aggrederetur. *Nam cum* (ita enim fœderis tabulæ habent) *per præ-ſatum ſanctiſſimum Dominum noſtrum, & alios incorporatos, ſeu incorporandos fuerit deli-beratum, quod ſereniſſimus Dominus rex Hungariæ contra Turcum bellum gerat, eadem ſanctitas quinquaginta millia florenorum auri de camera & rex Ferdinandus prædictus cen-tum millia, & alii potentatus taxam eis convenientem prædicto regi Hungariæ dare, & ſolvere teneantur, modo, & forma per præfatum ſanctiſſimum Dominum noſtrum, ac in-corporatos prædictos ſtatuendis, & ordinandis.* (o)

Interea Mahometes moritur.

Dum hæc in Italia fiunt, Mathias, quid rerum iſthic ageretur, ignarus, bellum in Auſtria adverſus Cæſarem per Legatos gerebat fortuna, ut ſit, io utramvis partem alteroa; cum ex improviſo ſpes pacis, ex morte Mahometis oborta omnium mentes a belli ſtudio avocavit. Sublatus eſt in ipſo adverſus Chriſtianos apparatu, ut quidam habent, ſecunda, ut regi vero ſignificatum eſt, quinta, aut ſexta die menſis Maji, cujus obitu triginta duorum, tot enim imperaverat, annorum metus, quo Chriſtianos, dum vixit, ſuſpenſos tenuit, repente diſſipatus eſt. Fama de morte vulgata ægre primum credita eſt, quoad certiſſima illius indicia ab Turcis allata, Mathias ad Pontificem retuliſſet. (p)

» Beatiſſime pater Domine clementiſſime!

De cujus morte rex Papam certiorem reddit,

» Acceptis quibusdam rumoribus de obitu magni Principis Turcorum, » ſignificaſſem e veſtigio ſanctitati veſtræ, quæ ad me nova ex pluribus locis delata » fuerunt, ſed dubitavi, an non rumores iſti, tamquam ventis nati, veritate careant: » ob hoc expectatum, donec certior de hujusmodi novitatibus redderer; jam enim » dies quindecim prætereunt cum primum nova ad me hujusmodi fuere delata. » Heſterno die vero certificatus ſum, quod ſignifico ſanctitati veſtræ, ut indu- » bitanter ſciat, infeſtiſſimum illum Chriſtiani nominis hoſtem, Turcorum prio- » cipem, quinto, vel ſexto die Maji diem ſuum obiiſſe, & in locum illius filium » ſuum natu majorem ſubſtitutum, alterum vero filium minorem natu, qui » ultra mare in Natolia tenebatur uſurpandi, imperii libidine ſuccenſum ingentes » copias contraxiſſe: ei fautores. & adjutores Caramanorum principis filium » Votzokaszon, atque etiam Sultanum principem acceſſiſſe, quos etiam fa- » ma eſt, maximum bellatorum numerum illi conjunxiſſe; hunc vero noviter » electum Cæſarem coacta ſimiliter ingenti Turcorum manu, contra illum pro- » ceſſiſſe, & jam uſque ad Natoliam transfretaſſe, atque, ut mihi referunt, vel » jam illos invicem confixiſſe, vel proxime conflicturos. Hæc, quæ certa re- » latione ad me delata ſunt, volui nota facere ſanctitati veſtræ, ut cognoſcat, » qua viſitatione clementiſſimus Deus fideles ſuos conſoletur, & ſimul intelli- » gat, optimam nunc eſſe curandorum negotiorum fidei, divina diſpoſitione » occaſionem oblatam. Cum hæc ſignificarem, ſupervenerunt litteræ bullæ ſan- » ctitatis veſtræ miſſæ ad me in litteris reverendi patris, Domini Theanienſis, Le- » gati Apoſtolici, quibus veſtra ſanctitas triennales treugas univerſaliter omnibus » Catholicis Principibus, pro liberiore expeditione defenſionis fidei indixit. Eas » bullas ego cum ſumma reverentia, prout decuit, accepi, & intellexi; para- » tusque ſum in iis, & in omnibus ſanctitatis veſtræ juſſis, prout etiam per » præfatum Dominum Theanienſem ſanctitatis veſtræ Legatum requiſitus ſum, » obedire, oblataque hac opportunitate meas vires colligere, & intermiſſis aliis » curis ea facere, & operari, quæcunque majora pro honore, & gloria, ac uti- » litate Chriſtianitatis efficere potero, dummodo certus ſim, de quo ſpeciales » litteras ſecuritatis a ſanctitate veſtra opto, quod ſi aliquid Imperialis Majeſtas » contra me & dominia mea intra tempus dum pro defenſione fidei occupor, » quocunque modo attentaret, ſanctitas veſtra authoritate Apoſtolica emendabit, » & illum cenſuris Eccleſiaſticis compellet, & quod ſanctitas veſtra, quemad- » modum in bullis generalibus fecit, me ſpecialiter ſub protectione ſedis Apo-

 ſtoli-

(o) Raynald. Annal. Eccleſ. ad hunc annum. (p) Epiſt. Math. Corv. Part. IV. pag. 173.

1481. „ ſtolicæ cum omnibus dominiis meis, durantibus hujusmodi treugis ſuſcipiat: „ Cum primum igitur ad hoc per ſanctitatem veſtram fuero requiſitus, indubie, „ quod officii mei erit, exequi curabo, & neglectis etiam his, ſi quæ contra me „ interim Imperialis Majeſtas more ſolito ageret, ſic omni ſtudio defenſioni Chri- „ ſtianæ incumbam, ut & ſanctitas veſtra, & omnes intelligant nihil in me de- „ ficere, quin totis aggrediar viribus, quidquid mea opera, & diligentia pro „ defenſione fidei Chriſtianæ contra immaniſſimos Chriſtiani nominis perſecuto- „ res poterit expediri; nec dubito, quin Deus ipſe, cujus cauſa agitur, mea in „ hac parte vota ſecundet: ſuper quo expecto citum, & optatum a ſanctitate „ veſtra reſponſum.

Et Cardinalem Agrienſem;

In eandem fere ſententiam ad Cardinalem Agrienſem ſcripſit, datis mandatis, ut, qua apud Pontificem valeret gratia, etiam, atque etiam ageret, ne ſi conciliatis cum Cæſare induciis adverſum barbaros profectionem ſuſciperet, ſe abſente quidquam injuriæ a Friderico Hungariæ inferretur, alioquin fruſtra præclaram Principum Chriſtianorum deſtinationem fore, ſi, omiſſis barbaris, quos mutuis inter ſe odiis commiſſos facile profligaturus eſſet, ad propria defendenda nullo operæ relato precio redire cogeretur. (*q*) *Quæ nova* (ſcribit ad Agrienſem) *de recenti Turcorum Principis obitu ad ſanctiſſimum Dominum ſignificavimus, ex copiis præſentibus incluſis paternitas veſtra intelliget. Quare non opus eſſe judicavimus ea bis litteris repetere: illud tamen admonendum volo, quemadmodum in calce litterarum noſtrarum ad ſanctiſſimum dominum noſtrum deprecati ſumus, ut paternitas veſtra inſtare velit, & cooperari apud ſanctitatem ſuam, ſi vult, ut treugas illas triennales omnibus Catholicis Principibus pro liberiori expeditione defenſionis fidei Catholicæ authoritate Apoſtolica indictas, cum Cæſarea Majeſtate obſervemus, ad quod obſervandum, ſicuti ad omnia juſſa ſanctitatis ſuæ exequenda, quantum nobis ſine rerum noſtrarum, & ſtatus periculo facere licet, paratiſſimi ſumus, tanquam Apoſtolicæ ſedis filius obediens, & devotus, ſua ſanctitas certificet nos per litteras ſpeciales, quod ſiquid interim, donec nos pro defenſione fidei occuparemur, Cæſarea Majeſtas ſolito more contra nos, & dominia noſtra quocunque modo attentaret, ſanctiſſimus Dominus noſter emendabit, & ad rectificandum omnia interea temporis innovata cenſuris Eccleſiaſticis Cæſarem compellet, id, quod ſua ſanctitas in bullis illis generalibus fecit, nos ſpecialiter ſub protectione ſedis Apoſtolicæ cum omnibus dominiis noſtris durantibus hujusmodi treugis ſuſcipiat: aliter incautum foret, ſi nos, qui naturam Imperatoris bene callemus, dimiſſis in ſuſpenſo ſecure negotiis noſtris, vacare expeditioni contra Turcos deberemus. Verum habita ſecuritate tali, quam optamus a ſanctiſſimo Domino noſtro, nos majori, quo poterimus, præſidio ad expeditionem contra Turcos comparabimus, & neglectis etiam ſub confidentia talis certitudinis omnibus, ſi quæ contra nos ipſe Imperator interim attentaret, agemus, quo fortius poterimus oblata præſertim hac optima occaſione contra Turcos: ſperamusque noſtra diligentia, & opera, aliquid bonum Chriſtianitati brevi tempore Deo nobis pro fidei tutela laborantibus aſſiſtente, certisque Catholicis Principibus ad hoc opus pium ſimiliter concurrentibus evenire, taleque facinus reddere, quale fors a centum annis viſum non eſt, nec auditum. - - -* (*r*)

Tum Legatos ad conventum Norimbergenſem mittit ad conciliandam cum Friderico pacem,

Tam bene animato in rem Chriſtianam rege ſpes pacis minime dubia videbatur, præſertim quod Bajazetes Mahomete defuncto, de rerum ſumma cum Zizimo fratre natu minore decertans occaſionem rei ex ſententia gerendæ ultro ſuppeditaret, ſi modo Cæſar quoque ad inducias flecti poſſet. Qui quidem Pontificis eatenus deſiderio magis, quam animo ſuo obſequens, Norimbergam conventum Imperii Principibus edixit, in quo non ſolum de acceſſione ad fœdus Italicum, ſed conflandis etiam cum Hungaro induciis ageretur. Monitus Mathias ab Legato Apoſtolico, ut Norimbergenſibus comitiis ſuos itidem Oratores intereſſe vellet, haud difficulter morem gerens Joannem Epiſcopum Varadienſem, & Venceslaum Boskoviciſium, Oratores legit, qui ſuo nomine cum Friderico ac Imperii Principibus tranſigerent. Data his privata mandata, ſecundum

quæ

(*q*) Ibid. pag. 177.

(*r*) Facile ex hoc Bonfinii error refellitur, qui Agrienſis opera tentatam cum Friderico pacem hoc anno ſcribit: quem Romæ fuiſſe ex hac epiſtola liquet.

quæ pacis, aut induciarum capita inirent: adjectæ præterea publicæ fidei litteræ, quibus utrique in comitiis auctoritas conciliaretur: (s) Erant illæ in hunc modum exaratæ, ut tacitam quoque in Principes Chriſtianos, qui oſcitantia ſua barbarum invaleſcere ſiviſſent, reprehenſionem coutinerent.

Quibus litteras ad Imperii Principes dat.

„ Nos Mathias rex Huugariæ &c. uotum facimus tenore præſentium,
„ quibus expedit univerſis, quod nos animo revolventes, & debita conſidera-
„ tione penſantes, quanto in periculo res publica Chriſtiana diuturuo tempore,
„ immanitate, & ſævitia perfidiſſimi Turci Chriſtiani nominis perpetui hoſtis
„ verſata, & quam enormiter undique diſciſſa, & dilacerata ſit propter negligen-
„ tiam, & incuriam Catholicorum Principum, qui omues potius privatis rebus,
„ quam publicæ utilitati iutenti, & ſua curantes, facile ea, quæ ad Catholicæ
„ religionis, & fidei noſtræ commodum neceſſaria eſſe videbantur, variis dila-
„ tionibus ſemper hactenus ueglexerunt, uon ſolnm recuſando, imo plane non
„ curando, ſed & alios buic pio, & ſancto operi iutentos, ut inexcuſabiles pror-
„ ſus ſe Deo redderent, retrahere, & impedire conati ſunt; uou advertentes in
„ perniciem Chriſtiani nominis crudeliſſimis fidei perſecutoribus tribui, quid-
„ quid opportunitatis, & temporis a propugnatoribus fidei contingat auferri.
„ Attendentes itaque quantam nunc opportunitatem miſericors Deus de ſua in-
„ effabili clementia Chriſtianitati aperire dignatus eſt, atrociſſimi illius hoſtis Tur-
„ corum tyranni interitu, & quam optima nunc rei beue gerendæ occaſio divi-
„ nitus ſe offerat, ad liberandum Chriſtianum populum eo diſcrimine, quod
„ ſuperioribus annis totam fere Chriſtanitatem tantis cladibus affecit, poſtquam
„ nobis innotuit reverendiſſimos ac illuſtriſſimos ſacri Romani Imperii Electores,
„ & Principes, fratres, conſanguineos, & amicos noſtros ad tenendam diætam
„ Norimbergenſem inſtituto Cæſaris conveniſſe, rati, quemadmodum veriſimi-
„ liter eſſet credibile, ipſos Dominos Electores & Principes præſenti opportu-
„ nitati minime defuturos, ſed potius ex ſua prudentia conſultaturos, eaque
„ oblata divinitus occaſione publicæ defenſionis remedia ordinaturos, volentes
„ etiam dilectiones ſuas facere de iis rebus, quæ inter nos, & Cæſarem a priu-
„ cipio actæ ſunt reddere fideliter certiores, confiſi de fide, legalitate, pruden-
„ tia, & multiplici rerum experientia revereudiſſimi in Chriſto patris Domini
„ Joannis electi & confirmati Varadienſis, nec non magnifici Venceslai de Ba-
„ ſcovicz ſummi Judicis Tabularum judicii Olomuczenſis, Oratorum noſtrorum
„ fidelium, dilectorum, plenam, & liberam dedimus, imo damus eis per præ-
„ ſentes facultatem comparendi uomine noſtro, & in perſona noſtra in Diæta
„ Norimbergenſi de proximo celebranda cum illuſtriſſimis ſacri Romani Imperii
„ Electoribus, Principibus, eorumque, aut quorumcuuque uunciis & Orato-
„ ribus, aliisque omnibus aut aliquibus ſimul, vel diviſim ejusdem ſacri Roma-
„ ni Imperii Oratoribns conveniendi, & ſuper proviſione contra Turcos Chri-
„ ſtianæ religionis infenſiſſimos hoſtes, diſpoſitioues faciendi, ac etiam ſuper
„ differentiis inter nos & Cæſarem mentem noſtram declarandi, ac deinde ea,
„ quæ iis videbuntur noſtro nomiue in perſoua noſtra tractandi, orandi, pro-
„ mittendi, obligandi, aſſecurandi, & confirmandi, omnia denique alia & ſin-
„ gula agendi, ſtatuendi, & determinandi, quæ nos ipſi agere, ſtatuere, & de-
„ cernere poſſemus, ſi perſonaliter intereſſe poſſemus, etiamſi talia forent, quæ
„ mandatum magis ſpeciale, & ſpecialiſſimum requirerent, quam præſentibus
„ expreſſum ſit, & de quibus facienda eſſet mentio ſpecialis, promittendo iu
„ verbo noſtro regio, quidquid circa præmiſſa, ſeu aliquod præmiſſum per præ-
„ fatos, Epiſcopum & collegam, Oratores noſtros factum, tractatumque, diſ-
„ poſitum, ordinatum, concluſum, & firmatum fuerit, nos ratum habebimus,
„ atque gratum, ipſorumque ſigilla noſtro regio ſigillo poſtquam de tractatis,
„ diſpoſitis, & concluſis notitiam habuerimus, redimemus ſine omni dolo, &
„ fraude, in quorum omnium & ſingulorum promiſſorum fidem, & teſtimonium

(s) Ibid. pag. 167.

1481.

„ præſentes litteras noſtras ſecreto ſigillo noſtro, quo ut rex Hungariæ utimur,
„ in pendenti fecimus communiri. Datum Budæ.

Quibus inter ſe diſſidentibus pacis tractatio diſcutitur.

Facile ex his conficitur, duas præcipue partes Legatis datas eſſe, ut & amicitiam cum Cæſare conflarent, & bellum in barbaros communi Principum ſtudio gerendum efficerent, quorum alterum non conciliato Friderico effici non potuit, alterum etſi ex ſententia confectum eſſet, inutile prorſus futurum erat. Itaque iſthuc ſtudia univerſe collata, ut ſublatis penitus diſſidiorum cauſis pax inter æmulos ſanciretur. Quæ pars ut plurimum moleſtiæ habuit, cum ob nimiam Cæſaris in ſolvenda ex pactis conventis pecunia difficultatem, tum ob regis in exigenda conſtantiam, ita parum quoque in principio ſpei ad redintegrandam amicitiam apparebat. Neque Oratoribus Principum ſatis convenerat, quibusdam in Cæſarem, aliis in regem, ut fit, voluntate propenſis. Ad hæc ſuſpicionibus quoque inter ipſos æmulos certatum: nam & Fridericus Mathiæ litteras ad Aſculanum Epiſcopum datas, bajulo in carceres compacto, intercepit, (*t*) & rex cum Cæſarem non militem, ſed pecuniam in bellum Turcicum ab imperii ordinibus petere intellexiſſet, eum belli nervum in ſe, non item in barbaros convertendum arbitratus eſt. Hujus conſilii auctorem Theanienſem Epiſcopum ſedis Apoſtolicæ Legatum fuiſſe Mathias datis ad Agrienſem Cardinalem Romam litteris teſtatur, ex quibus, quid in comitiis, & quo voluntatum in utramvis partem ſtudio, actum ſit, non obſcure intelligimus. Ita vero habent. (*u*)

Regis propterea querela in Epiſcopum Theanienſem.

„ Vidimus, attendimusque diligenter omnia, quæ ſcripto nobis de rebus
„ noſtris tam paternitas veſtra, quam etiam Orator ſignificavit. Et ad ea reſpon-
„ demus paternitati veſtræ gratias habentes ſanctiſſimo Domino noſtro, quod
„ ſua ſanctitas acceptis Principum Imperialium litteris, quæ contra nos ſcriptæ
„ fuerant, plurima conſiſtoria inſtituerit, advocato etiam Domino Aſculano nego-
„ tia illa diligentius pertractaverit. Gratum profecto nobis eſt, quod ſua ſan-
„ ctitas earum rerum curam habeat, & paternalem providentiam in omnibus
„ oſtendat. Verum quod in illis conſiſtoriis non aliud decretum fuerit, niſi ut
„ ad nos, & ad Imperatorem Brevia ad pacem exhortantia ſcriberentur, credi-
„ mus ſanctiſſimum Dominum noſtrum, & ſacrum Cardinalium collegium omnia
„ optimo judicio deliberaſſe: nobis tamen ea res aliter videtur, quod ſcilicet,
„ ſi ſanctitas ſua ex corde pacem & concordiam inter nos, & Cæſarem fieri ex-
„ optaret, non Brevibus, imo nec plumbatis bullis, ſed ſolidioribus practicis
„ eam rem aggrederetur, ſicuti nos non ſemel iſtud declaravimus ſuæ ſanctitati,
„ & omiſſis ſuis Brevibus mitteret tales perſonas, non quales ſubſequenter mi-
„ ſerat ad tantam rem pertractandam minus expeditas, ſed ad minus duos Car-
„ dinales, unum ad Imperatorem, alterum ad nos, ut ii unanimi conſilio rem
„ aggrederentur, & cum omni diligentia fideque pertractarent, ita ſperamus
„ aliquid boni ſequi poſſe, aliter nobis ſpes non eſt, quod in facto pacis, &
„ concordiæ aliquid ſequatur. Nam ex iis, qui nuper miſſi per ſuam ſanctita-
„ tem fuerant, qui prius advenit reverendiſſimus pater Dominus Aſculanus,
„ certe bonæ fidei, & conditionis pro virili ſatis rem fuerat aggreſſus, deinde
„ cum alter ſuperveniſſet Dominus Theanienſis, illo priore non dignior perſona
„ potius turbavit omnia, quam promovit, quamvis ſanctiſſimus Dominus no-
„ ſter illum excuſet, ſed, ipſa excuſatione ſanctitatis ſuæ ſalva permanente, hoc
„ eſt, quod nobis ab initio vehementer diſplicebat; ſciebamus enim nos jam
„ antea, ſed id ſubticere volebamus, niſi ſua ſanctitas illud prius protuliſſet,
„ quale conſilium Dominus Theanienſis Principibus Imperii dederit, ut videli-
„ cet non gentes armigeras, ſed paratas pecunias Cæſari Principes ipſi in auxi-
„ lium contra nos ferrent, putans, ſicut de eo dicitur, prout paternitas veſtra
cre-

(*t*) In epiſt. ad Aſculanum: *cum id reſponſum noſtrum ad eum perferretur, per unum puerum litteras noſtras una cum puero interceptas accepimus: & litteras quidem per Cæſarem viſas, puerum vero uſque adhuc in captivitate detineri.*

(*u*) Epiſt. MATH. CORV. Parte IV. pag. 218.

„ credit nobis in ea re magis complacere. Sed profecto ſi dominus Agrienſis
„ ſolita prudentia recte omnia examinat, inveniet præter opinionem ſuam Do-
„ minum Theanienſem non in favorem noſtrum, aſt potius in injuriam illud
„ dediſſe Principibus conſilium, ut ipſi pecunias Cæſari darent, & non gentes
„ transmitterent. Quo quid pernicioſius, & nobis adverſius fieri potuiſſet?
„ ſciebat Dominus Theanienſis, & intellexiſſe ab illis poterat gentes illas, quas
„ Imperii Principes contra nos mitterent alioquin duro labore inſuctas, ante-
„ quam ad Cæſarem pervenirent in ipſo itinere, per tantum terrarum ſpacium
„ confici, & in ipſo belli labore penes Cæſarem nequaquam poſſe perdurare, ſi
„ vero perdurarent, nos per illas non poſſe offendi. Fecit igitur non noſtram,
„ ſed Cæſaream gratiam, ut pecuniæ Cæſari darentur, quæ jam partim miſſæ
„ ſunt, partim quotidie per Capitaneos Principum afferuntur, ut per illos in
„ paratis pecuniis gentes ex Bohemia, & finitimis iſtis partibus conducantur,
„ quibus multo difficilius erit obſiſtere, quippe quæ armis aſſuetæ, & bellis
„ exercitæ ſunt. Ex hoc igitur conſideret reverendiſſimus Dominus Agrienſis,
„ utrum Theanienſis bona fide tale conſilium præbuerit, & utrum pro noſtra
„ potius offenſione, quam commoditate laboraverit. Quamvis nos talia contra
„ nos conſilia, & tales apparatus contra nos decretos non adeo magni faciamus;
„ certam enim in Deo gerimus fiduciam, quod partes noſtras contra Cæſarem,
„ & contra omnes Imperiales bene defendemus, nec auxilium ſanctiſſimi Domi-
„ ni noſtri, vel alterius cujuspiam ad hoc implorabimus: ſit modo contenta
„ ſanctitas ſua, ut ſit hoc cum bona gratia ſanctitatis ſuæ, ſi & nos qualiter-
„ cunque poterimus, contra Cæſarem, & Principes Imperii partes noſtras tuta-
„ bimur. Videbit ſanctitas ſua, quod illi incipient ſanctitati ſuæ brevi contra
„ nos conqueri, & nos coram omnibus incuſare, ſed nos permittendo illos Car-
„ dinalibus inſtare, & ad pacem tractandam homines a ſua ſanctitate mendicare,
„ nullo modo volumus. Si tamen mittet, nos minime improbamus; imo, ſi
„ pacem inter nos, & Cæſarem fieri affectat, hoc modo, & non alio rem ag-
„ grediendam arbitramur. Si vero non mittet, hoc vitio nobis ſua ſanctitas non
„ vertet, ſi & nos cum Turcis colligabimur, & talia faciemus, quæ non modo
„ Cæſar, & Principes Imperii perſentient, ſed & univerſa Chriſtianitas, quia
„ omnino oportebit nos contra ipſos in nos conſpirantes omni poſſibili adhibito
„ remedio defenſare. Nec tamen illud optamus, niſi, ut liceat id nobis face-
„ re cum bona venia ſanctiſſimi Domini noſtri, & quod ſua ſanctitas bonam gra-
„ tiam ſuam, ſi quid querulanter contra nos pro cauſa defenſionis noſtræ ad il-
„ lam undecunque adveniet, ſolito tenore conſervet, ſciatque, quidquid fece-
„ rimus, non ſponte, qui pacem potius, & concordiam cum omnibus Princi-
„ pibus Chriſtianis optaremus, ſed coactos feciſſe, & ad efficaciam defenſionis
„ noſtræ ad remedia invitos convolaſſe. Datum Anno MCCCCLXXXI.

Oratores Viennæ inducias conficiunt.

In eandem pene ſententiam ad oratores ſuos Norimbergam ſcripſit, voluitque, ut mentem ſuam citra ambages legatis Principum aperirent, ne poſtea quam animo ſuo morem geſſiſſet, ſerum ad pacem conſilium eſſet. Qua denunciatione commoti principum nuncii agente in primis Bavariæ Duce, regem cum Friderico conciliare omni ſtudio conniſi ſunt. Sed ſive Cæſaris oratores non ſatis aperta ad id mandata attuliſſent, ſeu facilior componendis partibus via illis viſa eſt, ſi Imperator conveniretur, Viennam, ut coirent, edictum eſt. Hic collatis mutuo conſiliis induciæ tandem VI. nonas Majas conflatæ ſunt; quæ a Calendis Juliis principium ſumerent, & ad diem Lunæ, qui feſtum Pentecoſtes ſequuturus eſſet, bona fide ſervarentur. (x) Quod ſi induciarum litteris, quæ in Tabulario Auguſtiſſimæ domus cuſtodiuntur, potiti fuiſſemus, apertior ſine dubio rerum a nobis narratio contexi potuerat.

(x) Apud Kollar in Auctar. Diplom. cum Urſino Velio edit.

1481.

Sed non diuturnas, cujus cauſa Strigonienſis erat, qui ad Cæſarem fugerat.

Ceterum haud diu firmas inducias fuiſſe ex eventu patuit, quod Principum Legatos rurſum convenire neceſſe eſſet. In canſa Joannem Archiepiſcopum Strigonienſem, quem ad Fridericum ſeceſſiſſe memoravi, fuiſſe ſuſpicor, quem Cæſar aut ad Salisburgenſem Cathedram promotum, aut priſtinæ ſedi reſtitutum voluerit, idque Pontifex per Legatum ſuum urgere non deſiſteret, Mathias autem & ob pacta cum Bernardo inita, & ob ſponte arreptam ab Joanne ex Hungaria ſugam, utrumque renueret. Ne tamen nihil Sixto tribuere videretur, nec induciæ propterea adhærerent, nou invitum ſe fore, ſi Joannes ad Epiſcopatum Jaurinienſem tranſire vellet; Aſculano Præſuli in hæc verba ſignificavit: (y) *Quantum vero ad factum Epiſcopatus Jaurinenſis attinet, ſi ipſe Eccleſiam hanc acceptare cum permiſſione tituli Eccleſiæ Strigonienſis volet: ad hoc, prout ſanctiſſimo Domino noſtro ſuper hoc admonenti ſcripſimus, conſentimus: verum, ut & inſuper illi aliquam poſſeſſionem aſſeramus, id nequaquam faciemus, quia nullo modo poſſemus Eccleſiam Strigonienſem tributariam facere, neque etiam nos ſibi cenſuales. Proinde tenet paternitas veſtra, & extremo ſtudio adhibito experiatur ſine mora, ſi ipſe pro Strigonienſi vellet ipſa Eccleſia Jaurinenſi contentari: Quod ſi vellet, nos in complacentiam magis ſanctiſſimi Domini noſtri, quam alterius cujuscunque conſentiemus; ſi vero recuſabit, referemus ſanctiſſimo Domino noſtro per nos non defuiſſe, quin honeſtam cum illo concordiam acceptaſſemus, ſi voluiſſet nobiscum bono, & honeſto hoc modo concordare. Quidquid igitur vult, faciat paternitas veſtra & expediat, faciatque nos certiores, quia nos pro decore regni noſtri, & etiam pro ſalute noſtra, Eccleſiam Jaurinenſem diu tenere in ſuſpenſo nolumus, neque patiemur, ut paſtore viduata ſuper hoc perplexitate permaneat. - - - De rebus autem illis ſpecioſis Domini Strigonienſis, quæ in fine litterarum ſuarum paternitas veſtra nobis ſcribit, reſpondemus; benevolentiam illam domini Strigonienſis erga nos non alio tendere, niſi, quod ipſe de novo aliquam aſſecurationem Archiepiſcopatus Salisburgenſis ſibi ſpe conceperit, & quia Eccleſiam illam aſſequi ſe poſſe deſperat, favore noſtro non obtento, quærit nunc dare verba, quibus ipſe voti ſui compotem ſe facere poſſet: verum tamen id habeat pro inconcuſſo paternitas veſtra, quod quantumvis ſpecioſa de nobis loquatur, quantamcunque etiam benevolentiam erga me oſtendat, nunquam nos ad hoc inducet, ut ipſe in viciniam noſtram, & ad latus noſtrum ponatur: quia nos nequaquam volumus habere ſerpentem in gremio, neque viperam ad latus noſtrum retinere.*

Conventuris Budam Imperii Oratoribus,

Hæc, ut ſupra conjecturam duxi, fortaſſe in cauſa fuere, cur principum oratores rurſum convenire, & Budam ad Mathiam venire neceſſe eſſet, ut facilius lis dirimi, & quæ inducias intercipere poſſent, coram rege complanarentur. Fecerat is ad accipiendos Legatos apparatum, & ſua Majeſtate, & illis, qui venturi erant, haud indignum, ſimulque, quo citius induciæ inirentur, Aſculanum Epiſcopum, ut conventui intereſſe vellet per litteras oravit, magnam ſe in ejus prudentia ſpem ad tractationem fœderum habere, modo quem ab obſequiis ſamiliaritet hactenus habuiſſet, ſecum ne adduceret, quod indicio ſuo Epiſcopi conſilia alias quoque nou ſine magno induciarum incommodo inimicis prodidiſſet. (z)

Aſculanum Epiſcopum illo invitat.

„ Mathias Dei gratia Hungariæ Bohemiæ rex, reverendo in Chriſto Patri „ Domino Epiſcopo Aſculano, oratori Apoſtolico amico noſtro dilecto ſalutem. „ Reverende pater, amice nobis dilecte! poſtquam intelleximus de adventu „ oratorum, qui venturi ad nos ſunt, ex parte illuſtriſſimorum Dominorum „ Electorum, & Principum Imperii, cupiebamus una etiam intelligere de ad„ ventu paternitatis veſtræ. Nos enim adventum libenter audivimus, tum quia „ ipſos dominos electores, per quos miſſi ſunt, tamquam fratres, & amicos no„ ſtros ſingulari benevolentia complectimur, tum quia ſperamus oratores juſti, „ & honeſti fautores advenire. Sed multum optaremus, ut & paternitas veſtra, „ quæ noſtræ juſtitiæ, & æquitatis non ignara eſt, ſi quo modo id poſſibile eſſet, „ una adveniret, ut præſente paternitate veſtra, quæ per ſanctiſſimum Dominum „ noſtrum, ſicut ab eodem intelligimus tractandæ, ac maxime elaborandæ inter „ nos, & Imperatorem concordiæ gratia iſthuc miſſa eſt, & quæ Apoſtolicæ ſedis „ in hac parte perſonam repræſentat, negotia ipſa tractentur, forentque omnia

ad

(y) Epiſt. Math. Corv. Parte IV. pag. 135. (z) Ibidem pag. 122.

,, ad ſcitum paternitatis veſtræ, quæ facile nobis aſſiſtere poſſet in his, quæ vi-
,, deret ad noſtram pertinere juſtitiam, juſteque, & honeſte petentibus favere,
,, & teſtimonio eſſe: ſi quid vero contrarium afferretur nobis, his ſua prudentia,
,, & authoritate occurrere commodius valeret, videret, & audiret coram, quæ
,, cum ipſis oratoribus apud nos agerentur, nt poſſet ſanctiſſimo Domino noſtro
,, æquitatis, & innocentiæ noſtræ teſtimonium ſcriptis ſnis declarare. Quam ob
,, rem ſi quo modo poſſibile foret, niſi alind paternitatem veſtram apud Cæſarem
,, reнineret, placeret nobis plurimum, ſi ipſa quoque veniret, & tractatibus
,, illis, qui cum præfatis oratoribns futnri ſunt, intereſſet. Credimns enim,
,, quod ea res ſanctiſſimo Domino noſtro non eſſet ingraıa, & nos quoque con-
,, fidentius noſtram juſtitiam declarare, præſente paternitate veſtra poſſemus,
,, quæ, ſicut antea, omuem bonnm animum noſtrum jnſti, & æquitatis ratio-
,, nem ex verbis noſtris, & tractatibus in præſentia paternitatis veſtræ habitis
,, intellexit, ita & in his facile intelligeret. Et non dubitamus, quin ſub teſti-
,, monio paternitatis veſtræ facile cognoſceretnr juſtitia, & æquitas ſnum locum
,, obtineret. Ceterum mittimus paternitati veſtræ copiam litterarum, quas bo-
,, nns ille ſervitor paternitatis veſtræ ad quemdam mercatorem in litteris ſuis
,, ſcripſit, ex quibus paternitas veſtra intelliget, ipſum non poſſe a natura ſua
,, & moribus deſiſtere. Quod idcirco volumus iterato ſignificare paternitati ve-
,, ſtræ, ut ſciret ab illo ſibi præcavere, quia nos ſicuti prioribus litteris ſignifi-
,, cavimus, quemadmodum ſedis Apoſtolicæ obſequentiſſimi ſumus,. ita & orato-
,, ribus illius ad omnia commoda ſingulariter afficimur. Nec credat paternitas
,, veſtra, quod in calce litterarum ſuarum de illo ſcribit, ipſnm hic apud nos
,, vel apud regnum noſtrum unqnam locum habiturum, quia nos hominem
,, illnm ex hujusmodi moribus ſatis perſpeximus, &, ſi veniret, nequaquam
,, nos talem hic manere pateremur. Nos euim honorem paternitatis veſtræ ſu-
,, per omnia obſequia illius diligimns, & nolumus talem apud nos retinere,
,, qui idem faceret nobis, quod fecit paternitati veſtræ.

Interfuerit ne conventni Aſculanus, an contra, nihil habeo affirmare: illud compertum eſt, Oratores pridie nonas Junias induciarum, quas Viennæ pepigerant, tempus prorogaſſe, quibns dies Lunæ, feſtum nativitatis Divi Joannis Baptiſtæ, proxime conſequens finem faceret, interea operam datum iri, ut pax cum Cæſare in ſolidum conficeretnr. (*a*) Credibile eſt inter pactorum conditiones eam præcipuo loco fuiſſe, nt dum rex bello adverſum Turcas occuparetur, nam hæc in primis induciarum canſa erat, Cæſar, quoad lites arbitrorum judicio dirimerentnr, ab injuria abſtineret, neve quidquam hoſtili animo per abſentiam regis in Hungariam moliretur.

Illorum opera induciæ prorogantur.

Ita confectis ntcnnque induciis, Mathias ut Pontificis, ac ceterorum Principum, qui non temnenda in Turcicum bellnm ſtipendia decreſſent, expectationi reſponderet, coacto celeriter exercitu ad Savum movit, conſilinm ex temporis, ac locorum habitu captnrus. Magna in principio ſpes omnibus oborta, regem, qui & ſuapte armorum gloria duceretur, ac Bajazete etiamnum contra Zizimum fratrem in Aſia occupato, nihil difficultatis ad opprimendos barbaros habiturus eſſet, rem feliciter, & ex ſententia omnino confecturum, cum rurſus Cæſar, qui nec inducias æquanimiter ferre, nec gerere bellum juſto Marte poterat, omnium expectationem intercepit. Vix enim Mathias militem in barbaros duxerat, cum ille concitis tnmnltuarie copiis iterum ſigna infeſta Hungariæ intulit, vàſtatoqne Sopronienſium agro ingentem ſpnliornm vim in Auſtriam reduxit. Erat Mathias in profectione haud longe ab Savo remotns, cum de hoſtili Cæſaris in ſe animo nuncios accepit: itaque irarum plenns converſoque itinere exercitum, qui barbarorum excidio comparatus erat, in Fridericum reducit, proximeque ad Auſtriam diſtinctis locis caſtra metatur, ut imparatum alioquin Cæſarem qno evaſurns eſſet, dubium, incertumqne redderet.

Rex in Turcos movens rurſum Cæſaris inconſtantia revocatur.

(*a*) In laudato auctar. Diplom. Cl. Kollarii. *Datum Budæ die Lunæ poſt Dominicam Exaudi.* (4. Junii) *Anno 1481.* exſtat in Tabular. Auguſtæ Domus.

1481.

In quem Legatos, qui in Auſtria & Stiria rem gerant, immittit.

Neque multo poſt diviſis bifariam copiis hoſtem per Legatos aggreſſurus, Cæſarem, ut Vienna in tutiora ſe reciperet, coegit. Auſtriam Zelenio, Stiriam Eldelbachio de Monyorokerék vaſtandam attribuit, geſtaque res ab utroque eſt fortuna ſatis ſecunda. Ille cum ter mille equitibus Auſtriam, qua Moraviam, & Bohemiam reſpicit, ingreſſus, vaſtitatem ultra Cremſium circumferebat: iſte conjunctis cum Maubitio Stiro, qui ab Cæſare ſeceſſionem fecerat, copiis, Rakelſpurgum, Ciliam, & Petovium primo impetu capit, tum admoto ad Fürſtenfeldam exercitu oppidum igni funditus exurit, arceque per vim potitur. Græcium Stirorum noſtros quoque tentaſſe proditum eſt, quo eventu, non item: credo, quod autumnus impeditas vias feciſſet, noſtrique machinis ad quatiendos muros carerent, rem penitus adhæſiſſe. Ad Marburgum cladis non nihil acceptum eſt. Cum enim oppidum Hungari obſidione cingunt, Joannes Archiepiſcopus Strigonienſis coacto milite noſtris ex inſidiis incumbens, edita inter confertos haud minima ſtrage obſidionem ſolvit. (*b*)

Pontifex denuo diſſidentes conciliare nititur.

Non ceſſabat interea Pontifex, ut primum inducias inter Cæſarem, ac regem novo bello interceptas audiit, Mathiam rurſum ad concordiam hortari, præſertim quod ejectis Hidrunto Turcis, ubi Blaſii Magyari virtutem, ac induſtriam in primis enituiſſe ferunt, e re Chriſtiana minime videretur, ſi conciliatis fere cunctis Principibus, duo inter ſe, quorum magna in utramvis partem erat auctoritas, armis decertarent. Itaque veritus, ne id ceteris ad conſecutionem exemplo eſſet, regem per litteras crebro obteſtatus eſt, uti poſitis tantiſper armis conciliandæ cum Friderico amicitiæ rurſum operam daret. Sin id ob illatas, ut exiſtimaret, injurias, grave ſibi eſſet, orare ſe vehementer, neu inducias aſpernaretur. Reſpondit rex ſatis prolixe Pontifici, cauſaque belli in Cæſarem rejecta, ſe non invitum fore promittit, ſi is controverſiæ arbitrium ſibi ſervatum vellet. (*c*)

Cui rex conciliationis arbitrium permittit.

Multa (ita ad Sixtum ſcribit) *ſanctitatis veſtræ Brevia me ad pacem & concordiam cum Imperatore Romanorum exhortantia accepi, & poſt alia unum noviſſime allatum eſt, in quo ſanctitas veſtra ſcribit, ea, quæ inter me, & Imperatorem tanto ſtudio procurata ſunt, effectum nullum hactenus habuiſſe, licet ſanctitas veſtra, & Oratores ad id miſſi omni adjumento, quod præſtari poterat, ad hanc rem ſaluberrimam effectui deducendam non defuerint. Fateor beatiſſime pater, ſanctitatem veſtram complures exhortationes ad pacem feciſſe per Brevia, & etiam Oratores ſuos ad eandem rem procurandam deſtinaſſe, verum quod ea res in effectum deducta non eſt, non mea culpa id accidit, ſed ejus, qui cum omne juſtum, & honeſtum ſubterfugiat, primus tamen querelas deponi curat, & alium de eo incuſare quærit, in quo foret jure, & merito ipſe accuſandus. Novit reverendiſſimus pater Dominus Epiſcopus Aſculanus, qualiter ad omne juſtum & honeſtum ipſis Oratoribus ſanctitatis veſtræ præſentibus me ſemper obtuli. Totius igitur, cujus culpa id evenit, Orator ſanctitatis veſtræ, & ad eam rem ante alium nuper miſſus culpandus eſt, coram quo quas ipſe oblationes fecerim, & quam promtum meum animum ad complectendam pacem illis ſeorſim, & cum Oratores Imperii præſentes adeſſent, declaraverim, dummodo Imperator viciſſim vellet juſto, & honeſto eſſe contentus, poterit idem facile teſtimonium perhibere, de quo & plures litteræ meæ ad ſanctitatem veſtram ſcriptæ teſtari poterant, quantum ega me judicio ſanctitatis veſtræ a principio ſubmiſerim, & qualiter me non ſemel, ſed pluries obtulerim deliberatione ejusdem ſanctitatis veſtræ velle eſſe contentum, dummodo Imperator hoc idem faceret; verum effici nulla induſtria potuit, ut ad hoc Imperator conſentiret, quin imo dum noſtram æquitatem, & innocentiam ſubvertere nititur, fecit, ut certi Principes Imperii, quos a principio ſibi familiares noveram, non audita mea inſtantia cauſam illius juri, & innocentiæ meæ longe anteponerent, & in favorem illius me perperam apud ſanctitatem veſtram accuſarent, quod noluerim Imperatoris quacunque juſtitia, & æquitate contentari. Quod quam verum ſit, quandocunque partes audire, & ſanctitati veſtræ de hoc experiri libuerit, efficaciſſimis rationibus demonſtrabo. Non enim profecto is ſum, qui diſſidia, & altercationes publicæ totius Chriſtianitatis defenſioni præferrem, niſi multis irritamentis ad hoc invitus coarctarer. Mallem, ſicut ſæpius ſcripſi,* quan-

(*b*) Apud Cl. Bernard. LINK. laudata Monaſterii charta MS.

(*c*) Epiſt. MATH. CORV. Parte IV. pag. 203.

quantum in me eſſet vires meas hoc præſertim tempore, prout ſanctitas veſtra ſcribit, cum Deus ex alto viam rebus Chriſtianis aperuit ad publicam Chriſtianitatis ſalutem convertere. Sciat igitur ſanctitas veſtra nunquam in me fuiſſe defectum, neque negligentiam, quo minus monitis, & exhortationibus ſanctitatis veſtræ, quas ega prout obediens filius ſemper cum omni devotione ſuſcipio, paruiſſem, ſi alii quoque idem facere curaſſent, de quo nunc melius certificari poterit, cum noluerit cauſas partium, ipſo recto judicio ſuo examinare, prout de hoc latius mentem noſtram reverendiſſimus in Chriſto pater Dominus Cardinalis Agrienſis una cum Oratore meo reverendiſſimo Domino Sirmienſi explicabunt, & cum audire ſanctitati veſtræ libuerit, juſtitiam noſtram fideliter declarabunt; a quibus ſanctitas veſtra cognoſcet me a juſto, & honeſto nunquam retraxiſſe, imo & prius obtuliſſe me præſentibus ſanctitatis veſtræ Oratoribus & nunc afferre pariturum judicio ſanctitatis veſtræ, quandocunque voluerit differentiarum cauſas ex utraque parte cognoſcere, & juſtitiæ meæ ſententiam exaudire. Spero equidem & id mihi de clementia, & bonitate ſanctitatis veſtræ polliceor, quod ſanctitas veſtra, quæ communis omnium pater, & Dominus exiſtit, cum rem hanc judicialiter diſcuſſerit, non coget me ad jura mea quacunque ratione alteri reddenda, nec faciet, ut id, quod jure mihi debetur, per me qualitercunque amittatur. Ubi vero ſanctitas veſtra me admonet, ut conſiderem, ſi in hujuſmodi diſſenſione perſeveretur, quantum Chriſtiani ſanguinis effundendum ſit, qui a noſtris manibus coram Deo in ſummo judicio erit requirendus: hoc credo pater clementiſſime, & indubitate teneo, quidquid Chriſtiani ſanguinis in hac diſſenſione fuerit effuſum, ab illius manibus requirendum, qui huic diſſenſioni cauſas & occaſiones præbuit. Quod ſi ita eſt, profecto nunquam illa Chriſtiani ſanguinis effuſio a meis manibus requiretur, qui coactus, & provocatus ad hanc diſſenſionem deveni, ſed ab illius potius manibus requiretur, qui datis pluribus occaſionibus, & illatis maximis injuriis me invitum ad hanc diſſenſionem provocavit. Conſervet Deus altiſſimus ſuam ſanctitatem. Datum Budæ. (*d*) Hæc ad verbnm exponere placuit, quo Spondani credulitatem in luce collocarem, qui regem magis impatientiæ, & ambitioois impotentia adverſus Cæſarem arma moviſſe, quam neceſſitate ad vim propulſandam, tuendaque jura ſua coactum eſſe ſibi perſuadet.

An. Chr. **1482.**

Pontifex lectis Mathiæ litteris, minime dubia ſpe tenebatur, regem haud difficulter ad concordiam cum Cæſare ineundam adduci poſſe, ſi nuncium ex urbe ad utrumque mitteret, qui & gnavius Aſculano Epiſcopo rem aggrederetur, neque tam parum, ut Urbanus de Urſinis Epiſcopus Theanienſis, Mathiæ acceptus eſſet. Itaque Epiſcopum Caſtelli virum, & miræ ad perſcrutandos Principum animos ſagacitatis, & exquiſitæ ad res quantumvis difficiles tractandas patientiæ, prudentiæque, nuncii munere perfungi voluit. Juſſus primum adire Cæſarem, cujus animum prius omni arte exploraret, quibus conditionibus ad pacem inclinari poſſe videretur: tum in Hungaria regem conveniret, ſuaque induſtria efficeret, ut, ſi pax iniri non poſſet, induciis certe, quocunque modo confectis, inter partes tranſigeretur.

Itaque Pontifex Epiſcopum Caſtelli ad utrumque deſtinat.

Hoc Pontificis ad conciliandos æmulos ſtudium fuit, cum hi interea reſumtis primo vere armis rurſus bellum, tametſi magis procurſionibus, quam univerſis viribus geſſere. Zelenius ab Mathia rurſum Auſtriæ immiſſus, cum quatuor equitum millibus, omnem eam plagam, quæ trans Danubium a Vienna Paſſavium uſque porrigitur, non modo fœdum in morem populatus eſt, ſed occupatis etiam non minimi cenſus oppidis, quæ firmiora erant, militari præſidio communivit: ex quibus omnem late viciniam in metu continebat. (*e*) Ad Prokam Laytæ fluvio adſitam non eadem fortuna res geſta. Eam urbem, quod commodiſſimum ex Hungaria in Auſtriam euntibus aditum præbet, Fridericus accepto ab Imperii Principibus ſubſidio, eductis novis operibus firmavit, quo & hoſtem provincia excluderet, & ſi ſe occaſio daret, illatis in Hungariam ſignis noſtros ex Auſtria ad propria defendenda revocaret. Succeſſerat conſilium ex ſententia: cum enim provinciales crebro ex ea urbe in Hungariam procurrerent,

Bellum tamen utrinque velut ex inſidiis geritur.

(*d*) Sine anno, & die: ſed ad hunc annum locandam puto: quod rex ad Cardinalem Agrienſem, cum Roma hoc anno Neapolim abiiſſet, X. Decembris litteras in eandem ſententiam dediſſet.

(*e*) Laudata charta MS. apud Cl. Link.

1482. rerent, agerentque quaquaverſum ſpolia, ac iucendiis etiam in vicos ſævirent, Mathias miſſis ad Zelenium mandatis, ut impoſito oppidis, quæ in Auſtria cepiſſet, quantum ſatis erat, præſidio, ad ſe rediret, ceteros quoque Duces, ut ad præſtitutum diem in loco deſignato cum cohortibus adeſſent, juſſit.

Rex Hamburgum obſidet: ſed re parum proſpere ad Laytæ pontum geſta Poſonium recedit, rurſumque, ad obſidionem redit.

Abhinc bellum non tam dilatum, quam majori animo reſumtum eſt, tametſi uuncius Apoſtolicus, qui Roma interim advenerat, nihil ad placandum regem omitteret, quod minime dubium eſſet, Cæſarem, niſi armis coactum, ad pacem nunquam ſerio animos adjecturum. Itaque comparatis diligenter omnibus, quæ tam diuturno bello neceſſariæ erant, rebus, Hamburgum urbem in limitibus Auſtriæ ad Danubium ſitam, movet, diviſiſque trifariam caſtris, ne qui commeatus, aut ſuppetiæ importari poſſeut, obvallat, tum advectis Poſonio muralibus machinis mœnia nou intermiſſo ſtudio quatit, ut adeo cives de deditionc conſilia jam inire ſpeculatores referrent, niſi allata de ſubſidiis ſpes mentem illorum ex improviſo mutaſſet. Fridericus enim, qui capto Hamburgo omnia metuebat, ut primum obſideri ab Hungaris oppidum intellexit, tria equitum millia, qui obſidionem inhiberent, laborantibus ſuppetias mittit, plura, ſi uſus ferret, ſe auxilia adjecturum pollicitus. Illi, ut adventus ſui famam anteverterent, Prukam digreſſi ex inſidiis rem agere conſtitutum habebant, cum agreſtium denunciatioue proditi ad Laytam amnem ſubſiſtere, ut captata occaſione uoſtros iu metu continerent, & acceptis ab Cæſare ſupplementis ab obſidione etiam averterent. Mathias ut hoſtium deſtinationem cognoſceret, Stephanum Scepuſienſem exploratum illo miſerat, remque, ut eſſet, continuo referri jubet, quo conſilia tempori commodaret. Is in Prukenſem agrum delatus, tametſi a quatuor Germanorum agminibus in inſidias præcipitatus eſſet, pugnæ ſe confeſtim parat, priorque hoſtem aggreſſus aliquamdiu vim gravis equitatus fortiter ſuſtiuet, cum ab ſuis deſertus capitur, ac duobus, qui captum in urbem deducerent, traditur, ceteris in palantes Hungaros quaquaverſum effuſis. Stephanus, re conclamata ex temporis uſu capieus conſilium, dum Pruko cum ſociis appropinquat, erepto celeriter enſe utrumque obtruncat, ac facto per montium diverticula itinere ſalvus, incolumiſque ad regem pervenit. Tum primum clades cognita, quam cum fama, uoſtrorumque fuga majorem faceret, rex dato receptui ſigno Poſonium ſe recepit. Poſt ubi paucos fuiſſe captos, ac pleroſque ex fuga rediiſſe compertum eſt, oborto pleriſquc pudore majoribus cum animis, tum viribus ad obſidionem rediere.

Interea Kinyſius proſpere cum Turcis confligit.

Cum hæc alterna fortuna ad Hamburgum geruntur, res a Pauln Kinyſio adverſum barbaros ſæpe, & ſecundo eventu patrata eſt. In fugam acti barbari, vaſtatæ igni, ferroqne provinciæ, immenſa hominum vis a miſerrimo ſervitutis jugo liberata, & ad colendas regni provincias, quas barbari excurſionibus ſuis vaſtiſſimas reddiderant, abducta. Rei, quemadmodum geſta ſit, ſeriem in hæc verba Mathias Cardinali Agrienſi ſignificat: (*f*) *Audiviſſe potuit paternitas veſtra reverenda, tametſi ab urbe Romana, & a rerum noſtrarum curationibus longe abſuerit, quales nuper apparatus exbortationibus ſanctiſſimi Domini noſtri permitti feceramus contra Turcos, & quanto gentium robore fidelem noſtrum Paulum Kinyſi generalem gentium uoſtrarum Capitaneum deſtinavimus in Serviam, verum quia credimus paternitatem veſtram non omnium, quæ ibi geſta ſint, habere notitiam, ex quo in tanta terrarum diſtantia certus rerum geſtarum rumor ita ſubito diffundi non poteſt, placuit omnia ex ordine ſignificare paternitati veſtræ, ut ipſa una cum reverendo Domino Sirmienſi vocali ſermone, ſi neceſſe erit, ſanctiſſimo Domino noſtro referre, & declarare ſciat. Secunda die feſti omnium Sanctorum, quæ erat dier Veneris, Paular Kinyſi, ita antea cum omnibus gentibus noſtris, puto in triginta duobus millibus hominum bono modo paratis, ex caſtro noſtro Tomösvdr diſceſſit, & omnibus, qui domi ſuæ parati juſſionem illius expectabant, intimavit ad diem Dominicum, qui proximus erat, in vado Horam, ad ſe convenire, quod & factum eſt: ſed eadem die, cum multi domo profecti diverſis itineribus ad illud vadum conveniunt, accidit unus caſus, qui tametſi hoſtibur non incruentus exſtitit, nobis quoque etiam amiſſione*

unius

(*f*) Epiſt. Math. Corv. Parte IV. pag. 211.

unius notabilis familiaris, fidelis noſtri fuit non parum infauſtus. Nicolaus & Andreas Tököly cum centum equitibus ipſo die iter aggreſſi, dum alio itinere ad vadum contendunt, quadringenti Turci, qui in inſidiis latuerant, ſubito ex nemore effuſi in eos irruunt, & nihil tale formidantes repente circumdant: tum illi tanta multitudine conſpecta, cui ſe impares videbant, currus oneratos extemplo circumlocant, ſeque intra ipſorum curruum ſepta concludunt: Turci vero nemori, quod curribus contiguum erat, protinus ignem injiciunt, ut flante contra nos vento, currus comburerent. Ubi igitur currus noſtrorum ardere cœperunt, noſtri in pugnam cum illis congreſſi, ab hora nona uſque ad ſolis occubitum viriliter pugnant. Cecidit in eo conflictu magna pars Turcorum, & nemo, ut fertur, ſine vulnere diſceſſit. Nicolaus Tököly duabus haſtis in ipſo pugnæ principio trajectus non deſtitit, quio usque ad finem diei acriter confligeret: deinde converſis illis in fugam, ipſe multis vulneribus confectus una cum fratre ſuo Andrea, qui ſimiliter plura vulnera accepit, donum ſuam reverſi ſunt, & ipſe quidem Nicolaus eodem die ex illis vulneribus tantummodo facta confeſſione, & communione ſacramentali ex hac vita deceſſit: Andreas vero cum illis vulneribus graviter decumbit, de quo adhuc incertum habemos, utrum reviviſcere poſſit. Quinquaginta ex noſtris in loco certaminis fuerunt trucidati, nec aliquis exceptis tribus, ſine vulnere reverſus eſt. Dum itaque alii in vadum contendunt, interea Ladislaus de Rozgony, Capitaneus noſter Belgradi & Vock Deſpotus Serviæ naves ad trajiciendas gentes neceſſarias, ſicuti nos antea eis mandaveramus, vadum verſus deportabant: contra quos Vayvoda de Zmederon (g) nomine Zkender, qui ſe Dominum Serviæ ſcribit, ampla Turcorum manu ſtipatus acceſſit, ſed illi ad cuſtodienda, deducendaque ipſa navigia bene proviſi cum ipſis ſubito congreſſi plurimam partem ipſorum trucidarunt: Vayvoda ipſe vix cum paucis ſaluti ſuæ conſulens inſectantibus noſtris trepidus in Zmederon ſe recepit. Poſtquam igitur noſtri trajecti ſunt, Paulus Kinyſi juniorem Jakſics ad explorandos locorum ſitus, cum certa parte gentium noſtrarum præmiſerat, qui dum iter caperet, Vayvoda ex caſtro columbarum, quod idiomate noſtro Galambócz dicitur, cum mille equitibus ſubito erumpens, illos invaſit, cum quibus noſtri in pugnam congreſſi, Deo ſic volente, feliciter pugnarunt: nam ab ipſo certaminis loco majorem partem exercitus illius trucidarunt, reliquos captivarunt, & ad Paulum Kinyſi in vinculis deduxerunt, qui eos omnes præter unum juſſit diſſecari: ipſum Vayvodam, qui in fuga ſalutem quærere, ac citato equo in prædictum caſtrum recurrere feſtinabat, Jakſics ipſe inſecutus in ipſa caſtri Columbarum porta decollovit. Ex alio vero latere præfati Præfecti Ladislaus de Rozgony, & Deſpotus Raſciæ cum navibus progreſſi ulterius, iterum felicem habuerunt cum Turcis congreſſum, qui cum pluribus navibus ſuper noſtros irruerunt, ſed noſtri omnibus illis, uſque ad unum trucidatis & ſubmerſis, quatuor & viginti ipſorum naves receperunt, nulloque poſtmodum reſiſtente omnis noſter exercitus uſque ad Kruſolcz penetravit, ibique caſtris locatis Paulus Kinyſi XII. dies moratus eſt, omnique illa patria ferro, & igne vaſtata adductis ſecum plus, quam quinquaginta millibus indigenarum & mille naturalibus Turcis, viris ſtrenuis, & equitibus, qui cum filiis, & filiabus, & uxoribus ultro ad ipſum Paulum confluxerunt, & ſecum aggreſſi ſunt ad ſervitia noſtra, atque cum multis hoſtium ſpoliis, ac optima favente Deo proſperitate reverſus eſt in vadum, ubi duas munitiones erexit ad cuſtodiam vadorum, quorum aliud Haram, aliud Kevi nuncupatum. Si tempus patietur, erigetur & tertium in vado, quod dicitur Pozazin. Poſtea accepimus Vayvodas tres Turcicos, videlicet præfatum Zkender Baſſa, Alibeg, & Mankotſenicz in quadam inſula, quæ eſt contra Zmederon, unam munitionem erexiſſe, atque ibi ſeſe fortificaſſe, ut prohiberetur inde noſtris navibus acceſſus, & deſcenſus, ad quas expugnandas Paulus Kinyſi nunc iterato acceſſit, quid ſequetur, adhuc incognitum eſt; quidquid tamen ſequetur, ſimul, ut certificati fuerimus, paternitatem veſtram certiorem faciemus, quam rogamus, ut hæc præſente Oratore noſtro ſanctiſſimo Domino referat, & ſi placet, litteras, quæ nobis ex illis partibus, de illis rebus geſtis ſcriptæ ſunt, & quas paternitati veſtræ in ſpecie miſimus, ſanctitati ſuæ oſtendat.--- (b)

(g) Eo nomine ex locorum poſitu reor Senderoviam venire.

(b) Data ſcribitur Belgrado, quod erroneum eſt: nam de eodem argumento ad Papam ſcribens Buda litteras dederat, in quibus ſe ad eam Epiſtolam, quam Agrienſi ſcribit, revocat. Igitur neceſſe eſt eodem die ſcriptas eſſe, aut non nimis longo intervallo. Huic autem anno reddendam arbitror, ex abſentia Cardinalis, quem in exitu prioris anni Roma Neapolim profectum conſtat.

1482.

De ea victoria Papam rex edocet datis Hamburgo litteris.

Ejuſdem fere argumenti Epiſtolam ad Pontificem dedit, adjecitque ſe oppugnando nunc Hamburgo occupari, brevique, quidquid Cæſar contra molitetur, urbe potiturum, tum nihil prorſus in mora fore, quin per totam Auſtriam diffuſus, Imperatorem ad honeſtas, ſtabilesque pacis conditiones coacturus eſſet. Ut grata erat Sixto tam multiplex de barbaris relata victoria, ita bellum Cæſari rurſus obmotum vehementer dolebat, qui regem ab Chriſtiano ſanguine ſibi temperare, & in Turcos vires omnes convertere malebat. Itaque, quamquam illi de re, in Servia, ac Boſnia nuper feliciter patrata, magnopere gratularetur, tamen nou deſiſtebat regem per litteras hortari, ut, ſi uon pacem cum Friderico, certe inducias, quæ aliquanto, quam prius longiores ſint, conficeret. (i)

Chariſſimo in Chriſto filio Mathiæ Hungariæ regi illuſtri.

A propoſito obſidionis fruſtra eum Pontifex revocat.

„ Chariſſime in Chriſto fili uoſter, gratæ fuerunt nobis admodum litteræ
„ tuæ Majeſtatis datæ ad XV. Septembris diem, (k) quibus ſignificas recentem
„ victoriam ſub Paulo Kinyſio (l) copiarum tuarum Præfecto, cum tanta eorum
„ ſtrage, & internecione partam. Sane chariſſime fili, cum ob virtutem, &
„ magnitudinem animi tui multa ex te præclara quotidie audire poſſemus, nihil
„ eſt tamen, quod nos magis delectet, quam ea de te ſignificari, quæ adverſus
„ impuriſſimam Turcorum gentem & ſtrenue, & feliciter geſſeris. Neque enim
„ quidquam eſt, in quo tua laus illuſtrior, aut diuturnior eſſe poſſit, quam bene
„ mereri de Chriſtiana religione, quod ſicut hactenus cum immortali gloria tua
„ præſtitiſti, ita hortamur, ut in futurum nou intermittas, ſtudium & curam
„ omnem iu hoc colloces, pulcherrimamque hanc provinciam toto pectore com-
„ plectaris, qua nulla rebus tuis commodior, univerſis fidelibus ſalutarior,
„ apud Deum majoris meriti, apud homines celebrioris famæ eſſe poteſt. Spera-
„ mus enim divinam pietatem, ſicuti te pluribus victoriis ex immaniſſimo hoſte
„ partis inſignem reddidit, ita etiam conceſſuram, ut longe majori clade a te
„ afflictus laudem, quam præclaram ex hoc tibi peperiſti, multo illuſtriorem
„ efficiat.

„ Quæ autem per incluſam litteris tuis cedulam nobis ſignificaſti de ob-
„ ſidione oppidi Hamburg, & qualem te erga Imperiales copias aliaque ſacri
„ Romani Imperii Principum præſidia exhibueris, gratiora profecto ea nobis
„ fuiſſent, ſi pacis ſpem aliquam potius, quam mutui belli manifeſtum pericu-
„ lum intellexiſſemus; prout erat & eſt deſiderii noſtri pro noſtra erga vos cha-
„ ritate & publico fidelium commodo. Quid enim rebus Chriſtianis hoc tempore
„ præſertim, pernicioſius eſſe poteſt, quam duos potentiſſimos exercitus inteſtino
„ inter ſe bello decertare, viresque, quas adverſus communem hoſtem, locis
„ iſtis imminentem effuudere æquius erat, inter ſe cum magna Chriſtiani ſan-
„ guinis effuſioue, quod Deus avertat, abſumere?

„ Quare etſi omni ſtudio, & cura, & litteris, & uunciis & legatis ela-
„ boraverimus, ut diſcordiæ iſtæ inter vos componerentur, parumque vigiliæ, &
„ conatus noſtri, ut videmus, ita cooperante humani generis inimico, perfecerint,
„ tameu non deſiſtemus iterum & hortari, & mouere, & obteſtari, ut rejecta
„ penitus omni ſimultate, amputatiſque diſſenſionibus omnibus mutua pax inter
„ vos conſtituatur, vel ſi id fieri ad præſens uon poſſit, induciæ aliquæ ad longum
tem-

(i) Raynald. Annal. Eccleſ. ad hunc annum.

(k) Regis litteræ contra diſerte habent expeditioni huic initium datum ſecundo die feſti OO. SS. Itaque aut in Pontificis, aut regis litteras errorem irrepſiſſe oportuit: niſi forte alia ab hac regis Epiſtola fuerit, qua victoriam Kinyſii Papæ ſignificat; quod ægre mihi perſuadeo, quod ex Pontificiis litteris diſerte conſtet regem tunc in obſidione Hamburgi occupatum fuiſſe, deditio autem urbis dicatur eveniſſe pridie Calend. Octobris.

(l) Litteræ Pontificis male Kneſium dicunt, errore, ut reor, ex Polonis Scriptoribus ſumto.

„ tempus indicantur, quibus mediantibus ad pacem tandem valeat perveniri. „ Quod non ſolum nobis & reipublicæ Chriſtianæ ſalutare erit, quandoquidem „ conjunctis viribus poterit immaniſſimus hoſtis facilius debellari, ſed etiam ita „ glorioſum, ut nihil futurum ſit, quod ad æternam hanc laudem veſtram „ poſſit comparari. Datum Romæ die XX. Novembris MCCCCLXXXII. „ Pontificatus noſtri Anno XII.

Sed prius litteræ quam regi redderentur, jam Hamburgum mœnibus nudatum, rejectoque decem millium equitum, quos Cæſar laborantibus in auxilium miſerat, ſubſidio, in victoris poteſtatem venit. Arx quamquam in montis vertice ſita, tum arte quoque munita defenſionem protrahere potuiſſet, Præfecti tamen avaritia tribus aureorum numum millibus, regi tradita eſt. Hunc obſidio, quam Bonfinius bis centies mille aureorum conſtitiſſe perhibet, finem accepit. Urbs, quod hiems ingruebat, tumultuariis operibus firmata, acceptoque militum præſidio permultum noſtris, ſive ad inferendum, ſeu propulſandum bellum deinceps commodabat.

Hamburgum rejectis Cæſareanis in noſtrorum poteſtatem venit.

An. Chr. 1483.

Reducto in hiberna milite novis delectibus curam in primis locare placuit; quod geminum futura æſtate bellum ſibi oboriturum rex putabat. Zizimo enim in Aſia profligato, ac Rhodum profugo, Bajazetes cladem nuper illatam non impune laturus videbatur. Itaque ut hac quoque parte periculo cautum eſſet, non modo novis collimitius miles ſupplementis auctus, ſed munimenta, quæ ultra Savum Kinyſius ad coercendos barbaros haud ita pridem erexerat, ex arte militari communita ſunt, quibus ſi non infringi Turcorum furor, certe ad tempus contineri poſſet. Sed eam curam ex eventu ſupervacaneam fuiſſe patuit, quod Bajazeti cum Sultano Ægypti, qui Zizimi partes tuendas acceperat, res futura per exploratores regi ſignificatum fuit. Id tempus Mathias ad rem gerendam occupare conſtitutum habebat, ſi ſibi cum Friderico honeſtis conditionibus conveniret: ſcripſitque propterea ad Imperii Principes, ut ſi poſitis inter ſe diſſidiis communi ſtudio adverſum barbaros conſpirare vellent, tempus præſente nullum magis accommodum videri, quo Turcorum tyrannus omnes vires ex Europa in Aſiam traducere cogeretur; ſe ſua illis ſtudia, operamque juncturum, modo conſiliis ſuis apud Cæſarem efficerent, ut pactis conventis ſtare, & odia vellet ponere. Sed illi ob communes inter ſe ſimultates ſuarum magis, quam rei Chriſtianæ ſtudioſi, oblatam occaſionem aperte detrectarunt.

Rex Bajazete in Ægyptum movente fruſtra pacis arbitrium Imperii principibus offert.

Cæſar contra, intellecto regem hoc quidem anno nihil ab Turcis moleſtiæ habiturum, magnopere veritus, ne converſis in ſe viribus bellum multo, quam anno priore difficilius ſibi naſceretur, Alfonſum Forojulienſem Epiſcopum in Hungariam miſit, ut Mathiam de fœdere poſtularet; quemadmodum Pontifex, data ad Fridericum gratulatoria epiſtola, qua eum in concepto pacis ſtudio confirmat, diſerte memorat. (m) *Cum nuper* (inquit) *audiremus, ſerenitatem tuam miſiſſe venerabilem fratrem Alfonſum Epiſcopum Forolivienſem, Oratorem ad illuſtrem Hungariæ regem pro pace tractanda, gaviſi admodum ſumus, Deumque oramus, ut illa confici poſſit, quo auctore, & Epiſcopi ipſius prudentia accedente, ſperamus pacem ipſam eſſe ſecuturam: nos etiam, & ut concordibus animis, & unitis viribus aliquid contra ipſos hoſtes Turcos Chriſtiano nomine dignum poſſit decerni, pacem fecimus, & publicavimus, prout ex capitulis, quæ ad tuam celſitudinem alligata transmittimus, videre potes. Datum Romæ die X. Januarii MCCCCLXXXIII. Pontificatus noſtri anno XII.*

Cæſar per Epiſcopum Forojulienſem animum Mathiæ explorat;

Pax, cujus memoria Sixtus Cæſarem ad ſanciendam cum Hungaro concordiam hortatus eſt, cum Venetis, qui Ferraram ſummo ſtudio oppugnarant, conciliata fuit. Neque tamen propterea fœdus, ut Pontifex optabat, cum rege con-

Sed hic illi diffidens,

(m) RAYNALD. Annal. Eccleſ. ad hunc annum.

1483. confectum ; ſive conditiones, quæ Mathiæ parum fidæ, utileſque videbantur, in medium propoſitæ ſunt, ſeu Friderico, qui bellum in pace, & in pace rurſus bellum quærere ſolebat, haud ſatis tuto credendum exiſtimavit, aut potius victoriarum fructum ob inanem compenſationis ſpem, quæ ſibi objecta erat, nollet e manibus dimittere. Quidvis ſit, Alfonſo re infecta ad Cæſarem remiſſo cum primum per temporis clementiam licuit, evocato ex hibernis milite rex Hamburgum movit, Auſtriam totam, ſi res feliciter caderet, animo complexus. Prima vis Leytæ-Ponto admota, quod eo in poteſtate hoſtium relicto, nihil tutum ab tergo ſibi futurum exiſtimaret. David Házy ſtrenuus in paucis miles obſidionem moliri juſſus, difficiliorem in principio, quam ſperaverat, provinciam nactus eſt, quod urbs præter mœnia ſolidis vallis, foſſiſque ad vim arcendam egregie compaginata, circumfluo præterea totos pene muros amne: Leyta acceſſu difficilis omnem obſidiariam artem eluſura videretur. Jamque: in quartum menſem fruſtra machinis, crebroque aſſultu tentabatur, cum Dux: pudore, iraque actus, extremum fortunam periclitari volens, paucis militem cohortatus, aſſilire in mœnia ſuos jubet, ipſeque primus cum prætorianis in muros eluctatus, loco, tametſi cum ingenti ſuorum ſtrage potitur. Capta urbe temperatum ab cædibus eſt, ut ea humanitatis ſignificatione præſidiarii, qui occupata urbe in arcem ſe receperant, deditionem facerent. Menſem tamen integrum obſeſſa eſt, quoad Præfectus non tam noſtrorum vi, quam inedia coactu: arcem dedidiſſet.

bellum in Auſtria inſtaurat.

Et Viennam obſidere deſtinat.

Per idem tempus, cum noſtri obſidendæ urbi operam navarent, cetari exercitus Legati cum magna equitatus parte agrum inter Viennam, & Neoſtadium populati, Neu-Kirchum, fanum ſancti Viti, aliaque oppida partim igni cremant, partim capiunt : tum ad Schadviennam. tentato fruſtra in Stiriam aditu, ultra Sopronium progreſſi, Ginſium levi obſidione cinctum in poteſtatem redigunt. Eadem fortuna trans Danubium res geſta : Merkenſteinum, aliaque circum Viennam loca præſidio militari communita, quo haud obſcure apparebat, Mathiam bellum longinque de induſtria circumferre, ut occupatis quaquaverſum finitimis oppidis, Viennam tamquam reſectis membris in præcordia, facilius penetrare poſſet. Quod quem in modum evenerit, in loco referetur.

LIBER

LIBER III.

Interea Nuncius Apoſtolicus conuento Cæſare

Fridericus viſis tam ſecundis noſtrorum progreſſionibus cum ſpem nullam retinendæ Auſtriæ reliquam videret; neque enim Imperii Principes auxilia ſatis idonea ſubmiſerant, & Maximilianus filius in Belgio occupatior erat, quam ut patri poſſet ſuppetias venire, Græcum Stirorum conceſſit, ut ipſa loci natura tutos ſe meliori tempori ſervaret. Iſthic commorantem Caſtellanus Epiſcopus, quem a Pontifice, ut æmulos conciliaret, miſſum fuiſſe alias memoravimus, Nuncii Apoſtolici dignitate ornatos, convenerat, ſi quo modo belli ceteroqoin pertæſum ad concordiam poſſet pellicere. Varias pacis conditiones in medium propoſitas conſtat, ſed quarum pauciſſimæ Cæſari probabantur, qui injuriarum, ac damnorum cauſa in Mathiam conjiciens petebat, ut is a bello temperans, prior pacem offerret, ratus exhauſto jam penitus ærario regem alioquin ad fœdera ingratiis etiam coactum iri. Sed fruſtratum eſſe eatenns ſpe ſua Fridericum deinceps perſpicuum fiet.

Budam properat, ubi ab rege honorificentiſſime acceptus eſt.

Nuncins ſalotato Cæſare in Hungariam abiit, ut pertentato regis animo proniorem ad inducias viam conſtitueret. Budam appropinquanti ad tertium ab urbe lapidem quatuor Epiſcopi cum Præpoſito Albenſi regis juſſu obviam venere, ac ſumma honoris ſignificatione Budam induxere. Altera ab adventu die Senatus illi delatus, in quo cum regi Pontificis nomine ſalutem dixiſſet, litteras, quas a Cardinalibus cum horum, cum Pontificis nomine afferebat, Mathiæ legendas præbuit, quibus eum, ut pacem, fruſtra per nuncios ultro citroque tentatam cum Cæſare inire velit, magnopere hortantur: (a) *Miſeratione Divina Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, S. R. E. Cardinales ſereniſſimo Domino Hungariæ, & Bohemiæ regi poſt ſinceram in Domino charitatem. Poſteaquam huc delatum eſt, tractatus pacis proxime inter ſerenitatem veſtram, & Cæſaream Majeſtatem habitos non modo nullam concluſionem habuiſſe, ſed Oratores & nuncios utrinque pro concordia miſſos depoſita ſpe pacis diſceſſiſſe, eo majori dolore & ſanctiſſimus Dominus noſter, & nos affecti ſumus, quo magis vos tandem arma, quibus tamdiu in perniciem populorum veſtrorum contendiſtis, depoſuiſſe, ac revulſis mutuis odiis, & incendio, quo multo tempore conflagraſtis, pacem, regnis veſtris quietem, Chriſtianis ſalutem, utrique vero veſtrum laudem, & gloriam allaturam prætuliſſe ſperabamus: nam cum ſanctiſſimus Dominus noſter, ac nos tanta ac tot egerimus, quot, quantaque in ſuis litteris commemorat, nihilque unquam omiſerimus, ut tandem aliquando diſcordiæ veſtræ ſedarentur, & componerentur, armaque iſta in communis Chriſtiani nominis hoſtes converterentur. Non credebamus cognita præſertim utriusque veſtrum ſapientia quidquam evenire poſſe, quod hoc negotium tam neceſſarium, & deſideratum interrumperet: hæ veſtræ, & aliorum Principum diſſidentium concertationes, non ſolum occaſionem ex morte inmaniſſimi Turci Chriſtianis datam ad debellandos communes hoſtes impedivere, ſed hæredi ipſius animos auxere deſtruendæ religionis Chriſtianæ. Siquidem eum modo fama fert, decreviſſe arma contra Chriſtianos convertere, maximasque copias agere, ut quod pater ejus morte præventus non potuit, ipſe perficiat, & quia ex concordia, & pace utriusque veſtrum, qui caput, & repagulum eſtis, magna ex parte pendet Chriſtianorum ſalus, ne unquam aliqua in re defeciſſe videamur, etiam nunc ſua ſan-*

(a) Ex MS. Codice Epiſt. Mathiæ Corvini.

1483. *ſtitas & nos pro componenda inter vos hujusmodi diſcordia omnem noſtram diligentiam, operam, ſtudium, auctoritatem, & quæcunque remedia, quantum honeſtas ſedis Apoſtolicæ patietur, promptiſſime offerimus, hortantes, & per viſcera Domini noſtri Jeſu Chriſti celſitudinem veſtram rogantes, cujus honoris & ſalutis ſemper ſtudioſiſſimi fuimus, ut animum ſuum ab offenſionibus, & inimicitiis ſemel ſubtrahere velit, ac fomites diſcordiarum, & incendiorum, ſi qui ſunt, removere, ac tandem pacem ipſam, univerſale bonum parituram, privatis paſſionibus anteferre, & cum Cæſarea Majeſtate in gratiam redire. Scribimus ad ſereniſſimum Cæſarem in hanc quoque ſententiam, quam efficaciſſime eum hortantes, & rogantes, ut pacem ſimiliter amplecti, atque arma deponere velit, qui ſi una cum celſitudine veſtra monitionibus ſanctiſſimi Domini noſtri, & adhortationibus noſtris obtemperaverit, Deo optimo, maximo ſingulare obſequium, reipublicæ Chriſtianæ præcipuum ſuffragium, ac ſanctiſſimo Domino noſtro, nobisque officium optimorum filiorum præſtabitis. Cupimus majorem in modum, ut hæ noſtræ litteræ apud Majeſtatem veſtram tale pondus, & momentum habeant, ut poſſimus Altiſſimo gratias, & una vobiscum pace Chriſtianorum lætari, & frui. Bene valeat ſerenitas veſtra. Datum Romæ die XXII. menſis Martii, anno a nativitate Domini MCCCCLXXXIII.*

Rex Cardinalium litteris motus de pace cum Legato agit.

Quas litteras cum non nullo prorſus loco apud Mathiam eſſe Legatus comperiſſet, Procerum ſtudia, quorum magna eſſet apud regem auctoritas, ambire, in primis Petri Colocenſis Archiepiſcopi, ſine quo nihil facile Mathias conſtituebat, gratiam captare ſatagebat, ne aut pacis tractationem, quam ordiri jam cœperat, penitus turbarent, aut clanculum, ut fit, ac ex inſidiis interciperent. Ante omnia Beatricem Reginam, ut in mandatis habuit, adierat, quam adhibitis per intervalla machinis, præſertim a laude, quam ſi virum ad concordiam traduceret, olim conſequutura eſſet, dedita opera petitis, ita brevi occuparat, ut non modo ſuum ad id ſtudium ſe locaturam reciperet, ſed modum ac rationes quoque Nuncio ſuppeditaret, quibus regem, ſi difficilem ſe forte præberet, aggrederetur. Itaque in Conventum, quem rex ſuis indixerat, vocatus, multa in medium propoſuit, quæ ad concilianda fœdera valere exiſtimabat, quorum illud præcipuum erat: uti rex, quæ bello occupaſſet, Pontificis arbitrio ac poteſtati relinqueret, hunc viciſſim conaturum, ut Cæſar regi ſatisfaceret, neque prius armis parta reſtituturum, donec is ſumtuum, quos rex ei bello impenderat, compenſationem præſtitiſſet. Non abnuebat rex, ſi Cæſar decem equitum millia in triennium ſubſidio adverſum barbaros ſibi decerneret, quod cum Nuncio non probaretur, a plerisque hæc via, quod plena periculi eſſet, neque ſatis rex Cæſari fideret, rejecta eſt, niſi præter Pontificem, Imperii quoque Principes vadimonium in ſe reciperent.

Ea re Nuncius haud obſcure comperit regem non ſatis conſtantem ad fœdera animum in ſinu gerere: ne tamen ſibi hac etiam parte illum elabi fineret, acturum ſe apud ſummum Pontificem, ſpopondit, ut ſua auctoritate Cæſarem ad indicenda Imperii comitia permoveret, in quibus, ſi quid non complanatum eſſet, miſſis Legatis illuſtraretur. Probavit rex conſilium, modo ne ullum prius indicium ad Cæſarem de ea re afferretur, quod metus non prorſus inanis erat, illum, ſi id comperiret, de induſtria comitiis interceſſurum eſſe. Hoc Nuncii ad fœderis conciliationem ſtudium erat. Sed juvat ipſum, quod hæc fere a Bonfinio præterita eſſe video, ad Sixtum propterea ſcribentem audire: quod non ſolum, quæ adhibuit pacis ſtudia, ſed belli etiam Auſtriaci quandam ſpeciem legentibus exhibeat. (*b*)

Qui, quid eatenus profecerit, Papam edocet, magnam re-

„ Beatiſſime Pater! die ſeptima hujus ex Gratz diſcedens biduo ad quem-
„ dam Comitem Joannem Elderbach ſereniſſimi regis Hungariæ Capitaneum,
„ deſignatum ad cuſtodiam cujusdam partis Auſtriæ captæ, & præſertim cujus-
„ dam oppidi combuſti nomine Furſtenfeld applicui. Hoc oppidum ſereniſſimi
„ Imperatoris erat octingentas domos, ut ajunt, continens, quod cum ſereniſ-
„ ſimus rex Hungariæ obſediſſet, & alias vi expugnari non poſſet, erat enim
„ locus natura, arteque munitus, die quadam ſurgente quodam valido vento,

ignem

(*b*) Ex MS. cod. Bib. Vaticanæ pag. 178. qui Num. 3901. eſt.

„ ignem immiſit, & usque ad mœnia domos interiores ita combuſſit, ut vix
„ domorum fundamenta dignoſcerentur. Hoc idem fecere milites Cæſareani
„ diſcurrentes interdum, & villas Hungariæ detinentes; ſicque utrinque rapinæ,
„ ſtupra, incendia, cædes plurimæ, atque horrendæ committuntur jugulantur
„ ſacerdotes, diripiuntur eorum bona, & in oppido ſupra combuſto circiter mille
„ corpora hominum aduſtorum mortua in viis poſt incendium reperta ſunt.
„ Multa tamen ex Auſtria caſtella & oppida rex demit & capit quotidie. Hic
„ noſter ſereniſſimus Cæſar dormitat adhuc, creditur tamen, quod una die magni
„ aliquid ſit moliturus, cum jam permulta ex Carinthia, Carniolia, Sciria, &
„ ut dixi ex Auſtria ſibi ablata ſint, quod diutius nolle ferre dicit, multas ſibi
„ illatas injurias injuſte recenſendo a filio adoptivo.

gi laudem tribuens.

„ Die vero decima ſexta Budam appl cui, introductus tamen a quatuor
„ reverendiſſimis Epiſcopis, & Nobilibus multis, qui & juſſu ſereniſſimi regis,
„ & eorum fide, ac reverentia in Apoſtolicam ſedem, ac in ſanctitatem veſtram,
„ ad milliare, & ultra occurrerunt. Venerat primum Præpoſitus Albæ regalis
„ ad milliaria circiter duo Teutonica: reperi domum præparatam rebusque
„ omnibus regali more munitam. Sequenti die fui cum ſereniſſimo rege nomi-
„ ne ſanctitatis veſtræ adhortans multiplici ratione, ut a bello deſiſteret contra
„ Imperatorem, cum non deceret filium in patrem talia moliri, cumque ſancti-
„ tas veſtra exploratiſſimum haberet, nihil hoc bello charius eſſe Turco, qui
„ longe majora patre ſuo in Chriſtianos mala inferre decernebat, quod futurum
„ facile credebat, tum, quia auro paterno ditiſſimus eſſet, tum, quia bello
„ ſemper aſſuetus erat, & collatis ſignis ſæpe tentaret, quod pater vitabat ſem-
„ per & in inſidiis bella geſſit, tum quia militibus patre ſevero, & crudeli ca-
„ rior erat, poſtremo quia longo & vario bello Hungaros feſſos, atque exhau-
„ ſtos, & diminutos ſciebat. Reſpondit nunquam ſe abhorruiſſe pacem, imo
„ eam cum Majeſtate Imperiali affectaſſe ſemper multiplici ratione, ſed a ſere-
„ niſſimo Imperatore pro pace bellum reportaſſe, qui aliquando Bohemos, ali-
„ quando Polonos, interdum Auſtriacos in eum contra Turcos intentum ſolicitavit,
„ commovitque, ut a bellis illis ſanctiſſimis ad propulſandas injurias redire com-
„ pelleretur, & hic multas injurias enumeravit, quas referre longiſſimum eſſet.
„ Ego e contra illas commemoravi, quas ſereniſſimus Imperator contra ſe mo-
„ leſte latas dixerat. Eſt enim rex doctus, & cum gravitate, & majeſtate quadam
„ dicendi, ut nihil dicat, quam id, quod ſibi credendum videatur, & profecto
„ contemplatus eundem, ejus ingenium, linguam, mores; aſtutia, audacia
„ Principes omnes, quos novi, nullo excepto antecellit, beatiſſime pater! hic eſt
„ rex indefeſſi animi. Martialis totus, nihil niſi bellicum cogitans, & ſine ver-
„ bis faciens, hic machinas innumeras, tormenta plurima, bombardas adeo in-
„ gentes conflans, ut modum lapidum mille librarum, & jam decem & ſeptem
„ bombardas Poſonium verſus miſit, quarum unicuique trahendæ decem & octo
„ equi potentes ejusdem coloris colligati erant; quod vere obſtupui, tum quia
„ admiranda videbantur, tum quia non conficiendæ pacis, ſed augendi belli ſi-
„ gna videbantur. Rebar diuturno bello hunc ſereniſſimum regem inopem fa-
„ ctum eſſe, quod etiam in Gratz mihi ſuggerebatur, & in recenſendis cauſis
„ ad pacem urgendis iſtam non poſtremam connumeravi. quo, ut judico, factum
„ eſt, ut die vigeſima a quodam amico meo invitatus ſim ad inſpiciendum pal-
„ latium, quo, pace Italiæ dixerim, in ipſa nullum præſtantius, neque majus
„ eſt. Introductus in veſtiaria, ſive more noſtro in ſalvas Robbas, tot pretioſas
„ veſtes auro, gemmis, & margaritis onuſtas, tapetia, aulæa, tot vaſa argen-
„ tea, atque aurea mira arte elaborata vidi, ut exiſtimem quinquaginta curri-
„ bus deferri non poſſe: inter alia ſtuffam unam ex ſolido, & puro argento fa-
„ ctam tantæ altitudinis, atque ambitus inſpexi, quod duo vix complecti poſ-
„ ſent. Sunt unicorni duo, unus inſtar communis equi, alter unius aſelli cum
„ cornu vero ſuo; præterea cruces & ornamenta altaris admiranda, & præter
„ quingentos nonaginta phalos magnos, & cuppas trecentas aureas, & quadra
„ & bacilia ſine numero; quæ profecto omnia æſtimari non poſſunt. Tantam

1483. „ apud hunc regem pretioſam ſupellectilem, pretioſa vaſa, ornatum atrium,
„ ut Salomonis gloriam non crederem fuiſſe majorem, non tamen his extractus
„ pacem tractandam deſerui.

„ Iterum itaque admiſſus ſum: Majeſtas ſua repetens, quæ pridie dixiſ-
„ ſem, de præparatione Turcæ, atque potentia, dixit ſe fidei meæ id commiſſu-
„ rum, quo ſanctitas veſtra de illius viribus certior eſſet, pacem vero non re-
„ cuſare, imo illam cupere, ſed cum honore ſuo, cum graviter, ut antea dixerat,
„ injuriis plurimis laceſſitus fuiſſet, hoc in loco multa dicta ſunt, & tandem
„ nonnulla ſcripta, ſive inſtrumenta extulit, quorum copiam rogavit ad ſanctita-
„ tem veſtram deſtinarem, ut intelligeret, ſi an jure, vel injuria bellum mo-
„ viſſet, cum promiſſa iſtis inſtrumentis contenta, minime ſervata fuiſſent. Et
„ eum de Venetis verbum incidiſſemus, eorum in ſe perfidiam accuſavit, nec
„ in ſe ſolum, ſed in omnes Hungariæ reges, & ea pariter inſtrumenta extulit,
„ quæ hanc perfidiam complectuntur, nulla in parte ſervata, voluitque, ut illo-
„ rum exempla ad ſanctitatem veſtram deſtinarem, quæ omnia omnibus nota
„ deſiderat. Tandem cum rogaſſem, ut depoſita bile animadverteret, in quem
„ pugnaret, id eſt in patrem, in ſenem, in inermem, in eum, quo victo nullam
„ gloriam reportaret, animadverteret, quod quantum Deo deberet, qui eum
„ in regem extuliſſet, in hoſtes ſuos victorem ſemper effeciſſet, qui ſubactis to-
„ ties Turcis de eis triumphaſſet impoſterum longe magis & glorioſius trium-
„ phaturus, ſi veri ſanctitatis veſtræ ſucceſſoris Petri, Vicarii Chriſti ipſum pa-
„ terno amore amantis, admirantisque, & ſæpe cum de eo loquitur, regem re-
„ gum nominantis (preces) andire dignetur, nec cor obduraret ſuum, ſi quæ
„ ſibi ſuaderet. Sanctitatem veſtram non defuturam, ſi his turbinibus Italicis
„ aliquando poſſet abſolvi, quibus in vita tamen involuta erat, præſerim a Ve-
„ netis, qui dominandi toti Italiæ, ac univerſo orbi libidine accenſi, etiam
„ Ferariam inſignem Eccleſiæ urbem tanta rabie invaſerant, ut eam cum civita-
„ tibus plurimis procul dubio Imperio ſuo adjeciſſent, niſi ſanctitas veſtra
„ quam celerime occurriſſet firmiſſimam ligam amplectendo. Et hoc in loco
„ quæ contra ſanctitatem veſtram ſparſerant, ut beatitudinis juſſu ſuſceptum
„ bellum videretur, ita enervari, rationes illas in inſtructionibus datas explicando,
„ oſtendendoque ut in nullius mentem id cadere poſſit. Invit etiam cauſam no-
„ ſtram, quia hic nemo eſt, qui eos incredibili, irrevocabili odio non proſeque-
„ retur. Poſtea ad amplectendam pacem redii dicens ſanctitatem veſtram ad
„ hanc exhortari, quia ſi gloriam appetit humanam, benignitate potius, atque
„ clementia aſſequetur, quam odio, vindictaque. Scipionem, Cæſarem, An-
„ tonium Pium, Conſtantinum, Theodoſium, Stephanum Hungariæ regem
„ primum, Emericum, atque alios, quorum ſepulchra in Alba Regali videram,
„ intueretur, qui clementia ſua hoſtes ſæpius, quam armis devicerunt. Id ſibi
„ pariter futurum, ſi dimiſſo bello, ultro, & libere Imperatori, Patri ſuo ablatas
„ terras reſtitueret, qui in Majeſtatem ſuam offerrebatque, jurabatque ſe plura
„ facturum, & illico, quam ſi mille legibus, & fidejuſſionibus antea urgeretur,
„ quod ſibi ſua regia Majeſtas ſuadere poteſt, cum pro ſalute ſuorum populo-
„ rum, atque jura Imperii tueretur; & quia mentiri erubeſceret in annoſa ætate,
„ & infirma conſtitutus. Hic ſereniſſimus rex quodam cachino motus, nullo
„ pacto illi credendum eſſe, neque credere velle reſpondit, a quo toties inique,
„ doloſe in inſidiis deceptus fuiſſet, ſeque ſcire cauſam ſuam juſtiſſimam eſſe &
„ principibus Germaniæ notam. Subridens repetii, hoc bellum videret ſibi in-
„ glorium eſſe, cum leo cum mure pugnaret, quo verbo pauliſper commotus
„ fuit; perrexi tamen orans, ut vellet bonitate, pietate, & religione ſua inſi-
„ dias illas, dolos illos, & injurias ſuperare, arma in Turcos vertere, quibus
„ nomen ſuum celebre magis, atque ſerenum efficeret, & in cælum tandem pa-
„ teret iter, ubi non caduca & inani gloria, ſed firma, atque perpetua cum
„ Chriſto, & triumphantium Angelorum & Sanctorum omnium curia procul-
„ dubio frueretur, eſſetque tertius Hungariæ rex ſanctus, qualem ſanctitas ve-
„ ſtra jam habet, ſi pacis tranquillitate cum Imperiali Majeſtate frueretur &
Chri-

„ Chriſtiani nominis hoſtes aggrediatur, & Eccleſiæ, quæ eum juvat ſemper, 1483.
„ neque in poſterum veluti murum & antemurale ſuum derelictura, ut prope-
„ diem felici rerum eventu cernere poſſet, ſi cor ſuum non Pharaonis eſſet,
„ qui nullo ſapientiſſimi & facundiſſimi Moyſis ſermone flecti valuit, ſed Eze-
„ chiæ regis, qui a Propheta, ut rebus ſuis diſponeret, admonitus, meliorem
„ mentem ſuſcipiens, corque pœnitens, & ad parietem verſus ingemiſcens, vita
„ in annos quindecim longiori donari meruit, quibus exemplis ſua regia Maje-
„ ſtas pereipere potuit, ſereniſſimos reges uon ornatis verbis, vel facundia ad
„ rectum, juſtumque ſuaderi trahique debere, ſed bonitate naturæ, Deique ti-
„ more. Si enim in reges plus orantis facundia, quam naturæ bonitas valeret,
„ Pharao Moyſi ſapientiſſimo, doctiſſimoque ſuper omnes Prophetas, imo quo
„ cum Deus facie ad faciem locutus eſt, longe melius obtemperare debuiſſet,
„ quam Prophetæ illi Ezechias; quo non me balbum, & dicendi ignarum, ſed
„ naturæ ſuæ bonitatem inſpiceret, & ſanctitatem veſtram revocantem eum a
„ bello audiret.

„ Hæc omnia, & longe piura retuli in eonſilio plurium, & quidem di-
„ gniſſimorum Prælatorum, Archiepiſcopi Colocenſis, Epiſcopi Varadinenſis,
„ aliorumque ſanctam ſedem Apoſtolicam, & ſanctitatem veſtram ita obſervan-
„ tium, ut a nemine ſuperentur, quod uberius rediens explicabo; laudes, &
„ ſanctimoniam ſanctiſſimi, & annoſi patris Epiſcopi Veſzprimienſis, qui tanta
„ pietate ſanctitatem veſtram proſequitur, ut de Deo loqui videatur, non præ-
„ termittendo. Vere hic annoſus pater ſanctus eſt, & talem in arce ſua Præ-
„ ſulem vidiſſe lætor. Aderant etiam Barones plurimi, inter quos fuit ille Ste-
„ phanus (Báthor) Vayvoda Tranſilvanus noviſſime ab exercitu in Turcos
„ reverſus, ſanctimonia, & bonitate, atque prudentia pollens, David alter. ut
„ Paulus, & Virgo, quem nomine ſanctitatis veſtræ ſalutavi, atque benedixi,
„ quod ita gratum habuit, ut præ gaudio lachrimans dixerit audentius ſe hac
„ ſalutatione pugnaturum, & ſupplicat, quatenus ſanctitas veſtra benedictionem
„ ſuper ſe, ſuumque exercitum impertiri dignetur, ad quem rediturus mox
„ eſt, occurſurus Turcis, qui in Tranſilvaniam deſcendere decreverunt, cum
„ tamen una pars exercitus Turcici in maritimas oras revertatur ob nonnullos
„ motus, quos tamen nondum intelligere potui, & a quibus fiant.

„ Beatiſſime pater! antequam alloquerer regem, reginam ſanctitatis ve-
„ ſtræ nomine adiveram, & ſalutaveram a ſanctitate veſtra, quam uti filiam a-
„ mari dixeram, mihique a ſanctitate veſtra mandatum, ut ea inſcia nihil loque-
„ rer, imo eam ſuper dicendis conſulerem. Alios prætereâ brevibus, ut ipſorum
„ dignitas poſtulabat, ſuper ſcriptis accerſivi, qui omnes operam ſuam præſti-
„ turi polliciti ſunt. Quare cum ipſa regina bellum hoc ita permoleſtum ha-
„ beat, ut nullus ſit naturalis Hungarus, qui in Chriſtianos id bellum ſuſcipere
„ velit, ſoli tantum Bohemi, & transfugæ Turci, ac aliæ gentes, ut Serviani.
„ Sic igitur pulſatus rex me poſt multa reſponſa ad prædicta eum regina retra-
„ xit, aperuitque ſe omnia ab Imperatore rapta, voluiſſe ſanctitatis veſtræ mani-
„ bus dare, quæ poſtea illi reſtitueret, cum de decem millibus equitum ad
„ triennium uſque cum tota Germania providiſſet, quo tempore procul dubio
„ Turcus eo auxilio adjecto debellaretur. Cum jam delinitum viderem, dixi,
„ hoc Cæſari neque placere, quia in ſuum dedecus redundare videretur, tan-
„ quam in eum, qui infidelis eſſet, & mendax, & quod amore Dei recordare-
„ tur, ſe ſuum filium eſſe; at ille nunquam morem ſibi gereret, inquit, ne
„ mihi ulterius illudat: Tunc oravi, ut Majeſtas ſua cogitaret, ſi quis alius
„ eſſet modus, quo pax iſta confici poſſet, & ſanctitas veſtra exaudiri, quæ tan-
„ tum amabat eum: ut ego pariter agerem, quod profecto non quieturus eſſem,
„ nec comeſturus quidquam ſapidum, donec modus huic tanto malo adhiberetur,
„ quo reſpublica Chriſtiana peritura videbatur. Hoc ſe facturum reſpondit
„ data manu, maxima cum humanitate, juſſitque Prælatis, ut domum me re-
„ ducerent, in qua ſereniſſima regina me ut filium fovet, cujus excellens inge-

1483. „ nium tantum eſt, ut nulla lingua laudare ſufficiat. De rege vero, ſi rediero,
„ tanta dicere oportebit, ut in republica Chriſtiana neminem ſibi comparandum
„ inveoerit Beatitudo veſtra, quæ ſi ipſum amavit, coluit, juvit, id ſane ſan-
„ ĉte factum fuit.

„ Die ſequenti ad colloquium reverſus, prius tamen, ab Epiſcopis, & Ba-
„ ronibus, & a ſereniſſima regina, ne pulſare deſiſterem, monitus, qui hanc
„ pacem cupiunt, veriti belli finem toti regno, & reipublicæ Chriſtianæ perni-
„ cioſum futurum, cum optime calleant, regnum & hominibus, & divitiis
„ exhauſtum, diminutumque, & lamentationum querimonias percrebras rege
„ melius intelligant. In ſumma non præſtandam fidem Cæſari inveni, quæ dum
„ enervare ſtuderem, ſubmiſſa voce, & admoto auri meæ ore inquit: niſi ego
„ eſſem, & hoc bellum in hunc iniquum hominem geſſiſſem, jam vos Eccleſia-
„ ſtici ſentiretis, quos exoſos habet, & credite mihi, viſus ſum annuere, &
„ hoc ſanctitatem veſtram bene ſentire, ſed magis proſpicere religioni Chriſtianæ,
„ quam machinationibus iſtius hominis, qui apud Principes parvo habetur in
„ pretio. Hoc in finem bonum dixi. Inter hæc verba, dum penderemus, &
„ deprehenderem regem ipſum ſanctitati veſtræ gerendi morem cupidom, in men-
„ tem venit hoc, quod illico dixi: quid ſereniſſime rex ageret Majeſtas veſtra,
„ ſi poſteaquam Imperator vellet ſibi libere ablata reſtitui, & illico de auxilio
„ præſtando certiſſime providere, neque aliter ad pacem devenire, & Majeſtas
„ veſtra nullo pacto in hoc ſibi vult confidere, modus aliquis reperiretur, quo
„ pax ſperari poſſet, & Imperatori ita ſatisfieret, & Majeſtas veſtra non frauda-
„ retur, cum eodem contextu Majeſtas veſtra ſubſidii habendi & reſtitutionis eſſet,
„ & Cæſar ſuæ. Reſpondit ridens, hoc ſibi placere, ſi reperiretur. Tunc quid
„ ſi ſanctiſſimus Dominus noſter unam Diætam indiceret in Germaoia pro fide
„ Catholica juvanda, & hac lite ſedanda, ad quam Principes vocarentur, & ibi
„ res iſta ageretur? Paululum cogitabundus inquit, non diſplicet: ſed quonam
„ modo fieri poſſit, & debeat, cogitabo, tibique referri faciam, ne toties ſin-
„ ceritas tua fatigetur. Eſt enim caute agendum, nam ſi Imperator, tanta eſt
„ ipſius maliguitas, quorſum iſta fieret Diæta, perciperet, nunquam fieri pate-
„ retur, teque illico ſuſpectum, & inviſum haberet. Beatiſſime pater! hoc re-
„ ſponſum mihi admodum gratum fuit, rato jam iſtius animum delinitum, &
„ pacem optare, & ſanctitati veſtræ velle parere, quam vere unice amat, &
„ pie veneratur, cum ſecreto ſubjunxerit, ſe in Deo ſperare, quod adjuvante
„ ſanctitate veſtra tribus regnis a Turco detentis facile potietur, & rem aperuit,
„ quam infra referabo.

„ Nox inter loquendum ſupervenit, qui ad cœnam, quæ jam parabatur,
„ & invitavit lætus valde, & tenuit. In parte una menſæ Majeſtas ſua, & regi-
„ na; in altera Stephanus ille Vayvoda Tranſilvanus, vir vere ſanctus, & re-
„ verendiſſimus Epiſcopus Varadinenſis, regi, atqoe reginæ admodum gratus,
„ & ſanctitatis veſtræ obſervantiſſimus, cujus lingua homanitatem illam prædi-
„ care non ceſſat, qua eum ſuſcepit, quando Romæ fuit, diſcubuerunt: In
„ altera Orator ſereniſſimi regis Ferdinaodi, egoque. Huic cœnæ noo defuere
„ cantus varii: habet enim cantorum capellam, qua nullam præſtantiorem vidi,
„ & pridie in capella ſua ſolemnem miſſam juxta ſuorum glorioſos mores cantari
„ fecit magna Prælatorum, & Nobilium præſente caterva. Cum rediero, quan-
„ to ſilentio, quanta devotione, quibus cerimoniis, quanta gloria miſſa illa per-
„ fecta ſit, explicare ſtudebo, confundebar ſane, arguebarque a ſæculari Prin-
„ cipe in his, quæ ad Divinum cultum, & animarum ædificationem attinent,
„ ſuperari. Obſtupui profecto. Cœna regia non ſine laudibus ſanctitatis veſtræ
„ virtutom intermixtis conſummata, vale feci.

„ Sequeoti die ad veſperum reverendiſſimum Colocenſem Archiepiſco-
„ pum, lingua, & ingenio potentem, & Baronem quemdam Dominom Geor-
„ gium de Lapide Alemaoum non dormitantem rex ipſe ad me direxit; quibus
„ ſolis, ſolis inquam, cum reginæ non dixerit, motivum meum communicavit,
„ ut de modo habendæ hujusmodi Diætæ decerneremus, quod tamen jam inter

ipſos

„ ipſos ſatis agitaſſe cognovi, ſed in pleriſque periculum objectabatur. Tandem
„ in hoc concordes fuimus, quod poſtea rex probavit. Primo: quod ſancti-
„ tas veſtra conficeret Bullam, in qua exordiretur, quod cum ſemper fuerit
„ intenta in reprimendis Turcis Chriſtiani nominis hoſtibus, & ob hoc multa
„ expoſuerit, & hic claſſes omnes, & enumeratæ provinciæ inferi poſſent, &
„ demum exortum fuerit crudele, & atrox bellum, quale profecto eſt inter Im-
„ peratorem, & regem, ad ſedandum veluti reipublicæ Chriſtianæ perniciosum
„ multos, & Cardinales, & Epiſcopos, & demum Epiſcopum Caſtellæ deſtina-
„ verit, hac tempeſtate, qua Turcus cum ſuis colligatis non dormit, ſed copias
„ ampliſſimas contraxit, ut ipſiſmet apertiſſime conſtat, majores etiam contra-
„ cturus, niſi inter præfatos Principes pax ſanciatur. Et propterea huic tanto
„ diſcrimini Catholicam fidem concernenti occurrere volens, mihi injungebat, ut
„ ubi commodius haberi poſſit, conventus Principum Germanorum habeatur,
„ qui modum inveniant, ut hoc tantum incendium non modo ipſis, ſed Chri-
„ ſtianis omnibus periculoſum extinguatur, & inter patrem & filium pax firma
„ ſanciatur ad expugnationem Turcorum, & illorum Venetorum confuſionem,
„ qui honeſtate, & Chriſtiana religione poſthabita, ſola eorum libidine dominandi
„ accenſi, diſſidium hoc nutriunt, nec quidquam prætermittunt, quod continue
„ gerendo hujusmodi bello conducere puteat. Optat mirum in modum rex
„ Venetos, & in Bulla, & Brevibus tangi, quos toti Germaniæ infenſos ſcit,
„ & Germanos avidos non minus in iſtos, quam in Turcos irrumpere. Omnia
„ hæc de Bulla pro conventu, quem Imperator movere non poterit, cum ad
„ tutandam religionem ſit, quo caſu ſanctitas veſtra in Imperio conventum ſta-
„ tuere poſſet. Brevia ad omnes Principes dirigantur adhortantia, ut huic con-
„ ventui intereſſe velint, per me ſanctitati veſtræ indicando, ut pacis conficien-
„ dæ modus ſua prudentia reperiatur, & Turcorum, ac Venetorum ambitio
„ retundatur, qui ſi fideles Chriſtiani eſſent, Turcis non fuiſſent colligati ad
„ aggredienda bella in Chriſtianos, & diſſidia diſſeminanda. Eſſet etiam Breve
„ ad ipſum Imperatorem dirigendum artificioſum, & in ſe pium, quod cum a
„ me ſanctitati veſtræ reſcriptum ſit, pacem nullo modo componi poſſe, bono
„ ſuæ Majeſtatis intento ob amorem, quem ad ipſum, & Chriſtum habet, rebus
„ iſtis modum omnino reperire decrevit. Quare mihi indixit ut Principum
„ Germanorum conventum habeam, a quibus requiram, ut huic morbo ſuc-
„ curratur, & propterea hujusmodi conventui intereſſe velit ſaltem Oratoribus
„ plena poteſtate munitis. Item fiat Breve ad regem hoc pacto, eodem contex-
„ tu in Diæta ſecurus erit rex auxilii hujusmodi, & Imperatoris terrarum ſan-
„ ctitati veſtræ reſtitutio fiet, & ſolicitationes Venetorum enervabuntur, & ſe-
„ dis Apoſtolicæ, ac ſanctitatis veſtræ auctoritas creſcet in confuſionem iſtorum.

„ Hæc ſi ſanctitas veſtra probat, ſecrete, ſecretius, ſecretiſſime præparen-
„ tur, & ad me omnia mittantur cum Bulla Brevia, ut poſtea mittere poſſim,
„ tanquam rem a ſanctitate veſtra excogitatam. Nam cum Imperatore, ad quem
„ ſexta feria proxime futura iter dirigam, nullum verbum, neque ſignum fa-
„ ciam, imo compati fingam. Rex hanc viam unice probat, ut utriusque ho-
„ nori ſatisfiat, & ſedis Apoſtolicæ gloria a Venetis minime conculcetur. Inter-
„ ea ad contundenda Venetorum jurgia diſſeminata ſequar, & tanquam a me
„ ipſo ipſis Principibus ſuadebo ad pacem iſtam conficiendam modum excogita-
„ ri debere, donec ſenſim ad Diætam venerimus, pro qua Diæta rex ſe ſcriptu-
„ rum ad aliquos Germaniæ Principes non minores, quos ſibi clandeſtine de-
„ vinctos habet, & Duces Saxoniæ, quos magni facit, laudibus extollit, qui
„ Germaniæ nunc major pars, & potentior ſunt, & ſui ſtatus. Nec abs re;
„ hunc regem, ſi ſanctitas veſtra videret, quam gravitatem, quam prudentiam
„ præſefert, quam ſuavi & gravi eloquentia polleat, diceret hunc Italiæ, & La-
„ tinæ linguæ ſemper incubuiſſe. Felix ſit ſanctitas veſtra, cujus ſanctiſſimis
„ precibus me commendo: & ſi in ulla re delinquo, fidem in ſe meam accuſet.
„ Non evitabo labores, modo Deo, & ſanctitati veſtræ morem geram.

1483.

Mathias ab Turcorum purpuratis in Bajazetem concitatur.

Hæ nuncii ad Papam litteræ: ex quibus perſpicuum fit, Mathiam ſerio ad ineundam cum Cæſare concordiam animum appuliſſe, ut huic conciliatus, vires omnes, tutis domi rebus, in barbaros converteret. Offerebant ipſi barbari ad rem bene gerendam occaſionem, modumque. Præfecti enim militiæ Bajazetis feritatem pertæſi, Zizimum, qui a prælio, ex quo inferior exceſſit, ad Rhodios confugerat, factione per exercitum conflata paterno ſolio reſtituere moliebantur, modo Mathias Principem ab Rhodiis peteret, ſuoque nomine Bajazeti bellum obmoveret: ſe regis conſilia non modo præbita auri, argentique copia, ſed ſubſidiis etiam militaribus adjuturos eſſe. Hæc clam regi per nuncium ſignificata. Non abhorrebat Mathias a bello, quo & barbaros ſibi devincire, & Boſnia, Serviaque penitus ſe potiri poſſe vidit; ſi modo Turci pollicitis ſtaturi viderentur. Eam ob cauſam fœdus cum Cæſare ambiebat, & Zizimum a Rhodiorum magiſtro per litteras, & Legatos crebro, & majorem in modum flagitabat. (*c*) Rem ita habuiſſe partim ex Rhodiorum litteris, partim nuncii Epiſtola, quam ea de re ad Sixtum Buda exaraverat, citra dubitationem conſtat. (*d*) Hæc in hunc tenorem habet:

Quam ob rem, & in quem finem

Beatiſſime pater! via, quam rex Hungariæ ad expugnandum Turcum certam, & ſecretiſſimam habet, & ſecretiſſimam teneri cupit, atque vult, hæc eſt. Devictus Turci frater, qui a Rhodienſibus detinetur, quidam Baſſa illi charus, & primus captus fuit bello illo contra ſtatutum ordinem infeliciter geſto. In parte ſiquidem Turci Imperium poſſidentis, qui primi ſunt Baſſæ, ii clamore cum Turco a Rhodienſibus tento, convenerunt, ut prælium primo occurſu intret, ſicque Turcum nihil tale opinantem, a tergo illico ferituros fore, ſicque futurum, ut cæſo vel capto Turco in prælio, qui omnibus paſſim inviſus eſt, iſte e contra omnibus charus in imperium reduceretur. Sed res ſecus evenit, nam cum præceps nimis, & inconſulte adoriretur, ſui graviter feriri, & terga illico dare cœperunt. Quo Baſſæ illi tam aperto diſcrimini ſe objectare formidarunt; quare multi præclari bellatores capti e veſtigio cæſi ſunt; illoque ut charo ſervato precibus Procerum victoris Turci dicentium: tam præſtantem, & ſtrenuum virum non eſſe cædendum, ſic ſervatus Turci mancipatus fuit, & aliquando tortus, tandem religionem juxta Mahometi ſectam ſimulans voviſſe, e carcere ſolutus fuit. Libertatem hac arte nactus, & ab illis primis, & potentibus Proceribus Baſſis hortatus ad reducendum Turcum a Rhodienſibus tantum cum auxilio regis Hungariæ, qui poſtea illo imperio, & ſuo regno potietur, ad hunc regem Hungariæ aufugit, præmonitus tamen ab illis, quod quam primum intelligerent ipſum ad Hungariam veniſſe, ipſos cum copiis ſuis affuturos. Rem hanc ut intelligerem, Turcum ipſum Baſſam, qui huc aufugit, per reverendiſſimum Archiepiſcopum Colocenſem, & magnificum Georgium de Lapide ad me miſit, cui prius fidem dederam ſecrete omnia retinendi. Ab iſto omnia, quæ dixerat rex Hungariæ, pariter intellexi, fideliſſimo regis Hungariæ referente interprete. Iis ſic peractis præfati Archiepiſcopus, & Baro regis nomine petiverunt unum ex familia mea huic Baſſæ dari, qui eum ad ſanctitatem veſtram comitetur, ad quam iſtum Baſſam deſtinare intendit rex ipſe. Reſpondi me hominem daturum, non tamen ex antiquis meis, cum alius eſſet mortuus in itinere, alii infirmi variis locis relicti, ita, ut reliquis carere non poſſem, darem tamen virum bonum, & aptum Joannem quemdam Hungarum, qui Epiſcopo Forolivienſi ſervivit, quique aliquando ad pedes ſanctitatis veſtræ acceſſit. Veniet igitur hic juvenis, & amicum illum ducet ad ſanctitatem veſtram, quam nomine regio oro, ut ad ſe Turcum Baſſam admittat, & ſecrete Turcus a Rhodienſibus tentus cum hunc viderit, illico ſequetur. Et licet aliter aliis litteris ſuper hoc ſcripſerim, tamen res, ut poſt illas ſcriptas accepi, ſic ſe habet. Quod ſi rex Hungariæ illum detentum habeat, tribus regnis illico potietur, quæ Chriſtiana fuerunt. Qua via poſſit haberi Turcus ille, hæc eſt: milites illum cuſtodientes reſponderunt cuidam a rege illuc deſtinato, quod ſi eorum magnus Magiſter licentiam hoc agendi eis dederit, ad regem Hungariæ usque ipſi illum ducerent. Perſuadet ſibi rex Hungariæ magnum Magiſtrum Rhodi nunquam negaturum ſanctitati veſtræ, ſi petere dignabitur. Juvenis iſte optimus erit, qui ad me redeat, ſi quidquam mihi ſcribendum erit, cum omnia Germaniæ loca quaſi perluſtraverit. Is tamen, quem ſociet, & ad quid, penitus ignorat. Hac ex re percipere poteſt, qualis meus iſtius regis ſit, quamque ſpem in ſanctitate veſtra habeat, & quam mihi fidem præſtet hac in re, quam ut ſecrete accepi, conſorti ſupra modum dilectæ minime communicavit.

(*c*) In Codice II. Diplomat. Melitenſi. (*d*) Ex eodem Cod. MS. Biblioth. Vaticanæ.

cavit. Regem hunc charum ſibi teneat ſanctitas veſtra. In eo armorum præſtantia, animi magnitudo, & religio ſingularis, pro dignitate loquor, qua qui præditi ſunt, religionis parum habere canſueverunt. Felix & incolumis ſit beatitudo veſtra, cujus ſanctiſſimis precibus me commendo. Ex Buda XXIV. Octobris MCCCCLXXXIII. Vetuit ſereniſſimus rex hodie, ut inſtitueram, abire, utinam cras ſinat! pudet me diutius iſtic eſſe, quando ita mecum agit, ac ſi ex ejus ſanguine natus eſſem: Cuncta Deo, & ſanctitati veſtræ tribuo.

Spes pacis per novas Bohemorum turbas intercipitur,

Poſtridie Viſſegradum Regem ſequi juſſus, parum aberat, quin pacis negotium hactenus operoſe adductum penitus reſcindi videret. Certe Mathias ambiguo interea animo rem pedetentim perfici oportere exiſtimabat, quod conſilia rebus, quæ per nuncios ex Bohemia, & Polonia recens afferebantur, accommodanda eſſent. Pragam enim ab Huſitis per vim occupatam, Wladislaum, trucidatis magnam partem Catholicis urbe excluſum litteræ ex Bohemia allatæ ſignificabant. Jamque in mediteranea regni hæreticos graſſari & urbem Cutnenſem cum ceteris auri, argentique fodinis tenere, quas cum rex conflato octo millium exercitu occupare vellet, cum pudore reverſum: muſſari itidem Polonos magna ab Tartaris clade affectos eſſe: quæ ſi vera ſint, fœderis cum Cæſare ineundi rationes pro temporis rerumque habitu nonnihil mutari oportere. De quibus Pontificem per litteras edoceri, Nuncius operæ precium putavit. (e) *Beatiſſime Pater! - - ad veſperam hujus diei Viſſegradum viginti quinque millia paſſuum a Buda diſtans vix applicueram, cum magnificus Dominus Georgius de lapide a ſereniſſimo rege me ſubſequi juſſus, affuit, ut quæ ex Bohemia paulo poſt diſceſſum accepiſſet, mihi referret, quæ hæc ſunt: occupata Praga ab hæreticis, occiſis illis, atque aliis, occiſa regio Cancellario Succamanata, theſaurario, & regia ſuppellectile in contemtum boni, & Catholici regis direpta, inſtitutoque conventu, ut in primis litteris ſcripſi, primagenitus regis Poloniæ octo millia pugnatorum ad detinendum oppidum mortem Cuten, ubi aurum, argentum, & cuprum ſodiuntur, miſit. Oppidani hæretici dixerunt, niſi repente abirent, ſe eos ad unum interemturos. Exterriti itaque ad quandam vicinam civitatem ſeceſſerunt, & dictus primogenitus audita rebellione montis Cuten, cum octo millibus armatorum occurrerat, qui cum iſtis gentibus iſtam civitatem intrare tentavit, quem incolæ cum aliquibus paucis, & non aliter ſuſcipere velle dixerunt, quod ubi primogenitus præfatus intellexit, demiſſo capite mæſtus abivit. Quibus novis rebus rex Hungariæ pro certo habet novitates plurimas & varios motus in hoc regno in dies emerſuros, rogatque, ut ſanctitas veſtra in hac re præſtalanda fidem, ſuperſedere velit; eſt ut aſſerit hoc in turbine pedetentim incedendum. Reor ego rem hanc Imperatori mirum in modum permoleſtam, quod facile intelligam hinc ad dies decem ad eum perventurus. Muſſitatur rex Poloniæ a Tartaris magnam cladem accepiſſe, non tamen exſtant litteræ. Ex Viſſegrada, paradyſo terreſtri die XXV. Octobris MCCCCLXXXIII.*

Et per Legatos Bajazetis, qui pacem petunt.

Itaque Nuncius acceptis ab rege novis mandatis, nequid niſi explorato penitus Cæſaris animo, in concilianda concordia præcipitaret, Græcium contendit, ut conditiones pacis, in quas regem fœdus velle ſancire ſupra memoratum eſt, Friderico explicaret. Fuit magna utrobique fœderis conflandi expectatio, cum repente quidquid ſpei id denique erat per Bajazetis oratores, qui Budam venerant, interceptum eſt. Afferebant ab Sultano litteras, quibus faſtu barbaris uſitato explicabat, ſe niſi rex invitus eſſet, quinquennales cum eo inducias paciſci velle, non quod potentiam illius formidaret, ſed ut in Ægypti Sultanum, quem novas adverſum ſe res moliri intellexiſſet, converſis totius regni viribus, pœnam ex fœdifrago ſumeret. Litteræ in hæc verba exaratæ ſunt. (f)

Hujus ad regem litteræ

„ Sereniſſime Princeps, & Domine amice noſter dilecte! veſtræ notifica-
„ mus ſerenitati, quod, rex Sultanus, qui tempore Patris defuncti noſtro ſub-
„ ditus erat Imperio, nunc quoque ductus a nobis ſe avertit, quem iterato
„ noſtra potentia ſubdere oportet. Agnovimus etiam ut veſtra ſerenitas cum
„ Imperatore Romanorum ſatis agere habeat. Volumus ergo ſi veſtræ placet

(e) Ex eodem Cod. MS. Biblioth. Vaticanæ. (f) Epiſt. Math. Corv. Parte IV. pag. 1.

1483.
,, ſerenitati, usque ad quinque annos immediate ſequentes inter nos treugas
,, pacis firmare, ita ut usque ad terminum præfixum, veſtra ſerenitas adverſus
,, potentiam noſtram non inſurgat, nec nos contra ſerenitatem veſtram inſur-
,, gemus, fide noſtra mediante ut in aliis mundi partibus pro parte noſtra ſecure
,, noſtra optata perficere valeamus. Non autem exiſtimet veſtra ſerenitas, ut
,, ex eo vobis intimaremus, quod veſtram formidaremus potentiam; ſed cum
,, ambo pluribus ſimus occupati negotiis; noſtris contrariis facilius obſtare poſ-
,, ſumus. Tandem ſi veſtræ placuerit voluntati, vobiscum pacem ſempiternam
,, componere, promittimus.

Re deliberata quinquennes inducias Turcis concedit,

Lectæ, ac in conſultationem propoſitæ litteræ, ut omnium fere animos, ita ſententias quoque ambiguas reddidere. Abhorrebant plerique barbari a fœdere, præſertim Colocenſis Archiepiſcopus, quod haud ita pridem Nuncius Apoſtolicus ad Fridericum conditiones, in quas amicitia coaleſceret ex pacto, regisque voluntate tuliſſet, videretque pulcherrimam occaſionem, quam ipſi Barbari offerebant, ad reſtituendum folio Zizimum e manibus elabi, quo non ſolum in freno contineri Bajazetes poſſet, ſed quæcunque ab Hungaria per Turcos, regna avulſa eſſent ingenti ſumtuum compendio recuperari: pauci Legatis favebant, qui inducias, quæ bona fide offerebantur, non aſpernandas videri dicebant, ne eodem tempore regi cum gemino hoſte res eſſet. Variantibus ita ſententiis rex ſecundum iſtos pronunciavit, ab induciis, ſi modo fraus, dolusve abeſſet, minime abhorrens. Qua de cauſa illo adductus ſit, apud neminem comperio: credibile eſt, cum traducto ab Rhodiis, ut ex Nuncio ſuo intellexerat in Galliam Zizimo, rei in barbaros gerendæ occaſio intercepta eſſet, neque num Imperii Comitia, quemadmodum cum Nuncio Apoſtolico conventum erat, indicenda forent, ſatis certo ſciret, tum ſi cogerentur etiam, in quam partem Germaniæ Principes ſententiam pronunciarent, vehementer dubium videretur. maluiſſe regem oblatas a Bajazete inducias, de quarum fide nihil dubitabat, ratas habere, quam incertam cum Friderico pacem amplecti. Utrumvis fuerit, induciæ quinquennales in hanc conditionem conflatæ ſunt: Nemo Turcorum, qui Europam coleret, in regis ditiones pedem inferre auſit, neque maleficium damnumve ulli Chriſtianorum provinciæ interea dare fas eſſet: mercatoribus tamen rerum emendarum, vendendarumque cauſa ad limites appropinquare integrum utrinque eſſet; de pace poſtea viſurum. Has conditiones Colocenſis Archiepiſcopus in tabulas retulit, ſed quæ illi, quod eas haud ſatis diſerte explicuiſſet, non multo poſt tempore caro admodum conſtabant. Adjectæ itidem Oratoribus litteræ, quibus ratas ſe inducias habere rex ſignificat. (g)

Et Bajazeti reſcribit.

,, Potentiſſime Princeps! Domine amice noſter dilecte! Intimata ejusdem
,, veſtræ potentiſſimæ Majeſtatis, noſtræ transmiſſa ſerenitati pro parte induciа-
,, rum ſonantia plane percepimus, quæ ſicut potentiſſimæ veſtræ Majeſtati ita
,, etiam noſtræ placent ſerenitati, cum nonnulli forent contumaces, qui noſtris
,, recuſent parere mandatis, quos etiam nos corrigere opus eſt. Igitur ad ejus-
,, dem veſtræ potentiſſimæ Majeſtatis vota treugam usque ad annos præfixos in-
,, dulſimus, fideque noſtra, qua fungimur, Chriſtiana promittimus, eam im-
,, mediate firmiter obſervare, ita tamen, ut regnis fidem noſtram obſervantibus,
,, nullibi noceatis, & ſignanter ex iſta parte maris exercituantium more, pro par-
,, te potentiſſimæ veſtræ Majeſtatis nullus exire audeat, demtis inſtitoribus, qui
,, cum ſuis mercantiis ad confinia regni noſtri libere venire poſſint, & redire
,, treuga præmiſſa durante. Demum, ſi Deo placuerit, & noſtræ parili vo-
,, luntati, treuga pacis perpetue inter nos poterit radicari. Datum Budæ an-
,, no MCCCCLXXXIII.

Pontifex ad ſedandas Huſſitarum

Satis conſtat, Mathiam inducias cum barbaris pactum, magnam ſibi apud Europæ Principes invidiam conflaſſe, niſi propterea fortaſſe factum, ceteroquin illaudabile, elevari poſſit, quod eadem opera ceteris quoque Chriſtianis in quinquennium a barbarorum injuriis caviſſet. Sed de hoc arbitrium penes alios eſto.

Pon-

(g) Ibid. pag. 2.

Pontifex rerum, quæ interea geſtæ in Hungaria fuere, ignarus, ſpeique, quam de concilianda cum Cæſare amicitia habuerat, plenus, ut primum de funeſtis Huſſitarum in Bohemia molitionibus comperit, cum periculo rei Chriſtianæ, tum Wladislai cauſa adactus, Mathiam per litteras conveniendum cenſuit, ut malo remedium pro ſua auctoritate opponeret, ne vis contagionis, ſi quid eatenus diſſimularetur, porro ſerperet; obteſtatus, ut pro ea, qua in ſedem Apoſtolicam ſe ferri reverentia ſæpe per litteras, ac nuncios indicaſſet, morem ſibi ea in re, quæ peſſimi ad ceteros reges exempli eſſet, gerere ne gravaretur. (*b*) *Innotuiſſe* (ſcribit) *credimus Majeſtati tuæ, quod nuper etiam nobis triſti nuncio re.atum eſt, Hæreticos ſcilicet civitatis Pragenſis proxime facto tumultu inſurrexiſſe contra Catholicos noſtros, & rabiem ſuam crudeliter exercentes in eos, quot·juot in Prætoriis, in ſacris ædibus, in privatis denique ædibus inventi ſunt, varie trucidaſſe. Quæ res ſicut enormis in conſpectu Dei, & hominum extitit, ita nos, quibus curæ eſt ſemper cauſa Catholicæ fidei, affecit incredibili dolore. Timentes itaque plurimum, niſi ſtatim de remediis opportunis prævideatur, ne longius ſerpat hic morbus, ac majorem in partibus illis producat infectionem, Majeſtati tuæ ſcribendum duximus, non qui putemus neceſſarium eſſe, verbis excitare te, qui ſemper malleus infidelium, & hæreticorum fuiſti, & cui regnum illud Bohemiæ exiſtens etiam tuæ Majeſtati ſubjectum conſervare, ac defendere ab hujusmodi oppreſſionibus expedit, ſed pro debito noſtri paſtoralis officii non omittendum omnino cenſuimus te, chariſſime fili hortari, ſicut per præſentes affectuoſe facimus, ut ſaluti Catholicorum hoc tempore velis conſulere, & opem ferre, ne ab impiis hæreticis tam fœde lanientur, omne enim malum naſcens facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robuſtius; facile tamen erit, ſi manum tuam ſemper a Chriſto juvari ſolitam, oppoſueris, priusquam magis abundet ſanies, & hæc ſanentur vulnera, faciet Majeſtas tua ſanctum, ac pium opus, dignum laude apud homines, ac meritis perpetuis apud Altiſſimum. Nos quæcunque in hac cauſa intelligimus fore pro conſervatione fidelium, & oppreſſione Hæreticæ pravitatis accommoda, modo reddamur de ſtatu ipſius rei certiores, non omittemus efficere. Scripſimus de hoc etiam venerabili Epiſcopo civitatis Caſtelli Nuncio, & Oratori noſtro, eique commiſimus, ut cum eadem tua Majeſtate latius nomine noſtro loquatur. Datum Romæ IV. Decembris MCCCCLXXXIII. Pontificatus noſtri anno XIII.* Verum Mathias, etſi ſeditionis cauſas, exitumque multo ante, quam Sixti litteræ ſibi redderentur, cognita habuiſſet, nihil tamen ea in re moliri conſtituit, ſive ſponte ſua eas turbas mox ſopitum iri ſciret, ſeu incertus animi etiam eſſet, quo eventu fœderis conditiones Fridericus accepiſſet.

turbas regem hortatur

Cura hac haud multo poſt regem Nuncius ab Cæſare redux levavit, qui paulum alias a prioribus conditiones afferebat. Fridericus enim pro ſuo ingenio nonnullas molliverat, neque paucas aliorſum, quam reipſa erant, accepit. Ea re Mathias haud modice offenſus, difficiliorem ſe Nuncio ad ineundum fœdus præbuit, novasque rurſum, quæ in ſuum uſum eſſent, conditiones in medium propoſuit. Quod cum a prima conciliationis adumbratione vehementer abhorreret, facile Nuncius Apoſtolicus intellexit, fruſtra ſe omnem in ſtabilienda concordia operam locaturum eſſe, præſertim quod cum Bajazete, cujus Oratores nondum Buda diſceſſerant, inducias in quinquennium ſancitas comperiſſet. Ne tamen nihil prorſus efficeret, nova pactionum capita, quæ rex conſtituiſſet, ad Fridericum deferre minime ſibi detrectandum putavit, quemadmodum ipſe prius Buda quam abiret, ad Sixtum in hæc verba perſcripſerat: (*i*)

Epiſcopus Caſtelli novas a Friderico conditiones affert, ſimilesque ab rege ad Cæſarem reportat,

Beatiſſime Pater!

„ Scit ſanctitas veſtra, quod ſuperioribus, & primis litteris ex Buda
„ ſcripſeram, regem eo tandem inclinaſſe, ut vellet terras omnes Imperatoris,
„ quas cepit, quandocunque ad manus ſanctitatis veſtræ deponere, donec de
„ ſubſidio certior, & ſecurior eſſet, quod ſubſidium ſe minime habiturum pu-
„ tabat, niſi Diæta una fieret, & conventus. Et cum hoc mandato abieram

Et Papam præciſa conciliationis ſpe de omnibus edocet.

Uu 2 ad

(*b*) Raynald. in Annal. Eccleſ. ad annum præſentem. (*i*) Ex eodem Cod. MS. Biblioth. Vaticanæ.

1483. „ ad Imperatorem, apud quem dies ſexdecim manſi, quibus ea tandem obtinui
„ capitula, quæ Dominus Guntherus detuliſſe debuit, cum quibus Imperator,
„ nt in Hungariam redirem ſecundo, voluit; cui libenter annui, ratus, hoc
„ beneficio ſauctitati veſtræ ita devinciri, ut de eadem aliter ſentiret, & aliter
„ loqueretur. Ad regem itaque reverſus, reperi quemdam Nuncium ſuum
„ cum Oratoribus Turcis rediiſſe, qui documentis acceſſere muniti, ut paucis
„ diebus inter ipſum regem & Turcum quinquennales treugæ ſancitæ ſint, u-
„ triuque firmiſſime juratæ, quod paucis vere placuit Hungaris. Hodie admiſ-
„ ſus a rege eidem illa capitula obtuli, quæ ab Imperatore habueram, & litte-
„ rarum ex Gratz ad ſanctitatem veſtram miſſarum copiam legi: multa collocuti
„ ſumus; viſus eſt mihi alius, id eſt, mœſtior; cogitabundus magis ſolito: ot
„ reſpondeat expecto, licet boni nihil ſperem. Et inter deliberandum inſertum
„ his ſyngraphum ſcripſi, ue quidquam prætermitterem, quod conſcientiam meam
„ læderet. Verba ſunt iſta, judicio meo non parvi pendenda: *perſpectis treugis
„ iſtis nemini fere gratis.* Expectabo quid reſpondeat rex. Hæc die ſecunda acta
„ ſunt. Hodie ſcilicet tertia, ad me miſit reverendiſſimum Archiepiſcopum
„ Colocenſem, & dictum Georgium de Lapide cum capitulis iſtis, illis Domini
„ Imperatoris reſponſivis, quæ cum legiſſem, dixi, longe ab eo reſponſo diſcre-
„ pare, quod rex, cum primo ad enm acceſſi, dederat, quodque ad ſanctitatem
„ veſtram deſtinaveram. Reſponſum illud primum fuit purum & ſimplex,
„ & velle deponere caſtella, & terras in manibus ſanctitatis veſtræ, & nunc ar-
„ ticulate, & diſtinctive ſuper illo reſpondet, quod tunc facere debuiſſet.
„ Item petebat primo ſubſidium annorum trium, nunc quatuor. Ex quo nemo
„ erit, qui non arbitretur, & judicet eum a pace penitus diſſentire cum par-
„ vo honore ſuæ Majeſtatis. Et vere de me parum curabam: ſed quid cogita-
„ ret beatitudo veſtra, quando mutationem iſtam videret. Præterea non intel-
„ ligebam, quibus ſubſidiis indigeret contra infideles, quando treugas ſanxiſſet,
„ quarum capitula & conditiones petii mihi communicari, ut ad ſanctitatem ve-
„ ſtram mitterem. Eſſet enim onus mihi, quod de hujusmodi capitulis me
„ exiſtente Budæ celebratis, non admonuerim beatitudinem veſtram, nec minus
„ eſſet ſuæ Majeſtati, quando omnia ſanctitati veſtræ communicare conſoevit.
„ Quid ſuper hoc fiet, præſtolabor. Unum in his capitulis placet, reſponſum
„ ſcilicet illud: quod non vult gravare ſanctitatem veſtram, & quod Imperator
„ vult injicere in ſanctitatem veſtram, quod ipſe ſubire deberet. Melius hoc
„ a rege dictum puto, quam a ſanctitate veſtra, quæ videretur in neceſſitate Im-
„ peratoris nolle ſibi adeſſe: hoc pacto erit ſanctitas veſtra ab hoc onere ſoluta.
„ Hodie ſcilicet quarta ſub noctem accerſivit me rex, audivit querelas meas ſu-
„ per hoc reſcripto. Confeſſus eſt ſe primum locutum fuiſſe ſimpliciter ſuper
„ deponendis terris in manibus ſanctitatis veſtræ, quia credebat, quod ſcirem
„ tractatus alios ſuper his habitos, in quibus de reſtituendis, & retinendis ter-
„ ris continebatur. Acceptavi reſponſum, ne majore rubore turbaretur: de
„ ſubſidio in annos quatuor petito nunc fecit, quod Archiepiſcopus ad aurem
„ dixit, quod de illo articulo non loquerer, quia reduceretur. Et hoc egit,
„ quia plures Prælati, & Barones aderant, qui fortaſſis intellexiſſent mentem
„ meam. Multa præſente regina loquuti ſumus, quibus deprehendi aperte,
„ inter ipſum & Imperatorem tantam eſſe diſſidentiam, ut ſi mille Capitula a
„ Salomone hinc inde deferrentur, ſuper ſingulo alius ſenſus diceretur, quam
„ ſentiret ille, a quo concepti fuiſſent. Quod rex ipſe mihi tandem non nega-
„ vit. Quare dixi fruſtra ergo laborabit quispiam, niſi ambo conveniatis, &
„ colloquamini. Tunc regina inquit, dicis, nec alia conficiendæ pacis via eſt.
„ Rex autem dixit, ſi me ad aliquod tempus expectaverit, erimus propinqui:
„ hoſtiliter, non facere eum pacem dixi: ſubjunxit tamen, reginam aliquando
„ ad eum miſſurus eram, quam audire recuſavit. Ego talia ſubjunxi verba,
„ quibus cognovi regem tandem ad hoc inclinatum, & ut fiat, allaborabo. Hoc
„ pro vero non ſilebo; ita de ſanctitate veſtra loquitur hie rex, ut ſi filius ge-
„ nitus eſſet, non majore veneratione, & amore loqui poſſet, quod aliquando

ad-

An. Chr 1483.

„ admiratus fui, & quantum ſententiam hanc ſuam laudaverim, & quod in ea
„ perſeveraret, hortatus fuerim, noverunt Barones, & ipſe Archiepiſcopus Co-
„ locenſis, qui oculus ſuus eſt: & vere Prælatus optimi ingenii eſt, & linguæ
„ non balbutientis. Vult rex aliqua ſcripta videam, quibus viſis, abibo, ratus
„ Natalem Domini apud Imperatorem celebratum iri. Die ſeptima applicuit
„ Legatus Legationis, quam parat, & quia ſororius honorifice ſuſceptus eſt. - -
„ Dictum fuit, quod non permittet me recedere, donec recederent Oratores
„ Turci. Die duodecima receſſerunt, & ego licentiatus fui. - - - Dixerunt
„ Oratores Turci palam, fraternitatem eſſe contractam. - - Et hic rex Oratorem
„ unum ſuum, ſcilicet Georgium nunc mittit ad Turcum. Hodie ſcilicet XIII.
„ Decembris MCCCCLXXXIII. obtinui tandem articulos iſtos manu Archiepi-
„ ſcopi Colocenſis ſubſcriptos. & his habitis, nunc Buda recedo, ſperans in vi-
„ gilia Nativitatis Gratz attingere poſſe, & non ante propter aquas, & nives,
„ & lutum. Et in Gratz ſcribam, quæ ibi habuero. - - - -

An. Chr. 1484.

Qui Cardinali Arragonio, deſignato Strigonienſi rem commendat.

Fruſtra tamen omnes, quoscunque conciliandis partibus adhibuerat, Nuncii conatus fuiſſe, rerum exitus oſtendit. Quid in cauſa fuerit, cur tentata toties inter Fridericum, & Mathiam concordia, ad finem adduci nequiret, in tam pertinaci ſcriptorum ſilentio, arduum eſt omnino conjecturam capere. Sunt qui Cæſaris tenacitatem arguant, nonnulli contra Mathiæ immodicam dominandi libidinem ſugillent: ſed in tam occultis rerum, quæ ultro, citroque per nuncios agebantur, molitionibus, haud ſatis compertum eſt, utri ſine ſtudio partium ſentiant, utcunque tamen erat, Pontificem certe ea cura maxime ſollicitum habuit, ut cum novas hæretici in Bohemia turbas darent, Veneti in amplificando dominatu toti eſſent, ac Belgium inteſtina cum Maximiliano ſimultate flagraret, diſſidentem ab Cæſare regem quocunque ſtudio, arteque conciliaret. Itaque Joanni Cardinali Arragonio Beatricis fratri, qui Joanne Alemanno ad Salisburgenſem ſedem traducto, Strigonienſem Archiepiſcopatum aditurus, Hungariam petebat, in mandatis dedit, ut, qua apud Mathiam gratia eſſet, nihil ſtudii omitteret, quo eum ab armis amoliretur, ſimul litteras, quæ hujus argumenti poſtremæ erant, ad regem adjecerat, quibus magnopere ab eo petit, ne hunc ſibi poſt tot ſuſceptas propterea curas, fruſtra conatum abire pateretur. (*k*) *Quam vehementi*, inquit, *ſemper deſiderio cupierimus pro bono reipublicæ Chriſtianæ, partiumque illarum Germaniæ, & regni tui Hungariæ, quibus maxime afficimur, inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Fridericum Imperatorem, & Majeſtatem tuam, veſtraque dominia, ſublatis diſcordiis pacem, & tranquillitatem eſſe, tam Majeſtas Imperialis, quam tua plene cognoviſſe potuerunt. Nunquam cum litteris, nunciis, & oratoribus noſtris utrumque veſtrum hortari, admonere, & rogare ceſſavimus, ut pacem amplecti velletis, miſimusque illuc propterea etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Legatos noſtros, nec quidquam omiſimus faciendum, quod ad hujusmodi rem conducere arbitraremur. Verum cum videamus humani generis hoſtis prævalente malitia in longum nimis hujusmodi rem protrahi, cruciamur animo continue, nec quidquam dulce, aut jucundum nobis eſſe poteſt conſiderantibus, inter vos potentiſſimos Principes, veſtraque dominia Chriſtianitatis propugnacula tam diutina bella, diſcordiasque vigere, dolemus rempublicam Chriſtianam noſtram, tam graviſſimo detrimento ex bellis veſtris affici: compatimur ſubditis veſtris, qui tot cædes, rapinas, incendia, & cetera bellorum mala patiuntur: Deum rogare non deſiſtimus, ut vos ad pacem concordiamque reducat pro ſua pietate, & requirimus, & per viſcera Domini noſtri Jeſu Chriſti rogamus, ut ſe paci accommodare velit, & ſi quid ſupereſt impedimenti, illud cauſa & contemplatione noſtra, & hujus ſanctæ ſedis, removere velit. Petimus hoc a Majeſtate tua in munus ſingulare. Petit hoc univerſa Chriſtianitas, & ſancta mater Eccleſia. Noli hoc nobis denegare, quod unicum conſolationis noſtræ culmen futurum eſt. Si unquam nos, & hanc ſanctam ſedem tibi obligare cupis, amplectere hoc tempore ſine ulteriori dilatione pacem cum Imperiali Majeſtate. Habes illic venerabilem fratrem Epiſcopum Caſtelli, Oratorem noſtrum, qui Imperiali Majeſtati, & tuæ affectiſſimus eſt, & per cujus manum nonniſi optime, & cum laude pax fieri poteſt. Faciet Majeſtas tua rem uni-*

(*k*) RAYNALD. in Annal. Eccleſ. ad annum 1484.

1484. *verſæ Chriſtianitati aceeptiſſimam, Deo gratiſſimam, & nobis eam dabit animi conſolationem, & quietem, quam ſuper omnia deſideramus, & optamus. Datum Romæ X. die Martu MCCCCLXXXIV. Pontificatus noſtri anno XIII.*

Rex Pontificis litteris nihil motus Corneuburgum obſideri jubet,

Nihilo magis ſe ab propoſito his litteris rex dimoveri paſſus eſt, quin; imperata adeo profectione, Auſtriam ingreſſus, Corneuburgum obſidere ſuos juſſit. Eſt id oppidum Vienna ad tertium lapidem remotum, ſitu opportunum in primis, magnique, in cujus arbitrio eſſet, uſus, ac momenti. Id Viennam cogitanti Mathiæ, ut in poteſtatem prius redigeret, non modo utile, ſed neceſſarium erat, quo & urbs facilius commeatu intercluderetur, & ne quid ſubſidii ſecundo Danubio ab Cæſare miſſum, importari ſe imprudente poſſet, impoſitis oppido præſidiis prohiberet. Obſidionem idem, qui Leytæ pontum expugnaverat, David Házy curare juſſus eſt, cui, etſi jam multo ante Clauſtroburgum, & fanum ſancti Hyppoliti ab noſtris occupata eſſent, multo difficillima provincia contigit, quod oppidani locum egregie tuerentur, quamquam noſtri cominus, eminusque machinis ſine ceſſatione obſeſſos urgerent. Hac ſnorum virtute Fridericus mirifice delectatus, ſubſidia ex Noricis, & Vindelicis conflata laborantibus ſubmiſerat, datis mandatis, viderent, ut hoſtem ab obſidione depellerent, aut, ſi id nonniſi cum ſuorum periculo poſſe fieri conſpicarentur, præſidiarium militem immiſſis clam copiis recrearent, ita futurum ſperabat, ut protracta in hiemem obſi ione hoſtis ſponte recedere cogeretur. Non importunum conſilium fuit, ſi aut citius in mentem venerat, aut fortioribus animis cœptum fuiſſet. Ubi enim Germanorum copias appropinguare nunciatum eſt, Házyus juſſis, qui oppidanos acri cura interim obſervarent, cum reliqua peditum, equitumque manu hoſti obviam contendens, haud longe ab caſtris Germanos nactus, ut erat coorto in aciem milite profectus, prælii initium fecit. Pugnatum primo impetu utrinque fortiter eſt, Cataphractis Germanorum equitibus vim omnem non modo viriliter ſuſtinentibus, ſed ne loco quidem motis, cum Házyus, correpta ſubſidiaria manu, latus hoſtis circumvectus, alteram ex improviſo pugnam in cornu molitur: eum ex prælio fuga oborta, foſi, fugatique Germani, noſtris & terga fugientium acriter prementibus, & caſtris cum magna ſpoliorum copia potitis. Ea victoria tametſi obſeſſorum animi magnopere conſternati eſſent, obſidionem tamen quocunque periculo tolerare malebant, quam hoſti partim ex recenti victoria, partim ob quotidianas ſuorum cædes ferocienti, deditionem facere. Itaque viſum omnibus locum arctius concludi, ac fame cogi oportere.

Ipſeque in caſtra veniens, paulo poſt in Hungariam revocatus

Hæc tum geſta, cum rex in caſtra veniens nova ſuis ſupplementa adduxerat; qui laudato Legati conſilio, quod de cogendis inedia oppidanis cœperat, finitimum Viennæ agrum, cum levi equitatu ſæpe procurrens diligenter explorabat, quo multo ante rationes ad obſidendam Viennam in promtu haberet. In eo cum eſt, nuncius ex Hungaria affertur, barbaros ſpreta induciarum fide, in Valachiam irrupiſſe, & Kyliam arcem, veteres Achilleam dixere, ad Danubinm, cum Neſten Albam ad Tyram amnem ſitas, partim deditione, partim vi admota occupaſſe. Ea fama haud modice commotus in Hungariam rediit, compertoque rem ita, ut ex primo nuncio intellexerat, prorſus habere, graves ad Bajazetem litteras dedit, quibus & fidem male ſervatam barbaro exaggerat, & niſi ſe hoſtem habere malit, loca, quæ occupaſſet, ſuis continuo ut redderet, petit. (*l*) *Potentiſſime Princeps, & Domine amice noſter dilecte! Conſtat veſtræ Majeſtati, quod nuperrime inter nos treuga fuit diſpoſita, & fide mutua litteris mediantibus fuit confirmata, quibus nos omnino adhærentes, alia facta noſtra his temporibus peregimus. Veſtra tamen potentiſſima Majeſtas fidem pro nihilo repatando, terram Tranſalpinam & duo caſtra in finibus Moldaviæ exiſtentia ad regnum noſtrum Hungariæ juridice pertinentia, interim expugnari fecit. Unde fide taliter obſervata ſperabimus, quod veſtra potentiſſima Majeſtas regnum Dei non conſequetur, nec noſtræ amplius ſerenitati eidem credere licet.*

Scriptis ad Bajazetem litteris perfidiam ei exprobrat.

Igitur

(*l*) Epiſt. MATH. CORV. Parte IV. pag. 4.

Igitur veſtram hortamur potentiſſimam Majeſtatem, quatenus ſi fidei veſtræ ſatisfacere intendatis, ex tum caſtra prædicta, furtim quaſi erepta, remittere dignemini Sin autem, alias vos Dominum Imperatorem in hoſtem proponimus, & per partes publice denunciamus: ſentimus enim juxta fidei noſtræ opinionem, quod caſtra prædicta a veſtra potentiſſima Majeſtate per noſtram ſerenitatem brevi fient recuperata, & injuriæ nobis illatæ percipietis talionem, prout a bajulis oretenus veſtræ potentiſſimæ Majeſtati nunciavimus. Datum Budæ.

Bajazetes minime violatam ab ſe fidem eſſe per litteras reſponderat, neque ſe per dolum Valachiam cum exercitu ingreſſum, quæ induciarum tabulis omnino non comprehenderetur: has ſe illi per nuncium videndas mittere, quo ſibi nihil frandi verti poſſit. Occupata autem ab ſe loca caro nimis ſibi conſtitiſſe, quam ut ſine omni compenſatione redderet, id ſe mutuæ tamen amicitiæ daturum, ut ſuos deinceps ab armis abſtinere jubeat. (m) *Sereniſſime Princeps, & Domine amice noſter dilecte! Minas, quas tam inconſulte veſtra nobis intimat ſerenitas, minime curamus. Significatis enim nobis veſtris litteris, quodam modo nos fidei eſſe fractores: Sciatis, quod prius eligeremus mortem, quam fidem noſtram frangeremus, & quamvis hæſitative a noſtris familiaribus regnorum Moldaviæ, & Tranſalpinæ incluſionem ad treugam præmiſſum agnovimus, in litteris tamen veſtris regna præſcripta ſpecialiter ſunt excluſa, quas pro majori cautela veſtræ ſerenitati in ſpecie remittimus, ex quibus clare agnoſcere poteſtis, ſi fides, & treuga per nos extitit violata. Nos enim plus litteris veſtris, quam famulorum verbis noſtrorum credimus. Igitur, ſi veſtræ placet ſerenitati, adhuc pro fidei ſtabilitate tantam vobis exhibemus amicitiam, quod de regnorum prædictorum expugnatione deſiſtemus: ſed illa duo caſtra per nos magno labore, & multorum fidelium noſtrorum peremtione jam obtenta pro parte remittere nolumus, niſi occaſio efficacior evenerit. Committimus tamen Capitaneis noſtris in caſtris prædictis conſtitutis, ut treuga præmiſſa durante, regno Moldaviæ nullam moleſtiam inferant, ſed familiariter noſtris ſtipendiis propriis utantur in cuſtodia caſtrorum prædictorum fideliter aſſiſtendo.*

Hic reddit is litteris ſe purgat.

Mathias ſive quod dolo circumventus a barbaro eſſet, ſeu Colocenſis Archiepiſcopus reipſa induciarum tabulis ea regna non comprehendiſſet, ira ſupra modum percitus, Archiepiſcopum verberibus ſua manu parum decore mulctatum, in carcerem compingi juſſerat: *quod non ſine maximo* (ut Bonfinius (n) ſcribit) *omnium Procerum ſtupore accidit. Primus hic erat Principis Secretarius, qui ſolus dicendi libertate apud eum omnia libere loquebatur: damnabat inſolentia tributa, quæ ter quaterve quotannis ob ingentia diverſaque bella a rege imponebantur, quas Dicas appellant, quibus non modo domeſticatim, ſed viritim, aureum quiſque numum pendere cogebatur. Id vulgo & apud Principem ſæpius improbavit. Præter linguæ libertatem, qua maximi quandoque viri ſe tangi ſentiebant, factioſa quædam acceſſit æmulatio, hujus gratia inter Principes exorta, qua regis animus offendebatur, quamvis eum alioquin diligeret, & obſervaret. Commotus tandem rex aut coercendæ libertatis gratia, aut uti dilectiſſimi exemplo amici ceterorum audaciam Procerum deterreret, hunc præter ſacroſanctam Metropolitæ dignitatem in carcerem ſane conjecit. Sed honeſtiſſime per arces regias aſſervatus, annos ſex circiter linguæ ſuæ pœnas luit.* Hæc Bonfinius, qui non obſcure conjecti in carcerem Præſulis cauſam linguæ libertati tribuit: quæ tametſi fit, ut hominem non modo ſibi utilem, ſed ad rerum tractationem neceſſarium etiam, ac non male ceteroquin meritum per ſex annos aſſervari in carcere rex juberet, omnino non video. Veri itaque ſimilius eſt, ob parum caute confectas induciarum tabulas a Mathia male acceptum eſſe, qui ſuam in conciliatis induciis culpam alieno impendio redemtam voluerit. Neque nihil prorſus æmulorum fraudem, & invidiam illo etiam contuliſſe, ex Petri litteris, quas ad Joannem Corvinum dederat, alias perſpicuum fiet. Ceterum nihil prorſus rebus perditis Mathias eatenus conſultum ibat, quod Moldaviæ Vayvoda viſo regem Auſtriaco bello occupari, in Poloni clientelam concederet, veritus, ne, ſi barbari ditiones ſuas, ut nuper Tranſalpinam, infeſtarent, pari eventu ſociorum auxiliis deſtitutus dimicare cum hoſte cogeretur.

Culpa in Colocenſem Archiepiſco, in rejecta, quem rex carceri mancipat.

(m) Ibid. pag. 5. (n) Dec. IV. Lib. VI.

1484.

Turci in Croatia cladem accipiunt.

Acceſſerat non mnlto poſt alìud a barbaris malæ fidei argumentum, quo niſi rex toto animo bellum in Cæſarem complexus eſſet, ad reſciudendas inducias magno regni commodo uti potuiſſet. Septem Turcorum millia per Illyricum in Carinthiam, & Carnioliam rurſum infuſi, prædas latiſſime agebant, facileque, quod Cæſar militem, ex his provinciis extractum, Mathiæ oppoſuerat, ſupra decem hominum millia in captivitatem duxere. Reduces ad Hunnam Croatiæ amnem, qui ſe propter arcem Dubicziam in Savum exonerat, fixi caſtris licentius per regnum vagati, ferro flammaque graſſabantur; cum Mathias Gerebus Croatiæ Banus, haud impune eam liceutiam ferendam ratos adſcitis in auxilium Bernardino de Frangepanibus, & Petro Garayo, barbaros ex improviſo adortus, internecione delet, prædaque omni, & hoſtium ſpoliis potitur. (*o*)

Corneuburgum noſtris deditur.

Victoriæ nnncius in caſtra ad Corneuburgum allatus, ut pudore noſtros, qui tamdiu ad id oppidum adhæſiſſent, vehementer affecit, ita novos quoque adjecerat animos ad rem impigre gerendam, quo potiri loco poſſent, præſertim, quod rex eodem fere tempore ex Hungaria redux, operas præſentia ſua urgeret. Jam ad hiemis principium obſidio trahebatur, neque quidquam commeatus, anuonæque importari potuit, ut adeo cives iu rerum omnium inopia, equis, felibusque ingluviem explere coacti, paucorum dierum inducias ab rege peterent, intra quos, ſi ſubſidium a Cæſare non adeſſet, deditionem ſe facturos promiſere. Dati petentibus dies aliquot, quibus elapſis cum ne ſpes quidem auxilii ab Friderico affulgeret, ſe, fortunasque ſuas Victoris arbitrio dedidere. Ita oppidum ſeptimo, qnam obſideri cœpit, menſe, uon modica noſtrorum clade, & Davidis Házy obitu illuſtre, occupatum eſt. (*p*)

Innocentius Sixti ſucceſſor regem ad ineundam cum Cæſare amicitiam hortatur,

Hæc inter Innocentius VIII, qui Sixto pridie idus Auguſti defuncto ſubrogatus eſt, ut primum per curas licuit, Mathiam ad ineundam eum Cæſare amicitiam hortatus eſt, oravitque, ut arma in Turcos eonverteret, qui tametſi inducias cum eo pepigiſſent, incurrere iu ditiones Hungariæ obnoxias nou deſiſterent. Nuper admodum ſuæ perfidiæ manifeſta indicia dediſſe, dum contra pacta conventa in Tranſalpinam bellum traduxerant, captisque quibusdam acihus ſedem armorum iſthic conſtituere. Idem deinceps facturos, niſi reſciſſis induciis pulcherrima, quam haberet, occaſioue ad capiendam vindictam uteretur. Iugentes fieri a barbaro apparatus, qui quo evaſuri eſſent, omnes latere; in quemcunque tamen converterentur, neminem Principum Chriſtianorum judicio magis idoneum, quam regem videri, qui barbari faſtum contundat, modo arma, quæ Chriſtiano ſanguine hactenus polluta fuiſſent, in Turcorum jugula intentaret. Litterarum, quas ad Mathiam propterea dederat, hæc ſententia eſt. (*q*)

Et ſcriptis litteris in Turcos concitat.

„ Mathiæ regi Hungariæ illuſtri! Chariſſime in Chriſto fili! ſalutem &
„ Apoſtolicam benedictionem. Poſteaquam Altiſſimo ita diſpouente, ad Ponti-
„ ficale faſtigium, licet meritis minns ſufficientes, aſcendimus, pro veteri in-
„ ſtitutione noſtra, zelo, ac religione, paterno denique, quod nobis præcipue
„ nuuc incumbit, officio, nihil magis animo noſtro inſidet, nihil magis inhæ-
„ ret cordi, nihilque alìud potius dies, noctesque uobiscum cogitamus, quam
„ ut pro Catholicæ fidei, & reipublicæ Chriſtianæ ſalute juxta ſanctæ memoriæ
„ prædeceſſorum noſtrorum inſtituta opitulante glorioſo Deo nefarium hoc, &
„ jam pridem ab omnibus deploratum, jamjamque cervicibus uoſtris, quod ſine
„ cordis amaritudine exprimere uon poſſumus, imminens excidii & ſervitutis
„ Chriſtianorum periculum, a ſæviſſimis fidei communibus hoſtibus, tot per
„ annos maximis Chriſtianorum cladibus, intentatum excutere valeamus. Id
„ autem ut aſſequi poſſimus, quantum in hoc Pontificatus noſtri primordio
„ licet, nihil intentatum relinquimus, nec in futurum relinquemus unquam,

quo

(*o*) Georg. Ratkay in Mem. Reg. & Ban. Dalm. Croat. & Sclav. Lib. III.

(*p*) Gerard. de Roo rer. Auſtriac. Lib. IX.

(*q*) Raynald. in Annal. Eccleſ. ad an. 1484.

„ qno minus hæc ignominia, & labes a Chriſtiana republica deleatur. Pii hujus
„ propoſiti, ac deſiderii noſtri ardentiſſimi, quo etiam in minoribus conſtituti
„ per omnes ætatis noſtræ gradus imbuti fuimus ſemper, locupletiſſimi teſtes
„ eſſe poſſunt, cum plures alii, tum præcipue ac maxime Excellentiæ tuæ Ora-
„ tores plerique, cum quibus Chriſtianorum præteritas calamitates, & niſi
„ mature occurreretur, impendentia pericula, quaſi id ubi peculiariter pertine-
„ ret, ſæpenumero deflevimus, ita enim & opinio quædam noſtra jam pridem
„ inveterata, & rerum uſus, experientiaque ipſa quodammodo edocti, exiſtima-
„ vimus ſemper inclitum Hungariæ regnum quaſi obicem quemdam, murum-
„ que, nt ita loquamur, a Divina providentia ad crudeliſſimorum hoſtium impe-
„ tus cum ipſorum cædibus, & clade retardandos, reprimendosque fuiſſe diſpo-
„ ſitum. Qnod cum ita eſſe omni tempore uſu ipſo probatnm ſit, maxime
„ te Principe, ac rege illi Præſidente, rerum omnium magiſtra experientia ipſa
„ nos docuit. Nam cum exemplo clariſſimæ, ac ſingularis memoriæ parentis
„ tui, tum etiam præclara animi tui indole, ac zelo fidei concitatus, ſtatim a
„ regni tui primordio, bellum pro regno, patria, & univerſa fide Chriſtiana,
„ partim contra fidei hoſtes hæreticos, partim contra infideles magno animo
„ ſuſceptum, uſqne ad hæc tempora cum hoſtium calamitate, ſummaqne cum
„ gloria tua, & incliti Hnngariæ regni exiſtimatione geſſiſti adeo, ut quocunque
„ terrarnm Chriſtianæ reipublicæ nomen pervagetur, te quoque pro ejus ſalu-
„ te tanqnam invictum pugilem, & excubaſſe contra, & in præſenti excubare
„ omnes intelligant.

„ Quapropter te quia ſemper in minoribns & corde, & animo geſſimus,
„ in præſentiarum pro paſtoralis officii noſtri debito facere non potuimus, quo
„ minus paternam hanc noſtram benevolentiam erga te, hujusque ſanctæ ſedis,
„ ubi ſæpe alias perſpectam, & cognitam, per litteras hujnscemodi ſignifica-
„ remus Excellentiæ tuæ, qnam bortamur, rogamus, & per viſcera Domini no-
„ ſtri Jeſu Chriſti obſecramus, & obteſtamur in Domino, ut quod ab inennte
„ ætate, cum ſumma, & immortali laude perſequendis hoſtibus, & tntanda re-
„ ligione hactenus fecit Excellentia tua, nunc cum & gloria, & rebus geſtis,
„ ac exiſtimarione, ætatisque matnriori acceſſione nniverſæ Chriſtianæ reipnblicæ
„ jndicio floreat; in religioſo, ac ſancto propoſito ſno majore, quam unqam
„ antea deſiderio perſeveret, plurisque facere velit periclitantis fidei Catholicæ
„ cauſam, quam quascunque alias a nequiſſimo ipſius fidei hoſte conditiones
„ oblatas: quanquam enim & invictum animi tui robur, & conſtantia ſingularis
„ fidei tuendæ, quo ſemper flagraſti, ardor, ac prudentia Excellentiæ tuæ nobis
„ jam pridem perſpecta ſint, tamen propter ea, quæ de expugnationibus quo-
„ rumdam Valachiæ ſuper dannbium nova allata proxime fuerunt, & qnæ idem
„ Rhodiani ſcribunt ſe a Turco litteras accepiſſe, quibus expreſſe affirmat ſe
„ iturum in expeditionem, non tamen ad eorum damna, & chariſſimus in
„ Chriſto filins noſter Ferdinandus rex Siciliæ de illius apparatu, qui fuit apud
„ Apolloniam, ſignificat, atque idem Raguſæi affirmant, cogimur etiam in tuto
„ timere, atque proſpicere, ne perfidiſſimi hoſtes reipſa id. quod omnes jam
„ pridem ſciunt experti, Excellentiam ſcilicet tuam ad eorum impetus repri-
„ mendos plurimum omnium poſſe, conſuetis artibus, & innata calliditate ali-
„ quid moliri conentur, quod ſanctum illud propoſitnm tuum aliqua ex parte
„ retardari, per ipſorum falſas pollicitationes valeat. Confidas autem in Domi-
„ no, & Altiſſimi dextera, quod quemadmodnm ante hoc tempus felix ſucceſ-
„ ſus ex ſpurciſſimorum hoſtium clade Excellentiam tuam apud omnes nationes
„ claram fecit, & glorioſam, ita in poſterum omni felicitate auctam clariorem,
„ glorioſioremque quotidie efficiet. Nos autem pro fidei Orthodoxæ, quod vi-
„ demus periculo, & officii noſtri paſtoralis ratione, una cum venerabilibns
„ fratribus noſtris S. R E. Cardinalibus interea dabimns omnem operam, nt Ita-
„ liæ, ac finitimarum provinciarnm primum, deinde ceterorum poteotatuum
„ rebus in tranquilliori ſtatu diſpoſitis, ante omnia de ratione fidei Catbolicæ
„ tutandæ, ac defendendæ aliqua opportuna media favente inceptis noſtris glo-

1484.

„ rioſo Deo inveniri poſſiut. Quod ut aſſequi poſſimus, quantum erit in oo-
„ bis, nonquam deerimus. Datum Romæ die XXI. Novembris MCCCC-
„ LXXXIV. Pontificatus noſtri anno primo.

Irrito tamen conatu, quod rex Viennam obſidere conſtituerat.

Graviſſimæ Pontificis adhortationi non ſolum morem rex non geſſit, ſed majori præterea ſtudio, quamquam perfrigida hiems eſſet, in belli curas incubuit: ſive proſpero rerum hactenus geſtarum eventu, gloriaque duceretur, ſeu e re ſua, regnique minime id eſſe arbitratus ſit, ut cum ceteri Chriſtiani Principes res ſuas armis proſequuntur, ſibi illatas iojurias nec bello vindicare, nec confectis fœderibus compenſari fas, integrumque eſſet.

An. Chr. 1485.

Itaque durato per hiemem glacie Danubio pontes Vienneuſes occupat,

Capto ſub hiemis initium Corneuburgo, reparatisque, quæ ruinam traxerant, munimentis, Mathias, cum Viennam in ſequentem annum obſidere deſtinaſſet, nihil brumæ inclementiam moratus, accitis fortiſſimis quibusque ex Prætoriana Legione militibus, & ſuperato, quem glacies duraverat, Danobio, ad Viennenſium pootes promovit, edictâque in diem XXIII. Jaouarii (r) aggreſſione, ex tribus præſidiis, quæ cives pontibus impoſuerant, duo expugnat, communitque; partim ut Viennenſes interea, quoad urbi obſidioοem per tempus circumducere integrum eſſet, commeatu excluderet, partim ut tertium munimentum, quod in continente ad caput pontium erat, in metu ſervaret. Valuiſſe conſilii celeritatem poſtea ex eventu patuit, quod ea ratione, & munimento paulum poſt potitus eſt, & obſidionem, tametſi longa, difficilisque fuit, leviori ſuorum jactura, damnoque moliri potuerit.

Et Viennam terrestris caſtris obvallas, magis obſidens, quam oppugnans.

Obſidioni ad decimum ſextum calendarum Aprilium diem initium datum, quo triplici exercitu urbs obvallata eſt: Rex ea parte, qua Clauſtroburgum via ducit, caſtra defixerat; Stephanus Zapolya inſulam, ac pontes curare juſſus, Laurentio Vjlakio mandatum, ab Hungariæ parte dextram alam præter Danubii ripam ita locaret, ut ſiniſtra ala regiis caſtris proxime jungeretur. Hunc in modum clauſa undique Vienna rex, compaginatis ex ligno caſtellis, ſuburbia aggreſſus, brevi tempore, tametſi non incruenta pugna in poteſtatem redegit. Abh nc propius urbem actæ vineæ, ſubſtructæ per intervalla turres, ex quibus cominus, eminusque, ut res poſceret, obſeſſi peterentur: murales machinas, Poſonio advectas ab inſula mœnibus ſubduci placuit, quod ea parte urbs Daoobii objectu tuta, haud ſatis munita videretur. Sed ingenti hoc apparatu, quod cives fortiter defenſionem adornarent, nihil fere, quod operæ precium referret, in urbem promotum eſt. Itaque cum expugnatu difficilem videret, ſuosque in futuros uſus vellet ſervare, omues viarum aditus, ne quid commeatos aliunde inferretur, arctiſſime intercludi juſſit, ratus quidquid annonæ prius importatum eſſet, ab ingenti hominum multitudine, quæ ex omni late vicinia hoſtis metu Viennam confugerat, brevi abſumtum iri: ita fame, quemadmodum poſtea evenit, cives deditionem facturos exiſtimabat.

Interea cum Ebersdorffium tentat, capitale periculum adit.

Ne tamen deſidia miles ioterim torperet, finitimos vicos, ac oppida, quæ nondum ſe ſubdidiſſent, tentari juſſit: ipſe cum prætorianorum maou Ebersdorffium profectus, opportunum ad ſubvehendos commeatus locum, aggredi conſtituerat, ſed dum caſtra oppido circumdnceret, capitale periculum prope adiit. Dum enim, ut fere militiæ ſolebat, in humili tugurio cum familiaribus accumbit, ferreus globus, Ebersdorffio emiſſus, perrupto pariete propter ipſum decidit. Creditum eſt plerisquè rem fraude, doloque eveniſſe, compertumque poſtea, Hieroslaum Bohemum, regis ſcribam, inſidiarum auctorem fuiſſe, quem ubi Vienna capta eſt, quæſtionibus exagitatum, crimenque confeſſom capite mulctari imperavit. Ceterum rex eo periculo commotior, oppidum ſumma vi aggreſſus, brevi in poteſtatem redegit, victorque in caſtra reverſus eſt.

Erant

(r) Catalogus Rectorum Viennenſium ad annum 1485. ita habet. Vigeſima tertia Januarii ſecundo obſeſſa eſt Vienna a rege Mathia. - - -

Vienneſes fame compulſi deditionem faciunt.

Erant res iſthic paulum meliore, quam prius, loco: cum enim obſidio in tertium jam menſem teneret, neque quidquam in urbem commeatus noſtri ſinerent importari, ingens rerum omnium penuria, & caritas exorta eſt, ( ) ut adeo cives lautitiis alias dediti, neque ab equina, nec fœdiorum animantium carne ſibi temperarent. Nihil præterea ab Friderico ſubſidii, neque annonæ expectari poterat, quem, cum auxilium a Viennenſibus rogaretur, audiſſetque fame miſerum in modum tabere, reſpondiſſe perhibent, *paterentur eam inediam, quam ſuum quondam Principem in arce obſeſſum perpeti coegiſſent.* (*t*) Quam ob rem cum ad famem, Cæſaris quoque ſeu convicium, ſive impotentia accederet, miſſis ad Mathiam fecialibus de deditione urbis egere. Quibus conditionibus utrinque transactum ſit, nusquam comperio. Credibile eſt victoris eatenus arbitrio, & clementiæ, cives maluiſſe omnia tribuere, quam protracta conditionum altercatione iras illius irritare. Itaque dedita calendis Junii, aut, ut alii (*u*) malunt, quarto nonas Junias urbe, Mathias ovanti ſimilis maximo Principum ſuorum comitatu Viennam ingreſſus, cives dicto ſacramento in fidem accepit. Poſtridie Beatrix Poſonio accurrens pari pompa ab rege, & Auſtriæ ordinibus accepta eſt.

Capta Vienna Neoſtadium eminus obſideri jubet,

Rex capta urbe, victoria utendum ratus, Rhetium, Egemburgum, aliaque oppida incredibili celeritate occupat; tum Stephanum Scepuſienſem cum duabus Legionibus, Neoſtadium abire, urbemque eminus interea obſidere jubet, quoad ipſe procuratis inter Auſtriæ ordines rebus, majora ſubſidia adduceret. Data ad hæc mandata, ut aditus, qui in Stiriam ducunt, impoſito præſidio communiret, ne quid illinc ſuppetiarum afferri, aut quidquam moræ objici poſſit, ſi bellum in eam provinciam traduci oporteret.

Cæſare fruſtra Auſtriacos in fide confirmante,

Fridericus, dum hæc fiunt, Lincii agebat, viſoque paſſim Auſtriacos belli fortunam ſequi, & in Mathiam inclinare, litteras ad Zvetlenſem Abbatem dedit, quibus eum etiam atque etiam hortatur, *ne cedat regis Hungariæ machinis, neque illi ſe ſubjiciat, ſed viriliter pro domo Auſtriaca ſe cum ceteris ejus fidelibus opponat. Promittit ſe non defuturum auxilio, atque jam propterea ad comitia Principum cogenda, qui contra ſuos hoſtes auxilium ſpopondere, ac etiam filium regem velle manu militum fortiori inſtruere. Datum Lincii anno Domini MCCCCLXXXV. feria quarta ante corporis Chriſti, anno vero imperii quadrageſimo quarto.* (*x*) Neque multo poſt cum octingentis equitibus Auſtria exceſſerat, animo pro temporis conditione ſic ſatis pacato, quod excedentem ex provincia hæc uſurpaſſe memoriæ eſt proditum: ſummam felicitatem eſſe rerum irrecuperabilium oblivionem. (*y*)

Rex cum Auſtriæ ordinibus de tributo tranſigit.

Interim Mathias datis ad Auſtriæ ordines litteris conventum ad diem Joanni Baptiſtæ ſacrum Viennam edixit, ad quem cum magna frequentia confluerent, ſacramentum fidei ab quatuor provinciæ ordinibus concepta verborum forma regi dictum eſt, tum de ineunda tributi ratione conſultatum. Difficilis admodum conſultatio fuit, quod provincia tam diuturno bello propemodum exhauſta eſſet, itaque dato ad regem ſupplice libello rogabant ordines, vellet, juberetque novas vectigalium auctiones, quas Cæſar præter morem, & legum ſcita imperaſſet, aboleri, id provinciæ in primis intereſſe, quæ ut libenter ſe in ejus clientelam dediſſet, ita niſi eam tantiſper ab ærumnis reſpirare ſineret, haud facile quidquam ad regis commodum, quo belli impendia ſanciret, collaturam eſſe. Rex nihil petentibus negandum ratus, ſex hebdomadas, quibus ad ineunda inter ſe conſilia uterentur, viderentque, quis decernendis tributis modus eſſet, indulſit. Sed res non conſentientibus ut fit, animis, longius, quam ſperatum ſit, protracta eſt, quoad ita ordinibus cum rege conveniret. Cenſus, qui hactenus obtinuiſſent, penitus antiquarentur: provincialibus intra Auſtriam mer-

( ) Catalogus Rect. Vienn. ad annum 1485. *In qua obſidione tanta fuit penuria, ut modius farinæ venderetur 107. florenis.*
(*t*) Bonfin. Dec. IV. Lib. VI.
(*u*) Catalogus Rect. Vienn. ad eundem annum. *Deditio autem urbis facta eſt Mathiæ 2. Junii.*
(*x*) Apud Cl. Link ex inſtrum. autographo hujus anni.
(*y*) Gerard. de Roo rerum Auſtriac. Lib. X.

1485. mercatus liber eſſet: ſi quid extra provinciam exportaretur, ærario regio vectigal penderent, & ne quis fraudi locus eſſet, rex per provincias quæſtores pro arbitrio conſtitueret, hos operam daturos, ut nec reſpublica quidquam detrimenti capiat, & ſuum regi jus indemne eſſet. (z)

Inde in Hungariam redux indicto conventu

Conſtitutis ita rebus in Hungariam rediit, indictoque Budam conventu de legendo palatii Comite, ut ordines deliberarent, imperatum. Prius tamen ſuffragia, quam rogarentur, viſum omnibus eſt, dignitatis prærogativas ad certa capita ex majorum uſu ac conſuetudine referri oportere: tum ne iis, qui eum honoris gradum tenerent, auctoritate abuti fas eſſet, tum ne quidquam eorum dignitati per regum licentiam aliquando detraheretur. Poſt gravem, ac diuturnam deliberationem Mathia non invito in hunc modum res transacta eſt. (a)

Palatini dignitatem certis legibus comprehendit.

„ In primis ex vetuſta majorum ordinatione ſancitum, & conſtitutum eſt,
„ quod ſi quando regium ſemen deficere contigerit, & de electione novi regis
„ tractaretur, in ipſa electione Palatinus ex officii dignitate primam vocem ſem-
„ per habeat.

„ Secundo: ſi quiſpiam regum, hæredem in tenera ætate conſtitutum
„ reliquerit, Palatinus ex officio tenetur, & debet illum, tanquam tutor, in
„ regnis, & dominiis paternis conſervare, & fideliter defendere. Cui quidem
„ Palatino interim, quoad hæres ipſe in adultam pervenit ætatem, univerſi illius
„ ſubditi, & regnicolæ, perinde ac vero Domino, & regi ſemper obedire, &
„ in omnibus rebus obtemperare teneantur.

„ Tertio: ſi regium ſemen deficere contigerit, infra id tempus, quoad
„ novus rex eligeretur, aut etiamſi, ut præfertur, hæres in tenera ætate relin-
„ quatur, Palatinus ejus tutor habet ſemper ex officio, pro rebus, & neceſſita-
„ te regni, & etiam illius hæredis facere, & indicere Diætas, quaſcunque opor-
„ tunas duxerit. Cui, ut præfertur, regnicolæ ſemper parere, & morem ge-
„ rere debent, & tenentur.

„ Quarto: ſi quando urgeret regni neceſſitas, & opus eſſet, ut pro ejus
„ neceſſitate, & neceſſaria defenſione regnicolæ inſurgerent, Palatinus ex ſuſce-
„ pto officio debet eſſe generalis, & ſupremus Capitaneus regni, & regnicola-
„ rum, & illos gubernare, juxta tamen voluntatem, & arbitrium regiæ celſi-
„ tudinis.

„ Quinto: quod ſi quæ differentiæ, ſive ſeditiones, aut aliæ controver-
„ ſiæ inter regnicolas forte contingerent, Palatinus auctoritate officii providere,
„ illaſque ſedare, & complanare, atque nocentes juxta demerita punire, nec
„ non commiſſa emendare, & rectificare debet: dignitate tamen, & authorita-
„ te regia ſalva ſemper remanente.

„ Sexto: quod ſi quando differentiam, ſive diſcordiam inter regem, &
„ regnum oriri forte contingeret, Palatinus ex officio debet eſſe mediator, &
„ ſe interponere, atque illos adhibita omni diligentia, cura, ſtudio, & ſolicitu-
„ dine fideliter componere.

„ Septimo: ſi quando contingeret regem ſimplicem, aut negligentem
„ eſſe, ad audiendum Oratores, vel etiam ad reſpondendum illis, Palatinus ex
„ officio providere, & illius defectum ſupplere debet, & tenetur.

„ Octavo: ſi bona aliqua donantur per regiam Majeſtatem, & contradi-
„ ctores apparuerint, cauſabunturque injuſte per ſuam Majeſtatem fuiſſe dona-
„ ta, debent Palatino conqueri, & ille ad aures regias hujuſmodi querelas quam
„ primum referre tenetur. Si vero rex abeſſet, nihilominus accepta querela,
„ tenetur illi quam primum ſignificare, & ſimiliter rogatum facere, quo Ma-
„ jeſtas ſua præfigat terminum, & locum, ubi, & quando ipſa querela re-
„ videatur, diſcutiatur, & diffiniatur.

„ Nono:

(z) Apud laudatum LINCK ad annum præſentem & 1487.

(a) Extant hi articuli in Corpore Juris Patrii Parte I. pag. 233.

„ Nono: Palatinus ex officio habet, quemlibet regnicolarum, ſive præ-
„ textu jurium poſſeſſionariorum, ſive actuum potentiariorum ad inſtantiam
„ querulantium in jus vocare. Et hac in re adeo amplam poteſtatem, jurisdi-
„ ctionem, & authoritatem habet, ut dempta regia dignitate, nullus omnino
„ juſtitiariorum ampliorem, ſed neque parem habeat. Alii quippe judices in
„ cauſis duntaxat actuum potentiariorum, & non jurium poſſeſſionariorum ex
„ antiqua limitatione, & relatione, citationes, ſeu evocationes decernere, &
„ ſententias ferre habent. Ceterum ſi qui jure coram Palatino in birſagiis, aut
„ aliis judiciorum oneribus convincantur, illis ejusmodi onera, regia celſitudo,
„ non tam ordinaria, quam abſoluta potentia, & authoritate relaxare quidem
„ poteſt, non tamen debet: quia Palatinus de birſagiis ipſis pro ſuo arbitrio
„ ſemper diſponere poteſt. Aliis autem, qui coram ceteris judicibus convin-
„ cuntur, regia ſublimitas libere, & directe de ordinaria ſua potentia onera
„ ipſa relaxare ſemper poteſt.

„ Decimo: quod regiam Majeſtatem ſive in exercitu, ſive aliter extra re-
„ gnum agere ſi contingat, Palatinus ex officio debet in regno ſemper eſſe lo-
„ cumtenens, & cum aliquibus penes ipſum deputandis, quorum tamen ipſe
„ caput, & ſuperior eſſe debet, omnia facere, & exercere, quæ rex ipſe poſſet,
„ & deberet, poteſt: demtis tamen gratiis. & donationibus jurium ad coronam
„ devolutorum: præterea aliis illis, quæ directe ad regiam dignitatem ex anti-
„ qua ordinatione pertinuerunt ſemper.

„ Undecimo: habet Palatinus ex officio judicare totam Comaniam, & eſt
„ ſemper Comes, & Judex Comanorum: a quibus pro hujuscemodi officio, &
„ labore debet habere quoad annum tria millia aureorum, prout hoc ex litteris
„ Ludovici, & aliorum regum prædeceſſorum manifeſte colligitur.

„ Dnodecimo: tota Dalmatia ſubjacere debet judicio Palatini, & pro pro-
„ ventibus habet in illa certas inſulas.

Stephanus de Zapolya fit Palatinus.

Secundum hæc Emericus Scepuſienſis ab ordinibus Palatii Comes juſſus, & ab rege in ea dignitate confirmatus eſt. Hic ille Emericus eſt, qui Joanni Hungariæ poſtea regi avus fuit, magnæque apud Mathiam gratiæ, & auctoritatis, cujus conſilio in publica rerum tractatione uti regem minime pigebat.

Pontifex Bavariæ Ducem, ut pacem inter æmulos conciliaret,

Sub idem tempus Georgius Bavariæ Dux, poſtquam Cæſar capta Vienna provinciis ſuis exceſſerat, ſtudio componendæ pacis adductus, non modo lites inter Ottonem Bavarum, & Albertum Brandeburgenſem exortas, ſed inveterata quoque inter Fridericum, & Mathiam diſſidia tollere per Oratores ſuos nitebatur, quo ſancita concordia bellum, cujus ardore mirifice flagrabat, in Turcos communi opera traduceretur. Ducis conſilium vehementer Innocentius probavit, ac propterea collaudato, ſuas ei partes per litteras mandavit. (b)

Georgio inferioris, ſuperiorisque Bavariæ Duci!

per litteras hortatur.

Dilecte fili! Salutem, & Apoſtolicam benedictionem! quoniam ex fructu, teſte Salvatore noſtro, agnoſcitur arbor de zelo Divini honoris, & animarum ſalutis, quem aſſidue geris, & de tua erga ſedem Apoſtolicam reverentia, in Domino ſpem concepimus ex iis, quæ nuper cum non mediocri venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ædificatione, noſtrique cordis gaudio ingenti a nobis requiſiviſti, ut vere, qualem tuis litteris polliceris nobis, appellare te ſanctæ hujus ſedis, & noſtrum obedientiſſimum filium non immerito poſſimus, ea ratione cum adverterimus, te in plerisque, licet magnis, quoniam Dei honorem concernunt, eorum tamen, quæ proponuntur comparatione multum exiguis, pro viribus curare, diverſis modis animas pereuntium de manu ſathanæ eripere, ſitque nobis compertum, multa, & naturalia, & temporalia bona, quibus te ad laudem & gloriam nominis ſui ditavit altiſſimus, te accommodatiſſimum eſſe, in cujus manu repoſita ſit mogna ſpes pacis, & concordiæ, inter Chariſſimos in Chriſto filios noſtros, Fridericum Romanorum Imperatorem, ſemper Auguſtum, & Mathiam Hungariæ regem illuſtrem, ac inter dilectos filios Alber-

(b) RAYNALD. Annal. Eccleſ. ad hunc annum.

1485. *Albertum Marchionem Brandeburgenſem, & Ottonem Bavariæ Ducem, cum propter ſanguinis propinquitatem, qua nobilitas tua hos omnes diverſis generis gradibus attingit, tum ex ſitu, & regione dominiorum tuorum, tum vero ex omni rerum ingenti copia, & maximis theſauris, quibus omnibus tecum, & cum patribus tuis benedixit, ac iterum tecum, & cum poſteris tuis, ut ſperamus, benedicet Omnipotens. Lætati ſumus magnopere viſis petitionibus tuis, ac ex tuæ in Deum fidei, & affectus ſinceritate majora concipientes, in turbine tantarum rerum, paſtorale onus, ad quod immeriti Domino diſponente vocati ſumus, ob tuæ devotionis fiduciam ſenſimus maxime ſublevari. Speramus enim, ſi tu, quemadmodum credimus fore, ut cupias, & ad id te in Domino, quantum poſſumus, adhortamur, volueris partes utraſque ad concordiam, & pacem hortari, quibus rationibus facile poteris, oſtenderiſque eos in tanto periculo patriæ illius & reipublicæ Chriſtianæ debere in ſuis controverſiis Apoſtolicæ ſedis judicium aut amicorum arbitrium non omnino contemnere, ipſiſque in diſcordia perſeverantibus, parti æquiori adhæſurum te pollicitus fueris, non fore quemquam expectaturum, ut te contrariæ parti cum authoritate Apoſtolicæ ſedis, & juſtitiæ favore pro bono Chriſtianæ pacis conjungas. Quantum autem exinde bonum, & patriæ illi, & toti Eccleſiæ Dei, cujus de univerſali pace tractanda ex hoc principio ordimur, proventum ſperare poſſimus, ſanguinis Chriſtiani a paucis annis ab illis, & ab aliis principibus in Germania, Francia, & aliis partibus, maximeque a Turcis effuſus, & qui effundi paulo poſt, niſi Dominus providerit, formidatur, ſatis docere poſſent, niſi plurima alia omnibus nota bona inde proventura, & mala evitanda conſpicerentur. - - - Tantum aggredere cum Dei benedictione, Sanctorumque omnium, & noſtra, Divinum hoc mediatoris & pacifici officium, quod tibi ex multa fiducia in vim obedientiæ Deo auctore imponimus feliciter adimplendum, ut ad majora, ac fortiora Dei munere brachium extendere, & gloriam tuam augere poſſit. Datum Romæ die XXVIII. Septembris MCCCCLXXXV. Pontificatus noſtri anno primo.*

Id cum fruſtra agitur, rex Varadienſem Epiſcopum in Galliam, & Mediolanum legat. Georgius haud minore, quam cœperat, ſtudio, ad componendam inter diſſidentes pacem incubuit, præſertim quod Pontificis adhortatione ad acuendam operam mirum in modum ſtimularetur. Ac inter Ottonem quidem Bavarum, & Albertum Brandeburgenſem facile convenerat, fœduſque refectis jurgiorum cauſis percuſſum, inter Cæſarem, & Mathiam non item: ſive quod conditiones in medium propoſitæ neutri probarentur, ſeu ita jam uſu animi exulcerati utriuque erant, ut nihil bona fide, ſed per dolum agi ſecum omnia putarent. Induciarum tamen ſpes ab rege velut eminus Pontifici objecta eſt, quod miſſo in Galliam Varadinenſi Epiſcopo vehementer ageret, ut rex ſuo nomine Papam hortaretur, ne Zizimum in Hungariam non traduci permitteret, quod *Quam ob cauſam.* non aliorſum facturus credebatur, quam ut eo in poteſtate habito, quemadmodum cum primis Turcorum militiæ præfectis jam dudum illi convenerat, Bajazetem bello appeteret. Sed Innocentius, quod plures Principum idem cum Zizimo molirentur, eum Romam traduci juſſum, nulli dedere prius conſtituit, quam omnes inito inter ſe fœdere, bellum communi ſententia in barbaros decernerent. Quamquam & illa legationis pars Varadinenſi mandata erat: ut ex Gallia redux Mediolanenſem Ducem adiret, videretque quem in modum inter Blancam Ducis ſororem, & Joannem regis filium nuptiæ conflari poſſent. Quam ille rem incredibili Mathiæ gaudio, ut erat in rerum publicarum tractatione ſolers, gnavuſque, effectum dedit.

An. Chr. 1486. Interea Mathias, quod hiems belli ſtudia intercepiſſet, ne quidquam temporis quod curando regno non daret, ſibi vacuum efflueret, indictis rurſum Budam Comitiis, Legatos ex ſingulis provinciis excivit, cum quibus de inſtaurandis partim, partim antiquandis legibus in regni commodum tranſigeretur.

Tum indictis Budam comitiis regno conſulit, conditis, reſtauratiſque legibus. Re enim vera, dum rex bellis externis occupatus, abeſſe ut plurimum ex Hungaria cogeretur, ita malum paſſim in rempublicam graſſari cœpit, ut eo abſente quemadmodum in edicti, quod poſtea vulgaverat, exordio loquitur, ingens *homicidarum, furum, latronum, prædonum, falſariorum, incendiariorum, & ſimilium ſceleratorum* hominum copia impune, & ſumma licentia publicam regni felicitatem turbaret. Itaque his malis, ne contagio ad plures ſerperet, per regni conventum rex conſultum voluit, ediditque poſtea decretum, quod *Majus* noſtri juriſconſulti vocant, ſatis prolixum, & copioſis, quæ in reipublicæ uſum eſſent,

legi-

legibus refertum. Nos earum duntaxat capita, quæ ad annalium rationem præcipue attinent, perſtringemus. (c)

Palatinale judicium antiquatum.

Ante omnia Palatinale judicium antiquatum: id hujusmodi fuiſſe proditum eſt, Palatinus in ſingulos annos regni provincias obibat, & ſub dio congeſtis ad id opera colliculis, quorum nonnulli hodie etiam viſuntur, jus pronunciabat. Paci publicæ ea re Mathias conſultum voluit, rurſumque, cum uſu comperiretur, parum illo conducere, morem ab ſe inductum abrogavit. *Sed tamen ne per hoc malefactoribus male agendi data, conceſſaque videatur licentia, ordinatum eſt: quod ſi quando Comitatus aliquis, a latronibus, furibus, homicidis, incendiariis, falſariis, & aliis hujuscemodi flagitioſis ſentiret ſe moleſtari, & tales malefactores ibi multiplicari agnoſceret, regia Majeſtas ad petitionem illius Comitatus annuere, & eidem liberam concedere facultatem debebit, quod illos cum Comite exquirere, & exterminare poſſit, & valeat.*

Singulare certamen in judiciis abrogatur.

Judiciorum ratio ad veterem conſuetudinem revocata, ſcitumque ſeorſim, quam pro cauſarum varietate normam ſectari oporteret: prærogativæ ob juris dicundi ſubterfugia abolitæ, ne locus illis, niſi cum leges ſinunt, uſpiam eſſet. Singulari ad hæc certamine ne partes congredi auſint, nec ſanguine obſcura juris momenta dirimere: *quia in duellorum dimicatione plurimæ hinc inde fraudes committi poſſunt: raro enim illi, inter quos illud fit judicium per ſe decertant, ſed pugiles conducunt, qui non nunquam dono, favore, & promiſſis corrumpuntur, ſicque partem ſuam, quantumvis juſtam, quondoquidem non ipſi decertare conſueverunt, ſuccumbere patiuntur. Quare ſtatutum eſt, quod amodo illud judicii genus, extra hoc regnum in mundo inauditum perpetuo aboleatur, & in factis potentiariis, juriumque poſſeſſionariorum fieri nunquam debeat. Duellum ſiquidem tunc ſolummodo fieri deberet, & ad hoc ordinatum extitit, quando omnis probatio deficeret. In factis vero potentiariis, & poſſeſſionariis partes probationes ſemper habent, & etiam alioquin judicium duelli ad curiam regiam militarem, & non ad ſedem judiciariam pertinet. Accedit, quod in judiciis perſonalis præſentia regiæ Majeſtatis ſemper intereſſe, litteras etiam ſigillare debet: is vero ut plurimum ſpiritualis eſſe conſuevit. Intererunt præterea Archiepiſcopi, Epiſcopi, & plures alii ſpirituales, & idcirco non convenit, ut in ſede judiciaria duellum decernatur. Proinde his & pluribus aliis bonis reſpectibus, rationalibusque ex cauſis hoc judicii genus perpetuo aboleatur, & nunquam decernatur, niſi in cauſis, in quibus omnis probatio deficeret, ut ſi ſolus a ſolo in itinere nullo ſpectante ſpoliaretur, vel quidquam alter alteri ſine alicujus teſtimonio commodaret, aut aliquid in ſecretas aures diceret, & aliter neque ſpolium, neque creditum, neque etiam verba prolata probari poſſent. In quibus caſibus hujuscemodi duellum decerni quidem poteſt, non tamen in ſede judiciaria, ſed in curia militari regiæ Majeſtatis: ad illam, ſiquidem, ut præfertur, & non ad ſedem judiciariam ejuscemodi genus judicii pertinere plane dignoſcitur.*

Cautum præterea, ne donationibus regiis malus dolus obreperet.

Nihilo ſegnius donationibus regiis cautum, quod haud pauci, occupata malo dolo regis gratia, in alienos fundos invaderent: quo factum, ut tricis, jurgiis, ac cædibus non privatim modo, ſed palam etiam omnia complerentur. Itaque aliquas ex iis antiquari, aliis modum, extra quem nemini poſſeſſionem adire fas ſit, circumſcribere placuit. Ea de re decretum ita habet: *Ceterum quia ex parte illicitæ occupationis aliorum bonorum, & jurium poſſeſſionariorum, quæ per regiam Majeſtatem ſervitoribus & aliis fidelibus ſuis donantur, variæ querelæ, & clamores, non ſolummodo apud Majeſtatem ſuam, verum etiam in univerſo regno fieri conſueverunt: cauſantur enim plurimi, quod quam primum bona aliqua a ſua celſitudine per ſuos, aut alios impetrantur, illa protinus, nullo habita ſerutinio, an ſcilicet juſte, & legitime Majeſtas ſua donare potuit, occuparent, & non obſtante rerum contradictione tenerent. Quare ſtatutum eſt, & ſancitum: quod amodo, ſi quibus bona aliqua per regiam Majeſtatem, quocunque nomine, & titulo donata fuerint, & contra jura, decreta, & conſuetudinem regni, quacunque arte dominium illorum, non obſtante etiam contradictorum inhibitione capient, Comes per contradictiones requiſitus teneatur e veſtigio illos admonere, quo manus ſuas de illis excipiant. Et ſi ad primam ejus requiſitionem & commonitionem id facere recuſaverint, ſe-*

(c) Extat in corpore juris Patrii Parte I. pag. 234.

1486. *cundo per eosdem contradictores requiſitus teneatur vigore præſentis decreti, ſcita prius veritate illos captivare, & de illis bonis ejicere, & inſuper ad ſolutionem communis æſtimationis eorundem bonorum per omnia remedia compellere. Ad cujus rei executionem, ſi Comes per ſe impotens eſſet, Comitatus per ipſum requiſitus, penes eundem inſurgere, & ei opportuno favore, ſubſidio & auxilio aſſiſtere debeat, & teneatur. Si qui vero adeo potentes fuerint, ut Comes etiam cum auxilio Comitatus id facere non poterit, regia Majeſtas per Comitem aviſata, bona ipſa occupari facere teneatur. Item concluſum eſt, quod ſi deinceps aliqua bona a regia Majeſtate impetrata fuerint, & impetrans inſtiterit, ut ea regia Majeſtas nomine ſuo occupare faceret, ſimulque procuraret, ut litteræ donationales ſcriberentur, quaſi illa de manibus ſuis regiis collata eſſent, ejuscemodi litteræ donationales, quoad illam clauſulam:* de manibus regiis *nullius vigoris, & firmitatis ſint & habeantur. Et quod neque per Comites, ſed neque in octavis per judices ordinarios, & Magiſtros Protonotarios obſerventur. Ulterius quod univerſa bona, poſſeſſiones, & jura poſſeſſionaria, quæ ab anno proxime tranſacto videlicet MCCCCLXXXV: uſque in præſentem diei feſti Epiphaniarum Domini anni ejusdem MCCCCLXXXVI. incluſive per regiam Majeſtatem quibuscunque donata ſunt, ſi, & in quantum illa contra jura, decreta, & antiquam conſuetudinem regni occupata ſunt, illorum detentores, & occupatores requiſiti prius, & moniti cum litteris regiis, aut Palatinalibus infra ſpacium unius menſis integri, a die requiſitionis, & monitionis computando remittere debeant, & teneantur. Alioquin Comes, cum aliis Nobilibus illius Comitatus, penes eum eligendis, & deputandis, illis quorum fuerunt reddere, in eisdemque illos conſervare debeat. Si autem detentores illi potentes fuerint, Comes vero ad hoc exigendum impotens, & inſufficiens, Comitatus vigore præſentis ſtatuti, inſurgere, & in hac parte ipſi Comiti aſſiſtere debeat, & teneatur. Illi autem detentores, ſi ex regia donatione in bonis illis jus ſibi acquiſitum fuiſſe ſperabunt, jure regni requirere debeant. Si vero detentores adeo potentes erunt, ut Comes etiam cum auxilio totius Comitatus id facere non poterit, regia Majeſtas per Comitem aviſata occupari, & præmiſſa exequi facere debeat, & teneatur.* Adjectum his præterea: ne Venetis, & Polonis quidquam ex latifundiis vendi fas eſſet, qui faceret, nota perfidiæ in perpetuum infamis haberetur.

Militaris licentia compreſſa & certis legibus adſtricta.

Militum etiam licentiæ frenum injectum, quod illos ſive ſub ſignis eſſent, ſeu data miſſione vacarent, vi, raptoque vivere conſtaret. Quare edictum eſt: *Quod tam gentes regiæ, quam aliorum, quorumcunque regnicolarum, tam ſcilicet equites, quam pedites, quæ per regnum proficiſci habebunt, teneantur deinceps ubique precia omnium victualium tam ſcilicet equis, quam hominibus convenientium perſolvere, & nusquam damnum inferre præſumant. Quod ſi aliquæ, non regiæ præſertim, ſed aliorum contravenerit, illarum Dominum pro damnis irrogatis, injuriariam & jacturam paſſi, jure requirant. Si vero regiæ fuerint, tenebitur ſemper Majeſtas ſua cum illis aliquem bonum, & bene poſſeſſionatum hominem deputare, qui cum eis procedat, & nusquam damnum inferri patiatur: Et ſi aliter facere præſumſerit, atque pro damnis, & injuriis querela ad regias aures deducta fuerit, teneatur Majeſtas ſua ex parte illius talem, tantamque juſtitiam & ſatisfactionem impendere, quod non ſolum modo damna illata, ſed etiam expenſæ, quas damnificatus, ſive querelans fecerit, refundantur. Ne autem occaſione ſolutionis, & precii victualium differentiam, ſeu contentionem aliquam oriri contingat, diffinitum eſt, quod tam regiis, quam etiam aliorum gentibus ad bellum profecturis teneantur ubique locorum victualia dare, & adminiſtrare juxta regeſtum & limitationem regiæ Majeſtatis, quam tunc Majeſtas ſua juxta temporis conditionem facere, & ductoribus ejuscemodi gentium ſuarum dare debebit; & eorum precia gentes ipſæ ſimiliter juxta continentias ejusdem regeſti ſeu limitationis ſine difficultate ſemper perſolvere debeant, & teneantur. Ceterum quia non multæ gentes, potiſſimum vero levis armaturæ ſive Huſzarones hoc facere conſueverunt, quod poſt deſcenſum exercitus, aut etiam expirato ſtipendio earum non in propriis ipſorum, ſed aliorum bonis jacent, ſeque reficiunt, & plurima iſthic damna, moleſtias, ac alia nocumentorum genera impune committunt. Statutum itaque, & diffinitum eſt: quod tales amodo nusquam in bonis aliorum manere, ſeu jacere poſſint, ſed teneantur ad propria redire, & ibi, ſi volent nova ſtipendia expectare. Quod ſi qui ſorte temere aliud attentare præſumerent, & hi in quorum bonis agerent, moleſte ferrent, debeant Comiti illius Comitatus ſignificare, & eum requirere, quo illos removeat. Ille vero e veſtigio teneatur eas admonere,*

nere, quod recedant, & damna irrogata perſolvant, et ſi non paruerint, eos captivet, & perſonaliter ad caſtigandum regiæ Majeſtati transmittat, de rebus vera, & bonis ſuis, & familiarum ſuarum damna illata rectificet, & perſolvat. Si autem Comes per ſe ad hoc impotens, & inſufficiens erit, Comitatus penes eundem inſurgere teneatur. Si autem Comes tepidus, aut negligens fuerit, & damnificatus querelam regiæ Majeſtati contra eundem porrexerit, debeat, & teneatur Majeſtas ſua de propriis bonis, & rebus ipſius Comitis univerſa illa damna rectificare, & etiam expenſas refundere, & inſuper gentes ipſas de poſſeſſione querulantis removere.

Si qua autem lis inter Eccleſiaſticos, profanosque oriretur, nemini illorum in iſtos, dum lis conteſtata judicis arbitrio dirimitur, pœnis, aut ſacrorum comminatione, uti liceret. Decumarum itidem, quarum cauſa ſæpe Romam appellatum eſt, hæc ratio habita: *Quod ſi qui regnicolarum cujuscunque ſtatus, & conditionis exiſtant ſuper decimis cum quibuscunque perſonis, & a quocunque tempore in curia Romana hactenus litigaſſent, vel etiam in præſentiarum litigarent, cauſas ipſas a modo ceſſare ibi faciant, & usque ad primum diem menſis Maji feſtum videlicet beatorum Philippi, & Jacobi Apoſtolorum proxime venturum, ad hoc regnum in ſede judiciaria regiæ Majeſtatis diſcutiendas revocare teneantur. Ad quem quidem terminum, ſi qui revocare, & coram regia Majeſtate comparere neglexerint, ea ad partis comparentis inſtantiam non obſtante illorum contumacia, vel abſentia, quod juſtum fuerit, decernere, & cauſam ipſam finaliter terminare, & tam de ſumma, & damno capitali, quam etiam de expenſis ſententiam ferre, atque eam debitæ executioni vigore præſentis Decreti, demandare debebit. Ceterum ordinatum eſt: quod deinceps nemo omnino regnicolarum, neque pro decimis, neque pro aliis quibuscunque rebus, prout inferius clarius tangetur, ſub pœnis ibidem inferius expreſſis, in dicta curia Romana litigare præſumat. Si qui autem Dominorum Prælatorum, aut aliæ Eccleſiaſticæ perſonæ cum quibuscunque regnicolis, aut e contra, vel ratione executionis, vel etiam ſuper eo, utrum juſte, & integræ decimæ eis ſolvi debeant, vel alio quocunque modo ſuper decimis, aut etiam aliis rebus quibuscunque lites movere, vel motas proſequi voluerint, id eis coram regia Majeſtate libere, ſed nusquam alias liceat: quæ ex ſuſcepti regiminis officio unicuique juxta allegata, & approbata, quod juſtum fuerit decernere habebit. Hoc tamen per expreſſum declarato: quod cauſas decimarum non alii judices regni, niſi ſola regia Majeſtas perſonaliter ſemper diſcutere poſſit, & valeat.* Hæc fere ad ſanandam rempublicam, quæ rege externis bellis occupato multiplex vitium traxerat, decreta fuere.

Eccleſiaſticis vetitum, ne decumarum cauſa ad Pontificem appellent.

Soluto conventu rurſum belli curas reſumere placuit. Neoſtadium inprimis, quod in anni prioris exitu obſideri juſſerat, regis animum ſollicitum habebat; neque enim tota hieme quidquam profectum eſt, nec niſi copiæ novis ſupplementis augerentur, ſpes melioris fortunæ fuit, quod locus non modo a natura munitus, uliginoſæ enim humo inſidet, quæ obſidentium operas facile eludat, ſed ab arte etiam egregie comparatus, noſtrorum conatus inutiles redditurus erat. Quæ res, quoniam impendiis haud modicis egere videbatur, & ærarium Auſtriaco bello magnopere attenuatum eſſet, neque novam tributi auctionem imperare Mathias vellet, Berekzöenſem ditionem, juri regio obnoxiam, Georgio Raſciæ Deſpoto præbita duodecim millium aureorum ſumma, in pignoris loco poſſidendam conceſſit, publicis tabulis cavens, ne quis ſucceſſorum niſi contractas rationes in ſolidum dilueret, Deſpotum, aut Joannem, ejus fratrem de poſſeſſione deturbare auſit. Pignoris tabulæ ita habent. (*d*) *Nos Mathias Dei gratia rex Hungariæ, Bohemiæ &c. memoriæ commendamus tenore præſentium: quod nos debitum, ut decet, reſpectum habentes ad integerrimam fidem, & fidelitatem fidelium noſtrorum illuſtris Georgii Deſpoti Raſciæ, ac Magnifici Joannis fratris ejusdem, filiorum ſcilicet illuſtris quondam Stephani, ſimiliter Deſpoti Raſciæ, quam iidem nobis, & ſacræ regni noſtri Hungariæ coronæ jurejurando promiſerunt, & propter quod etiam ipſum Georgium Deſpotum paterno Principatus honore eſſe volumus adornatum, ſperantes eum, & conſequenter fratrem ſuum fore paternæ virtutis, & ceterorum majorum ſuorum imitatores,*

Solutis Comitiis cum ſumtus ad urgendam Neoſtadii obſidionem deeſſent, certas ditiones Raſciæ Deſpoto in pignoris loco concedit.

(*d*) Communicavit id mecum doctiſſ. KOLLAR. ex collectione MS. Cl. Math. Belii depromtum.

1486.

nobis, & regno noſtro, ac univerſæ Chriſtianitati eam fidem, quam promiſerint ſervaturos. Inter alias igitur donationes, & remunerationes, quibus eosdem prævenimus, nobisque, & regno obligavimus, caſtrum noſtrum Berekzö vocatum in Comitatu de Valko habitum, quod alias fidelis noſter illuſtris quondam Wok conſimiliter Deſpotus ex noſtra donatione, & inſcriptione tenuit, & poſſedit, ſed per mortem, et defectum ſeminis ejusdem rurſum ad Majeſtatem noſtram extitit devolutum, ſimul cum omnibus diſtrictibus, oppidis, villis, poſſeſſionibus, prædiis, portionibusque, ac juribus poſſeſſionariis, ubivis, et in quibuscunque Comitatibus exiſtentibus, & habitis, ad idem ſcilicet caſtrum de jure, & ab antiquo ſpectantibus, & pertinere debentibus, ac cum cunctis utilitatibus, & pertinentiis quibuslibet... memoratis Georgio Deſpoto, & Joanni fratri ejusdem, ipſorumque hæredibus, ac poſteritatibus univerſis pro duodecim millibus florenorum auri duximus inſcribendum, ac impignorandum, tamdiu per eosdem tenendum, poſſidendum, quouſque aut per nos, aut per ſucceſſores noſtros de hujusmodi duodecim millibus aureorum iisdem, aut eorum hæredibus ſatis factum fuerit effective: imo inſcribimus, & impignoramus tali modo, quod dum & quando ſucceſſores noſtri reges, aut nos caſtrum prætactum ab eisdem Georgio Deſpoto, et Joanne fratre ſuo, vel ipſorum hæredibus rehabere voluerimus, vel voluerint, ex tunc ipſi non aliter, quam præhabitis prius dictis duodecim millibus florenorum præfatum caſtrum ſimul cum prædictis ſuis pertinentiis, remittere et reſignare debeant, et teneantur. Aſſumentes nihilominus eosdem Georgium Deſpotum, et Joannem fratrem ſuum, ipſorumque hæredes, in pacifico Dominio ejusdem caſtri, et pertinentiarum ſuarum tenere, et conſervare, ad quod etiam ſucceſſores noſtros reges obligamus, harum noſtraram vigore, et teſtimonio litterarum, quibus ſecretum ſigillum eſt appreſſum. Datum Budæ feria ſecunda poſt Dominicam Invocavit anno Domini MCCCCLXXXVI. Regnorum noſtrorum Hungariæ XXVIII. Bohemiæ vero XVII.

Innocentio ſoceri ſui cauſa iratus

Inter hæc gravis Mathiæ cum Innocentio ſimultas interceſſit, facileque gravius ſibi malum conſciſcere poterat, niſi Pontifex paterna providentia uſus, occupatum regis animum, ac propterea immodice ferocem in viam revocaſſet. Erat Ferdinando regis ſocero cum ſuis diuturna, ac moleſta diſſenſio, quæ ne in apertum bellum erumperet, Papa immiſſo in ejus ditiones milite diligenter cavit. Rumor tamen erat, Ferdinando ſacris omnibus interdicto, vim metumque allatum, ac propterea ingratiis, & magna honoris jactura coactum, ad pacis conditiones deſcendiſſe. Eam rem Mathias ſuum damnum interpretatus, ſoceri cauſa bellum in Picenum transferre meditabatur, ſollicitatis clam Anconitanis, ut ſe, ſi excenſionem facturus eſſet, portu non prohiberent: ſimul litteras ad Innocentium dederat, quibus a ſententia, qua Ferdinandum perculiſſe fama fuit, provocabat. Pontifex, qui ceteroqnin Mathiæ ſtudioſus erat, graviter ferens, regem maligna fama adeo ſibi ereptum eſſe, placide reſpondit: Socerum nulla ab ſe ſententia perſtrictum, ſed quia odiis cum regni Proceribus adeo certaſſet, ut hi de Turcis in Italiam evocandis conſilia caperent, merito ab ſe regni clientelam arreptam eſſe, ut periculum toti Italiæ imminens amoliretur. Itaque regis provocationem haud ſatis æquam videri, quod ſibi clientum ſuorum cauſas cognoſcendi jus liquidum eſſet, cui interpellando ut abſiſteret, vehementer ſe eum orare, alioquin, contra quam vellet coactum iri, ut in male morigerum filium cenſuris animadverteret. (c)

Ægre a Pontifice pacatur,

„ Chariſſimo in Chriſto filio Mathiæ Hugariæ regi illuſtri ſalutem, &
„ Apoſtolicam benedictionem. Scribis nobis te Breve noſtrum cum certis pro-
„ ceſſibus contra chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ferdinandum Siciliæ
„ regem illuſtrem ſocerum tuum recepiſſe, & illorum intellecto tenore neceſ-
„ ſitate compulſum publice appellationem quandam tuo nomine contentis in eis
„ interponi feciſſe, quam nobis in publicam formam deſtinare curaſti, humiliter
„ poſtulans, ut ſi quid in hac appellatione contra nos egiſſe videreris, id affini-
„ tatis neceſſitudini adſcriberemus, & hoc idem continebant litteræ tuæ ad ſa-
„ crum collegium venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, quos

rogas,

(c) RAYNALD. in Annal. Eccleſ. ad annum 1486.

„ rogas, ut nobis ſuadeant, quod potius communi paci, utilitatique, & com-
„ modo publico, quam diſſenſioni intenderemus. Ex quibus deprehendimus
„ Majeſtatem tuam, eorum, quæ geſta ſunt, plenam notitiam non habere;
„ nullus enim per nos habitus eſt proceſſus contra regem præfatum uſquemodo,
„ ſed duntaxat, quia conquerentibus iteratis vicibus ejusdem regni Proceribus
„ apud fœlicis recordationis Sixtum Papam IV. prædeceſſorem, & ſucceſſive apud
„ nos de novorum onerum eis, & univerſis dicti regni incolis per ipſum regem
„ facta impoſitione, & aliis gravaminibus, quæ eis a rege ipſo inferri aſſerebant,
„ Rex ipſe ſæpius monitus ab eodem prædeceſſore, & a nobis, qui eundem re-
„ gem, utpote peculiarem Romanæ Eccleſiæ filium ſemper dileximus & dili-
„ gimus paterna in Domino charitate, quod a novorum per eum indictorum
„ onerum hujusmodi exactione, ab aliisque gravaminibus deſiſteret, & illorum
„ impoſitionem revocaret, id facere procraſtinando differebat, & exortæ exinde
„ inter eum, & Proceres prædictos controverſiæ quotidie invaleſcere cerneban-
„ tur, jamque rex ipſe ad aliquorum ex eisdem Proceribus perſonalem deten-
„ tionem proceſſerat, recurrentibus poſtremo Proceribus ipſis ad nos, dicti re-
„ gni directum dominium habentes, & aſſerentibus, quod niſi occurreremus
„ cogantur adverſus ejusdem regis ſævitiam ſe externis munire præſidiis; Nos
„ autem, ne, cum ſimus omnibus præſertim temporali dominio præfatæ Eccle-
„ ſiæ ſubditis in adminiſtranda juſtitia debitores, videremur toties repetitas eo-
„ rum querelas negligere, cauſas omnes, quas ipſi Proceres contra regem, &
„ rex contra eos habebant, & monere vellent, non nullis ex Cardinalibus præ-
„ fatis audiendas & nobis in Conſiſtorio referendas commiſimus; & interim, ne
„ rex Proceres, aut ipſi regem externis præſertim infidelium præſidiis, ut mi-
„ nabantur opprimerent, neve exinde præfatæ Eccleſiæ, & fidei Catholicæ de-
„ trimenta aliqua provenirent, decrevimus juris neceſſitate compulſi ad fines
„ regni ejusdem cuſtodiendos, & utriusque partis ab oppreſſionibus indebitis
„ tutelam, intra regnum ipſum armigerarum gentium præſidium introducere, id-
„ que tibi ejusdem regis genero, & univerſis aliis regibus, Principibus, & po-
„ tentatibus, noſtris litteris ſignificare curavimus, & per illas tibi & illis inhi-
„ bere, ne cuiquam eorum diſſidentium ſubditorum noſtrorum præſidia aliqua
„ ſine noſtra licentia miniſtrare præſumeretis.

„ Hæc ſunt quæ usque modo fecimus in præmiſſis, pro quo tibi, aut
„ regi præfato, ſeu alteri non credimus ullius querelæ cauſam ullam penitus
„ præſtitiſſe, nec diſſenſiones, ſed pacem, & quietem, ac commune bonum
„ diſſidentium eorundem procuraſſe. Qua igitur de cauſa tu, qui ignorare
„ non debes utriusque juris cenſura caveri nemini etiam gravato per ſententiam,
„ vel alias a Romano Pontifice, qui in terris ſuperiorem non habet, licere in
„ vocem appellationis prorumpere, & ab eo etiam, ut male informato ad eum
„ bene informandum appellare, ſed duntaxat pro illati gravaminis ſubmotione
„ humiliter ſupplicare, aut adverſus gravamen ipſum in integrum reſtitutionem
„ petere, a contentis in noſtris litteris prædictis duxeris appellandum, profecto
„ non intelligimus, credimusque tenorem litterarum noſtrarum prædictarum
„ tibi fideliter relatum non fore: ac te hortamur, ut cogites te non minori
„ fidei, & devotionis præfatæ Eccleſiæ, & ſedi Apoſtolicæ, quæ tuis exigenti-
„ bus meritis, ſingulari ſemper benevolentia & charitate proſequi curavit, quam
„ ſocero tuo præfato affinitatis vinculo obligari, nec nobis inter ſubditos noſtros
„ diſſidentes cognoſcere, & judicare volentes, ut debemus affinitatis præmiſſæ,
„ aut quovis alio reſpectu te opponas. Nam ſi ſecus ageres nobis conquerendi
„ de te, & contra te ad opportuna remedia procedendi, quod non libenter
„ faceremus occaſionem præſtares. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incar-
„ nationis Dominicæ MCCCCLXXXVI. Calendis Martii Pontificatus noſtri anno
„ ſecundo.

Alteras quoque ad has adjecit litteras, Petri Colocenſis Archiepiſcopi cauſa, quem tam diu præter dignitatis rationem in carcere nullam fere ob cauſam detineri, moleſte ferebat. Hunc ut liberum eſſe fineret, ſibique cognitio-

Qui fruſtra ad eliberandum e

uem

1486.

carcere Colocenſem Archiepiſcopum preces adhibet.

nem cauſæ permitteret, obteſtabatur, pollicitus, ſi quid ab eo peccatum fuiſſet, id ei omnino impune non futurum; alioquin eo tam illiberaliter detento, tantum ex ſui nominis gloria regem perditurum, quantum prius collaudata palam Epiſcopi opera, regno ſuo conſuluiſſet. (*f*) *Quoniam*, inquit, *mora temporis non parva hac in re jam interceſſit, et Archiepiſcopus ipſe carcere detinetur cum nonnulla honoris Apoſtolicæ ſedis, noſtrique, ac tui ſugillatione, et Dei offenſione, duximus eſſe officii noſtri has litteras Majeſtati tuæ ſcribere, quam hortamur, rogamus et per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti obteſtamur in Domino, ut eundem Archiepiſcopum priſtinæ libertati ad paternas preces noſtras reſtituere velit, cum præſertim jam ceſſare potuerit, omnis de illo homine concepta ſuſpicio, ut ſi, quod abſit aliquid contra Majeſtatem tuam molitus fuiſſet, ita ſit et Dei auxiio ſapientia tua præmunita, ut nihil tibi detrimenti afferre poſſit amplius homo miſer, et imbecillis, quem clementia tua regia ex carceris ſqualore cum ſumma, ut ſæpe in aliis ſua laude experta eſt liberaverit. Ea in re Majeſtas tua rem Deo placitam, nobis ac venerabilibus, fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, ſupra quam dici poſſit, gratiſſimam faciet, ſi vero ipſe Archiepiſcopus aliquid contra perſonam tuam ac ſtatum inclytorum regnorum tnorum machinatus fuiſſet, ſi ita opus fuerit pro majore cauſæ cognitione ipſam Archiepiſcopum usque ad nos etiam ſub fidis cuſtodibus evocari faciemus, tale adhibituri temperamentum, quo celſitudini tuæ ſatisfiet, et Archiepiſcopus, ſi qua demerita commiſerit pœnas luet. Datum Romæ apud S. Petrum die VI. Martii MCCCCLXXXVI. Pontificatus noſtri anno ſecundo.* Neque tamen quidquam propterea ab rege impetratum, niſi quod honeſtiore cuſtodia Viſſegradi Petrum obſervari voluerit, quoad ab regis morte, ut ſuo loco narrabitur, libertati reſtitutus eſſet.

Dum Maximilianus Romanorum rex ſubſidia Auſtriacis promittit.

Ceterum Mathias in ſoceri cauſa errorem, quo tenebatur, Pontificiis litteris dedoctus, ac Innocentio conciliatus, cum novis militum ſupplementis in Auſtriam properavit, ut & Neoſtadium arctiori obſidione premeret, & provincialium animos in fide conſervaret. Maximilianus enim Cæſaris filius dum Francofurti cum Electoribus Imperii de coronatione ſua agit, facile plerorumque animos illo flexerat, ut ad ejicendos Auſtria Hungaros ſtudia ſua ſe collaturos profiterentur. Ingens illi propterea ab principibus Chriſtianis decretus exercitus, quo ille ſe munitum proxime venturum Provincialibus ſignificavit, modo ipſi interea operam darent, ut tantum commeatus in tuta loca comportetur, quantum alendo militi ſatis eſſet. (*g*) *Maximilianus Romanorum rex ſemper Auguſtus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Geldriæ, Comes Flandriæ, et Tirolis &c. mandamus vobis noſtri Archiducatus Auſtriæ inferioris, Prælatis, Comitibus, Prioribus, Baronibus, Nobilibus, aliis noſtris fidelibus, nec non civium Rectoribus, Judicibus, Præfectis etc.* „ in quo mandato refert ſibi, patrique Cæſari in Comitiis Imperialibus Francofurti celebratis, a Principibus robuſtum exercitum promiſſum „ fuiſſe, quem contra regem Hungariæ educturum ſe ait, ut nimirum Mathiam „ de civitatibus, caſtris, caſtellis, aliisque Auſtriæ locis, & angulis ejiciat. Jubet itaque, ut Princeps, & Dominus legitimus, atque etiam rogat omnes, „ & ſingulos Provinciales dictæ Auſtriæ, quatenus & ipſi ſua arma expediant, „ miſſo ex Imperio militi ſe conjungant, eique commeatu, aliisque vitæ, & „ belli neceſſariis ſubveniant, ſeque tandem poſt coronationem ſuam, ad quam „ more ſolito peragendam, ait, jam ſe cum patre Cæſare iter ſuum Aquisgranum verſus inſtituiſſe, in Auſtriam ipſis auxilio venientem exſpectent. „ *Datum Francofurti anno MCCCCLXXXVI. feria ſecunda in Paſchate.*

Mathias Neoſtadii obſidionem accelerat adductis ſupplementis.

Mathias viciſſim uihil cunctandum ratus, quo omnem Maximiliani conatum inutilem redderet, communitis oppidis, impoſitoqne, quantum ad defenſionem ſatis eſſet, præſidio Neoſtadium profectus, obſidionem accelerare nitebatur, ut prius quam Cæſar ſubſidia ex Imperio mitteret, urbs in poteſtate eſſet. In caſtra ad urbem poſita receptus, Maffeum Naſonem, & Franciſcum Fontanum Mediolanenſium Ducis Oratores obviam habuit, ut deſponſationem. quam Varadinenſis regis juſſu inierat, ſua auctoritate confirmarent. Obſtabant affinitatis leges, neque niſi Joannem prius regem conſtitueret, res ſatis ex ſententia caſu-

(*f*) Idem ibidem.
(*g*) Apud Cl. LINK in Annal. Claravallens. ad hunc annum.

caſura videbatur. Itaque Bohemiæ regno ſe abdicare, filiumque, adjectis, quæ in Loſatia, & Sileſia coemerat, provinciis ſibi ſufficere decrevit. Hanc Mathiæ mentem fuiſſe ſcriptores illorum temporum memorant, at, quid in cauſa fuerit, quod nuptiarum pactiones ipſo eventu firmatæ non ſint, prorſus non prodidere. Neque enim dubium eſt, Blancam Joanni in manus non conveniſſe, quem conſtet ſponſam ſibi ex celebri Frangepanum genere ſerius poſtea elegiſſe.

Eodem & a Bajazete Legatus Huſembegus venerat, (*b*) de rebus gravibus magnique momenti acturus, *qui obitis apud pleroſque Europæ Principes legationibus, inſignem facundiæ, ac prudentiæ famam, & laudem affectabat, ac inani gloriatione ſibi adulatus, ceteris promiſerat, ſecundum ſententiam, ac voluntatem ſui Cæſaris ſe optata Legationis acceptarum præmia. Noverat rex ante, naturam barbaro faſtu, et ambitione occupatam, oſtentationeque inanis pompæ plerumque ſpectacula adferri a Turcis, pari itaque arte Legatum excipere ſatagit. Statuto colloquii die, ac hora, ſpecie obſidionis viſendæ progreſſus una cum Legato in conſpectum obſeſſæ urbis, & caſtrorum ad mœnia urbis diſpoſitorum, indicto de induſtria graviſſimo inſultu, inter reboantes tormentorum ſonitus et fragores, loco illo, ubi plurimum miſſilia tela, et globi ſine quovis obſtaculo per aera tranſultabant, legationis ſummam edere juſſit. Ibi ille metu in præcordia demiſſo, pallens, tremensque vix hæſitando conceptis prius verbis animi ſenſa explicavit. Mathias velut pro tempore intellecta Legati ſententia, ſemel, atque iterum deambulando, ad ſingula brevi - - dato reſponſo Legatum abſolvit. Is hac vice quoque ob tumultum bellicum, & telorum ſtrepitum terribilem vix compos mentis, et attonitus exceſſit caſtris, ſimulque reſponſi regis oblitus. Sed eo riſu, ac commiſeratione dignior, quod volens redire ad Cæſarem orabat ſupplex, ut repetitum reſponſum accipiat, id quod nulla ſui exiſtimatione petere auſus, obtinere nullo modo potuit. Illuſum merito non tam Legato, quam barbaræ Bajazetis ſuperbiæ, cui ſignificabat, in poſterum ejus ingenii, ac numeri Legatos ad ſe mittat, qui & decorem ſui Principis tueri, & reſponſo bona memoria conſervata ad ſe referre noverit.* (*i*)

In caſtris cum eſt, Turcici Legati faſtum militariter comprimit.

Hæc in caſtris ad Neoſtadium acta: quo cum rex veniſſet, & ſuburbium magna ſuorum virtute jam expugnatum eſſet, machinas, quantum paluſtris locos ſineret, propius urbem admoveri juſſit, muroſque quati, ratus obſeſſos, qui in ſeptimum menſem fame laborabant, peneque jam enecti eſſent, eo terrore ad faciendam deditionem facilius compulſum iri. Non caruit ſucceſſu conſilium, quod cives omni annona, & ſubſidio excluſi, dedere ſe Mathiæ mallent, quam extrema nullo cum fructu perpeti. Itaque circiter idus Auguſtas urbs dedita eſt, poſtquam incredibili fortitudine noſtrorum conatus diu, multumque luſiſſet. Juvat obſidionis ſeriem, & eventum ex Bonfinio, qui ante annum ex Italia veniens, Mathiam cum Beatrice in caſtra ſequutus eſt, depromere, tum quod ipſe magnam rei geſtæ partem ſpectavit, tum quod quædam in annalibus præteriiſſe mihi viſus eſt, quæ tamen, dum iiſdem in caſtris Philoſtratum e Græco traductum regi dicaret, litteris complexus erat. (*k*)

Occupato ad Neoſtadium ſuburbio cives lenta inedia ad deditionem cogit.

» Nihil (ita iſthic ad regem ait) hac obſidione tempeſtate noſtra præclarius uſquam viſum eſt, urbs eſt in profuſa, patentique planitie ſita, ulіginoſo, paluſtrique loco, & aquis undique emergentibus circumfuſa: præterea duplici foſſa, ſcaturiente aqua completa, in vaſti gurgitis ſpeciem. Duplici quoque muro, amneque, & frequentibus undique turribus, propugnaculis, aggereque munitiſſima: arce denique prædita, qua nihil in orbe terrarum mirabilius; quando tota penſilis, & ſupra culmina penſiles quoque hortos habet;

Obſidionis ſeries, & res utrinque geſtæ.

(*b*) Conſtat id ex Diplomate Ludovici II. de anno 1521. in quo Rex merita illuſtris familiæ Revajanæ prolixe enumerat.

(*i*) Petrus DE REVA Centur. V. diſerte affirmat ſe id ex MS. Thomæ NADASDII Hungariæ Palatini promſiſſe.

(*k*) In Dedicatione ad Mathiam, quam Philoſtrato in latium converſo præfixerat, & Cl. KOLLAR primus omnium ex MS. edidit Tom. II. Analect. Biblioth. Vindobon. fol. 814. vulgavit.

1486. ,, habet; altiſſima circummunita foſſa, quadrato lapide conſtructa, & aquis cir-
,, cumveuta iu inſulæ ſimilitudinem. Augebant hæc impoſita præſidia, muni-
,, tiones innumeræ, obſtinati oppidanorum animi. Nemo ad ſecundum lapidem
,, tuto appropinquare poterat; tria quoque ſuburbia munitiſſima urbem prote-
,, gebant. Quare partim paluſtri ſolo, partim amnium, propugnaculorumque
,, difficultate urbs hoſti adiri uou poterat, ueque diverti flumina, neque cuni-
,, culis mœnia ſubiri : ubicunque effodiebantur, latices emergebant; proinde
,, nihil arte, naturaque munitius poterat excogitari. Aecedebant Noricorum
,, munimenta montium, qui urbem in theatri ſpeciem circumſtabant, unde ab
,, imminentibus undique caſtellis ſubveniri poterat, & circumſpectu obſeſſorum
,, animi confirmari. Tua autem ſerenitas, quia videbat, nihil iu Auſtria eſſe
,, geſtum, niſi hæc civitas Auſtriæ caput, Iuperatoris regia, patria Auguſto-
,, rum, & ſepulcrum, atque munitiſſima deinceps ſpes, & tutela regionis in
,, ditiouem tuam perveniſſet, tam vehementi animo oppugnationem adorta eſt,
,, ut nunquam ſit die, noctuque ceſſatum. Primarium nocte ſuburbium vi ca-
,, ptum, ubi tui milites humerotenus aqua, cænoque trajecto, tam præclarum
,, auſi facinus tion mediocrem ſibi laudem compararunt. Expugnato ſuburbio,
,, varia tormentorum genera urbi propius admota: in primis ſex inſanæ belli
,, machinæ ex ære conflatæ, profligatis olim Turcis ereptæ, quæ urbem ita
,, quatere cœperunt, & ea potiſſimum parte, quæ ſpectat ad Viennam, ut o-
,, mnes illine turres, murosque protriverint. Mox tormenta undique mœni-
,, bus adacta, & ita proxime circum erectæ turres caſtellorum inſtar, nt comi-
,, nus cum oppidanis, niſi interjecta foſſa prohibuiſſet, manus conſerere potuiſſent.
,, Quare nimium attritæ oppidanorum vires, & conſternati animi, ſuperba ubi-
,, que faſtigia machinis deturbata: contra illi nullum defeuſionis genus præter-
,, mittere, diruta mœnia aggere reparare, quaſſa, & uutantia ſuccidere, ne
,, foras devoluta foſſam ample complerent. Ita infeſtis aliquamdiu pugnatum
,, animis, ut multi vario inſidiarum genere utrinque occiderint. Ad trajiciendos
,, gurgites, qui muros circumfuderant, & ad urbem expuguandam, varia in-
,, ſtrumentorum excogitata genera, quæ nulli bellicæ artis autores tradidernnt.
,, Sed Majeſtatis tuæ clementia cum oppidanos ob impoſiti præſidii vim deditio-
,, nem facere non poſſe, neque urbem ſiue magna cæde capi intelligeret, quam-
,, vis expugnare poſſet, ſi voluiſſet, tamen maluit ſeptimo menſe per inediam
,, ad deditionem cogere, quam cum magna ſuorum, hoſtiumque cæde nrbem
,, capere, quam quidem captam a militari deinde ineendio, & ſævitia eripere
,, uequiviſſet, imo uno eodemque tempore civitatem, & cives, opes, & ornamen-
,, ta, ae denique oleum, ut ajunt, & impenſas perdidiſſet. Ut militum, op-
,, pidanorumque ſaluti conſuleret, ſex menſibus obſidionem uon ſine magno
,, impendio prorogare, quam utrosque ſimul perdere maluit. Idibus circiter
,, Auguſtis Auguſta civitas, vero Auguſto deditionem faeere coacta eſt, ut qui
,, Auguſtis auſpiciis nactus erat, ſuperato toties Auguſto de Auguſta civitate Au-
,, guſtis qnoque idibus triumpharet. - - - - Tribus ante diebus ſanctiſſimam
,, Beatricem tuam eum univerſis legionibus præmiſiſti, quæ Cæſareæ urbis im-
,, perium iniret, & te triumphautem exciperet. Spectavimus, iuquam, ſpe-
,, ctavimus te triumphali ſacerdotum, civiumque pompa, in qua uon ſigna,
,, non tabulæ, uon ſpolia hoſtium, cum quibus præ victoris indulgentia cle-
,, menter actum, ſed victricia tantum vexilla ferebantur, præcedentibus inno-
,, meris equitum turmis, & acclamantibus undique fauſta militibus, ſub um-
,, bella aurea iu urbem candido equo invectum; ubi variæ nationes ſuis quæque
,, ſignis, te Cæſarem, te jure Auguſtum, te verum Imperatorem exclamabant,
,, quando de duobus primariis ætatis noſtræ Imperatoribus claram victoriam
,, ſæpe retuliſti. - - - Succedebat Hyppolytus Arragonius, Divæ Beatricis ex
,, ſorore, imo trium quoque regum nepos, beneficio veſtro, & Pontificia au-
,, ctoritate, pro fauſtiſſima ſua indole decimo ætatis anno Strigonienſis Metro-
,, polita deſignatus. Stephanus Bathor Daeorum Præfectus, religione ſumma,
,, incredibili continentia, & ingeuti rei bellicæ diſciplina, gloriaque præditus,

quem

„ quem Veneris penitus expertem affirmant omnes, te cum ingenti, & Cata-
„ phracto equitatu ſequebatur, ceteri legionum Legati, equitumque Præfecti, ut
„ Petrus Gerebus, Stephanus Comes regius, Tetaurus, (*l*) & Jacobus pro-
„ xime anteibant, ingenti mole corporis, ac mira fortitudine ſpectatiſſimi. Sed
„ illud profecto ne minus quidem mirabile viſum eſt: nullam vim, nullam in-
„ ſolentiam, ne minimam quidem contumeliam, & convicium neque publice,
„ neque privatim victis illatum. Item ubique honeſte, ſancteque verſatum:
„ ille melior eſſe videbatur, qui pallentis longa famo hoſpitis ora citius refocil-
„ laret, quin & ex oppidanis aliqui in conſiderata colluvie diſtenti expirarunt.
„ Venere congratulatum ex univerſo fere regno Optimates: in primis Urbanus
„ Pater ille optimus, Pontifex Agrienſis vir probitate, magnificentia, pietate,
„ fideque præſtantiſſimus toleranciſſimus laborum, tuorum conſiliorum Mini-
„ ſter fideliſſimus, exactiſſimum, & generale artificii tui, ut ajunt, inſtrumen-
„ tum, nullius ocii particeps, ut in regia gratia conquieſcat, ex Hungaria gra-
„ tulabundus occurrit. Item paucis poſt menſibus e Gallia rediens Joannes
„ Varadienſis Antiſtes, magnanimitate, ac fortitudine ſumma præditus, ubique
„ referens, quanti Principis fuerit alumnus, non minus armis, quam toga
„ clarus, cui nulla unquam demandata Legatio, quam non fide, magnificeque
„ geſſerit. Id ipſum urbes ceteræ factitarunt.

Hactenus iisdem verbis Bonfinius: tum regem cum exercitu Schad-Vien- *Capto*
nam, Scæam noſter vocat, profectum ſcribit, urbemque, quæ aditus in Stiriam *Neoſta-*
ſervat, viſam captamque perhibet, & victoriam ejus diei umbratili concurren- *dio co-*
tium militum acie, Beatricis gratia celebratam. (*m*) „ Sed ne inferior quidem *pias*
„ fuit eo die acierum inſtructio (ita ſuperiorem locum proſequitur) quo com- *Schad-*
„ poſitis rebus novæ civitatis, ad Scæam Viennam caſtra moviſti, quæ in fau- *Viennæ*
„ cibus montium Noricorum ſita eſt, & uno die adita, viſa eſt, & capta. Ante *admo-*
„ urbem obſeſſam in patentiſſimo campo legiones omnes explicuiſti, redegiſti *vet.*
„ in aciem, ubi, quæcunque apud veteres legeram de diſciplina militari, re-
„ cognoſcere licuit. Ibi te non modo regem ſapientiſſimum, potentiſſimumque
„ principem, ſed Imperatorem quoque cenſum eſſe intellexi. In quatuor
„ agmina diſtribuens equitatum, velites, ac equites levis armaturæ in duas
„ tantum alas, ut brevi diſtributione copiarum multitudo facilius tegeretur,
„ & confuſio evitaretur omnis. Exercitus, qui e caſtris prodiit in campum,
„ ut inſtituto agmine ad occupandas Noricorum furcas, fauceſque contenderet,
„ ex octo millibus peditum, & viginti millibus equitum, ſine pueris, caloni-
„ bus, & lixis, item ex carris circiter novem millibus ſane conſtabat. Tua
„ autem ſerenitas ſuis manibus agmina cuncta inſtituere voluit, & caſtrenſia
„ munia pro meritis ipſa diſtribuit. Cuique agmini vexilla ſua eſſe; ubi in
„ primis Chriſtianæ fidei, mox veſtræ domus, deinde invictæ gentis Hungaricæ,
„ poſtremo Dalmatici, Bohemicique regni, & Auſtralium inſignia ſpectari.
„ Neque Præfectorum equitum, militumque deeſſe vexillationes, imo viritim
„ quisque equitum præfixa haſtis vela ferre, quod ad militare ornamentum
„ maxime faciebat. In primis ubi inter turmas illa prodiit, ſilentium indictum,
„ non ſolum viris, verum etiam equis religioſe ſervatum. Allata primi agmi-
„ nis ſigna in medium, ea manu veſtra præſtantiſſimo veterano non ſine dili-
„ genti præcepto commiſſa. Ille calcaribus carere, quod mihi non ſine admi-
„ ratione ſpectatum; id factum rebar, ne in maximo conflictu, concitato equo
„ fugeret, ſuaque fuga ſuperſtitum animos conſternaret. Mox duodecim enſes,
„ totidemque ſecures, & clavæ bene merentibus datæ, ſecuriferi, enſiferi, cla-
„ viferique vexilliferum circumſtare. Deinde turmarum ordines ante vexilla
„ conſtituti, horum ſinguli ex quinque, & viginti equitibus plane conſtare, ut
„ numerus equitum cum turmis conſentiret. Proinde turmæ circiter octogin-

(*l*) Hunc Wilhelmum Tetaucrum fuiſſe puto, quem ex inſtrumento monaſterii Zvetlenſis conſtat militiæ præfectum apud Mathiam fuiſſe, Auſtriacum fuiſſe reor.

(*m*) Laudato ſupra loco.

1486. „ ta equitum, ante ſigna miro ordine præcedere, ſubſequi totidem. Ibi aote-
„ ſignani, & poſtſignani rite couſpici, reliqua demum agmina eodem modo in-
„ ſtitui; ita quisque ordinem ſervare, ut ſi digito plus alins alio præceſſiſſet,
„ Imperatoris quam maxime circumſpecti ſævitiam reformidare cogeretor. Tan-
„ tum ubique obſeqnium, timor, & reverentia eſſe cum Imperatoris amore
„ conjuncta, ut dicto citius imperata quisque præſtaret, vitam, dum imperio
„ ſatisfaceret, pro nihilo duceret. - - - Inſtitutum quodque agmen, ubi ali-
„ quanto proceſſerat, dato ſigno ante Principis ora belli ſimulacrum agere, &
„ modo in cuneum, modo in orbem, modo in trigona tetragonave, modo in
„ forficem, & ſerram, mutata acie verti; At ubi ſatis ſuperque uemine ſuum
„ locum deſerente, ſumma peritia, & dexteritate luſum, ut ſereniſſimæ Bea-
„ trici oſtenderet evidentius, quomodo inſtructa acie pugnaretur, repente agmi-
„ na cuncta diſpoſuit. In utroque cornu duo validiſſima Cataphractorum agmi-
„ na collocavit, turmatim conſtituta: duo quoque in medium ſtatuit, his etiam
„ militum agmina interjecit. Iu primo horum ordine gravis armaturæ pedites,
„ deiude haſtatos, ſagittarios, ferentarios, ceterosque levis armaturæ milites
„ rite diſpoſuit: in tertia acie Triarii præſidebant, & extrema ſigna tuebantur.
„ Item ante utrumque coruu duas velitum alas extendit, qui quidem quini or-
„ dinem ſervabant, tanta pernicitate præpollentes, ut aves curſu anteire poſſe
„ viderentur. Ego autem Beatricem Dominam - - meam ſecutus, dum me ad
„ exercitum ſpectandum converto, tanquam manum jamjam cum hoſte conſer-
„ turum, maxima ſum continuo admiratione percitus, nam veri ſcorpionis ima-
„ ginem præferebat. Poſt, ubi ſatis, ſuperque a - - conjuge ſpectatum, or-
„ dinatum agmen quodque iter facere cœpit. Carri pariter a latere agi, quibus
„ pro foſſa, valloque, ſed falcatis in prælio uti, hoſtesque iis circumvenire ſæpe
„ ſolent. Miranda ſunt profecto, quæ diximus. quando nunquam in Italia vi-
„ dere licuit. Sed cum diſciplinam militarem, moresque ſanctiſſimos, quibus
„ Hungaros educaſti, mecum ipſe conſidero, aliquamdiu in caſtris diverſatus,
„ ne minore quidem admiratione conficior. Nusquam mihi milites ſpectare li-
„ cuit, caloris, & frigoris, item laboris, & inediæ tolerantiores, qui ſtudioſius
„ imperata faciant, qui libentius dato ſiguo pugnam ineant, qui ſe morti
„ promtius exponant, qui militarem ſeditionem magis deteſteutur, qui in ca-
„ ſtris quietius, honeſtiusque vivant, qui ſeſe religioſius agant, qui tumultus,
„ ac rixas magis abominentur, qui temperantiam, & caſtitatem magis colant,
„ ab omni blasphemia, perjurio, illegitimaque venere penitus alieni. Maxima
„ pars equitum, quibus uxores ſint, & liberi, triennio quandoque aſſidoomi-
„ litare coacta, nunquam conjugii fidem violaſſe creditur. Si quis cum militari
„ ſcorto deprehenſus eſt, perpetua ſugilletur infamia. Fortitudinis, & patien-
„ tiæ ſunt plus quam Lacedœmoniæ, hieme æque, ac æſtate caſtra frequentant.
„ Et quod meis hiſce oculis ſæpe vidi, ſub nivibus, ac terra, ne obſidionem
„ deſerant, toleranter hibernant, unde murum ſæpe more prodeunt: ſtationi-
„ bus totam uoctem teſſerariorum juſſu equites adſunt, neque loco moveotur,
„ neqne rigenti algore queruntur, & quamvis plerisque membra vel ſæviente
„ frigore obſtupeſcant, invicto tamen animo cuncta patiuntur, liberos in caſtris
„ alunt, ibique militaribus ſtudiis informant. Ex quo fit, ut gens Hungarica
„ bello aſpera, ita inſtitutis, ductu, auſpiciisque tuis creverit, ut quæ non
„ paternam glebam in Pannonia poſſideret, ſed vix intra hoſtile pomoeriom, ſe
„ ſiue ſanguine tueretur, tantum fecerit acceſſionis, ut a Sarmatis ad mare uſ-
„ que Adriaticum, & a Myſiis, atque Macedonibus ad Noricos uſque, ac Ger-
„ manos ſub ditioue tua imperium propagarit. „ Hæc ex occaſione Neoſta-
dienſis obſidionis commemorare non nullum prorſus operæ precium putavi, ot
aliquam veteris apud noſtros diſciplinæ militaris imaginem legentium oculis ſub-
jicerem. Etſi enim non refrager, aliqua Bonfinium hoc loco ex poetarum ritu
exaggeraſſe, tamen ita putide, palamque Mathiæ voluiſſe aſſentari, ut eorum, quæ
memorat, nihil, aut parum veritati conſentaneum fuerit, nemo opinor corda-
tus, ut ſibi perſuadeat, animum unquam inducet.

Ex

Ex tam ſecundo rerum in Auſtria geſtarum eventu haud paucorum ſibi Principum invidiam Mathias conflaverat, qui ſumta ex diſſidio, quod regi cum Pontifice obortum ſupra narravimus, occaſione, famam de induſtria vulgavere, Mathiam ob ſuſceptas Ferdinandi ſoceri partes cenſuris a Papa devinctum eſſe, adeo, ut non Auſtrales modo, ſed Hungaros quoque religio propterea non leviter inceſſeret. Malignam famam graviter rex tulit, & Pontifici per Oratorem ſuum Sirmienſem Epiſcopum, qui tum Romæ agebat, prolixe queſtus eſt, juſſitque Innocentium ſuo nomine adiret, ediceretque, ſe pro tuendo Ferdinando vitam, opesque profuſurum: tum Moldaviæ cauſa Polonis Legatis quoque intercederet, qui ejus provinciæ clientelam contra pacta conventa, & vetus regni jus recepiſſent, atque poſtremum hoc caput ſic urgeri voluit, ut niſi mos ſibi eatenus gereretur, haud diu conſtaturam cum Polonis amicitiam, citra ambages affirmaret.

De conflata ſibi apud exteros principes calumnia Papam per Oratorem convenit,

Pontifex, qui ex ſuperioribus litteris, quas Ferdinandi cauſa ad regem dederat, delinitum ejus animum rebatur, videns Mathiam magis ex amore in conjugem, quam æquitatis gratia ſocero ſtudere, rurſum litteris conveniendum cenſuit, quibus & famam maligne ſparſam diſſiparet, & reliqua querelarum capita in luce collocaret: (*n*)

Qui malignam famam utcunque per litteras diſſipat.

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Mathiæ, Hungariæ, & Bohemiæ regi illuſtri! Hortamur in primis Majeſtatem tuam chariſſime fili, quoties aliquid de nobis, vel Apoſtolica ſede ad eam perfertur, quod indignum, vel minus rationabile videatur, ſive per eos, qui tuæ gloriæ invident, ſive per vulgus ignarum perferatur, graviori judicio illud examinare velit, & priusquam in ſententiam veniat, quanto conſilio, & maturitate omnia, quæ hinc exeunt, digeſta egrediantur, conſiderare. Ita namque ſi feceris, & animus tuus turbationes indignas non ſubibit, & Apoſtolici culminis ſublimitatem majori, ut Catholicum Principem decet, reverentia proſequeris; deinde vero, quod magno deſiderio optamus, ita gloriam tuam, & acquiſitum glorioſiſſimi Principis nomen conſervabis, ut ſolus invidiæ locus æmulis, & detractoribus tuis relinquatur. Nam cum ea, quæ per nos tanta mentis tuæ inflammatione decreta eſſe ſignificas, neque unquam cogitata extiterint, judicare nunc poteris, an ſine cauſa, & absque ratione tu fueris iratus, & nobis, qui tuam Majeſtatem inter Chriſtianos reges præcipuo ſemper amore proſecuti fuimus, & proſequimur de præſenti, merito ſuccenſueris. Nos enim ut tuam Majeſtatem, ſicut reliquos Principes, & præcipue dicto Ferdinando confœderatos præveniremus, ipſaque Majeſtas tua quot, quantæque rationabiles, & neceſſariæ cauſæ nos contra ipſum regem cogerent, intelligeret, litteras Apoſtolicas, quas contra ipſum de conſilio venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium decreveramus ſimul cum aliis litteris in forma Brevis, ne tu, vel alii dicto regi ſubſidia præſtarent, requirenti ipſi oratori tuo, quemadmodum & aliis dari fecimus, mandantes eidem, ut illas ad te quantocius deferri curaret, quamvis tu ſimul cum ceteris Principibus Chriſtianis cognoſceretis, nos rite, & juſte in cunctis procedere; quas quidem litteras noſtras, ſicut nec ceteri fecerunt, opus non fuerat, ut extra conſilium tuam manifeſtares, cum nihil præter juſti, & honeſti requiſitionem in ſe continerent. Quodſi ex hujusmodi litterarum publicatione, aut æmuli tui contra te gloriantur, aut quidquam murmuris, & ut verbis dicti Oratoris tui utamur, muſſitationis, ac cenſurarum ſuſpicionis apud ſubditos tuos ortum fuerit, certe jam non nobis, ſed conſilio tuo id merito attribuere debueras, qui ea non tantum univerſe regno tuo, ſed remotis, finitimisque nota facere voluiſti, quæ nos ad tuam ſuper noſtris proceſſibus inſtructionem tuæ Majeſtati transmitti demandavimus, ſperantes, quod tu pro tua ſapientia & conſueta devotione, poſtquam intelligeres ipſos proceſſus noſtros omni ex parte juſtiſſimos, quod ſalvo honore noſtro, ſalvaque conſcientia ſecus facere non poteramus, tu quanto majori amore regem ipſum Ferdinandum complecteris, tanto majori ſtudio ipſum, cum ſit immediatus ſubditus, & vaſallus noſter, & Apoſtolicæ ſedis ad obedientiam nobis, & debitam juſtitiam ſubeundam induceres, ita namque & utilitati dicti regis, & ei, quam debes, erga hanc ſanctam ſedem devotioni rectius conſuluiſſes, quam illum ex tuis promiſſis ſubſidiis duriorem in ſua pertinacia conſervando, attento maxime, quod nos ſemper parai fuimus, & hodie eſſemus, quando id debita cum humilitate, & convenientibus

(*n*) RAYNALD. Annal. Eccleſ. ad hunc annum 1486.

1486. *mediis poſtularent, pro noſtro curæ paſtoralis officio omne juſtitiæ, & pietatis genus erga ipſum impendere.*

Cum autem, quod dolenter referimus, rex ipſe diverſis exquiſitis modis manſuetudinem Apoſtolicæ ſedis in dies magis irritare, & novis injuriis afficere, baculo arundineo innixus, & nos, qui eum ſemper dileximus, & quantum ex nobis eſt, diligere in Domino cupimus, provocare non ceſſet, cogimur, quod uti diximus, juſtitia, ac etiam maximis totius religionis Chriſtianæ periculis cogentibus, cœpimus proſequi, & adjutore Deo, qui Eccleſiam ſanctam ſuam nunquam derelinquet, niſi rex ipſe aliter reſipiſcat, ad debitum finem perducere.

Quantum vero ad negotium Moldaviæ attinet, referentes ad eum, quem nos adverſus eos, qui de ſubſidiis noſtris ſe intro mittent, & illos contra nos erigunt, concepimus, juſto dolori tuæ Majeſtatis compatimur. Verum quia per Oratores præfati regis Poloniæ, qui his diebus, ſicut & ceteri Chriſtiani reges, & Principes fecerunt, debitam reverentiam, & obedientiam nobis præſtiterunt, necdum mentio aliqua facta eſt, aliud in præſentiarum reſpondere non poſſumus, niſi quod gratum habemus, rem illam intellexiſſe, & ſi apud nos movebitur, ſic juſtitiam tuam, quemadmodum & in aliis negotiis majoribus, etiam non requiſiti, fecimus, fovebimus, quod tua Majeſtas intelligit, (ſe) a nobis non diligi modo, ſed etiam vehementer amari: in qua ſententia tanto nos firmius perſiſtemus, quanto Majeſtatem tuam erga hanc ſanctam ſedem, adverſus quam nemini Chriſtiano quavis ex cauſa fœdere, ſeu vinculo inſurgere licet, devotiorem experiemur. Datum Romæ apud S. Petrum, anno MCCCCLXXXVI. VII. idus Junii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

His pacatus, quod reliquum Auſtriæ erat, fere occupat.

Rex his litteris utcunque pacatus, in Maximiliani conatus, quem Auſtralibus ſubſidio venturum rumor erat, acri cura intentus, diviſo exercitu reliqua oppida, quæ nondum deditionem feciſſent, per Legatos oppugnari juſſit, ut venienti Maximiliano ipſam Auſtriam pro muro objiceret. Jam inferior provinciæ pars, præter Cremſium urbem, ac Zvetlenſe Cœnobium regi parebat; neque conſtat ſatis, cur Cremſium intentatum ſineret, niſi forte aut tempus opportunum præteriit, aut damnum priori obſidione acceptum Mathiam cautiorem reddidit: Zvetlenſi cœnobio contra, quod locus ad intercipienda Maximiliani ſubſidia mire opportunus eſſet, præſidium imponere placuit. Itaque ad Abbatem mandata miſit, ut citra tergiverſationem copias, quæ venturæ eſſent, reciperet. (*o*) *Mathias Dei gratia rex Hungariæ, & Bohemiæ &c.* „ in quo mandat
„ eidem, quatenus militem ſuum in monaſterii ſui tutelam, & præſidium ſu-
„ ſcipiat, & hoc ait ſe jam antea illi ſignificaſſe: monet igitur ipſum altera vice,
„ & jubet, ut Capitaneum ſuum Nicolaum Spanobsky, quem illis in partibus
„ cum commilitio, nomine ſuo regnare commiſit, intra Clauſtrum pro præſidio
„ intromittat. „ *Datum in campo ante Egenburgam anno Domini MCCCCLXXXVI. feria tertia poſt Martini.* - - -

An. Chr. 1487.

Inde in barbaros converſus Oratorem ad Rhodios mittit, ut ſibi Zizimum dedant.

Sed Maximiliano plus laborum in Belgio obortum eſt, quam ut ſubſidia, quæ provincialibus promiſerat, in Auſtriam mitteret, & Cæſar ſine Principum Germaniæ auxiliariis nihil poſſe videbatur. Itaque Mathias locis in Auſtria occupatis, nihil hac parte metuens, de bello in barbaros transferendo conſilia inibat. Addebant ſuapte in Bajazetem concitato animos, & tempus induciarum ad finem vergens, & nova rurſum oblata a militiæ præfectis ſpes, qui Bajazetis crudelitatem peroſi Zizimo favebant, nec ceſſabant regem per nuncios orare, ut, eo ab Rhodiis ab ſe traducto, bellum elapſis induciis moveret. Ea maxime de cauſa adductus litteras ad Rhodiorum Magiſtrum per Paulum Rötházium Oratorem ſuum menſe Martio ſcripſit, quibus Zizimum ſibi dedi poſtulabat, communeque fœdus obtulit, quo viribus conjunctis barbaros terra, marique infeſtarent. (*p*)

Rurſum a Bajazete Legatus adeſt.

Hæc litterarum ſententia fuit: neque dubitabat Mathias, Rhodiorum Magiſtrum facilem ob commune diſcrimen in ſua vota futurum, cum res ob Legatum a Bajazete miſſum nonnihil turbari viſæ ſunt. Quæ Legationis cauſa fuerit, &

(*o*) Apud Cl. Linck. loco cit.

(*p*) Ex ſecundo Volum. Codic. Diplomat. Melitenſis.

&an ad prorogandas inducias, aut pacem conciliandam Orator veneriт, nuſquam in vulgus manavit. Quidvis erat, rex barbaros ambiguis reſponſis de induſtria circumducendos cenſuit, quoad ex Rhodo litteræ afferrentur, Legatumque interea ad Bajazetem officii cauſa mittere decrevit, quo ſatis temporis haberet, ut conſilia eventui commodaret. Forte fortuna ab Turcico Legato cauſa ad faciendum temporis lucrum Mathiæ, qui tum Viſſegradi agebat, oblata eſt. Nam cum is, ut moris eſt, *ab aulicis regis ex oppido legationis ſuæ exponendæ gratia in aulam deduceretur, & in porta, unde rectus patet ad - - penſilem aream aſpectus, parumper ſubſtitiſſet, circumſpiciens tantam loci illius amœnitatem, ſplendoremque, & aulicorum, tam in inferiore, quam ſuperiore, ubi rex erat, area infinitam multitudinem, ſerico, argento, auroque contextis indumentis, atque non ex minima ſui parte baltheis, ut moris eſt noſtrorum Hungarorum, enſibusque argenteis, ac torquibus aureis ornatam, tanta ſubito admiratione, ſtuporeque perculſus eſt, ut totius ſuæ legationis oblivisceretur, & dum per gradus in conſpectum regis aſcendiſſet, propter ejus aſpectum, qui ob magnos oculos cruore veluti perfuſos terrorem inſpicientibus incutiebat, conceptus jam antea timor, ita magis, ac magis hominem occupavit, ut poſt diuturnum ſilentium, nihil aliud proferre potuerit, quam:* Cæſar ſalutat, Cæſar ſalutat! *quem cum rex interrogaret, an quid ultra vellet, ille nihil reſpondit. Rex viſo hominis tam nihili ſtupore, ad ſuos, qui adſtabant, purpuratos converſus:* „ videte, inquit, quales belluæ noſtros, „ & aliorum Principum Chriſtianorum fines, negligentia noſtra publica incur„ ſent. Verum, quantum in me erit, curabo frena his belluis imponere, ne „ tam licenter excurrant. Si alii etiam Principes ſocordia, & internis diſſenſioni„ bus ſepoſitis, hoc idem præſtare curarint, agetur bene de rebus Chriſtianis. (q) *Jubet deinde Legatum reduci ad hoſpitium:* „ vade, inquit, reſpira, & reſipi„ ſce. *Ei poſt multum temporis revocato ſignificatum a rege eſt, ut domum rediret, nunciaretque Domino ſuo, alium mitteret, qui Legatione fungi ſciret. Ita ille pro regis dignitate, magnifico nihilominus munere ornatus, coactus eſt cum rubore reverti.* (r)

Quem rex Majeſtate ſua territum remiſit.

Additus tamen illi ad Bajazetem Legatus eſt, Jakoſiczius Raſciæ reguli filius, militia in primis clarus, & exporrecti in quemvis caſum animi; ut barbarum eo amicitiæ ſimulacro falleret, ne quid rerum, quæ apud Rhodiorum Magiſtrum interim agebantur, reſciret. Legatus ab Turcorum Sultano magna benevolentiæ ſignificatione acceptus eſt, quem poſtea, quam Legationis cauſas expoſuiſſet, munere pro gentis more ornatum in Hungariam remiſit: ſed in ipſo regni aditu ab Gaſe Muſtapha obtruncatus, nihil eorum, quæ apud Bajazetem egiſſet, ad regem referre potuit. Rem Annales Turcici (s) in hunc modum narrant: *Venit id temporis ad Bajazetem Legatus ex Hungaria vir eximiæ dignitatis, cui nomen Jakoſiczius. Is ad Sultanum adductus, & perbenigne fuit auditus. Expedita legatione veſtem a Bajazete dono pro more gentis accepit, & admodum honorifice, benigneque dimiſſus fuit. In itinere vero, quo domum rediturus erat, cum jam Semendriæ fines attigiſſet, quidam eques Turcicus, vir militaris, cui nomen Gaſes Muſtaphas, & qui forte tum iſthic erat, equo conſcenſo Legatum aggreſſus eſt, & acinace ſuo tam graviter vulneravit, ut confeſtim ibi mortem oppeteret Id uti faceret, hæc eum impulerat cauſa, quod cum aliquando Legatus ille Gaſim Muſtapham cum fratre captivum detineret, Muſtaphæ fratrem veru transfixiſſet, ipſumque Muſtapham coegiſſet, ut hoc modo transfixum veru fratrem Germanum aſſaret, excuſſis eidem Gaſi Muſtaphæ triginta duobus dentibus ſuis. Hac ergo de cauſa repertum iſthic legatum occidit: quanquam & ipſe Gaſes Muſtaphas eodem loco vulneribus confectus vivendi finem fecit.*

Addito Oratore Jakoſiczio, qui redux occiſus eſt.

Hic Legationis ad Bajazetem exitus erat: nihilo magis altera quoque, quam Rhodum miſſam narravimus, ex ſententia confecta eſt. Röthazius magnis uſus itineribus menſe Junio in Hungariam rediit, litteras ab ordinis magiſtro afferens, quibus ne ſibi, quod Zizimum dedere non poſſet, fraudi ſit, vehementer orat: juve-

Legatus, quem ad Rhodios miſerat, re infecta redit.

(q) Diſſenſiones Principum Chriſtianorum ſpes coercendorum barbarorum, quam ex tradendo ſibi Zizimo Bajazetis fratre conceperat, ſuadent, ut id factum huic anno tribuam.

(r) Nicol. Olahus in ſua Hungaria cap. VI.

(s) Apud Leunclavium ad an. Chr. 1487.

1487. juvenem Poutifici obſtrictum eſſa, quo invito minime ſibi integrum ſit regis voluutati morem eatenus gerere: ab fœderibus vero ſe nequaquam abhorrere, libenterque operam collaturum, ſi communi ſtudio in barbaros bellum gerere liberet. Nihil præterea ab Rhodiis tum quidem impetrari potuit, at poſtea, quam res a pluribus, majorique contentione acta eſſet, rurſum dedendi Zizimi ſpes quædam affulſit, tametſi deinde, ut fere in rebus multorum invidiæ obnoxiis fieri ſolet, in exitu adhæſiſſet.

Rex indicto ad Viennam conventu cum ordinibus de tributo tranſigit.

Interea Mathias crebris provincialium querelis admonitus, quæſtores, quos per Auſtriam comparandis tributis præfeciſſet, ſuo magis, quam publico, ac regis ærario ſtudere, Viennam coutendit, indictoque extra urbem conventu, cum provinciæ ordinibus egit, ut collatis in medium conſiliis de damno, quod ex incerta vectigalium ratione ortum habebat, cavendo diligenter tractarent. Malebat enim ordines ſponte malo conſulere, quam oſteutato armorum metu ad pendeudum tributum cogi. Re utrinque deliberata viſum eſt, edictis, quæ Cæſar propterea condiderat, antiquatis, quæſturis regii arbitrio, certis tamen limitibus definito penſionem vectigalium credi oportere, quemadmodum ex Mathiæ litteris, quas ad Gmundenſem Præfectum dederat, compertum habeo. (t) In iis, ut ex pervetuſto inſtrumento conſtat „ ſcribit Nicolau Spanobsky Caſtellano ſuo in Gmünd, „ quod in Comitiis proximis in campo celebratis cum Auſtriæ proceribus ita egerit, ut omnes cenſus hactenus conſueti, in poſterum ceſſarent. uno tantum per „ Auſtriam relicto fiſco ſuo regio ſolvendo. De qualibet nimirum vini carrata „ extra provinciam portanda quatuor florenos monetæ Hungaricæ. Item de „ ſingulis cuppulis ſalis tres numos: item de quatuor bobus unum florenum, „ & de centum arietibus etiam florenum, & de aliis mercaturis ſive intra, „ ſive extra proviuciam ducendis vigeſimum florenum. Huc tantum intelligendum eſſe de exteris, de indigenis autem, & provincialibus nun ita acci„ piendum, illos liberos prouunciat. Item qui in uno loco ſolvit quæſtori „ regio accepta quittancia, uon eſt, ut apud alterum quæſtorem, ad quem forte „ venit, ſolvat. Deinde conſtituit præfatum Nicolaum talem quæſtorem in „ Gmünd, in Zuetlenſi Monaſterio, & in Altenſteig, atque ibidem circum qua„ que, modo & conditione præfatis. Datum in campis anno Domini MCCCC„ LXXXVII. feria ſexta ante Joannis Baptiſtæ. „ Hæc propterea in medium afferre libuit, ut quid Fridericum inter & Mathiam intereſſet, ne neſciremus, quem uou iguobilis ſcriptor, moderate, & plane remiſſo, regioque animo gubernacula tam Auſtriæ, quam Viennæ quinquennio fere capeſſiviſſe prodidit. (u)

Et cum Saxoniæ Duce, quem Cæſar ſibi oppoſuerat, inducias paciſcitur.

Ceterum Fridericus celebrato Norimbergæ conventu, cum adverſus Mathiam graviter quereretur, bellique cauſas in immodicam hujus dominandi libidinem conjiceret, auxiliares aliquot copias ab Imperii Principibus impetraverat, cum quibus Albertum Saxuniæ Ducem in Auſtriam mitti placuit, ut Hungarorum progreſſionibus modum iſthic poneret, ſique fortuna ſe propitiam daret, occupata ab hoſte oppida recuperare niteretur. Sed is difficiliurem, quam exiſtimabat, provinciam nactus eſt, quod, præter Cremſium, tota inferior Auſtria in regis poteſtate eſſet. Itaque cum aliquamdiu fruſtra ad eam urbem adhæſiſſet, metueretque, ue cum Mathia, qui incerto motu Ducem circumvenire parabat, in prælium deſcendere cogeretur, miſſis nunciis inducias couflavit, quæ a feſto Divi Martini ad IV. Calendas Decembres durareut, quo tempore Cæſar Mellicium, Mathias ad Divi Hippolyti de pace tractaturi couvenirent. Fridericus, cui id præter expectationem acciderat, & minus ſecundæ filii res ex Belgio crebris nunciis afferebantur, a pacis tractatione non abhorruit, præſertim quod, Auſtralibus belli tædio jam captis, facile intellexit, regem quoque ad conciliandum fœdus facilem futurum. Itaque Mellicium contendens, cum Mathia, qui ad Divi Hipolyti jam venerat, per nuncios de inſtauranda amicitia egit. Longe protracta altercatio eſt, neque prius, quam XII. Calendas Januarias ita conventum; ut

(t) Apud Cl. Linck. cit. Annal. ad annum 1487. (u) Apud eundem.

ut induciæ abhinc ad vigeſimam quintam Maji diem anni ſequentis prorogatæ bona fide ſervarentur: rex partis frueretur, neque quamcunque ob cauſam arma corripere cuiquam interea fas eſſet. (x)

An. Chr. 1488. *Dehinc bellum in Sileſiam transfert,*

Peropportunum Mathiæ rebus id acciderat, quod novo in Sileſia bello implicandus, copias dividere neceſſe haberet. Sed belli origo, cauſaque altius repetenda ſunt. Glagovienſem Ducatum, mortuo ſine hærede maſculo Principe, in Joannem Saganenſem Ducem, tametſi complures jus hæreditarium in eam provinciam ſibi aſſertum irent, Mathias contulit, ut aliquo navatam ſibi ab eo adverſum Polonos operam beneficio penſaret. Potitus aliquamdiu provincia, regem, beneficii parum memor, graviter offenderat, neque aliter in priſtinum gratiæ locum reſtitutus eſt, quam fidem dediſſet, Ducatum ab ſuo obitu in Joannem Corvinum devolutum iri. Ducis voluntatem provinciæ ordines ante ſex annos ratam habuere, ac jurejurando polliciti ſunt, ſe ab Ducis morte in regis arbitrio futuros eſſe. Id cum Joannes ægerrime ferret, cupiebat enim Ducatum in filias ſuas traducere, Henrici Munſterbergenſis Principis filios, qui non ſolum gratia apud Wladislaum valebant, ſed opibus præterea armisque potentes, ad ſuſtinendam regis iram pares videbantur, generos ſibi elegit, & conflatis clam Mathia nuptiis, provinciæ ordines, ut ſacramento, quod regi dixerant, irritato, ſibi, ſuisque generis fidem præſtarent, partim blanditiis, partim oſtentato armorum metu permovere conabatur. Hinc belli ſemen jactum: ut enim ad Mathiam, quid Saganenſis moliretur, allatum eſt, ægreque ferret, tam ſuperbe ab ſuo cliente, quem ditaverat, ſeſe contemni, Tetauero in mandatis dedit, ut cum copiarum parte in Sileſiam profectus provinciam in fide contineret. Ille Haugvicio, qui non temnendo numero ex Sileſiis militem quoque collegerat, conjunctus, acceptisque ex Hungaria Raſcianorum ſupplementis, Glagovium provinciæ caput aggreſſus, urbem obſidione cinxit. Facile urbs, quod Senatus, civesque a Principe diſſiderent, capi poterat, ſi vis admota eſſet: ſed cum Legati exercitus mandata ab rege haberent, ut loco parceretur, lenta fame, ac inedia deditio facta eſt. Joannes provincia exutus in Poloniam profugit, ſpe fretus, Caſimirum facile ad commune in Mathiam bellum concitatum iri; at cum is illius cauſa nihil movere vellet, extorris, nulloque certus loco conſilia ſua damnans oberrabat. (y) Quo magis Polonos ſcriptores, ac Cromerum in primis miror, qui Ducem injuſto ab rege bello appetitum, & duriſſimis pactis ad dedendam provinciam coactum eſſe ſcribunt: niſi forte id ægre iſtis eſt, quod eo bello Hungari ditiones ſuas ita ad Septemtrionem propagarint, ut bidui itinere ab Oceano Sarmatico vix abeſſent.

Ac Joannem Saganenſem Ducatu privat.

Cum Magiſtro ordinis equitum S. Georgii tranſigit,

Cum hæc in Sileſia ſatis ſecundo eventu fiunt, Mathias in Auſtria morabatur, ſive, ut provinciæ res in ordinem redigeret, ſeu ut induciis haud ſatis fidens in promtu eſſet, ſi quid turbarum oriretur. Neque nihil illi cum Magiſtro ordinis, qui a ſancto Georgio nomen adeptus eſt, negotii obortum fuit. Erat in hujus poteſtate Kismartonium, & arx Forchtenſteinia, cum ampliſſimo agro, Hungariæ obnoxio, quem Fridericus, rege adverſus Turcos occupato, invaſerat, armisque ſubactum, ordini donum dedit. Eam partem ab regno avelli rex haud ſatis æquo animo ferens, cum Magiſtro militiæ ita tranſegerat, ut in eorum loco Trautmonſtorfium, & Varteuſteinium non ignobilia Auſtriæ oppida Magiſter reciperet, ſi modo polliceretur regi, qui ſimul Auſtriæ Dux eſſet, fidem ſe intemeratam ſervaturum. Conſenſum utrinque eſt, & pactionis

(x) Ibid. ex litteris Pauli Ornsvaldi, qui ad S. Hippolyti Decanus, aut Procurator erat. Datæ ſunt in S. Hippolyto 1487. in feſto S. Thomæ Apoſtoli. Similia Chron. Salisburg. Tom. II. Script. rer. Auſtriac. Cl. Hieron. Pez. Itaque male aliqui in ſequentem annum rem trajiciunt.

(y) Cureus in Annal. Sileſ. ad hunc annum.

1488. tabulæ in hos conditiones vulgatæ. (z) *Nos Mathias Dei gratia Hungariæ, & Bohemiæ rex, Dux Auſtriæ memoriæ commendamus: quod poſtquam nos multis & gravibus de cauſis ad capeſſenda arma, & bello appetenda caſtra Eiſenſtat, & Forchtenſtein ad coronam regni noſtri Hungariæ pertinentia, adducti, permotique fuiſſemus, inter nos, & magnificum, reverendumque Dominum Joannem Sibenbirter Ordinis ſancti Georgii Magiſtrum, qui prædicta caſtra poſſidere dignoſcitur, in hos articulos concordatum fuerit, ut ſequuntur. Statutum eſt primo, quod præfatus Sibenbirter nobis, aut quemcunque noſtri loco miſerimus, dicta duo caſtra die Mercurii proxime venturo, relictis ibidem annona, & ingeniis bellicis, in manus noſtras tradi faciet, & debebit: quidquid vero præter annonam, & inſtrumenta bellica intus fuerit, quod ad ipſum, vel ejus homines pertinet, etiamſi in pecunia, clenodiis, rebus domeſticis, equis, aliisque conſtiterit, ferre ſecum ſecure poſſint, & ſub noſtrorum militum cuſtodia in tutum locum deportare. Item conventum eſt, quod nos viciſſim, prædicto magno Magiſtro, ejusque ſucceſſoribus alia duo caſtra, videlicet Trautmonſtorf, & Wartenſtein cum omnibus ſuis pertinentiis, & juribus, quæ ab antiquo ad illa pertinere quoquomodo dignoſcuntur, ſine omni moleſtia tradimus, iisque uti, & frui libere, & bona fide permittemus: hoc tamen attento, ut tam ipſe ordinis Magiſter, quam ſui ſucceſſores, nobis, noſtrisque hæredibus, tanquam Auſtriæ Ducibus, ac naturalibus Dominis, ſe fideles exhibeant, & quod veros ſubditos decet, cum imperatum fuerit, facere debeant, & teneantur, & nos vice verſa omnibus ejus ſubditis, ſi illos in noſtris dominiis morari, & manere contigerit, benignum erga eos dominum nos exhibere debeamus: harum litterarum noſtrarum teſtimonio mediante, quibus ad majus robur ſigillum noſtrum regium apprimi curavimus. Datum Viennæ in feſto ſanctæ Dorotheæ virginis, & martyris, anno MCCCCLXXXVIII. regnorum noſtrorum, Hungariæ trigeſimo, Bohemiæ vero decimo nono.*

Et inducias cum Cæſare initas prorogat. Confectis in hunc modum cum ordinis Magiſtro rebus, Vienna Rhetium profectus Mathias, induciarum prorogationem, quam Cæſar vehementer petebat, haud difficulter ab ſe paſſus eſt impetrari. Fridericum Maximiliani, quem Brugenſes in Belgio coorta ſeditione ceperant, fortuna magnopere conſternavit, cui liberando triginta millium exercitum conſcripſerat: Mathiam contra Wladislai delectus, quos toti regno imperaverat, tum Caſimiri cum Bajazete percuſſum fœdus incertum reddidere, quo iſtorum molitiones evaſuræ eſſent. Itaque ne tot eodem tempore ſibi hoſtes conſciſceret, facile conſenſit, ut induciæ a vigeſima quinta Maji die ad Calendas Auguſtas prorogarentur: decretum præterea, ut Stiræ, ſuperioris Auſtriæ urbe, Legati ab Imperatore, & rege miſſi coeant, qui in concilianda pace, operam ſuam conferrent: hujus arbitrium ab Cæſare penes Joannem Salisburgenſem futurum; regi, quos vellet mittere, integrum eſſet. (a) Convenere ad præſtitutum diem:. ſed cum Salisburgenſis, incertum quam ob cauſam, conventui intereſſe nollet, inducias ſolum, diſcuſſa pacis tractatione firmari utrinque placuit.

Rex variorum Principum Legationibus colitur. Inde Viennam redux Mathias multiplici legatione excultus eſt: nam & a Bajazete Oratores aderant, qui pacem flagitarent, & Georgius Bavariæ Dux per nuncios regem rogabat, ut Friderici Oettingani, cui Cæſar Heslerum Cardinalem in Patavienſi Epiſcopatu oppoſuerat, partes tueri vellet. Helveti quoque Legatos ad regem miſerant; quam ob cauſam, compertum non habeo, niſi forte officii teſtandi gratia id factum arbitremur. Sed iſtorum adventus in ipſo Au-

ſtriæ

(z) Habentur litteræ in Archivo Milleſtadienſis Reſidentiæ S. Jeſu, quarum apographum Germanicum mecum communicavit R. P. MATHIAS RIEBERER e S. J. cui a morte Cl. Marci Hanifizi provincia data eſt, ut Germaniam Sacram, in qua guaviter deſudat, ad morem deceſſoris pertexat.

(a) Apud Cl. LINCK cit. Annal. ſequentes litteras ex Strunone adducit: *Herr Hans von Wilfferſtorf Ritter, Frauen Amaley Herren Hanſen von Frankenſtein Wittib. Ich laſs euch wiſſen, daſs der Biſchof von Gran, und des Königs von Ungern Rath, auf den nächſten Auffartstag bey Steuer zuſammen kommen ſollen, und zwiſchen des Röm. Kayſer, und des Königs Taidungen thun werden, auf etlich Jahr ein friedlich Anſtand, oder ein gantzen Frieden zu machen. Dann der von Gran hat völligen Gewalt von Röm. Kayſer &c. Geben Aſparn Erchtag nach Floriani. . .*

ſtriæ aditu parum auſpicatus erat; quod ab Oberheimero provinciali contra jus, & fidem publicam capti, rebusque omnibus per ſummam injuriam privati fuiſſent. Id pro cauſæ merito graviſſime rex tulit; miſſisque ad ſuperioris Auſtriæ ordines mandatis, impudentiſſimi facinoris patratorem cum ſuis dedi ſibi poſtulavit, adjecta ducentorum millium florenorum mulcta, ex qua damnum Legatis illatum ſarciri voluit. Hæc ita habere ex pervetuſto Zvetlenſis monaſterii inſtrumento perſpicuum eſt; in quo qui Viennam litis conteſtandæ cauſa ad regis Præfectum miſſi erant, (*b*) *nuntiant nova de partis utriusque in Stira conventu, nihil commodi, aut conſolationis ſperandum eſſe, quia rex illuc tantum miſit Cancellarium ſuum, aliis Proceribus, qui mittendi erant retentis, & pax decima poſt Ægidii die expiratura dicitur. Fuerunt quoque apud regem Viennæ Turcorum Legati, quibuscum ipſe triennalem pacem concluſiſſe a Spanobsky affirmatur. Hic præterea narravit, in ſingulis Auſtriæ provinciæ partibus fore Capitaneum, penes quem rerum ſumma futura ſit, ipſe vero ſe brevi domum venturum ſperat. Porro ſignificant apud regem Ducis Georgii Legatos eſſe, ſicut etiam Helvetiorum. De Belgio autem ſama Viennam pervenit regem Gallorum Gandavenſibus ſuccurriſſe, & - - Cæſarem una cum filio rege Romanorum ibidem obſediſſe. Regem item Hungariæ petere a ſtatibus Auſtriæ ſuperioris, quatenus ſibi Oberhaimerum vivum cum ſatellitibus, & bonis omnibus ejusdem quamprimum dedant, ex eo, quod Helvetiorum Legatos ad ſe deſcendentes litteris, & mandatis ſpoliare auſi fuerint, pro damno vero, & injuriis, Legatis, & ſuæ Majeſtati illatis ducenta florenorum millia ſibi porrigi poſtulat. Demum cauſam afferunt, cur rex Legatos in Stiram deputatos non miſerit, quia Epiſcopus Strigonienſis illoram præcipuus venire illuc ad conventum recuſavit. Actum Viennæ anno Domini MCCCCLXXXVIII. Dominica ante Ægidii.*

Hactenus inſtrumentum, de Bajazete autem faſtuoſo ſupra modum barbaro, pacem precario ab Mathia flagitante nemini mirum videri debet, qui præter triginta equitum millia collatis cum Sultano Ægypti ſignis, etiam claſſem tempeſtate abſorptam hoc anno amiſerit. Ea res Rhodiis equitibus cogitationem ingeſſerat, uti Zizimum Mathiæ dederent, qui afflictas in Aſia barbari vires penitus in Europa attereret: præſertim quod Bajazetes crebra Legatione ordinis Magiſtrum colens, ſatis proderet, id ſe magnopere vereri, ne Chriſtiani Principes, accepto geminæ cladis nuncio, conſpirantes commune adverſum ſe bellum gerendum ſuſciperent. Sed cum Innocentius ſumma vi contenderet, ut ſibi Zizimus traderetur, conſilium, quod feliciter caſurum pleriſque viſum eſt, in ipſo principio diſſipatum fuit. Atque id in cauſa fuiſſe reor, cur Mathias, qui opportunam rei gerendæ occaſionem ſibi e manibus elabi æquanimiter non ferebat, elapſis quinquennalibus induciis pacem quoque barbaris in triennium concederet, tametſi Pontifex miſſo in Hungariam Epiſcopo Hortano ſedis Apoſtolicæ Legato, ut diſſidentes inter ſe Principes conciliaret, ſumma vi, ne pax conficeret, obniteretur. Pax magis muneribus, quæ devinciendi regis gratia miſerat, a Bajazete emta, quam per amicitiam conflata eſt: inter quæ præcipuum fuiſſe, ſuperſtites Divi Joannis Eleemoſinarii exuvias memoriæ proditum eſt, quæ Budæ primum conditæ, poſtea Poſonium translatæ in ſumma omnium veneratione habentur. (*c*)

Bajazetes confectis in triennium induciis, corpus S. Joannis Eleemoſinarii donum regi mittit.

Ceterum Zizimus, de quo tanta inter Principes obtinendo oborta contentio eſt, ſequente anno per Gallias in Italiam profectus Romam pervenit. Juvat, quoniam crebra nobis illius memoria hactenus facta eſt, accepti a Pontifice barbari Principis modum ex Burchardo, qui tum ſacris ritibus in urbe præerat, ad verbum referre. (*d*) *Feria ſexta XIII. Martii Gran Sultan frater Turci intravit urbem eques: Caput ſuum more ſuo magno velo albo tectum habens, nemini diſcooperiebat, ſed tantum parum inclinabat. Equitavit inter Franciscum Cibo Papæ a dextris, & Priorem Alverniæ nepotem Magiſtri novi Cardinalis a ſiniſtris. Prædictus Prior Alverniæ aſſerens ſe Oratorem regis Francorum, & curam dicti Turci ſibi commiſſam eſſe Senatori,*

An. Chr. **1489.**

Zizimus Bajazetis frater Romam venit.

(*b*) Apud eundem loco citato.
(*c*) Cureus in Annal. Sileſ.
(*d*) Apud Raynald. Annal. Eccleſ. Tom. XI. ad annum 1489.

1489. *& aliis Oratoribus locum dare noluit . . . venit per conſiſtorium coram Pontifice, & licet diceretur ipſum Turcum reverentiam Pontifici facturum Turcorum more terram manu tangendo, deinde manum deoſculando, tamen illud facere recuſavit: ſed in introitu conſiſtorii, ubi genu flecti ſolet, genuflectere noluit, imo vix, & valde parum caput coopertum Pontifici inclinavit, adeo, quod difficulter hujusmodi inclinatio cognoſci potuit, ſeu videri. Aſcendit ad Pontificem, quem ſtans erectus amplexus eſt, & ſuper brachium dextrum parum deoſculatus, caput ſuum ſemper tenens coopertum; qui ſtans coram Pontifice illi explicari fecit per ſuum interpretem, & gaudere ſe præſentiam Pontificis attigiſſe, ipſumque rogare, quod facti memor eſſe velit, & eum habere commendatum, & cum tempus dabitur, & locus, in ſecreto alia explicaturum. Reſpondit Pontifex jam diu actum fuiſſe, quod Nobilitas ſua, pro ſuo ſtatu, & bono Romam duceretur, & quod ſua Nobilitas in nullo dubitare debeat, ſed læte vivere, quia omnia in bonum finem ſunt ordinata, pro quibus Turcus ita ſe confidere aſſerens, ſanctitati ſuæ gratias agit. Tunc receſſit a Pontifice Turcus, & omnes Cardinales in ſuis locis ſtantes eſt amplexus, & ſuper, ſive circa ſpatulam dextram ſingulos oſculatus.* Nihil deinceps illo actum invenio, niſi quod liberaliter in Italia haberetur. Atque hic fere molitionum, quas Chriſtiani Principes Zizimi cauſa tentarunt, eventus fuit.

Fridericus pacem cum Mathia tentat,

Hæc inter Fridericus cum Maximiliano filio libertati reſtituto Lincium ex Belgio plane tum advenerat, cum Mathias Viennæ ita corpore langueret, ut nunquam abhinc pedibus conſtiterit. Exiſtimatum eſt fracto corpore animum quoque regis elanguiſſe, itaque peropportunum, qui ad ineundam pacem flecti poſſet. Ea de cauſa Cæſar Legatos ad regem miſerat, ut ſuo nomine pactis fœderibus priſtinam amicitiam inſtaurarent. Nihil tamen Viennæ confici potuit, ſeu haud ſatis clara ab Friderico mandata Oratores afferrent, ſeu quidvis aliud in cauſa fuit. Proinde Joannes Varadinenſis Epiſcopus Legatis comes Lincium adjunctus eſt, uti coram cum Cæſare de fœderibus ageret. Ibi nihilo magis in pacis tractatione promotum. Fridericus enim Auſtriam ſibi absque ulla ſumtuum reſtitutione reddi volebat: Mathias contra ſepties centena aureorum nummum millia poſtulabat: Maximilianus & exaggerata regis poſtulatione, & tenacitate patris juxta offenſus, mediocritatem utrique ſuadebat. Ea prudentiæ, & voluntatis ſignificatione ita delectatum Mathiam ferunt, ut ei quadringentas, quod optimum in Hungaria erat, vini urnas, cum totidem bubus, & duodena aureorum millia donum mitteret. Quæ res miras Cæſari in filium ſuſpiciones conſciverat, ut non modo eum colloquio arceret, ſed fœderum quoque tractationem abrumperet. Ita tum quidem re infecta diſceſſum eſt.

Maximiliano fruſtra mediocritatem ſuadente.

Rex præfecto Auſtriæ Stephano Scepuſio Budam abiit.

Diſcuſſo in hunc modum fœderis negotio, haud levis Mathiæ ſuſpicio oborta eſt, Cæſarem pacis ſimulacro bellum parare, præſertim, quod ex Belgio redux copias, quas ad liberandum filium ſtipendio conduxerat, nondum omnes manu miſiſſet. Itaque cum ipſe æger eſſet, Stephanum Scepuſienſem vicaria poteſtate militiæ præficit, jubetque periculo, ſi quod ab Cæſare immineret, diligenter caveat. De quo Nicolaus Quæſtor regius ad Abbatem Zvetlenſem ſcribit: (e) *quod a rege ſuo in mandatis acceperit, ut omnibus & ſingulis in ea parte Auſtriæ, quæ ſupra Mambardi montem limitatur, provincialibus ejus nomine mandaret, quatenus in armis parati inveniantur, quandocunque in campum a Comite Stephano regis Hungariæ, & Bohemiæ, nec non Ducis Auſtriæ ſupremo Capitaneo evocabuntur, ut ſeſe in auxilium regis præſentent. Deinde nunciat, nulli amplius præſtandum eſſe homagium, nec etiam hoſtibus, niſi prius ipſi notificetur. Demum omnes prædatores, & viarum inſeſſores, atque ſine officio vagabundos, capiendos, & in vincula conjiciendos pronunciat. Datum in Retz anno Domini MCCCCLXXXIX. feria ſexta ante Pentecoſten decima quinta Maji.*

Quem Bavariæ Dux cum Legatis

Ea tamen cura ſupervacanea fuit, quod regem haud multo poſt valetudinis cauſa Budam delatum Otto Bavariæ Dux cum ſeptem collegis Friderici juſſu conſequutus, rurſum de pace, & amicitia interpellaret. Multum, diuque, nec ſine partium ſtudiis, utrinque certatum eſt, quoad induciæ ad idos

Se-

(e) Apud Cl. Linck. ad hunc annum.

Septembres confierent: ad quem diem Cæſar, & rex indicto couventu eas ratas haberent, ac præſentes de pace agerent. Id propterea communi utriuſque partis ſtudio factum, quod pleroſque ſpes habebat, veteres inimicitias cum diuturno bello, ſi æmuli iuter ſe coirent, facilius ſublatum iri; ſed ob ingraveſcentem regis valetudinem couventus primum differti cœptus, tum aliis ut fit, atqoe aliis de cauſis omnino prætermiſſus eſt. Accedebat, quod coujectores, ſcientiſſimum ex aliorum ignorantia hominum genus, Novembrem, aut Decembrem menſes, regi fatales fore vaticinarentur, cui ille religioni pro temporum more, erant enim haud pauci tum iu Hungaria ſacri, profanique viri ei ſtudio dediti, num quidquam tribuerit, nihil habeo, quod pro comperto affirmem.

conſecutus inducias reſtaurat.

Illud exploratum eſt, exactis, quos fatales futuros prædictum erat, menſibus, paululumque ex febre recreatum, Viennam in anni ſequentis principio Mathiam rediiſſe, ut quas res animo moliebatur, facilius ad finem adduceret. Couſtitutum enim habebat jus, quod in Bohemiam armis, pactisque conventis ſibi aſſeruerat, in Joannem filium transferre, quo illi uon modo nuptias cum Blanca Mediolanenſi, quas de induſtria iu huuc finem diſtulerat, ſplendidiores conſciret, ſed viam quoque ad Hungariæ regnum ſenſim ſterneret. Itaque Joanne Varadinenſi, cujus fere opera apud Sileſios utebatur, Wratislaviam præmiſſo, qui conventum ordinibus in futuram æſtatem ediceret, Urbanum Agrienſem Epiſcopum, regnique Quæſtorem eum exactis vectigalibus Viennam accerſivit, ut animos eorum, qui deſtinationes ſuas in proveheudo ad regnum filio iuterturbare poſſent, largitione munerum conciliaret.

An. Chr. 1490.

Mathias Viennam redux, & conſtituto Wratislaviæ conventu, ut filio jus in Bohemiam cederet,

Verum molitionibus his intentum regem ingraveſcentis primum morbi vis, tum mors ex improviſo occupavit. Id quem in modum evenerit, Bouſinius, quem ego aut morti interfuiſſe, aut a palatinalibus, qui morituro regi aderant, omnia accepiſſe reor, hac narratione complexus eſt: (*f*) *In celebratione palmarum cum omnibus Oratoribus, Legato Apoſtolico, & cunctis Procerum ordinibus in theatrum temporarium, quod in arcis ſubdivalibus pridie erexerat, hexaphoro devectus eſt, comta, & pexa coma, hilarique vultu rite ſacrificaturus. Aram ibi precioſiſſimo inſtruxerat apparatu, donec palmarum feſta ex more agerentur. Sex circiter horas ibi adfuit incredibili patientia: peractis ex ordine ſacris Venetum Oratorem ante ſolium conſtitui jubet, mox eum in equeſtrem ordinem refert, aureaque veſte, ac equo phalerato donatum honeſtiſſime dimittit. Se, cum nihil hactenus jentaſſet, imminente languore in penetralia recepit. Distulit per horas tres e ſtomachi debilitate prandium, nec non & reginam expectavit, ſacro die urbana templa luſtrantem. Dum eam præſtolatur, ad languorem declinandum certandi gratia Piccnas ficus Petrum promtuarium expoſcit: at ille carioſas attulit, & exoletas; quas cum perguſtaſſet, ita in primo morſu offenſus eſt ſtolido illius miniſterio, ut in iram excanduerit: ad hæc regina reverſa interceſſit, pro ingenii viribus commotum virum ſedat, placatque. Exorto de prandio ſermone, & illa pro guſtu jentacula varia ſubminiſtrante nihil accepit: cauſatur vertiginem capitis, & confuſa lumina, in cubiculum ſe referri jubet: Ecce apoplexia repente corripitur, Dux Corvinus, Petrus, & Mathias Gerebi ejus conſobrini extemplo acciti affuere, item Urbanus Pontifex Agrienſis, & Thomas Secretarius, Comes Stephanus Præfectus urbis, & Bathor Vayvoda, ceterique Proceres. Ad Pontificum, Procerumque concurſum, omnes, qui aderant, animo conſternati ſane defecerant; regem enim omnes conſpicabantur graviſſimo corporis cruciatu torqueri, & præ vi morbi nihil loqui poſſe; Hay! hay! tantum & JESU exclamare, nulla alia verba fingere poſſe. Ob ingentem igitur Principis reverentiam, & in tanto vitæ diſcrimine nemo ipſum tangere, aut aliquo verborum, cibive adminiculo ſubvenire auſus eſt. Sola regina nunc ore, qood dudum is obſtruxerat, vi adhibita patefacto vitæ fomenta ingerere, nunc, ut reſipiſceret, aures, digitos, crineſque diſtrahere, nunc brachia, & tibias obligare, ut in tali periculo fieri ſolet, item obclamitare ad aures, & inverſos oculos aperire, nullum ſtudium, & charitatis officium omittere, nunc medicos morbi gravitate confoſos conſulere, & hortari. Contra ille ad dolorum tantorum inſultus, adauctusque ingemiſcere, rugire Leonis more, & cum ipſa morte acerrime col-*

Repentino morbo correptus diem obit.

(*f*) Dec. IV. Lib. VIII.

1490. *luctari. Tacitus fletus, quicunque aderant, amicos inceſſit; dolebant Proceres, legionumque Præfecti, qui arcem adire potuerant, & regem e tot bellorum periculis aſſervarant, nullam nunc opem contra fati imperium afferre poſſe: prætcrea ſibi, regnoqu: timebant; non ignari e medio ſublato Principe omnia mixtum, & perturbatum iri. Ingentes igitur tota nocte mugitus edidit: ingruente demum aurora dolor væſanus ille deſedit. Horas aliquot ne tranquillus quidem cum ſomnus obrepſit: deinde væſaniente iterum morbo experrectus, totum illum diem mutus, & reſupinus inſomnem egit, obſirmato ſæpe obtutu, modo illum, nunc filium ante ſtantem, nuic reginam intuetur, veluti aliquid admoniturus, dicturusve, verba ſæpe effingere conatus, nunquam tamen proferre potuit. Inſtabat regina rogans, quid juberet, & tamquam ejus nutum intelligens, percunctata, an hoc, an illud imperaret, nullum unquam verbum exegit. Cum in letiferum recidebat ille ſoporem, ad ſuperiora hæc remedia recurrebat, iterum artus obſtringit, in os aliquid fomenti vitalis infundit, inſpirat auribus, & emigrantes ſpiritus, quacunque poteſt, arte remoratur. Sic iſte infauſtus dies actus. Tertio vero, qui a Marte nomen accepit, inter ſeptimam, & octavam horam ante meridiem, cum raucos ſemper gemitus emiſiſſet, variaque ingentia pœnitentiæ indicia, veluti divinam veniam imploraret, edidiſſet, e profluvio demum capitis animam efflavit. Inter moriendum pilula nucis inſtar, e ſtomacho repente ſuboritur, & inter agendam animam ſenſim ad os ſubit, cum ad epiglottim perveniſſet, ille continuo expiravit. Mathias igitur Princeps invictiſſimus anno ſalutis nonageſimo ſupra milleſimum, & quadringenteſimum, nonis Aprilis, & die Martis, ætatis autem anno quadrageſimo ſeptimo (g) cum perpetuo ſui deſiderio diem obiit. Et quemadmodum menſe Martio natus erat, ita die, & hora Martis vita deceſſit.* (h)

Mortis cauſa, & genus. Hæc de obitus cauſa, & genere Bonſinius: alii alias, ut fere rumor, & ſuſpiciones variabant, in litteras retulere. *Sunt qui mortis cauſam fuiſſe Beatricem, ſatis deformem velint. Quod hæc cum negligi ſe videret, atque in Italos quiddam cum Friderico parari animadverteret, a quibusdam Italiæ Principibus corruptam, ſitienti ex adverſo nuncio Mathiæ ficus toſtas, & eas veneno imbutas, ante frigidæ potum nimis blande exhibuiſſe devorandas. Quibus ille comeſtis quaſi dolum ſentiens, Germanos, & Hungaros exhortari, atque orare non deſtiterit, ſuum filium ad regnum ut evocarent, periculoſum aliunde accitorum eſſe imperium, deinde Beatricem cum ſua dote, & muneribus expedirent, poſtremo turmas illas ſuas nigras, quæ non tumultuario prælio, ſed ſtatario vincere conſueſſent, ne negligerent: quod niſi facerent, everſionem regni, uti accidit, ſubſecuturam.* (i) Sed id ad tempora illa, quibus improviſum mortis genus veneficio fere adſcribi ſolebat, appoſite dictum fuiſſe haud immerito videtur: alioquin nihil prorſus veriſimilis cauſæ afferri poteſt, cur Beatrix ab Italiæ Principibus ad conſciſcendam marito mortem adducta dicatur. Neque enim eo loco res Mathiæ cum Friderico fuiſſe, ut commune adverſus Italiam fœdus cum eodem pangeret, ex rebus, quas hactenus narrando complexi ſumus, omnino perſpicuum eſt, neque ſatis apparet, in quos Italiæ Principes id fœdus cuderetur, quos fere omnes aperta benevolentiæ ſignificatione per vitam rex coluit, & viciſſim ab iis ex-

(g) Sambucus habet ætatis 49. annum. Ego Timonis auctoritate ductus annum quo Mathias natus ſit, ſtatui hujus ſeculi 43. Idque cum Æneæ Sylvii tum viventis teſtimonio ſatis congruit: qui Mathiam Ladislao Poſthumo ætate fere parem fuiſſe ſcribit. Itaque cum anno hujus ſeculi 58, quo regnum adiit, annorum fuerit circiter 15, aut paulum provectior, neceſſe eſt cum anno 1490, diem extremum obiit, obiiſſe anno ætatis quinquageſimo ſeptimo. Nec dubitem in MS. Bonſinii hiſtoriam errorem irrepſiſſe, & in loco *quinquageſimi* legentis vitio male ſubſtitutum eſſe *quadrageſimi*.

(h) Sunt, qui die Mercurii defunctum perhibent: ſed ſi nonis Aprilis mortuus eſt, nec dies Mercurii, nec quod Bonſinius ait, dies Martis extremus vitæ dies regi fuit, ſed Lunæ, qui poſt Dominicam Palmarum ſequitur. Anno enim 1490. ſecundum putationes Julianas, ciclus ſolaris erat XV. littera Dominicalis C. aureus numerus IX. itaque plenilunium Paſchale in VII. Aprilis, qui dies Mercurii erat, incidit, & quod conſentaneum eſt, Dominica Paſchatis in XI. diem Aprilis. Quare ſi rex die Martis ante Paſcha mortuus eſt, obiit 6. Aprilis, ſi autem 5. ejusdem menſis obiit, ſeu nonis Aprilis, neceſſe eſt die Lunæ poſt Dominicam Palmarum eum obiiſſe.

(i) Sambucus in Appendice ad Ranzani Indices.

excultus eſt, ſi Venetos demas, cum quibus, etſi haud levis illi ſimultas interceſſerat, tameu prius, diem quam extremum obiret, miſſo ab Venetis Legato, eoque, ut narratum eſt, nou ſolum ſplendide accepto, ſed dignitate etiam exornato, amicitiam poſitis utrinque odiis redintegravit: ut adeo veritati conſentaneum ſit eam famam invidorum malevolentia Beatrici conflatam fuiſſe: quominus illorum, qui veru dormienti per nates ab ſuis immiſſum, necatumque perhibent, ſeu impudentia, ſeu dicacitas ferenda eſt. (*k*) Tametſi nou deſint omnino, iique domeſtici Scriptores (*l*), qui conſcitæ mortis ſuſpicionem in Stephanum Scepuſienſem conjiciant, quod eum theſauros regios, quibus præfectus erat, maximam partem in ſuos uſus convertiſſe creditum fuit. *Certe ſi vera ſunt, quæ dicuntur, tyrannorum tragicos eſſe exitus, ab exceſſu ſtatim Mathiæ eorum omnium, qui mortis regiæ conſcii fuerunt, & qui in factiones regnum diduxerunt, una, & continua fuit tragœdia, ut etiam genus, nomenque univerſum illorum ad noſtram hanc tempeſtatem divina ira, divina vindicta penitus extinctum, deletumque ſit.* (*m*)

Defuncto Viennæ primum parentatum: tum corpus ſecundo Danubio Budam, ac denique Albam ductum.

Neque mors ſi modo fides Bonfinio ſit, prodigiis caruit: eadem enim die, quo rex obierat Viennæ, Leones, qui Budæ detinebantur, itidem periere: neque ulli Corvi, qui Corvinæ domus inſignia referunt, Budæ conſpecti, ſed tanquam illius, quod evenerat, præſagi, Albam, ubi reges tumulari mos eſt, delati, incondita crocitatione, pleriſque mortis regiæ ſuſpicionem ingeſſerant. Altero ab obitu die, poſtquam corpus exenteratum eſſet, regio cultu, ac inſignibus, ad morem viventis indutum, lecticæque ex oſtro ſubſtructæ in amplo triclinio impoſitum, certatim ad triſte ſpectaculum confluentibus exhiberi placuit: tum, quod graveolentiam præſentibus afflaret in tumbam pice oblitam reconditum, dataque Aladario, & Bodoni mandata, ut ſecundo Danubio Budam deferrent, Albam poſtea traducendum, quum exequiarum apparatus pro regia dignitate rite confecti eſſent. Prius tamen Viennæ funus regi itidem duci viſum eſt: itaque in maxima hominum frequentia ſuccollantibus centurionibus, & ferculi auro cooperti fimbrias circumtenentibus pro dignitatis ratione Proceribus, legionumque Præfectis, ad divi Stephani, princeps id urbi templum eſt, funus elatum, comitantibus in pulla veſte Epiſcopis, ac univerſis fere totius provinciæ, urbiſque ordinibus, quorum nemo facile erat, cui recordatio Principis, quem plurimi magni fecerant, amabant plerique, non aliquod doloris indicium expreſſiſſet.

Rempublicam Beatrix cum Joanne Corvino capeſſere interim juſſa,

De hinc, ut provinciarum rebus conſuleretur, conventus indictus, in quo Stephano Scepuſienſi urbis, & militiæ præfectura omnium conſenſione firmata eſt; tum ne qua fraus in publicas fidei litteras irreperet, ſigillum regis in medio Senatu confractum. Quæ res cum recens vulnus, quod nondum coaluerat, refricaret, ſine ingenti animorum dolore ſpectari non potuit. (*n*) *Illud omnibus lacrimarum profluvium excitavit cum Corvinum Ducem, adhuc adoleſcentem, tanto patre orbatum, ultro ſe ad reginæ pedes proſternere conſpexere; & amplexis pedibus obſecrantem, ne ſe pupillum desereret, neve ſanctiſſimi parentis memoriam de illa ſemper optime meriti, perditum iri pateretur; imo commendatum haberet, duceretque pro filio, uti patri ante ſæpe receperat, quando ſe novercam pro pientiſſima ſemper matre habiturum eſſe pollicebatur, & in tanta amicorum orbitate gnatum ex corde diligeret, & amaret. Eadem flexis genibus patres omnes, ac Proceres reginam orant, atque certatim in commendando adoleſcente ſuffragantur. Sedato aliquantulum planctu, ne res Pannoniæ ſine moderatione perditum irent, in manus reginæ, & Corvini Ducis cuncti ſponte jurarunt, ſe quam Mathiæ regi præſtiterant, fidem, & obſequium utrique præſtituros, imperia cuncta facturos, atque nunquam edicta ulla detrectaturos - - - Regina ſupplicantem Corvinum oſculata, filii loco ſemper habituram, & pro virili ſua dignitatem ejus curaturam eſſe promiſit: eum quoque ſecum Pontificibus, & regni Primatibus commendavit; oblatum accepit obſequium, & ſe regno nunquam defuturam eſſe recepit. - - - Theſaurus regis, univerſaque ſupellex,*

 quam

(*k*) Idem SAMBUCUS ibid.
(*l*) Franciſcus FORGACS in hiſt. MS.
(*m*) Idem ibid.
(*n*) BONFIN. Dec. IV. Lib. VIII.

1490. *quam quater centenis millibus plerique æſtimarunt, authoritate Senatus, & reginæ mtu Corvino credita, cujus poteſtati munitiſſimas quasque arces pater vivens ſane commiſerat, dederat ſymbola, & in manus ejus non modo præſidiarios Præfectos omnes, verum etian & Proceres multos jurare coegerat, uti haud aliter, atque ſibi, fidele Corvino ſemper obſequium præſtarent, & ſecundum ejus obitum filium ſibi regem ſubrogarent.* Sed hæc ſtudia magnopere deinceps refrixiſſe conſtabit.

Funus regium triſti, ſed ſplendido comitatu ſequitur.

Poſtquam regi Viennæ parentatum eſt, corpusque Albam delatum, Beatrix cum Corvino, ceterisque Palatinalibus haud multo poſt conſequuta, quinquaginta pullis navibus ſecundo flumine Poſonium defluxit. Ibi matronæ urbis lugubrem amictum indutæ reginam acceperant, ſive reipſa regis mortem dolerent, ſeu doloris conteſtatione Beatricem ſolari volebant. Inde Budam deſcenſum, quam continuo Blaſius Raſcajus, qui illi ab Mathia præfectus erat, Corvino dedidit, dictoque ſacramento ſe cum ceteris arcibus, quæ in ſuo arbitrio eſſent, in Ducis fide manſurum pollicitus eſt. Mox indicto trium menſium juſtitio, de regali funeris ducendi pompa actum, quod de futuro rege, ac republica nihil decerni poterat prius, quam juſta defuncti manibus perſoluta eſſent.

Altera regi parentatio Albæ facta.

(o) *Paucis igitur poſt diebus, dimiſſa Budæ regina, ne planctu nimio ſeſe conficeret, ad Albam regalem omnes Pontifices, Proceres, Reguli, Nobilesque Corvinum Ducem in lugubri veſte pullatisque curribus, & equis rite ſequuti ſunt. Quin & Legatus Apoſtolicus, ac omnes, qui aderant, Oratores eodem conceſſere; in primisque Ferdinandi regis Orator Petrus, eloquentia, doctrinaque non mediocri; alter vero, cui Franciſco Montano cognomen erat, præterea magna gravitas, exacta facundia, & experientia rerum cum ſumma ingenii acrimonia conjuncta. E proximis etiam civitatibus, & pagis ad regales exequias, quæ Divi Marci feriarum die factæ ſunt, multi properarunt. In funerali feſto multitudo univerſa proceſſit: corpus regis purpureo ſtrato compoſitum, & paludamento, enſe, ſceptro, corona, pomo redimitum, non ſine calcaribus aureis, detecto ore in baſilica ſubdivalibus prominebat. Circumſtabat ingens turba nobilium, & hinc Pontifices, hinc Proceres adſtitere. Mox inſtructa regali pompa funus efferri cœpit, & templum, antequam inferretur, circumduct divinæ obiationis tempore, dum ſolemnia celebrantur, cui duodeni præcedebant equites Cataphracti, purpuratique, qui regalia ſigna tot clara triumphis præferebant: item & unus, qui regium prætulerat enſem: mox filius pone ſubſequi, lugubri veſte, cui Legatus Pontificius a dextra, a læva Hyppolitus Strigonienſis metropolita latus utrumque claudebant. Succeſſere poſt ſacri, & profani ordines primatum in primis e Pontificibus, Urbanus Pontifex Agrienſis, Stephanus Bathor, Joannes Varadienſis Epiſcopus, item Osvaldus Zagrabienſis, Nicolaus Vacienſis, Thomas Jaurinenſis, & Georgius Cſanadienſis, reliquique Procerum, Nobiliumve ordines. Cum in baſilicam Divæ Virginis perventum eſſet, corpusque in medio conſtituiſſent, equites gemebundi, qui univerſa cum enſe ſigna prætulerant, inſignia cuncta pro ara magna humi dejectarunt, veluti regis caſu omnia ſua trophæa, ſigna, partaque regna una corruerent. Ad quod ſpectaculum omnes collacrimarunt. Dominico deinde, Baſilicæ hujus antiſtiti rite ſacrificanti a Corvino Duce oblata precioſa munera: in primis crux ſolida, gemmataque, ex obryzo affabre facta, quam quinque, & quadraginta aureorum millibus veniſſe prædicabant: item gemmatæ phialæ, & pelvis aurea, candelabra, calices, Euchariſtiæ tabernaculum, omnia e puro, ſolidoque auro, confecta, lapillorumque multorum varietate diſcintillantia. Nonnullæ quoque ſtatuæ argenteæ, & duodecim ſacrarum veſtium apparatus, unionibus admodum onerati, quæ quidem omnia quinque & ſeptuaginta millibus aureum veniſſe referebant. Item inter operandum ſacris aræ cornibus ſeptingentos Optimates aureos impoſuere, cum inchoatum multo ante mauſoleum ſub prima teſtudine propter intempeſtivam mortem nondum foret abſolutum. Corpus in temporario ſepulchro in media baſilica reconditum, ubi e filii inſtituto quot horis ſacri hymni decantantur.*

Defunctum Ranzanus Epiſcopus Luceri-

Ita funeris pompa habuit: quam ego ad veterem normam, ut regibus noſtris ducere mos erat, exactam fuiſſe puto; quæve Cromeri Polonici ſcriptoris maledicentiam per ſeſe refellit, qui funus regis raptim, & minime regali pompa Albam ab Hungaris delatum prorſus inſcite auſus eſt in literas referre. Defunctum Petrus Ranzanus Epiſcopus Lucerinus, qui ſemel, iterumque a Fer-

(o) Bonfin. Dec. IV. Lib. VIII.

Ferdinando ſocero Legatus ad regem miſſus erat, ac poſtea rerum Hungarica- **1490.**
rum indices conſcripſerat in Procerum corona prolixe, copioſeque laudavit. Tu
mulo, ut ad poſteros ejus memoria pertineret, hoc carmen ab Antonio Theo- *nus laudavit*
baldo poſtea inſcriptum: (*p*)

CORVINI BREVIS HÆC URNA EST, QUEM MAGNA FATENTUR,
FACTA FUISSE DEUM, FATA FUISSE HOMINEM.

Id Spoudano bilem cum ſtomacho vehementer commovit, quaſi ad priſcum latii morem defuncto Apotheoſis confecta eſſet. Sed meminiſſe oportuerat, poetarum ingenio, aſſentationibus aſſueto, tribui aliquid poſſe, quin religionis caſtitati propterea periculum conſletur.

Fuit Mathiæ, ut Bonfinius illi familiariter cognitus ſcribit, (*q*) *ſtatura corporis aliquanto majuſcula, quam mediocris, forma eximia, generoſus aſpectus, & multum referens magnanimitatis, rubens facies, & flava coma, cui vetuſtatem obducto ſuper cilia, vegeti, & ſubnigricantes oculi, & ſine menda naſus, ne mediocrem quidem cultum addebant, obtutus ejus liber, ac rectus leonis more, oculis nunquam inter videndum fere conniventibus. Favorem ſemper obſtinato indicavit obtutu, quem vero binis reſpexit oculis infenſum ſibi eſſe portendit: prominentiore collo, & mento fuit, & ore aliquanto latiore. Caput huic addecens, quippe, quod nec parvum, nec magnum videri poterat, frons vero parum ſpacians. Conſentiebant inter ſe membra ſpacioſa; brachio terete, & oblonga manu, latis humeris, & patente pectore fuit. Contra variusculæ huic fuere tibiæ, ad equitandum haudquaquam inconcinnæ. Proinde formoſum erat corpus, cui color albus cum rubore fuerat admixtus, ex quo quidem mixtura mirum quandoque, ut de Alexandro perhibent, fragravit odorem. Quin etiam lineamentis oculorum, & levitate illi nimis fuit aſſimilis, quem ſemper vitæ habuit archetypum. Ingens a juventute celeritas, ac robur pectoris, immenſa animi magnitudo cum ingenti gloriæ cupiditate conjuncta: item tantum roboris, & virtutis, ut neque animi, neque corporis laboribus deſatigari poſſet. Laborioſum hujus corpus erat, & frigoris, ſudoris, & inediæ tolerantiſſimum, nihil facilius militari labore, nihil domeſtico difficilius ocio pertulit.*

Qui Mathiæ corporis habitus fuerit.

Hæc corporis ornamenta erant. Nihilo inferiores animi dotes, quas ad regendum attulit, fuere. Mens illi animusque exporrectus, & multo rerum uſu exercitus, quod res maxime arduas, a quarum eventu regni ſalus penderet, per ſeſe maluerit, quam per ſuos tractari, nihilque tam intricatum, moleſtumque, quod non ſuopte ac promto conſilio expediret: peritiæ ad hæc tantæ *in re publica temperanda, rebusque gerendis, ut nunquom ferme quidquam rei inceperit, quantumcunque id arduum fuerit, quin ei ex voto ceſſerit. Inerat tanto ars, atque ingenii dexteritas, præſertim ad animos militum pertractandos, ut nonnunquam ei operom nullo ſtipendio, ſed ſola victoriæ ſpe præſtiterint. Inerat cum quadam non illiberali colliditate magnitudo animi, qua omnes finitimos reges ita terruerat, at nullus ferme tam potens in ejus finibus Princeps extiterit, quin ab eo amicitiam, aut pacem precario poſtulaverit. Atque cum ei novitas generis non modo ab externis, ſed etiam a civibus objiceretur, ſæpiusque ob hanc maxime cauſam magna mercede inſidiis eſſet petitus, ſemper tamen ſolertia magis, quam vi aperta periculum evaſit. Nam cum eſſet naturo incruentus, malebat enim delinquentes bonis mulctare, quam capite de iis inquirere: ſatis ſibi eſſe arbitrabatur, cognitis inimicorum inſidiis periculum evitare; itaque facile in odio gratiam fingere ſolebat, latente tamen dolo concordantes committere, atque inter amicos, quod quidem flagitioſum eſt, odia inſtituere, quo ſcilicet inter ſe invicem diſſidentes, & privatis negotiis occupati, nihil novi adverſus regem molirentur. Poſtea vero quam his artibus regnum ſibi jam confirmavit, gloria, ut fit, ſplendore ſuo invidiam ſuperante, ſtotim in animum induxit cum omnibus ætatis ſuæ Principibus, magnificentia, ac liberalitate certare, nec minus his, quam armis ceteros reges anteire; adeo enim Hungariam ædificiis exornavit, ut Alemanniam his rebus cultiſſimam, hac tempeſtate pene adæquet. Tum vero hoſpitaliter, ac benigne eos maxime, qui ad eum publico nomine acceſſiſſent, excipiebat, ut præter elegantem lautitiam, quam largi-*

Tum animi dotes præſertim in re publica adminiſtranda.

(*p*) Petrus DE REWA Centuria V. (*q*) Ibidem.

1490. *ter præbere ſolebat, neminem ab ſe unquam dimiſerit, cui aut veſtem precioſam, aut equos phaleratos, aut cælatum argentum dono non dederit; atque idcirco nemo ad eum tam inimico acceſſit animo, quin amiciſſimus abierit. Hoc inſuper famæ bujus Principis multum conferebat, quod Italis, genti & lingua promtæ, & ſuapte natura adulatrici, ac quæſtui deditæ largiri ſolebat, quo externos in ſuas laudes, & ſcriptis, & ſermone celebrandas excitaret, hanc enim vocem crebro etiam inter pocula uſurpabat: Principem nihil magis decere, quam famam, & gloriam.* (r)

Litterarum amor, cultusque,

Hanc ab litteris quoque repetebat. Itaque non modo doctiſſimos viros undique conquirere, ac largiſſimis ſtipendiis fovere, ſed ipſe etiam haud mediocriter in omni litterarum genere cum laude verſari, in primis quæ ad politices, ac ſcientiæ militaris peritiam attinebant, quod his duobus capitibus publicam ſalutem maxime niti videret. *Sæpenumero cum legendi avidus eſſet, in ipſis pulvinaribus inveniebatur Livius, aut Curtius, aut alius hiſtoricus, legebatque ardentiſſime ſacras litteras, & ea, quæ in bis continentur, memoriæ adeo commendabat, ut plerique admirarentur.* (s) Ad hæc memoriæ incredibilis copia, ac felicitas: ut adeo quaſcunque Europa habet, omnes, præter Turcicam, ac Græcam, linguas calleret. (t)

Quæ militaris artis ſcientia, ac ſtudium.

Nihil autem ſupra militaris ſcientiæ, armorumque, ſeu cupiditatem, ſeu peritiam. Neque enim ſolum ex vetere Romanorum diſciplina, quæ huc faciebant, diligenter expromſit, ſed ipſe etiam per ſeſe multa commentus eſt, quæ aliis hactenus ignota fuere; a finitimis quoque haud pauca in ſuos uſus traducens, cum ſtatarium militem, & ſupplementis auxiſſet, & ex publico ærario in omnem belli eventum aleret: ex his legionem nigram, cum ab thorace, tum peruſtis frigore, æſtuque vultibus ita dictam, conflarat, cujus ope parta illi ſæpe ex hoſtibus victoria eſt. Prælii autem conferendi multiplex ratio, & ex locorum poſitu, ſituque depromta: nihil illo in conficiendis, cum hoſtis occupandus erat, itineribus celerius, ſæpeque maligna tempeſtate de induſtria uſus, ut imprudentes opprimeret. Militi, cum diſciplinam detrectaret, ſeverus, cum contra rem egregie, fortiterque egiſſet, benignus, plus tamen aliquando licentiæ indulgens, quam regni commodum admitteret. In caſtris Dux juxta, ac commilito: ipſe ægrorum contubernia luſtrare, languentibus præbere cibos, crebroque ſauciorum vulnera in acie alligare, & tanquam regiæ dignitatis, non item humanitatis immemor, nauſeantium corpora ſuſtinere: cum legionum Præfectis, ac Legatis populariter magis, quam cum faſtu agere, neque abhorere ab alearum ludo, quo ſæpe totam cum iis noctem exigens, multa aureorum millia, ex quibus ſtipendia militi præberet, comparavit. Ceteroquin adverſus omnes, qui præclaro in pugna facinore ſe commendaſſent, profuſus magis, quam liberalis, præcipue in ſpeculatores, quos ingenti ſumtu apud hoſtes aluerat; itaque, & iſtorum conſilia multo ante cognita habuit, & cum uſus erat, inutilia reddidit; haud mediocri ad rem ex ſententia gerendam commodo, & fructu. Quin ipſe adeo Turcorum caſtra pagano amictu ſubornatus, crebro exploraſſe fertur, quod Bonfinius in magna laudis parte reponit, ego ob periculi gravitatem, in quod ſe, ſi detectus eſſet, conjecerat, & infra regis dignitatem puto, & a temeritate non eximo.

Apud exteros magnæ laudis, & gloriæ

His artibus ingens illi conciliata apud exteros gloria eſt, ut non modo omnium fere ex Europa Principum, ſed Aſiaticis etiam Legationibus coleretur, in quibus accipiendis incredibili ſplendore uſus eſt, ſive id dignitatem regiam decere putavit, ſive auctoritatem ea re ſibi accerſiit. Sed ex parta apud exteros gloria, domeſticum ſibi prudens, volensque conflavit periculum, cum enim hujus

(r) Ludov. Tubero in Comment. de temporibus ſuis Lib. I. §. IV. Malui ex hoc, quam Bonfinio virtutes Mathiæ depromere, quod & parcior eſſet, & ab aſſentatione procul.

(s) Jac. Philip. Bergom. Erem. Aug. Lib. XV. Suppl. Chron. ad an. 1463.

(t) Hæc fide Bonfinii refero: alioquin, ſi de nulla ceteroquin, de Anglica profecto, quod illi cum hac gente nihil negotii obortum eſt, vehementer dubito.

hujus ſtudio præcipue duceretur, ſuo nutu, ſæpeque non ex legum, patrumque ſcito rempublicam adminiſtravit, ac imperato præter ordinem juxta Turcorum morem viritim tributo, tyrannidem affectare permultis viſus eſt; itaque ſemel, atque iterum de eo exauctorando conſilia ſuſcepta ſunt, quæ ille tamen felicitate ſua, ac prudentia in ipſo principio præfocavit. (u)

Virtutes, ac vitia.

Ceterum in vita privata procul ab omni faſtu animi, & corporis luxu: veſtis illi mediocris, niſi cum pompa duceretur, aut dignitatis ratio poſtulabat: tum vero ſupra quam credi poſſit, ſplendidus, & magnificentiæ ſtudens: facilis aditu, comis alloquio, quod ſalibus ſæpe, ac facetiis, non tamen ab decoro remotis, aſperſit: religioni avitæ conſtanter deditus, quam ſæpe bello defendendam cum regni periculo ſuſceperat: at viris Eccleſiaſticis non tam ob avaritiam, ut Bonfinius vult, quam dicendi libertatem, haud æquabili tenore addictus, quos præter dignitatis rationem in vincula conjecit, bonisque eorum in profanos translatis contra legum normam mulctavit. In amicitia, ut facilis, ita inconſtans: iræ immodicæ (x), ſed nullo negotio, ſi privata injuria fuit, placabilis: in conjugio uxorius, at fidem caſtimoniæ ſervans: viduus amores ſectabatur, ſed a matronarum pudicitia abſtinebat, ut adeo virtutibus, quam vitiis major fuiſſe videri poſſit, niſi id perpetuam ad poſteros notam ei conflaſſet, quod in tanto armorum apparatu, & conciliata ex militari arte gloria, maluerit aliena invadere, quam ſua vindicare, obmotoque Cæſari bello, in ſola Auſtria hærere, quam ab Turcis Boſniam, cum Servia, aut ab Venetis Dalmatiam priſtino Hungariæ juri aſſerere; quod enim hoſti ademtum, confecta pace reddendum eſt, fruſtra, nulloque fructu bello quæri ſolet. Sed de Mathia hactenus.

Indicto ad legendum regem conventu Colocenſis e carcere dimittitur.

Poſtquam illi regio more, ut narravimus, parentatum eſt; Urbanus Agrienſis Epiſcopus, qui defuncto Emerico Zapolya, Palatini dignitatem vicaria poteſtate adminiſtraverat, conventum regni ordinibus in campum Peſtanum ad idus Majas indixit, in quo de republica, & novo rege communi conſilio ſtatueretur. Ea occaſione Petrus Colocenſis Archiepiſcopus, qui in arce Viſſegradenſi honeſta cuſtodia tenebatur, uſus, ad Joannem Corvinum litteras dederat, quibus ſua in patrem ejus merita perſtringit, oratque, ut præclarum liberatoris nomen de ſe mereri ne gravetur. (y) *Illuſtriſſimo Principi, & incliti paterni Solii hæredi, Domino Joanni Corvino, Hungarorum, Bohemorumque Duci digniſſimo, Domino gratioſiſſimo, & liberatori meo poſt Deum unico. Benefac mihi Dux inclite, ut Deus benefaciat claritati tuæ. Scito, quia quidquid mihi benefeceris, id non tam meo privata commodo, quam tui ſtatus profectui ſimul, & utilitati accedet. Ego quidem, ut Deus ipſe ſcit, & homines probi, hoc eſt, qui verum dicere abſque livore, & odio norunt, ut inquam omnes veraces ſciunt, clariſſimo Domino Genitori tuo, cujus ut verus ſanguis es, utinam & potentiæ, & claritatis ſucceſſor Auguſtus favente Deo appareas, non duplici corde, ſed ſimplici, non furto, neque mendacio, ſed fide, & veritate ſincera ſervivi. Sed quid æmula ſemper bonis, & virtutibus invidia malorum poſſet, non ſine detrimento capitis mei, & omnium bonorum meorum jactura didici. Utinam Princeps ille ſapientiſſimus, tuus genitor, & meus Dominus vera conſilia mea tam facile, quam adulatorum ſtomachi ſui gratia, ſpecioſa magis, quam vera verba ſuſcepiſſet, ſpero, quod nec ega in præparatas ab æmulis mihi inſidias incidiſſem, neque tua dignatio ulla nunc cura angeretur. Verum tuæ potentiæ eſt Princeps glorioſiſſime, tuæ bonitatis, me tibi deditum, tibi ſemper obnoxium ſtatui meo integro reſtituere, meque immortalibus beneficiis tuis adeo reddere obligatum, ut prius mihi vita, quam fides, & obſervantia in te mea deficiat. In fine enim cognoſcet, & palpabit, & manu tanget generoſiſſima dignatio tua, neque me meis digna meritis, & ſervitiis præmia ad extremum retuliſſe, neque illos, qui meorum authores, fabricatoresque ma-*

(u) BONFIN. loco laudato.

(x) Facile id colligas ex Laconica Epiſtola, quam BALBIN. in Epit. rer. Bohem. Lib. V. Cap. XI. refert in hæc verba: *Mathias Dei gratia Hungarorum Rex! Bonum mane Cives! ad regem omnes ſi non venietis, capita perdetis. Budæ. Rex.*

(y) Ex MS. Codic. rerum, & Epiſtolarum ſub Wladislao II. ut character indicat aut coævo, aut ſuppari.

1490. *malorum extiterunt, eo corde, & animo, quo ore, & qua facie fuerunt erga te, & genitorem tuum extitiſſe. Me tuæ ſublimitati iterum commendo, altiſſimum deprecans Deum, at omnes tui ſtatus Excellentiæ adverſantes, faciat te eum gloria ſuperare. Ex arce ſublimi die Aprilis XXVII.*

Satis aperte, opinor, cur in carcerem a Mathia conjectus eſſet, cauſas in æmulorum invidiam his litteris conjicit, & Corvinum jam prius, quam conventus haberetur, ſpe regni ab Proceribus excluſum fuiſſe, ad quorum concilianda ſtudia, & voluntatem non prorſus nihil Petrus pro ſua, qua valuit eloquentia, & auctoritate ſe collaturum diſerte promittit, ſi libertate potiretur. Itaqne ab hoc dimiſſum e cuſtodia veriſimilius eſt, quam ab Wladislao, tametſi & apud hunc poſtea, quam Corvinus ſpe obtinendi ſolii excidiſſet, æquali fere, ac apud Mathiam gratiæ loco fuiſſet.

Comitia æmulorum Legationibus, ſtudiisque in partes diſtrahuntur.

Ad præſtitutnm Comitiis diem, primus omnium Urbanus, cum valido Cataphractorum equitatu in Peſtano agro adfuit, quem octiduo poſt Stephanus Bathorius Tranſilvaniæ Vayvoda, quingentos, & tria equitum millia, nec temnendam Siculorum manum ducens, conſequutus. Tum aliis, atqne aliis per intervalla ſeqnentibus, ſatis jam frequens conventus, & ad regem legendum ex ſanctionum norma idoneus videbatur, cum ex compoſito quidam prius, quam ſuffragia rogarentur, tanquam ſubornati, Albertum Caſimiri Poloniæ regis filium, regem in concione proclamarnnt, quorum temeritas, quamquam Procerum auctoritate in principio confeſtim repreſſa eſt, tamen re per clandeſtinos uuncios in Poloniam perlata, ingentes poſtea Wladislao curas conſcivit. Albertus enim comperto ſe regem ab Huugaris declaratum, conflato patris arbitrio exercitu Hungariæ finibus imminebat, iſthicque conſiſtens Legatos ad Comitia miſerat, qui ſuas partes tuerentur. Id facinus Comitiorum libertatem non mediocriter intercepit, erantque deliberantium ſtudia, ac voluntates ita in partes diſtractæ, ut, in quem ſuffragationes conferrent, haud ſatis conſtaret: præſertim quod eodem tempore quinque Legationibus regnum ambiretur. Nam præter Joannis Corvini amicos, qui beneficiorum a Mathia acceptorum memoria ordinum ſtudia captabant, uon ſolum Maximilianus, qui audita regis morte cum Gallo, & Noricis inducias pepigerat, Oratores ad ſolicitandum couventum miſit, ſed a Bohemis quoque, qui Wladislao, & a Ferdinando, qui Beatrici ſtuderent, Legati affuere, quorum conſiliis & factione nihil mirum eſt, Proceres inter ſe ita diſtractos fuiſſe, ut nulla ambientium pars eſſet, quæ non quorundam anctoritate, & gratia niteretur.

Itaque ſeorſim Legatos audire placuit; ac primum Joannis Corvini.

In tanto Hungariam ambientium, & qui præcipue legendus eſſet, diſſidentium numero, viſum eſt, indicto Peſtinum ad ædem Divæ Virginis conventu, Oratores coram audire, nt cognitis omnium cauſis, & reſponſa darentur, & liberior ſuffragatio eſſet. Primum omninm qui Corvino ſtudebant, admiſſi ſunt. Factioni Thomas Bakacſius Jaurinenſis Epiſcopus, vir & generis vetuſtate (z) & doctrina præcellens, tum Joannes Varadienſis Præſul, humili natus loco a Mathia ad eum dignitatis gradum evecti, caput fuere. Ex his Joannes poſtquam illi dicendi copia facta eſt, *non ſine lacrimis Divi Mathiæ geſta commemorat, quantum hoc regnum auxerit, & amplificarit, & quam de Chriſtiana republica bene meri-*

tus

(z) Nec enim audiendi ſunt Bonfinius, ac poſt hunc Istvanfius, ceterique domeſtici Scriptores, qui eum obſcuro natum loco primum nobilitatem in domum ſuam intuliſſe perhibent. Nam nt Reverendiſſimus, ac Doctiſſimus Kercselich in hiſt. Zagrab docet, vetus erat Erdeudorum, aut ut nunc eſſere ſolemus, Erdődiorum familia, ſub Sigismundo præcipue florens, patetque, ex transactionis inſtrumento inter DD. Rattkay, & Erdődy ubi inter cetera hæc habentur: *quod lice viventibus adhuc, & in humanis degentibus egregiis olim Petro Tompa de Erdőd, ac Stephano, ac Wolffgango Erdődy de Chiabragh majoribus ſcilicet, & progenitoribus eorum* &c. hæc ſatis indicant Bakacſium de Erdőd hominem minime novum fuiſſe, etſi non refrager hunc tenues ſuorum fortunas primum omnium ad eum fere, quo hodie ſunt, gradum evexiſſe.

tus ſit, exponit: addit his beneficia magna in ſacros omnes, profanosque collata, quorum rationem, niſi fortaſſis ingratitudinis reas eſſe non pudeat, omnino habendam eſſe cenſet: ſubjicit quanta is olim ſtudio, viritim omnibus filium commendarit, eſſe in Corvini poteſtate theſaurum, arma, legiones, item regiam, cunctas arces, & munitiſſima quæque regni oppida; quæ quidem omnia non ſolum ſuadere, ſed cogere ad optandum eum poſſe videretur. Nec magnam quidem generoſæ indolis ſpem deeſſe: aſſimilem eſſe patri, nec minimam genituræ notam tanti faciendam. Italos hujusmodi Principes nequaquam abominari ſolitos, dum publicæ utilitati, & ſaluti conſulatur; patris ingenii magnanimitatem usquequaque referre; externos mendicare Principes nequaquam eſſe tutum, quod ſuperiora cunctos tempora docuerunt. Hoc juſtum, & æquum, hoc publicam utilitatem, hoc denique neceſſitatem plane jubere. Hæc eadem etiam a collega, ne minore quidem oratione confirmata ſunt. Et res profecto e ſententia ſucceſſiſſet, niſi conſtans lævæ genituræ obſtitiſſet animo. (a)

Deinde locus Germanis datus, qui propemodum imperioſe regnum in Cæſarem aut ejus filium Maximilianum devolvi oportere contendebant. Ita pactis conventis fidem conſtituram: quibus, dum corona redderetur, partibus convenerit, ſi Mathias ſine liberis, ex legitimo matrimonio procreatis fatis cederet, Hungaros aut Friderieum. aut in ejus loco Maximilianum, regem ſalutaturos eſſe, & adverſus vim omnem defenſuros: nunc locum præberi, tempusqne, quo ſe ea religione ſolvere poſſent, præſertim, quod eo optato Hungariæ optime conſulturi eſſent. Maximiliano enim non modo magnum ex re bellica, adverſus Gallos nomen jam partum eſſe, ſed vires etiam ex univerſa Germania affuturas, quibus & Turcorum audaciam frænaret, & finitimos Principes, ſi quid ſuæ electionis cauſa obmovere auſint, in metu, ac officio contineret. Ad hæc Joannis Varadienſis Epiſcopi ſtudia clanculum ingentibus promiſſis captare, quo ab Corvini. partibus avulſo, pronas ceterorum quoque voluntates futuras putabant: in primis Beatricem ſpe matrimonii cum Maximiliano ineundi circumvenire ſatagebant, nec abhorruit mulier ab Auguſtæ titulo. tametſi poſtea, quam proceres ad Wladislaum reſpicere ſentiebat, illo quoque conjugii ſpem mira levitate transferret.

Poſt hoc Germanis locus datus,

Poloni, Germanis aliquanto leniores, pro Alberto Caſimiri nomine verba facientes, veterum ſanguinis neceſſitudinem, quæ Hungariæ regibus olim cum Polonis interceſſiſſet, prolixa oratione commendabant, quo ſæpe factum eſſet, ut illi in orbitate regni principem ex Hungaris legerint, illi viciſſim, cum regnum hærede careret, ex Polonis regem optarint. Ita Ludovicum in Sarmatia rerum potitum fuiſſe, & Wladislaum Caſimiri fratrem in Hungaria. Eſſe huic liberorum copiam, ex quibus quem regem jubere vellent. in eorum arbitratu eſſe: Albertum tamen virtute, & animo ceteris antecellere, qui haud ita dudum præclaram ex profligatis, cæſisque Tartaris famam ſibi comparaſſet; itaque ſpem de ſe porro præbere, ut regno potitus pari fortuna in Turcos rem geſturus ſit, præſertim quod, ut finitima ſibi regna eſſent, nunquam ſe pater neceſſariis ad defenſionem ſubſidiis defuturum polliceretur.

Tum Polonis, qui Alberto aderant.

Arragonii litteras ab rege acceptas palam legere: earum hæc fere fuit ſententia: dudum ab ſe filiæ imperatum eſſe, uti marito rebus humanis erepto, nihil dignitati ſuæ tribuens omnia ex ordinum arbitrio faceret, de cælibatu, aut nuptiis nonniſi conſultis illis ſtatueret, reipublicæ commodis ſtudia ſua ac curas impenderet, ſe, ſi periculum ingruat, quidquid terra marique poſſet, pro filia, & regni ſalute liberaliter prorſus ſuppeditaturum eſſe.

Arragonii litteras regis palam legunt.

Bohemiæ oratores multa de Wladislai virtutibus generisque nobilitate præfati, iis maxime rationibus nitebantur, quæ ad publicam regni utilitatem attinebant. Nihil ſalutarius proceres facturos, quam ſi conſpirantibus in Wla- dis-

Poſtremum Bohemi ab Wla-

(a) BONFIN. Dec. IV. Lib. IX.

dislao miſſi auditi ſunt

1490. dislaum votis duo potentiſſima regna conjungerent, quæ & divitiis, & hominum frequentia, cum militari laude ceteris fere præſtarent, quorum ſi vires ſociarentur, non modo barbaros toties infeſtos ab regni limitibus nullo pene negotio propulſatum iri, ſed quosvis præterea hoſtes, ſi ad arma veniretur, facile coercendos. Hanc majoribus cauſam fuiſſe, cur Sigismundum, cur Albertum, ac denique Ladislaum quoque poſthumum regno præfici paterentur. Eorum opera rempublicam unitis viribus ſatis fortiter defenſam eſſe, & plura pro ſalute regni facturos fuiſſe, ſi quas animo conceperant pulcherrimas deſtinationes domeſtica partium ſtudia, ac diſſenſiones non intercepiſſent. His Optimates præcipue cauturos, ſi non habita competitorum ratione, communi ſtudio in unum Wladislaum conſpirent: quantum nationis diſcrimen obfuturum videretur, tantum communis periculi gravitate penſatum iri, præſertim ſi Bajazetes, quod futurum omnino eſſet, elapſis induciis bellum meditaretur. Tum ſe ſocios affuturos, & militem non ſolum e Bohemia, ſed Sileſia quoque ac Luſatia, quas repudiato Wladislao ab Hungaria avelli neceſſe eſſet, in barbarum educturos. Id cum præſentis adeo periculi ſit, ut præ foribus eſſe videatur, darent Proceres operam, ut ſibi, regnoque ſuo quam optime conſulerent.

Quid ordines ſingulis reſponderint, præcipue Germanis

Hæc cum a Bohemis dicerentur, plerique eorum, quæ dicebantur, utilitate permoti, in primis, qui de republica bene ſentiebant, tacite Wladislaum regem deſigoabant; quo minus autem edito, ut mos eſt, decreto vulgarent, metus non de nihilo gravis in cauſa fuit. Rumor enim in tanta ſuſpicionum materia non inanis circumferebatur, Cæſari cum Polono ita conveniſſe, ut ſi repulſam paterentur, ſociatis viribus Hungariam peterent, citerior Maximiliano, ulterior Alberto belli prœmium eſſet: atque ita ſubactis Hungaris, regni nomen e medio tolleretur. Id veriti Patres, ut imminens utrinque belli periculum, nondum re domi ſtabilita, averterent, Legatos univerſe ſpe, verbisque ducere, neque conventum ſatis ad decernendum frequentem cauſari, quod Sigismundus Quinque-Eccleſienſis Epiſcopus cum Laurentio Vjlakio Sirmii Duce, & plerisque Croatiæ Optimatibus abeſſet, quorum, cum ob potentiam, tum dignitatem, non omnino nullam rationem haberi oporteret. Seorſim captato tempore ſingulis, quemadmodum res poſceret, reſponſum. Ac Corvino quidem ſpes regni, quod illegitimo thoro natus eſſet, diſerte adempta: daturos ſe tamen id patris memoriæ, ac beneficiis, ut dignitate regi paulum inferior, Boſniam cum Croatia. & Sclavonia regeret; ſi coronam cum arcibus, quas beneficio patris poſſideret, regni ordinibus tradere non gravaretur. Quibus ille quidem conditionibus non invitus tum ſubſcripſit; at poſtea ab amicis in tranſverſum actus turbas concivit, quæ niſi tempeſtive a Proceribus oppreſſæ eſſent, regno fatales erant. Germanis, qui jus ex pactis conventis repetebant, reſponſa ſatis ambigua dari placuit: non ſe pactorum memoriam, quæ Mathias cum Cæſare iniiſſet, quidem poſuiſſe: nec eos fugere a Proceribus fœderis tabulas ratas Albæ fuiſſe habitas: ſed a paucis, iisque fere, qui fœderum auctores fuiſſent: ordines regni, quorum de ea re communi cum rege judicio decernere intererat, nec conſultos eſſe, neque conſenſiſſe: tum nihil pertinuiſſe ad regem, ut ſi ſine hærede obierit, regno imprudentibus Optimatibus ſuo unius arbitrio ſucceſſorem daret, qui libera prius ſuffragatione optatus eſſet: ad hæc paſſim muſſari, verene, an contra, ſibi, quod rex clam omnia habuiſſet, haud ſatis conſtare, Cæſarem dum pacem cum Mathia conflarat, juri, quod ex priori fœdere habuit, nuncium miſiſſe: ita famam obtinere; ſe tamen, quod æquum, & e republica futurum eſſet, facturos, modo quoad frequentior conventus haberetur, ſe differri paterentur. Polonis, & Arragoniis propter oblata ſubſidia gratiæ habitæ: Bohemi optime ſperare juſſi, quibus clam ſignificatum, ut litteris ad Wladislaum per celeres nuncios datis eum admonerent, ne comparato milite regni finibus appropinquare differret, ut non modo ad capeſſendum regnum, ſed æmulos etiam opprimendos præſto eſſet.

In

Interea Sigiſmundus Quinque - Eccleſienſium antiſtes cum Laurentio Duce Peſtinum appropinquabat, in horum comitatu Raſciæ Deſpota cum Jaicæ arcis Præfectus, ac Auranæ Prior cum Croatiæ ac Sclavoniæ Optimatibus adeſſe ferebantur, quos ſociatis agminibus, ſeptem equitum millia ducere rumor erat. Ea fama competitorum ſtudia mirifice acuebat, cum ſpes cuivis, ſi iſtorùm benevolentiam occuparent, ad regnum eluctandi haud levis oborıretur. Ubi ad primum ab urbe lapidem caſtra poſuiſſent ante omnes Corvinus cum Petro Colocenſi Archiepiſcopo intempeſta nocte ad eos profectus, partim largitione, partim pollicitationibus, ac recenti beneficiorum a patre acceptorum memoria facile omnes in ſuas partes traduxit, ut communi inter ſe conſilio ſtatuerent, non quieturos ſe, niſi Corvinus paterno ſolio potiretur.

Joannes Corvinus regnum ambit per factiones.

Non poterant hæc ita clam agi, ut ad Urbanum, qui Comitiis præerat, indicia non afferrentur. Itaque metuens ne domeſtica ſeceſſione exterorum Principum Legatis animi adderentur, Proceres in Baſilicam, ubi nuper Oratores auditi ſunt, convocat. ac orationem Hungarico ſermone exorſus, breviter, quanti res periculi ſit, docet, ſi factionibus diviſi regnum ſponte ſua perditum itent: finitimos Principes domeſticis diſſidiis in rem ſuam uſuros, qui, ſi quod pronum non cogitatu ſolum, ſed f..tu etiam eſſet, ſimul conſpirent, facile ſolos, & ſociorum ope deſtitutos, atque inter ſe voluntate, ſtudiiſque diſcrepantes ſub jugum miſſuri eſſent. Hanc unam ad evitandum diſcrimen viam reliquam videri, ut, poſitis inter ſe odiis, ad legendum regem citra cunctationem unanimi conſilio vota, ac ſuffragia conferant. Valuit oratio, cui viri auctoritas, & non fucatus in patriam amor pondus adjecerat, ut jurejurando omnes, qui aderant, uno conſenſu regem ſe creaturos pollicerentur.

Urbanus Agrienſis Epiſcopus Proceres ad concordiam hortatur.

Interceſſerat optimo conſilio Sigiſmundus, cum Laurentio, quibus etſi honeſtæ, utileſque conditiones, ſi cum ceteris ſentirent, ab ordinibus offerrentur, dimoveri tamen ab Corviniana factione non poterant: qua re Joannes audentior factus. cum Petro Colocenſi Budam petiit, copiaſque in citeriorem Danubii ripam traducens haud obſcura capiendæ urbis conſilia cum ſuis agitabat. Id ubi a patribus compertum eſt, data Bathorio in primis, & Kinyſio mandata ſunt, viderent, ne quid reſpublica detrimenti factioſorum pertinacia caperet, juſſique, ſi convenire illis aliter nequiret, vim admovere. Jamque res ad conferendas manus ſpectabat, cum Urbanus adſcito Bathorio Sigiſmundum, & Laurentium adiit, ac repetito ſemel, iterumque, atque tertium colloquio ſeditioſorum animos, tametſi difficulter, illo adduxit, ut rei, de qua controverſia eſſet, arbitrium Stephano Scepuſienſi, qui Auſtriæ præfecturam Viennæ gerebat, permitteretur. Miſſus ab Optimatibus eſt Joannes Varadienſis Epiſcopus, cui Corvinus duos ex familiaribus ſuis addiderat, qui Stephani mentem explorarent, referrentque, dataque mutuo fides, ſe, quidquid is de futuro rege conſtituiſſet, citra cunctationem probaturos.

Compoſita diſſenſione arbitrium legendi regis Stephano Scepuſio permittitur.

Stephanus, audita ex Legatis adventus cauſa, ſine ambagibus reſpondit, ſe niſi ordinibus aliter videretur, regnum Wladislao Bohemo conferre, neque, qui reipublicæ conſultum vellent, alienos ab ſuo judicio futuros. In tanto competitorum ambitu, quemviscunque legerent, rem periculo non carituram: itaque ſapienter facturos, ſi qua parte minimum diſcriminis videretur, illo vota etiam ſua conferrent. Electo Corvino, omnes, qui regnum ambirent, hoſtes futuros: hoc in ordinem redacto, tres ſolum ſupereſſe, cum quibus dimicandum eſſet. Ab Cæſare nihil metuendum videri, qui belli tædio jam dudum captus, ocium magis, quam arma cogitaret: Albertum Polonum, ac Wladislaum pares quidem potentia, ac genere haberi: at rationi conſentaneum eſſe, ut natu major minori anteferatur, præſertim, quod Bohemo, qui longa pace fruitus hoſtem nullum haberet, reipublicæ adminiſtratio multo facilior, quam Alberto,

Ille Wladislao Bohemo ſtudet, probantibus ſententiam pleriſque Proceribus.

futu-

1490. futura eſſet, cui juvando pater cum Moſcis bello recens implicitus, ſi diſſidia longius traherentur, prorſus impar eſſet.

Atque agente in primis Joanne Varadienſi Epiſcopo.

Videbatur Joanni vere, & ad reipublicæ utilitatem appoſite loqui. Quare, etſi Corvino ob beneficia paterna prius magnopere ſtuduiſſet, majorem tamen regni, quam amici rationem habens, commutata animi ſententia cum Stephano faciebat: rectaque in Moraviam profectus, exercitum, ac nigram in primis legionem, dato centum millium aureorum ſtipendio, regni nomine inauctoravit, qua re ad ſuccidendum factioſis nervum, regisque electionem plurimum conferre viſus eſt.

Eo comperto Corvinus ſeceſſionem cum factioſis parat.

Ubi autem, quæ Stephani ſententia eſſet, quidve Varadienſis antiſtes in Moravia patraſſet, Budam allatum eſt, Corvinus deſperata re fugæ conſilia iniit, conſentienteque Sigismundo, & Laurentio, Petrus enim Colocenſis ne diſcordiarum auctor haberetur, Colocam ſe contulit, rebus ad naves convaſatis, partim ſecundo Danubio, partim terreſtri itinere Quinque-Eccleſias profectionem auſpicatus eſt. Hinc rumor vulgari, Corvinum exhauſto ærario, ac regia ſpoliata tyrannidem in inferiore Hungaria moliri, comprimendam eſſe adoleſcentis levitatem, quæ olim maximum regnu diſcrimen poſſet conficere. Urbanus, qui res interea moderabatur, Bathorium cum Kinyſio profugos confeſtim ſequi jubet, quibus ſua quique agmina certatim adjecerant, ne patriam periculo deſtituere viderentur; in primis Beatrix, quæ, comperto Wladislaum regno potiturum, novas animo nuptias agitabat, validiſſimum equitatum imperio ſuo obnoxium, ad refrænandam ſeditioſorum pertinaciam, ordinum arbitrio permiſit.

Quem Bathorius cum Kinyſio conſerta pugna profligant.

His copiis auctior Bathorius, cum collega Kinyſio magnis uſus itineribus brevi factioſos ad limoſum amnem, qui ex Albenſi lacu in Danubium quarto a Buda lapide ſe exonerat, occupavit. Tentato fruſtra per colloquium hoſte, obortaque inter ſpeculatores velitatione prælium univerſis viribus commiſſum eſt: & quamquam Corviniani collem pugnæ opportunum in principio inſediſſent, fortiterque rem gererent, tamen læſo Auranæ Priore, cæſisque aliquot Proceribus, cum vim equitum Cataphractorum ferre non poſſent, deſideratis quadraginta, & ſeptuaginta captis, in fugam conjecti ſunt. Miles caſtris potitus, quidquid opum, ac theſauri ab Corvino Buda deportatum eſt, diripuit: ipſe cum Sigismundo, & Laurentio Quinque-Eccleſias primum, tum in Sclavoniam profectus, non modo ſortunarum, ſed amicorum etiam jacturam fecit.

A victoria Wladislaus rex Hungariæ rite pronunciatur.

Allata ad conventum victoriæ fama, tametſi magno omnes metu liberaſſet, ob ſuſum tamen civilem ſanguinem baud perinde læto, ut ſperatum eſt, animo accepta fuit: quin, ne deinceps ad ſanguinaria id modi conſilia venire opus eſſet, maturandam regis electionem omnes cenſebant. Itaque Urbanus convocata pro Divi Georgü templo, frequentiſſima concione, cui præter Apoſtolicæ ſedis Nuncium, ceteros quoque Legatos intereſſe voluit, rerum hactenus geſtarum ſeriem, cauſasque brevi oratione retexuit, cum invocato palam Numine Wladislaum ex ordinum conſenſu Hungariæ regem idibus Julii pronunciavit. Ea vox ut ingenti lætitiæ ſignificatione a populo accepta eſt, ita Germanorum, ac Poloniæ Legatos ob repulſam non modo, quod tam turpiter deluſi eſſent, conſternavit, ſed ad parum quoque decoram iram commoverat, ut, comparatis ad abitum rebus, & regno belli minas, & Joanni Varadienſi, quem omnium auctorem fuiſſe perſuaſum habebant, exitium manifeſte intentarent.

WLADISLAUS II.

Miſſi, qui illum invitarent, Oratores.

Wladiſlao rite electo, ante omnia viſum eſt, Oratores, qui regem in Hungariam adducerent, communi conſilio decernere. Lecti ſunt ex ſacro ordine Joannes Varadienſis, Legationis Princeps, tum Thomas Jaurinenſis, Joannes Cſanadienſis, & Stephanus Sirmienſis Epiſcopi: ex Proceribus Stephanus Bathor, Stephanus Zapolya, Sigismundus ſancti Georgii Comes, Bertholdus Dragſy, Ladislai Ország, Rozgonius, ac Loſoncius. Adjecta his mandata, ut rex priusquam intra fines adduceretur, oblatas conditiones dicto Sacramento firmaret. Secundum hæc factioſos ad concordiam revocare placuit, ne, ſi quid Cæſar ob repulſam moliretur, domi, foriſque cum hoſte dimicandum eſſet. Urbanus, Raskay Budenſis Præfecti opera uſus, Corvinum oblatis honorificis conditionibus tentari juſſit, ipſe Sigismundum Quinque-Eccleſienſem, cujus apud Corvinum maxima erat auctoritas, aggreſſus, facile hominem, propoſito reipublicæ ſtudio, ab ſeceſſione retraxit, permovitque, ut Joannem Ducem, ad ineundam cum ordinibus concordiam flecteret. Ille adoleſcentis animum, & præteritorum jactura, & ſpe futurorum in omnem partem verſans, haud difficulter ad pangendum cum Proceribus fœdus adduxit. Transactum eſt his conditionibus: Corvinus regni coronam, arceſque ordinum arbitrio permitteret: hi viciſſim fidem darent, uti bona, quæ Beatrix ab ejus ſeceſſione, litteris publicis in alios contuliſſet, redderentur, eæque litteræ prorſus irritæ eſſent. Firmavit ſuo conſenſu pacta Beatrix, quæ nuptiarum cum Wladislao ineundarum ſpe, nihil magis, quam pacatas domi res optabat.

Ab Legatis ſalutatus Budam deducitur.

Interea Legati ad regni fines appropinquabant, a quibus non longe Wladislaus decem equitum, ac quinque peditum millia ducens, abeſſe ferebatur. Itaque acclerato itinere regem fines Hungariæ ſubeuntem, ſalutarunt. Ac Joannes quidem omnium nomine Legationis cauſas in certa capita diſpeſcens, repetensque breviter, quem in modum præteritis, qui regnum ambiebant, potentiſſimis æmulis, rex optatus eſſet, propoſitis in medium conditionibus orabat, ut eas jurejurando ſe ſervaturum polliceri ne gravaretur. (*a*) Quod cum ille libenter feciſſet, actiſque pro ordinum in ſe ſtudio gratiis, ſpem optimi de ſe Principis præbuiſſet, Budam deductus, ingenti omnium gratulatione, ac lætitia acceptus eſt.

Ex itinere copias divertens Viſſegra-

Ex itinere duo peditum millia ad obſidendum Viſſegradum miſſa, ut regni corona in poteſtatem redacta inaugurationis ritus pro gentis more Albæ fieret. Præerat arci Blaſius clientelari jure Corvino obnoxius; qui quamquam locum & natura, & arte munitiſſimum tueri diu poſſet, perſuaſus tamen ab Urbano

(*a*) Conditiones has Bonfinius quidem memorat: ſed cum iis, quæ in Decreto I. Wladislai habentur, apprime congruant, male eas hoc loco Bonfinius præcepit, quæ ad annum 1492. locandæ erant.

1490.

dum obſideri jubet.

& Sigismundo Epiſcopis, ne patriæ hoſtis publico edicto decerneretur, nan invito Corvino arcem cum corona, & theſauris regi dedidit. Neque tamen, quod Wladislao maxime in votis erat, Albam ad peragenda inaugurationis ſolemnia profectio adornari poterat, quod geminum, graveque bellum eodem tempore regno immineret. Hinc enim Maximilianus Cæſaris filius, jam antea Romanorum regis prærogativa ornatus, jus ſuum in Hungariam, conſcripto per Germaniam milite, vindicaturus credebatur: illinc Albertum eodem quo Wladislaus patre natum, cum magna Polonorum manu, quibus ſe haud pauci ex Hungaris, atque inter hos Stephanus Rozgonius (*b*) adjunxerat, ſuperatis Hungariæ finibus ad Zechénium jam perveniſſe crebri nuncii afferebant.

Fratremque Albertum regni æmulum per Legatos pacat.

Ac hunc quidem miſſo Stephano Sirmienſi Epiſcopo, cui Svibovszkium (*c*) Bohemiæ Cancellarium adjunxerat, facile pacatum iri rex credebat, quod ſperaret, fraterno nomini id daturum, ut ſine maleficio ex Hungaria excederet, præſertim quod ampliſſimi Poloniæ regni poſſeſſionem, quæ defuncto patre ad ſe pertinebat, in eum transferre, ſi pax aliter conflari non poſſet, conſtitutum habebat. Sed contra prorſus, quam ſperatum ſit, res evenerat. Albertus, etſi Legatos comiter accepiſſet, audiſſetque Legationis cauſas, dimoveri ſe tamen a propoſito minime paſſus eſt, quin majoribus uſus itineribus, brevi ad Budam cum exercitu conſtitit. Id ut præter opinionem omnium acciderat, ita nondum confirmatis domi rebus viam ad novas turbas ſternere plerisque videbatur, niſi fraterna diſſidia in principio præfocarentur. Data hæc Joanni Varadienſi provincia eſt, qui leni oratione ingentes Alberti ſpiritus ita compreſſerat, ut convulſis repente ſignis, inſalutatoque fratre, cum exercitu recederet. Sed cum ea ratione dilatum potius, quam ſublatum eſſe malum appareret, Wladislaus Buda Peſtinum profectus fratrem ad colloquium evocat, ubi remotis arbitris diu, multumque cum eo agens parum ad rei ſummam profecerat, donec Joannis Varadienſis, & Stephani Bathory interventu, conflata certis conditionibus pace, cujus capita nusquam in vulgus manarunt, ex hoſte amicus, regique conciliatus in Poloniam rediret.

Stephanus Scepuſius Viennam deſerit, non ſine proditionis ſuſpicione.

Wladislaus eo periculo defunctus, converſis in Auſtriam curis, haud minore, quam prius, metu agebatur. Erant iſthic res loco non prorſus optimo; quod Maximilianus collecto ex Vindelicis, ac Noricis exercitu ſecundo Danubio in Auſtriam devectus, nuncios Viennam præmiſerit, qui de adventu ſuo cives certos redderent, pollicerentur auxilia, & potentiorum ſtudia ingentibus pollicitis ſibi conciliarent. Facile cives in Cæſaris partes traducti ſunt, qui confeſtim ab Mathiæ obitu, cum turbatæ in Hungaria complurium ambitu res erant, ſponte ad Maximilianum reſpiciebant. Itaque prona omnia reperturum, ſi veniret, Maximiliano, renunciatum eſt, palamque de exigendis urbe Hungaris rumor didi, ac intempeſta nocte conciliabula ab civibus haberi cœpta, in quibus de accipiendo, juvandoque Romanorum rege conſultatum. Id ubi Stephanus Scepuſienſis certo indicio comperit, vocato ad ſe Prætori urbis Joanni Ibermano, cum decemvirum collegio, quid comperiſſet, citra ambages edicit, Mathiæ in eos beneficia commemorat, pares ab Wladislao favores pollicetur, monet in fide uti conſtantes manerent, ſin novas res moliri obſervaret, graviſſimis pœnis ſe in eos animadverſurum minatur. Ita reprehenſione perſtrictos ab ſe dimiſit: ipſe Hedvige conjuge, lectiſſima ex Teſſinenſium Ducum ſanguine fœmina cum liberis in Hungariam dimiſſa, aulam additis quadringentis Hungarici nominis militibus, Ladislao Uporio defendendam committit, uxoremque ſecundo Danubio ſequutus Budam contendit. Fuere haud pauci ea quoque tempeſtate, qui Stephanum Bohemico auro corruptum, & occulta ab Wladislao de deſerenda ur-

be

(*b*) In Diplomat. Poloniæ MS. apud SOMMERSBERG. Tom. II. rer. Sileſit. extat Diploma, quo Joannes Albertus Stephanum Rozgon ultro ſe illi ſubjicientem in tutelam recipit. Datum in campo juxta villam de Mesky feria 5. poſt feſtum S. Matthæi an. 1490.

(*c*) Vereor ut lectio hic bona ſit. Nam Cancellarium Bohemiæ hoc etiam anno apud alios reperio Selembergum, qui in pacis inſtrumento anni 1491. itidem nominatur.

be mandata accepiſſe exiſtimabant, quod is non alia magis re, quam reſtituta Auſtria, pacem confieri cum Maximiliano poſſe perſuaſum haberet.

Hungari præſidio iſtbic relicti arcem Maximiliano dedunt.

Sed quam vere id de viro intemeratæ ceteroquin fidei olim exiſtimatum fuerit, haud ſatis conſtat. Cives cognito Zapolyæ abitu, dato campana ſigno, ad prætorium convolant, ingeminatiſque Cæſaris, ac Maximiliani Auguſtorum nominibus, liberam urbem pronunciant, circumlatiſque per vicos aquilis, ac direptis licenter Hungarorum domibus, ad Maximilianum, qui caſtra ad Clauſtrum Neoburgicum habuerat, nuncios ex Senatoribus mittunt, qui eum, ut, quam poſſet, celeriter in urbem venire hortarentur. Ille collaudatis Viennenſium ſtudiis, rapto ſecum prætoriano milite, alaque una equitum, ceteris confeſtim cum machinis ſequi juſſis, Viennam contendit, ſummaque lætitia ad rubeam portam acceptus, ad Divi Stephani undecimo Calendas Septembris deducitur, ac decantato libertatis hymno, de oppugnanda aula extemplo deliberatur. Adſuit in ſequentem diem reliquus exercitus, ingentem ſecum vehens apparatum, qui ad accelerandam obſidionem permultum faciebat. Itaque continuo muri ea parte, quæ inter Divi Auguſtini templum, & ipſam arcem erant. verberari machinis cœpti, cumque ſuperior pars quaſſata in foſſam ſe provolveret, Cæſareani injuſſu Ducum tentato aſſultu inſigni cum clade rejecti ſunt. Maximilianus ea cæde militis temeritatem ſatis caſtigatam ratus, vetuit, ne quid deinceps, niſi Ducum, aut ſuo juſſu facerent & obſeſſos per transfugas Hungaricæ linguæ gnaros ad deditionem faciendam tentavit. Sed cum illi miro ſilentio uſi nihil reſponderent, imperata in ſequentem diem nova militibus aggreſſio eſt. Ea poſtrema, atque acerrima fuit, Germanis præſente rege certatim ad murorum crepidinem eluctantibus, ſignaque, quibus ceteris animos adderent, in ſuprema mœniorum parte defigentibus. Viſa ſuorum audacia, atque fortitudine Maximilianus continere ſe non poterat, quin, ad primos ordines penetrans, quemvis nominatim ad rem gerendam inflammaret; quo in certamine cum vulnus in humero accepiſſet, miles remiſſius primum agere, tum dato receptui ſigno ex dimicatione exceſſit. Neque obſeſſis, quod in quævis pericula intrepidi ſe conjeciſſent, incruentum id certamen erat, ut adeo ex quadringentis, quos arci præſidio relictos memoratum eſt, nemo unus vulneris expers fuerit; Itaque cum ſubſidii ſpes nulla, aut tenuis eſſet, & Germani novam aggreſſionem molirentur, incolumitatem pacti, decimo ab obſidione die arcem dediderunt.

Qui totam fere Auſtriam recuperat.

Sub idem tempus iisdem conditionibus arx Neoſtadienſis dedita eſt, poſtquam cives aſtum commenti, urbe potiti fuiſſent. Eadem fortuna pontes ad Leytham, magis tamen Præfecti incuria, quam hoſtis virtute occupati. Præerat loco Joannes Tarcianus inefficacis vir, & ſimplicis ingenii. quem, cum is ſacrorum cauſa ex arce in oppidum proficiſcitur. oppidani, Neoſtadienſium fortuna ad paria audenda concitati, interceptum, & vinculis conſtrictum non prius dimiſere, quam arcem cum omni apparatu militari eorum arbitrio permiſiſſet. Ita brevi tempore præcipua loca, ex quibus Mathias Auſtriam omnem in officio continuit, Hungarorum, qui laborantibus ſuppetias ferre neglexerant, aut ſocordia, aut fœda diſſimulatione in Maximiliani poteſtatem venere. Qui quamquam ex accepto nuper vulnere nondum penitus convaluiſſet, Corneuburgum tamen ſumma vi aggreſſus, tentatis aliquot aſſultibus, præſidiarios libertatem cum fortunis abeundi pactos, ad dedendum locum compulit.

Ad hunc Legati ab Wladislao miſſi.

Ex ea expeditione Viennam redeuntem Legati ab Wladislao Stephanus Sirmienſis Epiſcopus, & Joannes Selembergus Bohemiæ Cancellarius ſalutarunt, quos ille, ut erat ex recenti victoria ferox, cum ſtomacho primum rejecerat, poſtea tamen, quam ſe collegiſſet, dato iis Senatu poteſtatem dicendi fecit. *Qui exorſi e vetuſtiſſimis fœderibus, quæ inter Cæſares, & Bohemiæ reges aliquot ante ſecula icta, & poſtea ab ipſis confirmata fuiſſent, quibus caveretur, ſi quæ inter ipſos ſive de finibus, - - - ſeu de provinciarum ſucceſſione, aut aliis rebus graviſſimis controverſiæ orirentur, eas non vi, & armis, ſed arbitrio vicinorum Principum interventu dirimendos eſſe, propoſuere illis Wladislaum in hac quoque diſceptatione, cuncta ex æquo, & bono com-*

 ponere,

1490. *ponere, quam ancipiti bellorum ſorti ſubjicere malle. Tabulas, quibus Cæſar jus ſuum tuebatur, vel expertiſſimorum juriſconſultorum ſententia viribus deſtitui, utpote, quæ non ſpontaneis, ſed coactis ſuffragiis editæ, conſenſu Nobilitatis, ac populi caruerint, qui eas cum ſumma indignatione exploſas rejecerint, vix prohibiti, quin interficiendis Legatis, qui tabulis conficiendis affuerant, violentas manus injeciſſent. De Auſtria eas inter Fridericum Auguſtum, ac regem Mathiam icti fœderis conditiones interveniſſe, ne illa, niſi aliquot myriadum ſumma pecuniæ depoſitæ adimi ab Hungaris poſſit. Proinde ſe a Cæſare etiam, atque etiam obnixe petere, ut depoſitis ſimultatibus, atque offenſionibus, ancipiti jure ſuo decedere, æquiſſimasque Wladislai, & Hungarorum rationes admittere, potiusque arma in barbaros Turcas jam Sirmio, & vicinis Iſtro provinciis imminentes, ſacro indicto bello convertere vellet.* (d)

Re infecta redeunt,

Ad ea Maximilianus, habita cum ſuis deliberatione, paucis, ingenueque reſpondit, ſe, tametſi ceteroquin Wladislao bene cupiat, nunquam tamen regno ſibi ex pactis conventis debito ceſſurum: neque jura ſua, ut Legatis quidem videretur, obſcura eſſe, quæ in tabulas relata, ac non Mathiæ modo, ſed Procerum etiam primi ordinis nominibus conſignata fuiſſent. Orare ſe itaque Wladislaum, uti Bohemia, adjunctis Sileſia, ac Luſatia contentus eſſe vellet, ſibique jus, quod in Hungariam haberet, indemne præſtaret. Ni faciat, non defutura ſibi ab Germanis, & Polonis quoque auxilia, quibus, poſtpoſita amicitiæ ratione quod ſuum eſſet, vindicatum iret.

Et Albam ad regis coronationem proficiſcuntur.

Cum hoc reſponſo dimiſſi Legati, dum in Hungariam redeunt, relicta ſiniſtrorſum Buda, Albam contendere, quod regem cum optimatibus ad exequendos coronationis ritus illo proficiſci comperiſſent. Urbem tenuere, cum Wladislaus XI. Calendas Octobres incredibili certatim concurrentium pompa, & lætitia ab Osvaldo Zagrabienſi Epiſcopo inauguratus eſt. Nam ſi Laurentium Sirmii Ducem, qui ob ſusceptas cum rege ſimultates intereſſe noluit, & Blaſium Magyar, qui Alberto regis fratri ſtudebat, tum qui Maximiliano clam favebant, demamus, non modo ex tota late Hungaria, ſed Bohemia quoque, Moravia, ac Sileſia plerique ex ſacro, profanoque ordine Principes eam pompam cohoneſtarunt. Sed præcipuus ab Joanne Corvino ſplendor coronationi adjectus eſt, cui multo ante, omnem ultra Dravum Illyrici ditionem usque ad Dalmatiæ, marisque Adriatici limites ea conditione rex conceſſerat, ut, ſi ſine prole decederet, quidquid id ditionum eſſet, ad Hungariæ regnum rurſus devolveretur: Is igitur quando huc res jam rediiſſe videbat, ut auctoritatem nonniſi oblitterata offenſarum memoria tueri poſſet, cum validiſſimo equitatu, & aliquot peditum cohortibus Albæ adfuit, cui id honoris quoque propterea datum, ut Coronam regi præferret. Ab hoc Stephanus Scepuſienſis, tum Bathorius Tranſilvaniæ Vayvoda, Paulus Kinyſius, Bebecus, ac Gerebii, præcipui copiarum ductores, ac Legionum Legati aderant, qui *cum poſt tot, & tantas auſpiciis Mathiæ regis victorias, ex diverſis hoſtibus devictis reportatas, & ſpolia ademta opulentiſſimi evaſiſſent, ornatiſſimas & ipſi equitum alas adduxerant, quæ præterquam, quod generoſiſſimis equis, undique magno ſumtu conquiſitis, conſtabant, tum vero militum gladii, mucrones, ſicæ, ſecures, clavæ ferreæ, atque equorum frena, frontalia, ceteraque inſtrumenta auro, atque argento elaborata, miroque ſplendore fulgentia cernebantur. Admirationi etiam exteris hominibus erant hippopotamorum caudæ, pectinibus mollitæ, ac equorum pectoribus appenſæ, ea animalia in vaſtis Nili fluminibus rara captu naſcuntur, idque genus ornamenti equeſtris, & magnum obtinere precium, & apud Turcas & Pannonios etiamnum in uſu eſſe videmus. Fuere copiæ non ſolum elegantia apparatus diviter, & dignæ admiratione, ſed etiam numero minime contemnendæ; decem enim millia equitum facile expleviſſe dicebantur. Neque Bohemorum, Moravorum, & Sileſiæ agminum numerus Hungariæ erat inferior; ſed qui atris in morem Germanorum armis, veſtibusque protectus Hungarorum varietate, & fulgore omnium judicio vinceretur.* (e) Itaque cum tantus eſſet copiarum apparatus, ut facile, ſi ſub ſigna cogerentur, præclarum aliquid patrari poſſet, viſum eſt plerisque, atque aperte etiam regi ſignificatum, ut in Maximilianum duce-

(d) NICOLAUS ISTVÁNFY Hiſtor. Lib. I. (e) Idem ibid.

duceret, eumque occupata jam Auſtria, Hungariæ finibus arceret. Sed is pacis, qoam belli cupidior, omiſſo armorum ſtudio, Budam reverſus, manifeſta jam tum documenta dabat, militaris ſcientiæ laudem, quam Mathias operoſe collegerat, & quod fere iſthinc conſectaneum eſt, regni ſalutem ſuis auſpiciis vehementer accifum iri, quod eventu poſtea magnopere firmatum eſt.

Maximilianus in Hungariam movet, ac rege Budam profecto, Albam obſidet, & capit.

Contra Maximilianus, ejectis ex Auſtria Hungaris, cum ſuopte armorum felicitate, tum deficientibus indies ad ſe multis Proceribus concitatus, jura ſua, tametſi jam autumnus ingruerat, bello vindicare ſtatuit. Præter enim Jacobum Székelium, Chriſtophorum Frangepanum Segniæ, Vegliæ, ac Modruſiæ Comitem, ac Joannem Halapſitzium; quem alii Kishorvathum nuncupant, Joannes Veſprimienſis Epiſcopus ſpe infulæ Viennenſis adductus, tum Auranæ Prior, compluresque ex Banfiis, Kanyſaiis, Széchiis, Talloczîis, ac Croatiæ regulis ſplendore generis, & fortunarum affluentia potentes, Maximiliano adhæſerant. Horum ille copiis auctior factus tentato per iter Vaſvaro, Sabaria, ac Veſprimio facile in poteſtatem redactis, Albam promovit, ut capta urbe facilior ſibi ad inaugurationem, a qua vis, & poteſtas regum noſtrorum manat, via ſterneretur. Eo periculo mature cognito, cum Bathorio, & Kinyſio mandatum eſſet, ut urbem longa pace, ut fit, neglectam, defenſioni compararent, illi vero partim fruſtra civibus imperata ad reparationem pecunia, partim adventantis hoſtis celeritate occuparentur, relicto urbi quingentorum, ac quinquaginta militum præſidio, Alba ex.eſſerant, malebantque Budæ, quæ rerum omnium vacua erat, hoſtisque injuriæ ante alias obnoxia, conſulere, quam nullo iſthic operæ precio diutius morari. Id conſilium, tametſi ex temporis neceſſitate depromtum erat, Albam penitus perdidit. Maximilianus enim, poſtquam ex Hungaris intellexiſſet, quam male urbs ad defenſionem comparata eſſet, maximis uſus itineribus, eodem tempore, quo Bathorius cum Kinyſio Budam ſe receperant, cum exercitu in urbis conſpectum venit, obviosque nactos præſidiarios, qui ſuburbio igni cremato hoſtem adoriri parabant, coorta a Suevis dimicatione rejecit, parumque aberat, quin eodem impetu Germani Hungaris immiſti in urbem penetrarent. Tam parum ſecundo initio conſternati metu Hungari, propugnaculum, quod intrantibus dextrorſum objiciebatur, concubia nocte deſerunt, hoſtique, ut primum illuxit, rei ex ſententia gerendæ facultatem præbuere. Ut enim deſertum propugnaculum, ex quo haud parum incommodi accipere poterant, nudatosque defenſoribus muros viderunt, certatim in foſſas, limoſa aqua, & uligine plenas, ſeſe injecerant, contemtoque diſcrimine, ac haſtis, variisque telis innixi foſſarum marginem ſuperant, eademque audacia noſtris trepida fugientibus in muros eluctati, perfracta porta ſocios urbi immiſere. Miſera erat loci facies, & barbara militis ferocientis ſævitia, qui in prædas effuſus nullo diſcrimine ſexus, aut ætatis obvia quæque trucidabat. Nec a locis Deo dicatis rapaces manus victor abſtinuiſſet, niſi Maximilianus, locorum religione motus, intentatis graviſſimis pœnis, licentiam ſuorum cohibuiſſet. Dominicus loci Præpoſitus ad primam captæ urbis famam cum templi ſupellectile, ac theſauris in præaltam turrim ſe ſubducens, advenientem triduo poſt Maximilianum ſalutavit, orabatque, uti templum, & quæ hujus eſſent, ab militum rapacitate tuta præſtare ne gravetur. Quod ille quidem data fide pollicitus eſt, ſed virum ſacrum fortunis ac ſacerdotio exutum urbe exeſſe juſſit; ex tanto theſauro, qui opulentiſſimus erat, nihil ſibi decerpens, quam crucem auream, mole admodum exiguam, quæ majorum ſuorum Auſtriæ Principum fuiſſe dicebatur.

Inde Budam meditabatur,

Capta ad decimum quartum Calendas Octobres Alba, Budam progreſſus haud procul veteri ejusdem nominis urbe cum parte ſuorum, reliquis conſequi juſſis, conſtiterat (*f*), minime dubitans urbe, quod itidem neceſſariis ad deſen-

(*f*) Apud Cl. LINCA. ad hunc annum extat Epiſtola fratris Cellerarii adCollomannum Abbatem Zvetlenſem Vienna ſcribentis, ubi inter alia hæc quoque habentur. *De novis nunciat eidem, quod Alba regalis, ſit a Maximiliano expugnata, & tria millia aſcendant, ſeu pergant adverſus Budam, & dicitur Romanorum Rex morari ante Budam veterem, ubi ejus ingreſſus expectatur. Datum Viennæ 1490. in Vigilia S. Andreæ Apoſtoli.*

1490. *niſi militum ſeditione a propoſito revocatus eſſet.*

ſenſionem rebus deſtituta eſſet, brevi ſe potiturum. Jamque laci Prætar claves obviam ferebat (*g*), ſpeque Maximilianum optima dedendæ urbis impleverat, cum per eum, quem conſequi juſſit, exercitum, maximam partem ex Vindelicis conflatum, coorta inter equites, peditesque ob diviſam inique prædam militari ſeditione, a propoſito revocatur. Fruſtra tentatis ſeditioſorum animis plerique inſalutatis Præfectis turmatim caſtris egreſſi domum repetebant. Mali contagio ad ceteros quoque clanculum ſerpebat, qui ſtipendia ſibi neque bona fide, neque cum opus erat, rite perſolvi querebantur. Maximilianus veritus, ne hi quoque aliorum exemplo ſeducti dilaberentur, neque tantum pecuniæ, quantum pacandis animis ſatis erat, in promtu habens, ad Sigismundum Quinque-Eccleſienſem Epiſcopum, Joannis Erneſti e Suevia oriundi, ſed a Mathia in Nobilium ſeriem cooptati, divitiasque ingentes adepti filium nuncias miſit, qui mutua ab eo ſexaginta aureorum millia peteret, pollicitus, ſe facturum, ut ampliſſimo in Germania, atque opulentiſſimo Archiepiſcopatu Salisburgenſi potiretur, ſi ſibi eatenus graviſſima neceſſitate circumvento deeſſe nollet. Sed ille patriæ magis, quam divitiarum amore ductus, negata pecunia periculum, quod regno imminebat, pulcherrimo ad poſteros fidei exemplo amolitus eſt.

An. Chr. 1491. *Alia parte Albertus regis frater Hungariæ imminet,*

Sigismundi fides, ac ingruens bruma Budæ ſaluti fuit. Maximilianus enim auro deſtitutus, impoſito locis, quæ occupaverat, præſidio, militiam ægre in metu, ac diſciplina continens ex Hungaria exceſſit. Hoſtis abſentia naſtri in ſuum commodum uſi non modo urbem magna diligentia muniverant, ſed imperato etiam per hiemem militum delectu ad ea, quæ priore anno per negligentiam amiſſa erant, recuperanda animum adjecere. Cum in eo ſunt, & quisque pro virili ſua certatim ad reipublicæ ſalutem ſtudia confert, novum ex Polonia malum obortum eſt. Albertus regis frater, ſive induciæ jam finitæ eſſent, ſeu maligno rumori, quo Wladislaus obiiſſe ferebatur, fidem habuerit, cum duodecim millium exercitu, quem a patre acceperat, & magna Tartarorum manu ſuperiorem Hungariam ineunte Februario ingreſſus, eam regni partem latiſſime vaſtabat. Quæ res, ut præter omnium expectationem fuit, ita haud levi metu regem conſternaverat, qui nondum penitus injurias ab Germanis acceptas animo poſuiſſet. Itaque cum Albertum Caſſoviæ urbi imminere nuncii referrent, Dominicum Albenſem Præpoſitum, & Michaelem Paloczium illo miſerat, qui obmoti rurſus belli cauſas ex eo quærerent, & ſi illum a propoſito armarum revocare nequirent, Caſimirum patrem in Polonia adeant, agantque, ut pra ſua poteſtate filium ab armis abſtinere juberet.

Cui fruſtra per Legatos ad pacem tentato copias opponit.

Fruſtra tamen hi conatus fuere, neque ferox juvenis, niſi bello victus, ab armis temperaturus videbatur. Itaque rex Stephanum Scepuſienſem cum octodecim millium exercitu Caſſoviam præmiſerat, pollicitus ſe cum Prætorianorum parte, factis pro temporum ratione itineribus, ſecuturum, re autem vera, ne ſi prælium confereretur, civili, fraternoque ſanguine ſeſe pollueret. Stephanus quantum per hiemem licuit, ſumma celeritate uſus eodem tempore Caſſovienſem agrum pervenit, quo Poloni urbem arctiſſime vallabant. Albertus tam vicino hoſte nihil territus, relictis aliquot, quæ urbem interea obſervarent, cohortibus, haud procul a noſtris caſtra quoque metatus eſt. Hic pugnæ præludium ab Tartaro datum, qui cum ingenti corporis mole eſſet, equo vectus fortiſſimum quemque ex Ungaris ad ſingulare certamen provocabat: non tulit barbari faſtum Demetrius Jakſitzius equitum magiſter, & Mathiæ olim alumnus, inque deſignatum certamini locum maxima alacritate invectus, barbarum haſta equo deturbatum, & ne quidquam adverſos inclamantem Deos ſumma omnium congratulatione obtruncat. Hinc gradus non tam ad prælium, quam velitationem factus, ſed quæ Alberto tam infeliciter ceſſit, ut quamquam duos equos amit-

(g) Cuspinianus in Cæſaribus. *Judex enim Budenſis cum nonnullis Civibus jam urbis claves obviam progreſſus afferebat, quod ex ore ejus ipſe audivi. Ita ille in Maximiliano I.*

amitteret, Eperieſinum ſe recipere cogeretur. Iſthic ne evaderet, a Stephano obſeſſus magis, quam oppugnatus eſt, regique proxime affuturo ſervatus.

Qui cum non multo poſt tempore in caſtra veniſſet, ſortem fratris commiſeratus, malebat per fœdera juvenem ſibi conciliare, quam bello profligatum ad frugem revocare; præſertim, quod res domeſticæ ab Maximiliano nondum ſatis tutæ eſſent, quem victorias ſoperioris anni omni conatu proſecuturum minime dubium erat. Et commodum Oratores a Caſimiro cum Wladiſlai Legatis ad caſtra venerant, qui patris nomine pacis arbitrium in ſe ſe reciperent: quorum opera poſt longam utrinque deliberationem ita fratribus convenerat, ut Wladiſlaus legitimus Hungariæ rex haberetur, Albertus contra jure ſuo in Hungariam, quod lubrica paucorum fide, & ſeceſſione acceperat, omnino decederet: tum aliæ itidem conditiones, quæ partim ad rempublicam, partim privatam attinent, adjectæ, ac in fœderis tabulas relatæ ſunt. Earum hic tenor eſt. (*b*) *Ac fœdus cum eo ſancit.*

„ Nos Wladiſlaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, „ Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque rex, nec non „ Sleſiæ, & Lucemburgenſis Dux, marchioque Moraviæ, & Luſatiæ &c. re- „ cognoſcimus, & tenore præſentium ſignificamus, quibus expedit, univerſis, „ quod cum inter nos ab una, parte vero ab altera illuſtriſſimum Principem „ Dominum Joannem Albertum Ducem fratrem noſtrum uterinum, & cha- „ riſſimum, poſt obitum ſereniſſimi Principis, quondam Domini Mathiæ regis „ Hungariæ, & Bohemiæ prædeceſſoris noſtri claræ memoriæ, occaſione ejuſ- „ dem regni noſtri Hungariæ differentia, & controverſia non mediocris fuiſſet „ exorta, placuit ſereniſſimo Principi Domino Caſimiro Dei gratia regi Poloniæ „ &c. utriuſque noſtrum genitori chariſſimo partes ſuas inter nos liberos ſuos „ interponere, & prælium, ad quod ex utraque parte accelerabatur, dirimere, „ & intercipere, atque differentiam, & diſcordiam ejuſmodi pro ſua divina „ prudentia, & paterna in utrumque noſtrum gratia, & charitate complanare. „ Mittens itaque in noſtrum medium Oratores, & Conſiliarios ſuos, reveren- „ diſſimum in Chriſto Patrem Dominum Andream Archiepiſcopum Leopolien- „ ſem, & magnificum Mathiam de Buyn Palatinum Poznanienſem, qui in pri- „ mis plura inter nos, & præfatum illuſtriſſimum Dominum fratrem noſtrum „ laboraverunt, viſum tandem exſtitit, ut ab utraque parte aliqui Conſiliarii „ ad tractandum cum eiſdem deputarentur. Ad quorum exhortationem nos fi- „ deles noſtros reverendos in Chriſto Patres Dominum Valentinum electum Ec- „ cleſiæ Varadienſis (*i*), & Thomam Epiſcopum Eccleſiæ Jaurienſis, prætacti „ regni noſtri Hungariæ Cancellarium, nec non magnificos, Joannem de Schel- „ lemberg regni noſtri Bohemiæ Cancellarium, & Wilhelmum Paumkircher li- „ berum Dominum de Zalanok: præfatus autem illuſtriſſimus frater noſter ve- „ nerabilem Dominum Nicolaum primum de Crayne, Præpoſitum Stobnicen- „ ſem, ſimiliter Cancellarium ſuum, nec non magnificum Petrum Myskorſzky „ Caſtellanum Vielunienſem, deputavimus. Qui omnes cum præfatis Orato- „ ribus paternæ Majeſtatis convenerunt, & pluribus diebus de mediis contra- „ riorum, & pacis tractarunt; tandem ut non dubitamus bono aſſiſtente ſpi- „ ritu, ad quoſdam articulos pacis, concordiæ, & unionis devenerunt, & con- „ deſcenderunt. *Fœderis conditiones, & pacta.*

„ Quorum quidem articulorum primus eſt: in primis conventum, & „ concluſum eſt, quod præfatus ſereniſſimus Dominus Wladiſlaus rex pro ve- „ ro, & legitimo rege regni Hungariæ remaneat, pro contentatione vero præ- „ fati illuſtriſſimi Domini Ducis fratris ſui chariſſimi, & ceſſione juris, quod „ idem illuſtriſſimus Dominus Dux ad ipſum regnum Hungariæ ſe habere aſſe-

 rebat,

(*b*) Exſtant in Diplomatario Bohemo-Sileſiaco Tom. I. apud Cl. SOMMERSBERG pag. 1056.

(*i*) Joannes enim Divi Franciſci inſtitutum, quod jam ſub Mathia ambiebat, conſentiente Papa amplexus eſt: tametſi poſtea quoque ob miram prudentiam tractationi rerum publicarum applicitus eſt.

1491. rebat, ſua Majeſtas in Ducatu Sileſiæ caſtra, & civitates infra ſcriptas, puta Glagoviam majorem, Roſychen, Sprotaviam, Zelenahora, Svobodyn, & Ottin, alio nomine Wartenberg: totum vero illum ſtatum, qui illuſtris Joannis Ducis Sagani fuit, & quem ſereniſſimus quondam rex Mathias ab eodem jore emtionis habuerat, ſimul cum omnibus caſtris, fortalitiis, civitatibus, oppidis, villis, theloniis, vaſallis, & aliis omnibus proventibus, & pertinentibus eorundem: præterea civitatem Goram, ſimiliter cum univerſis ſuis vaſallis, pertinentibus, & fructibus, eidem illuſtriſſimo Domino Duci dare, & aſſignare debeat, & teneatur. Quæ omnia & etiam cetera caſtra, civitates, fortalitia, oppida, & villas infra notandas idem Dominus Dux tamquam Dominus hæreditarius tenere, & poſſidere, atque de eisdem libere diſponere poſſit, & valeat, tali conditione adjecta, quod ſi quæ caſtra, civitates, oppida, & villæ de ſtatu jam expreſſo ejusdem Ducis Sagani per ipſum condictum Dominum Mathiam regem, aut poſt ejus obitum per præfatum ſereniſſimum Dominum Wladislaum regem, quibuscunque perſonis, & quacunque ex cauſa eſſent obligata, aut inſcripta, ſua Majeſtas ad terminum infra notandum redimere, & liberare, atque eidem illuſtriſſimo Domino fratri ſuo reddere, & reddi facere teneatur. Item de civitatibus Crosna, & Scheynan, oppidisque, & villis, nec non ceteris earundem pertinentibus definitum eſt; quod ſi, & in quantum non ſunt pro aliqua ſumma pecuniarum inſcripta, vel obligata, & debebunt devolvi ad regiam Majeſtatem, ſtatim facta ipſa devolutione ſua Majeſtas teneatur ad prædicta caſtra, & civitates adjicere, & præfato illuſtriſſimo Domino Duci cum effectu dare, & ex nunc in illuſtriſſimam Dominationem ſuam devolvenda intelligantur. Si vero inſcripta, & obligata ſunt, liberam idem Dominus illuſtris Dux redimendi habeat facultatem: hoc tamen adjecto: quod dum juxta præſentem concluſionem dominatio ſua illuſtriſſima illos Ducatus, illaque caſtra, fortalitia, civitates, & oppida, quæ nunc regia Majeſtas dominationi ſuæ illuſtriſſimæ usque ad promotionem ejusdem in regem, aſſignare debet: remittere, & aſſignare debebit, & tenebitur: prædicta duo caſtra remittere iterum non teneatur, donec per ipſam regiam Majeſtatem, aut ſuos ſucceſſores ſibi de ſumma illa, pro qua redemerit, ſatisfactum foerit cum effectu.

„ Ceterum concluſum eſt, quod ultra promiſſa, etiam ſtatus, & dominium illuſtris Conradi Ducis Albi poſt ejus obitum totaliter in ipſum illuſtriſſimum Dominum Joannem Albertum Ducem devolvantur, & ſi forte aliqua caſtra vel oppida, aut alia bona de ipſo ſtatu eſſent quibuscunque titulo pignoris inſcripta, demtis illis, quæ jure hæreditario aut per ipſum Ducem Album, aut per regiam Majeſtatem licet ſint donata, aut vendita per ſereniſſimum Dominum regem Wladislaum, poſt obitum ejusdem Ducis Albi, eidem Domino illuſtriſſimo Joanni Alberto redimi debeant, & liberari: quodque deinceps idem Dux de ipſo ſtatu, quem tenet, nihil prorſus inſcribere, vel aliter alienare debeat, & ſi aliter faceret, alienata, vel inſcripta debebunt cum aliis, ut præmiſſum eſt, eliberari.

„ Item concluſum eſt, quod ex quo ſereniſſimus Dominus Wladislaus rex in præſentiarum Ducatum Opaviæ, quem illuſtriſſimus Dux Joannes Corvinus, Dux Slavoniæ, & Liptoviæ jure hæreditario habet, & poſſidet, eidem illuſtriſſimo Domino fratri ſuo dare commode nequit, eam ob rem interea donec ſua Majeſtas ab ipſo Domino Corvino Duce, ſive per viam concambii, ſeu permutationis, ſive pro parata pecunia eliberare poterit, ſingulis annis in feſto B. Jacobi Apoſtoli tria millia florenorum eidem illuſtriſſimo fratri ſuo dare, & vel in Glagovia, vel in Kozle deponi, & aſſignari facere teneatur. Item, quod interea donec præfatus Dux Albus in humanis aget, & Majeſtas ſua Dominus rex Wladislaus ſtatum illius illuſtriſſimo Domino fratri ſuo reddere non poterit, ſingulis annis tantam ſummam pecuniæ, quantam ex illo toto ſtato, quem in præſentiarum idem Dux Albus tenet, in pecunia parata habere pot-

„ eſt

„ eſt in loco, & tempore, ut de Ducatu Opavienſi concluſum eſt, eidem illu-
„ ſtriſſimo Domino fratri ſuo dare, & ſolvere debeat, & teneatur.
„ Præterea ordinatum, & definitum eſt, quod idem sereniſſimus Domi-
„ nus rex Wladislaus ad præfatos ſtatus, & Ducatus ceteraque caſtra, civitates,
„ oppida, & fortalitia, etiam civitatem Cirnoviam, & caſtrum Cznytiu adjiciat,
„ & quod civitas ipſa, & ſimul etiam caſtrum prætactum apud alienas manus
„ fore prohibentur, idcirco concluſum eſt, quod Majeſtas ſua tam eadem duo
„ loca, quam etiam Ducatum Thoſtek, ac civitatem Bytbom, & caſtrum Zi-
„ verklenecz cum ſuis pertinentiis, ac alia univerſa, quæ obligata ſunt, & ſua
„ Majeſtas pro illuſtriſſimo fratre ſuo redimere, dareque debeat, & teneatur.
„ Item ſimiliter eſt concluſum, quod ſua regia Majeſtas etiam Ducatum Kozle,
„ nec non civitates Huopezicze, & Wladislaw ſimul cum univerſis vaſallis, vil-
„ lis, & pertinentiis eidem illuſtriſſimo Domino fratri ſuo pro ejuſdem conten-
„ tatione dare debeat, & quod apud alienas manus fore dignoſcuntur: conven-
„ tum igitur, & definitum eſt, ut hæc tria loca infra ſpacium trium menſium
„ a data præſentium computando, pro eodem illuſtriſſimo fratre ſuo redimere,
„ & eliberare teneatur. Item, quod ſi quando Steura, ſive Berna aliqua per
„ Sileſiam generaliter imponeretur, aut urgente neceſſitate terrigenæ inſurgere,
„ & ſervitium aliquod juſſu regiæ Majeſtatis facere deberent, vaſalli, ceterique
„ ſubditi ejuſdem illuſtriſſimi Domini Ducis ſe non retrahant, ſed omnes debi-
„ tum facere, & pro rata ſua, & contribuere, & ſervire etiam, aliaque omnia
„ inſtar ceterorum terrigenarum, prout ſcilicet tunc ordinatum fuerit, facere te-
„ neantur: & ad hoc demta tum perſona ejuſdem illuſtriſſimi Domini Ducis,
„ quæ in hac parte excepta, & privilegiata intelligatur, ex nunc obligati ſint,
„ & habeantur. Item, quod vaſalli, & ceteri hujusmodi ſubditi ejuſdem illu-
„ ſtriſſimi Domini Ducis præter antiquam conſuetudinem, jura, & privilegia
„ eorundem, extra provinciam, nusquam in judicium trahantur, ſed ibidem,
„ prout ſcilicet hactenus obſervatum exſtitit, in cauſis judicentur, & ex parte
„ etiam ipſorum juſtitia cauſantibus miniſtretur, & quod etiam alioquin uni-
„ verſos hujusmodi vaſallos, & ceteros ſubditos idem illuſtriſſimus Dominus
„ Dux in antiquis ſuis juribus, libertatibus, privilegiis, & immunitatibus
„ conſervare debeat, & teneatur.
„ Item conventum, concluſum, & ſpecialiter definitum eſt, quod ſi, &
„ poſtquam præfatus illuſtriſſimus Dominus Dux Joannes Albertus in regem
„ ſublimabitur, ſeu promovebitur, univerſos prædictos ducatus, & ſtatus,
„ univerſaque caſtra, fortalitia, oppida, villas, quos, & quæ idem sereniſſi-
„ mus Dominus rex Wladislaus eidem illuſtriſſimo fratri ſuo ex præſenti diſpo-
„ ſitione, & concordia dare debet, ſimul cum cunctis vaſallis, ſubditis, the-
„ loneis, proventibus, & utilitatibus eorundem, ſuæ Majeſtati, aut ſucceſſoribus
„ ſuis regibus ſcilicet Hungariæ integre, atque abſque omni prorſus defectu, &
„ difficultate, vel quæſito colore remittere, & reſignare debeat, & teneatur eo
„ facto. Si vero præter omnem ſpem, & opinionem contingeret, quod in re-
„ gem non promoveretur, & filios legitimos de lumbis ſuis procreatos relin-
„ queret, iidem filii in univerſis hujusmodi ducatibus, ſtatibus, caſtris, civi-
„ tatibus, & ceteris bonis ſuccedere debeant. Hoc tamen adjecto, quod illi
„ inſtar aliorum Principum, & Ducum patriæ illius, regiæ Majeſtati ſubjecti
„ ſint, & habeantur, & ex nunc intelligantur. Caſu autem, quo aliquis filio-
„ rum aut nepotum ejuſdem illuſtriſſimi Domini Ducis tractu temporum in re-
„ gem promoveretur, pari ratione, æqualique jure, ut ab ipſo illuſtriſſimo Do-
„ mino patre eorundem univerſi prædicti ſtatus, caſtraque omnia ad præfatam
„ Majeſtatem, vel ſucceſſores ſuos reges Hungariæ, ut præferetur, revertan-
„ tur, & devolvantur, & devoluta intelligantur eo facto: & idem promotus
„ rex reddere, & remittere integre, abſque omni tergiverſatione, & defectu
„ debeat, & teneatur; nec jus ullum, aut juris, vel dominii proprietates in
„ eisdem ipſis reſervata intelligantur. Quod ſi aliqua caſtra, fortalitia, civitates,
„ oppida, vel villas præfatus illuſtriſſimus Dominus Dux, aut ejuſdem filii, vel

1491. „ hæredes in caſibus præmiſſis ſuccedentes impignorarent, vel aliter, qualiter-
„ cunque alienarent, redimere, & eliberare debeant, & teneantur.

„ Hoc etiam per expreſſum declaratur: quod ſi præfatum illuſtriſſimum
„ Dominum Joannem Albertum Ducem non filios, ſed filias poſt deceſſum ſuum,
„ ſi ſcilicet in regem, quod abſit, non promoveretur, relinquere contingat,
„ ut eædem filiæ ſuæ de bonis ac ſtatibus, Ducatibusque illis dote ſua non frau-
„ darentur, ſed juxta patriæ conſuetudinem illam habere debeant. Ceterum ſi
„ eundem illuſtriſſimum Dominum Ducem neque in regem promoveri, neque,
„ quod abſit, filias relinquere contingeret, omnes illi ſtatus, & Ducatus, omnia-
„ que præmiſſa ad coronam regni Hungariæ devolvantur, & devoluta ex nunc
„ intelligantur eo facto. Ulterius concluſum eſt, quod ſereniſſimus Dominus
„ rex Wladislaus præfatum illuſtriſſimum fratrem ſuum in univerſis prædictis
„ Ducatibus, ſtatibus, caſtris, civitatibus, fortalitiis, oppidis, & villis, & ſi-
„ militer etiam hæredes ſuos, ſi, & in quantum etiam ad eosdem modo, &
„ conditionibus præmiſſis devolvi contingat, contra quoslibet actores, aut cau-
„ ſidicos defendere, & conſervare debeat, & teneatur.

„ Item conventum, & concluſum eſt: quod, ſiquando ſereniſſimus Prin-
„ ceps, Dominus Caſimirus Poloniæ, aut Wladislaus Hungariæ, & Bohemiæ
„ rex, vel etiam illuſtriſſimus Dominus Joannes Albertus Dux ſive per viam,
„ & modum amicabilis, & fraternæ compoſitionis, & concordiæ, ſive alia qua-
„ cunque ex cauſa, litteras inſcriptionales, & obligatoriales Dominorum Præla-
„ torum, & Baronum, ceterorumque regnicolarum Hungariæ, ſuperioribus
„ annis ſuper ipſo regno Hungariæ Majeſtati Imperiali, & ſereniſſimo Romano-
„ rum regi ejus filio, datas cum confirmationibus - - - - ex Pontificis ſubſe-
„ cutis, vel cauſa pacis de novo etiam dandas, poſt pacem confectam a manibus
„ earundem Majeſtatum communi favore, conſilio, & intelligentia recuperare
„ poterunt, conſentire debeant Domini Prælati, & Barones, ceterique incolæ
„ ejusdem regni Hungariæ, quod poſt obitum præfati ſereniſſimi Domini regis
„ Wladislai, Domini eorum, ſi & in quantum absque legitimo hærede ſuam
„ Majeſtatem decedere contingeret, præfatus illuſtriſſimus Dominus Joannes
„ Albertus Dux in eorum regem ac Dominum eligatur, & ad hoc ſe in aliqua
„ generali congregatione regnicolarum obligare teneantur, prout ex nunc præ-
„ ſentes Prælati, Barones, & Proceres, ceterique Nobiles ipſorum, & reliquo-
„ rum fratrum ſuorum abſentium perſonis in hujusmodi caſu conſenſerunt. Hoc
„ adjecto: quod ſi eas novas inſcriptiones præfatæ Cæſareæ Majeſtati, vel ſere-
„ niſſimo Domino Romanorum regi ſuper ipſo regno Hungariæ facere non con-
„ tinget, ſed alia via pacem cum ejusdem Majeſtate facere poterunt, nihilomi-
„ nus tamen prius recuperatis, ut ſupra, prioribus inſcriptionibus, hoc idem
„ ipſi Prælati, & Barones, ceterique incolæ regni Hungariæ facere teneantur.

„ Item: quod omnes captivi, cujuscunque ſtatus, & conditionis, & qui-
„ buscunque in locis hoc tempore gverrarum detenti exiſtunt, absque omni pe-
„ nitus pactione ab utraque parte liberi dimittantur. Quodque litteræ omnes,
„ ſi quibus ſe ad aliquid captivi hujusmodi obligaſſent, ſimiliter ab utraque par-
„ te reddantur, & ſi forte per quoscunque retinerentur, & non redderentur,
„ caſſæ, & nullius prorſus vigoris cenſeantur. Item concluſum eſt quod omni-
„ bus illis, tam ſcilicet Baronibus, Nobilibus, & militaribus, civitatenſibus,
„ quam aliis univerſis cujuscunque ſtatus, & conditionis cenſeantur, qui poſt
„ obitum ſereniſſimi quondam Domini Mathiæ regis felicis recordationis, illu-
„ ſtriſſimo Principi Domino Joanni Alberto Duci, a tempore illo, quo domina-
„ tio ſua illuſtris pro rege proclamata exſtiterat, in hunc usque diem adhæſe-
„ runt, & ſereniſſimus Dominus Wladislaus rex tam perſonis, quam etiam ca-
„ ſtris, fortalitiis, civitatibus, oppidis, poſſeſſionibus, ceterisque omnibus bo-
„ nis eorum ſimul, cum omnibus Dominis Prælatis, & Baronibus, ac univerſo
„ regno ſuo Hungariæ gratiam facere dignetur, &, ſi forte bona ipſorum per
„ ſuam Majeſtatem, quibuscunque eſſent oblata, remittat, & remitti faciat,
atque

„ atque eosdem in ſuam protectionem ſuſcipiat, & præmiſſæ adhæſionis occa-
„ ſione ab omni impedimento defendat, & defendere teneatur. Liceat autem
„ eis ubicunque, & quibuscunque voluerint, ſalva tamen regni conſuetudine,
„ & libertate ſervire, & ſervitorum merita percipere. Sed ne errorem aliquem
„ fieri in hac parte contingat, omnes tales ſe adhæſiſſe aperte confiteri, & re-
„ cognoſcere teneantur, alioquin hujusmodi gratia minime ipſis videatur ſuffra-
„ gari. Recognitione autem facta, ſua Majeſtas litteras gratiæ, & protectionis,
„ ſi habere voluerint, eisdem dare, & concedere debeat; & ſi poſtea eosdem,
„ quicunque ſubditi ſuæ Majeſtatis, nec non Prælatorum, & Baronum ſuorum
„ in hac parte temere infringere, quod abſit, non reformidarent, infidelitatis
„ notam incurrere dignoſcantur, & bona talia ſua Majeſtas cuicunque voluerit,
„ liberam dandi, & conferendi, aut aliter de eisdem diſponendi habeat faculta-
„ tem. Item: quod univerſi Prælati, Barones, Nobiles, comitatus, diſtrictus,
„ militares, Nobiles, & ignobiles, nec non civitatenſes, & oppidani, ac alii
„ cujuscunque ſtatus, & conditionis homines, qui, ut præfertur, poſt obitum
„ sereniſſimi quondam Domini Mathiæ regis præfati, illuſtriſſimo Domino Joan-
„ ni Alberto Duci in hunc usque diem adhæſerunt, & fidelitatis homagium,
„ atque obedientiæ juramenta, & fidem præſtiterunt, per eundem illuſtriſſimum
„ Dominum Ducem ab ejusmodi fidelitate, fideque, & juramento, ac ſponſio-
„ ne obedientiæ ſimpliciter abſolvi, & relaxari debeant, & ex nunc abſoluti
„ ſint, & intelligantur. Item: quod omnes tales, qui ut præfertur, præfato
„ illuſtriſſimo fratri noſtro adhæſerunt, in eorum honoribus, prout prius fue-
„ rant, ſalvi remaneant, ſicut & remanere debent. Item concluſum eſt, quod
„ omnes tales, cujuscunque ſtatus, gradus, & conditionis fuerint, qui modo
„ præmiſſo, ipſi illuſtriſſimo Domino Joanni Alberto Duci adhæſerunt, per
„ ſuam illuſtriſſimam dominationem a fidelitatis juramento, ut præfertur, abſol-
„ ventur, poſt abſolutionem factam coram ſereniſſimo Principe, Domino Wla-
„ dislao rege, propinquiores ex nunc in ſpacio viginti dierum, remotiores vero
„ infra unum menſem perſonaliter comparere, & eidem inſtar aliorum fidelium
„ regnicolarum fidelitatis juramentum præſtare debeant, & teneantur: alioquin
„ præſens gratia, præſensque diſpoſitio nulla ex parte eisdem ſuffragari intelli-
„ gatur. Item: quod ſub præſenti differentia, & gverra percepta, & conſum-
„ ta tam per Principes ipſos, quam eorum ſubditos, in quibuscunque obven-
„ tionibus tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus exiſtant, hinc inde compenſen-
„ tur, & relaxentur, ne ab his, qui a tempore adhæſionis alicui horum Prin-
„ cipum ea receperunt, ne ab his, a quibus recepta ſunt, repeti poſſint, aut
„ debeant, tam de jure quocunque, quam etiam de facto.

„ Item concluſum eſt, quod univerſa caſtra, fortalitia, civitates, oppi-
„ da, & villæ, aliaque omnia bona hoc tempore medio ab utraque parte vio-
„ lenter occupata, & etiam expugnata, his, de quorum manibus occupata, &
„ expugnata ſunt, ſimpliciter remittantur. Et ſi forte jus aliquod ad ejusmodi
„ bona habere prætendunt, viam juris quærant, quod eisdem absque ſuperflua
„ dilatione adminiſtrari debeat, viam vero facti retinere nullo modo audeant:
„ alioquin, ſi qui ex adhærentibus præfato illuſtriſſimo Domino Duci contra-
„ venire præſumſerint, præſens gratia eis non ſuffragetur: ſi vero ex ſubditis
„ regiæ Majeſtatis fuerint, tamquam fidei ſuæ Majeſtatis, Prælatorumque, &
„ Baronum ſuorum temeratores, juxta antiquam, & approbatam regni conſue-
„ tudinem puniantur. Item conventum, & concluſum eſt, quod egregiis, &
„ Nobilibus Ladislao de Sesnky (*k*) Eliæ de (*l*) Throczio, ac Benedicto &
„ Joanni Vörös de Farnob, quos ſcilicet ſereniſſimus quondam Dominus Ma-
„ thias rex annis ſuperioribus ex certis cauſis proſcripſerat, & in exilium rele-

(*k*) Videntur ex eorum numero fuiſſe, qui Caſimiro Hungariam invadenti ſtudebant. Puto autem nomina ab eo, qui autographum deſcripſerat, male intellecta eſſe, alioquin, qui Sesnky fuerit, non video.

(*l*) Et hic legendum reor *de Thuroczio.*

1491. „ gaverat, atque bonis omnibus privaverat, ſereniſſimus Princeps, & Dominus
„ Wladislaus rex, contemplatione ſereniſſimi Domini regis Poloniæ Genitoris, &
„ præfati illuſtriſſimi Domini Joannis Alberti Ducis fratris ſui, chariſſimorum,
„ apud quos ſcilicet poſt hujusmodi proſcriptionem ſteterunt, & ſerviverunt,
„ quoad eorum perſonas gratiam, & miſericordiam faciat, ita, & taliter, quod
„ in omnibus regnis, & dominiis ſuæ Majeſtatis liberi ſint, libereque manere,
„ & ambulare, atque negotia ſua expedire, & tractare nec non privilegiis, ju-
„ ribusque, & conſuetudinibus regni uti poſſint, & valeant: teneantur tamen
„ & ipſi ſuæ Majeſtati fidelitatem, obedientiam, & juramentum præſtare, & ſi
„ quid forte de bonis. & poſſeſſionibus eorum præfatus quondam Dominus Ma-
„ thias rex aliis non donaſſet, vel inſcripſiſſet, ſed apud manus ſuas tenuiſſet,
„ & nunc ad manus regiæ Majeſtatis deveniſſet, vel apud fideles quorumcun-
„ que haberentur, remitti eisdem facere dignetur. Quantum autem ad illa bona,
„ & jura poſſeſſionaria eorundem attinet, quæ per ipſum ſereniſſimum quondam
„ Dominum Mathiam regem, occaſione prætactæ proſcriptionis ab eisdem re-
„ cepta, & aliis donata extiterunt, definitum eſt, quod captato tempore regia
„ Majeſtas vocatis partibus, cum Dominis Prælatis, & Baronibus, ceterisque
„ conſiliariis, quos ad hoc neceſſarios exiſtimabit, examinare, & cognoſcere di-
„ gnetur, an juſte, & demeritis ipſorum exigentibus, vel via tantummodo fa-
„ cti, & abſolutæ potentiæ eosdem præfatus quondam Dominus Mathias rex
„ proſcripſit, & bonis privavit. Et ſi compertum fuerit, quod injuſte, & in-
„ debite proſcripti, & bonis privati extiterunt, juſtitiam eisdem adminiſtrare
„ dignetur: ſi vero contrarium cognoſcetur, nihilominus ſua Majeſtas, ſi quan-
„ do bona aliqua ad eam optimo jure devolventur, contemplatione præfatæ pa-
„ ternæ Majeſtatis, & illuſtriſſimi Domini fratris ſui aliquam de iisdem provi-
„ ſionem faciat, ut ſaltem reliquum vitæ, quod eis ſupereſt, tranſigere in pa-
„ tria valeant.

„ Item, quod omnia debita Cracovienſium, & Caſſovienſium, & alio-
„ rum omnium mercatorum, horum duorum regnorum Hungariæ videlicet, &
„ Poloniæ, juxta morem, fidem, & conſuetudinem, atque creditum eorum in-
„ ter ſe ab utraque parte prout concordari poterunt, perſolvantur, & in tribu-
„ to nec hoc fiat, caſſetur, & per publicam proclamationem relaxetur: de depo-
„ ſito vero mercatorum, cum in hac civitate Caſſovienſi talis mos ſervetur, quod
„ cives Caſſovienſes illa omnia, quæ ex hujusce modi depoſitis levaverunt, per
„ eorum regiſtrum levaſſe recognoſcant, & mercatores, qui præſentes ſunt, ſi
„ regiſtrum illud juſtum eis videbitur, approbare debeant, ſin minus, oppugna-
„ re poſſint, ita, & taliter, quod ex nunc illorum præſentium cauſa finaliter
„ definiatur. Mercatores vero abſentes, ſi qui ipſi forte de ipſo regiſtro non
„ contentarent, ſed allegarent, quod per cives Caſſovienſes aut ex incuria, aut
„ ignorantia, vel oblivione, aut alia quacunque ex cauſa non recte eorum de-
„ poſita conſcripta fuiſſent; iidem cives Caſſovienſes teneantur juxta allegata,
„ & probata eorundem, & item juxta conſuetudinem, & morem mercatorum,
„ & depoſitorum juſtitiam eisdem facere: Hoc adjecto, quod ſi quid ex depo-
„ ſito Cracovienſi in hac civitate Caſſovienſi extaret, quod precio non eſſet
„ venditum, & etiamſi venditum eſſet, precium tamen non eſſet perſolutum,
„ Caſſovienſes ipſi in ſpecie reddere teneantur. Ceterum, ſi mercatores Cra-
„ covienſes cauſarentur, res ſuas non juſto, condignoque precio per Caſſovien-
„ ſes eſſe venditas, iidem Caſſovienſes in termino infra ſcripto, aut de juſto pre-
„ cio cum effectu reſpondere, aut tantas res in ſpecie, quantas expoſuerunt,
„ dare, & aſſignare teneantur: & ſi hæc præmiſſa mercatores facere recuſarent,
„ per Principes ab utraque parte ſine ſuperflua dilatione compellantur, non ob-
„ ſtantibus quibuscunque litteris libertatis, & exemtionis de non ſolvendo eis-
„ dem conceſſis, vel in futurum concedendis: hoc adjecto; quod ſi creditores
„ ob non ſolutionem expenſas aliquas facere cogerentur, debitores refundere te-
„ neantur. Ceterum concluſum eſt, quod media pars hujusmodi rerum, &
„ mercaturarum tam ex depoſitis, quam etiam a mercatoribus Cracovienſibus
tem-

„ pore obſidionis hujus civitatis Caſſuvienſis per cives ejusdem civitatis accepta-
„ rnm, ad feſtum purificationis Beatæ Mariæ Virginis proxime futurum, reli-
„ qua vero medietas ad feſtum S. Joannis Baptiſtæ ex tunc immediate ſequens
„ per eosdem Caſſovienſes ipſis Cracovienſibus perſolvatur. Debita autem anti-
„ quo more mercatorum, ut in præcedenti articulo continetur, ex utraque parte
„ perſolvantur: itemque perſonæ, bona, & merces mercatorum omnium utrius-
„ que regni ubicnnque hoc tempore belli arreſtata, relaxentur, & debita, ut
„ ſupra, perſolvere teneantur.

„ Item concluſum eſt, quod interea, donec ſereniſſimus Dominus Wla-
„ dislaus rex caſtra, civitates, puta Glogoviam, Rozychon, Sprotaviam, Ze-
„ lenehoram, Snobodyn, Vartemberg, & Guoram vigore præſentis tractatus,
„ præfato illnſtriſſimo domino Joanni Alberto Duci, fratri ſno reddere poterit,
„ idem Dominus Dux civitates Eperies, & Zeben pro ſua ſecuritate apud
„ manus ſuas libere retinere poſſit, quamprimum tamem Majeſtas ſua reddere
„ poterit, ſtatim & ipſe absque omni mora, & cunctatione easdem duas civita-
„ tes ſuæ Majeſtati absque omni penitus difficultate, & quæſita occaſione re-
„ mittere, & remitti facere debeat, & teneatur, ſtatim tamen, & ex nunc op-
„ pidum, ſive incolæ eorundem duorum locorum fidelitatis homagium, & ju-
„ ramentum ſuæ Majeſtati facere teneantur. Item quod idem illuſtriſſimus Do-
„ minus Dux reliquas omnes civitates; omniaque caſtra, oppida, & fortalitia
„ per eundem in Hungaria, & partibus ſibi ſubjectis, qualitercunque occupata,
„ & ſubjugata ſtatim, & ex nunc dictæ Majeſtati ſimpliciter remittere debeat, &
„ teneatur. Item, quod idem Dominus Dux illuſtriſſimus promittat, & ſe,
„ hæredesque ſuos obliget, quod quamprimnm illuſtriſſima Dominatio ſua in
„ regem promovebitur, univerſas prædictas terras, dominia, ducatns, ſtatns,
„ civitates, caſtra, fortalitia, aliaque omnia bona, quæ in præſenti concordia ſibi
„ dari debebnnt, juxta continentias præinſertorum articulornm, regiæ Majeſta-
„ ti, & ſucceſſoribus ſuis regibus Hungariæ reddet, remittet, & liberabit. Ad
„ quod etiam hæredes ſuos, ut præfertnr, obligare teneatur. Ceterum, quod
„ etiam prædicti Domini Oratores præfati ſereniſſimi Domini regis Poloniæ,
„ vigore mandati, quod habent, promittere, & ejusdem regis Poloniæ Maje-
„ ſtatem ſimiliter obligare debeant. quod præmiſſa omnia ſuo, ſncceſſoriſque,
„ &hæredum ſnorum nominibus ratificabit, & obſervabit, ita videlicet, quod
„ de dictis terris, dominiis, Ducatibus, ſtatibus, caſtris, fortalitiis, civitatibus,
„ oppidis, vaſallis, & theloneis, quæ præfato illuſtriſſimo Domino Joanni Al-
„ berto Duci, filio ſuo modo, quo ſupra dabuntur, ſe non intromittet, nec a
„ jurisdictione coronæ Bohemiæ, & poteſtate, ſeu dominio coronæ regni Hun-
„ gariæ, aliqua mundi via abalienabit: ſalvis tamen pecnniis, ſi quibus bona
„ aliqua fuerint redemta, ut in articulis ſupra. Poſtremo, quod præfati ſere-
„ niſſimns Dominus rex Poloniæ, & illuſtriſſimns Dominus Joannes Albertus
„ Dux de ſubditis ſereniſſimi Domini regis Wladislai ſe non intromittant, nec
„ eos in protectionem ipſorum deinceps aliqua via ſuſcipiant, & e contra.

„ Nos itaque Wladislaus rex præfatus cupientes voluntati, & imperio
„ prefatæ paternæ Majeſtatis, ut par eſt, & filium decet obedientiſſimum, pa-
„ rere, & obtemperare, etiam ipſum illuſtriſſimum fratrem noſtrum ſincero
„ corde, & fraterno amore amplecti, & ſemper proſequi; ſane conſiderantes
„ præterea, longe honeſtius, & melius, longe deniqne ſalubrins, & utilius eſſe,
„ ut vires noſtras adverſus hoſtes fidei, quam in Chriſtianos, & præcipue in
„ fratrem convertamus, eosdem idcirco articulos, tamquam honeſtos, & tam
„ paternæ regiæ Majeſtatis, quam eriam, utrinsque noſtrum honori plurimum
„ condncibiles, quoad omnes eorum clauſulas, capitula, & puncta, laudavi-
„ mus, approbavimns, acceptavimus, & ratificavimus, atque in eosdem ex
„ certa ſcientia, & animo deliberato conſenſimus, laudamusque, approbamus,
„ acceptamus, ratificamus, & conſentimns, atque univerſos prænominatos Du-
„ catus, & ſtatus, nec non caſtra, fortalitia, civitates, oppida, & villas, ſimul

1491. „ cum cunctis eorum vaſallis, ſubditis, & utilitatibus ſibi pace, modisque, &
„ conditionibus in præinſertis articulis contentis, & expreſſis, præfato illuſtriſ-
„ ſimo Domino Joanni Alberto Duci fratri noſtro chariſſimo dedimus, donavi-
„ mus, & contulimus, damusque, donamus, & conferimus, de conſenſu Præ-
„ latorum, & Baronum noſtrorum tenore præſentium mediante, per eundem
„ illuſtriſſimum Principem Dominum Joannem Albertum, germanum noſtrum
„ chariſſimum, & ipſius ſucceſſores legitimos, cum omni jure, & dominio,
„ jure perpetuo, & irrevocabili teneri, poſſideri, haberi, ac uti, frui, nec non
„ de eisdem disponere, & qualitercunque alienari, & obligari, ſub conditione
„ nihilominus tamen, & clauſulis in articulis ſupra ſcriptis, deſignatis, & ex-
„ preſſis ſuperioritate etiam, & dominio coronæ regni Bohemiæ in præfatis do-
„ miniis, Ducatibus, & ſtatibus, ſalvis, & integris, prout hactenus fuit, re-
„ manentibus, promittentes in verbo noſtro regio, & fide Chriſtiana mediante
„ omnia, & ſingula in prætactis articulis contenta, declarata, & expreſſata eidem
„ illuſtriſſimo fratri noſtro obſervare, & adimplere, ſibique omni ex parte ſatis-
„ facere cum effectu ſine omni dolo, & fraude, & ſi forte, quod abſit, ante ter-
„ minum ſatisfactionis de hoc ſeculo nos migrare contingeret, de neglectis per
„ nos, & ſucceſſores noſtros reges ad ſatisfaciendum ei illuſtriſſimo fratri noſtro
„ obligamus, & obligatos eſſe volumus, & decernimus harum noſtrarum, qui-
„ bus ſigillum noſtrum eſt appenſum, vigore, & teſtimonio litterarum median-
„ te. Datæ inter exercitus utriusque partis penes civitatem noſtram Caſſovien-
„ ſem, in Dominica Invocavit, anno Domini MCCCCXCI. regnorum noſtro-
„ rum anno, Hungariæ &c. primo, Bohemiæ vigeſimo.

„ Et nos præfati Valentinus Eccleſiæ Varadienſis, & Thomas Epiſcopus
„ Eccleſiæ Jaurinenſis. Cancellarius regni, nec non Comes Stephanus de Ba-
„ thor, judex curiæ regiæ, & Vayvoda Tranſilvanus, Stephanus de Zapolia,
„ Comes perpetuus Scepuſienſis, Ladislaus Orſzág de Guth Agazonum, La-
„ dislaus de Loſoncz Tavernicorum, Ladislaus de Rozgony, & Bartholomæus
„ Drágfy de Berthelek, Cubiculariorum, ac Nicolaus Banfy de Lyndva Janito-
„ rum regalium magiſtri. Item Wilhelmus Pamkircher de Zalonok, Antonius
„ de Palocz, Joannes Banfy de Lyndva, Joannes de Kompolth, Michael de
„ Chák, & Joannes Bobek de Pelſöcz, Prælati, & Barones, ceterique Proce-
„ res, & Nobiles regni Hungariæ, penes præfatum ſereniſſimum Dominum
„ noſtrum Wladislaum regem conſtituti, noſtro, & ceterorum Dominorum
„ Prælatorum, Baronum, & Procerum, fratrum ſcilicet noſtrorum abſentium
„ nominibus, & in perſonis præſentium ſcilicet, & futurorum recognoſcimus,
„ & fatemur, quod ſua Majeſtas pacem, concordiam, & diſpoſitionem cum
„ ipſo illuſtriſſimo fratre ſuo de noſtra voluntate, deque noſtro conſilio, & ex-
„ preſſo conſenſu fecit, eam ob rem penes ſuam Majeſtatem promittimus, ſub
„ fide, & honore noſtro, quod ad hoc eundem inducere, & tenere omnibus
„ viribus ſtudebimus, ut juxta præfatam diſpoſitionem, concordiam, & obliga-
„ tionem ipſi illuſtriſſimo Domino Duci, fratri ſuo, re ipſa ad tempus præfi-
„ xum ſatisfaciat, prout & nos, quantum in nobis eſt, ſatisfacere volumus, &
„ pollicemur. Et promittimus, ut ſi, quod Deus avertat, interea ſuam Ma-
„ jeſtatem mori contingat, alium regem non eligamus, donec ſe ad faciendum
„ ſtrictiſſime obligabit, nec electum coronabimus, donec cum effectu ſatisfa-
„ ciet, & præfatum noſtrum ſereniſſimum regem a præſenti obligatione, &
„ promiſſione liberabit. Datum, ut ſupra.

„ Wladislaus rex præfatus concluſiones, & articulos prius inſertos ap-
„ probamus, acceptamus, & ratificamus, id eſt, nos manu propria ſubſcri-
„ pſimus. „

Ex quibus ſcriptorum Hactenus fœderis tabulæ: ex quibus nullo negotio haud pauci ſcripto-
rum noſtrorum errores refelluntur: neque enim prælium inter fratres conſer-
tum eſt, tametſi oborta velitatione res prope pugnam ſpectaret, nec Stephanus

Scepu-

domeſticorum error refellitur.

Scepuſienſis Palatini dignitate hoc quidem tempore, quod aliqui ex domeſticis perhibent, ornatus erat. Illud quoque perſpicuum fit; non regem modo, ſed bonam Procerum quoque partem jam tum eas pacis cum Maximiliano ineundæ conditiones animo deſignaſſe, in quas poſtea ſub anni exitum fœdus utrinque percuſſum fuiſſe memorabimus.

A confecto fœdere res utcunque proſpere contra Maximilianum geſta.

Ab inita inter fratres concordia placuit univerſas vires, quibus in Polonos itum eſt, adverſus Maximilianum convertere, Albamque in primis regalem, qua in hoſtis poteſtate relicta, Budæ ſemper metuendum erat, obſidione periclitari, ut ea prius, quam ſuppetiæ e Germania adeſſent, rex potiretur. Eam provinciam Bathorius, cui totius exercitus imperium traditum eſt, curare juſſus, conflato ex Bohemicis, & Hungaricis legionibus exercitu, tertiis caſtris ad Albam, qua parte Budam ſpectat, promovit, actisque intra unius noctis ſpacium vineis, & aggeribus operas ab obſeſſorum telis tutas præſtitit, ſpaciumque, quo Kinyſium in caſtra reciperet, adeptus eſt. Neque ille diu moratus, cum quinque veteranorum millibus triduo poſt, quam rex, & Stephanus Scepuſienſis cum Prætorianis Albam perveniſſent, in caſtris adfuit. Accreverat exercitus absque lixis, & calonibus, ad quadraginta facile millia apparatu, & machinis inſtructiſſimus, ut adeo ſpes non vana eſſet, urbem ad faciendam deditionem facile cogi poſſe. Pro Budenſi porta Bathorius cum Kinyſio rem curabat: rex, & Scepuſienſis ad Salſum lacum, qui Quinque-Eccleſias euntibus objicitur, urbem cinxere. Utrinque incredibili diligentia muri nocte dieque quaſſati jam ſpacium aſſulturis præbuere, niſi rex, qui ſuorum ſanguini parcendum eſſe exiſtimabat, militum, ac Kinyſii in primis ferociam moliviſſet, ratus, Germanos haud multo poſt deditionem ſponte facturos. Judicium regis eventu firmatum eſt: miſſis enim ex urbe nunciis, qui colloquium poſtularent, quinque dierum induciæ conceſſæ ſunt; intra quos dies de deditione in has conditiones transactum. Germani tradita urbe cum omnibus impedimentis incolumes ad Auſtriæ fines dimitterentur, attributis ad avehendas ſarcinas triginta ſex plauſtris, ac militari manu, quæ illos ab colonorum injuriis tueretur: cautum tamen, ut a mancipandis ſervituti hominibus, & clam extra Hungariam trahendis abſtinerent, templorumque ſpolia in ſolidum redderent. Ita dimiſſis ſine maleficio Germanis, urbs poſt undecimum menſem, quam ab Maximiliano occupata erat, in noſtrorum poteſtatem venit. Eadem celeritate Veſprimium, & arx ferrea, partim diffiſis loco Germanis, partim admota vi recepta ſunt.

Item contra factioſos, qui Maximiliano favebant, & adverſum Turcos.

Pari fortuna ab Joanne Corvino res in Sclavonia ad Zagrabiam geſta eſt; qua urbe ſexcenti Germani per fraudem potiti, magnam finitimis populationem, ac vaſtitatem inferebant. Eorum licentiam, ut Corvinus reprimeret, contractis ſub ſigna copiis, quas fere ſuo ſtipendio aluit, loco obſidionem circumdedit, profligatoque Jacobo Székelio, qui ſubſidio obſeſſis Maximiliani nomine venerat, urbem, Germanis domum remiſſis, Wladiſlao aſſeruit. Eodem ſucceſſu Paulus Kinyſius cum Petro Colocenſi Archiepiſcopo omnem, quæ inter Savum, & Danubium porrigitur, regionem partim oſtentato armorum metu, partim Petri conſiliis pacavit, ſolo Halapſiczio, ſive Kishorvatho cum fratribus, Maximiliani partibus magis pertinaciter, quam fortiter addicto: qua re Archiepiſcopus regno quietem, ſibi vero priſtinæ gratiæ locum apud regem comparavit. Accedebat recens victoriæ ex Croatia nuncius, quam noſtri ex Turcis retulere. Cum enim barbari ad Hunnam amnem, qui Savo ad arcem Dubiciam illapſus Croatiam a Sclavonia ſeparat, prædas impune agerent, Derencenius Croatiæ Banus, coacto celeriter milite, graves ſpoliis, incautosque prælio oppreſſerat, captis hoſtium mille quingentis, ac totidem trucidatis, ceteris in amnem, ad quem pugnatum eſt, excuſſa prius præda, fœde demerſis.

Quos vindictam moliri Colocenſis

Turci ea clade nihil animo fracti alia parte jacturam ſarcire moliebantur, ac tempore, quo pleroſque Legionum Præfectos cum turmis ſuis ad obſidendam Albam ab rege evocatos compererant, occupato, ad Savum vires converterant, Belgradoque ad defenſionem haud ſatis rite comparato ingruebant. Id periculum Petrus Colocenſis Præſul, ut erat in barbarorum motus

1491. *regi ſignificat.* acer, & pervigil, primus omnium detexerat, regique per litteras ſignificavit, obſecrans, etiam atque etiam videret, ne cum alio militiæ robur abſtraxerat, reſpublica hac parte detrimentum pateretur. (*m*) *Sereniſſimo Principi Domino Wladislao regi Hungariæ & Bohemiæ, Domino ſuo gratioſiſſimo Petrus Archiepiſcopus Eccleſiæ Colocenſis - - - Sereniſſime Princeps hac hora ſamulus meus Caſtellanus in Barich venit ex Belgrado, rediens per iter illud ex Barich Caſtello Archiepiſcopatus mei, qui refert, Sabbatho hebdomadæ præteritæ Turcos magno manu in Baſtiam, quod pro foribus civitatis neſcio quomodo exſtructum, non ſatis probe prius munitum fuerat, perveniſſe nocte intempeſto, illamque ſuccendiſſe nullo intus defenſore exiſtente, præter Barberium unum cum uxore per quem tandem incendium quidem exſtinctum eſt, unam tamen ingentem bombardam, paulo minus, quom caput hominis, lapidem joculantem, indè per eosdem Turcos oſportatom. Dicit præterea caſtrum Belgradum ſatis male, & peſſime in extremo gradu proviſum; omnes etiam tam militares, quam pedites ex illo diffugiſſe & Turcos, usque ad quatuor millia peditum, dicere neſcivit, quot equitum, præparaſſe ad tentandum inſultum contro illud. Hoc quoque offirmat, parvam admodum, vel nullam eſſe ſpem caſtrum defenſandi, ſi quid Turci contra illud moliantur. Vidit enim, & perſpexit oculis propriis omnino caſtrum eſſe hominibus vacuum, & eos, qui pauciſſimi ſunt, nudos penitus, & inermes. Nec aliud Turcos hactenus expectaſſe, niſi vindemiæ tempus, quo homines ad victus colligendos diſpergerentur ex civitate Belgrado. Quæ nova ſciat Majeſtas veſtra non eſſe Raguzina, nec parvi facienda: officii autem mei cenſui, conjeſtim omnia ſignificare Majeſtati veſtræ tum pro debito fidelitatis meæ, quo adſtringor Majeſtati veſtræ, quam pro bono regni, & etiam pro privata neceſſitate Eccleſiæ meæ, de qua protinus actum eſt, ſi quid Belgrado contingat. Quare dignetur Majeſtas veſtra ſubito defenſioni arcis taliter providere, ut neceſſaria illi non deſit cuſtodia. Alioquin timendum vehementer eſt, ne aliqua ibi deluſio fiat, quæ non ſolum huic regno periculum, ſed toti chriſtianitati detrimentum pariat. Tempus autem moram non patitur. Si quid autem fortaſſe Majeſtas veſtra dubitaret de his, mittat properanter unum fidiſſimum ex ſuis, qui hæc, quæ ſcribimus, & fortaſſe deteriora de illa arce nunciabit. Interea tantum proviſionem facere debitam Majeſtas veſtra non negligat. Commendo me, & obſequia mea Majeſtati veſtræ, quam omnipotens conſervet felicem, & incolumem ad vota. Ex caſtello meo Zatha anno MCCCCXCI.*

In eos ad Jayczam populantes copiæ mittuntur. Per idem tempus ex Bosnia quoque triſtes nuncii afferebantur; barbaros interceptis haud paucis oppidis, quæ circum Jayczam erant, id agere, ut ipſam arcem obſidione periclitentur, ac fame prius ad deditionem cogant, quam auxilia ab Hungaris adeſſent. Wladislaus cognito periculo, mandata ad finitimos arcium Præfectos miſerat, ut collectis, quanta poſſent celeritate, copiis, Jayczæ ſubſidio veniant, ſimul datis ad Petrum Colocenſem litteris, ut ſuum etiam militem illo mittere vellet, imperavit. Colocenſis, quamquam laboribus prælerlapſæ æſtatis attenuatas valde copias haberet, communi tamen periculo motus, haud gravate regi morem geſſit, eademque opera, ut erat vir reipublicæ in primis ſtudioſus, non modo eos, qui Bosniæ finitimi erant, ſed Georgium quoque Raſciæ Deſpotam ad propulſandum communi ſtudio diſcrimen adhortatus eſt; quemadmodum ipſe ſcriptis ad regem litteris in hæc verba ſignificat: (*n*) *Sereniſſime Princeps! Domine gratioſiſſime, poſt debitam meæ fidelitatis, & obſequiorum commendationem. Heſterno die poſt prandium attulit mihi quidam, qui ſe hominem Theſaurarii profitebatur, litteras Majeſtatis veſtræ ad me ſcriptas, in quibus ſignificat mihi Majeſtas veſtra de caſu, & infortunio nonnullorum caſtrorum in regno Boſnæ & de perículoſo ſtatu caſtri Jaycza, ſi non communi omnium concurſu, & ſuccurſu illi non ſuccurratur: & hortatur me, & requirit, ut conſideratione tanti periculi imminentis, ego quoque copias meas illuc cum aliis tranſmittam. Scire dignetur Majeſtas veſtra, quod ſicut omnibus proſperitatibus, & ſucceſſibus Majeſtatis veſtræ, & regni hujus incliti ſemper, & ex animo congaudeo, & collætor, ità caſibus ejus adverſis condoleo, & vehementer angor, ſcio quippe, quod, ſi quid infortunii caſtris illis finitimis contingat, quod quidem Deus propri-*

mis

(*m*) Ex laudato MS. Codice rerum ſub Wladislao II. geſtarum.

(*n*) Ibidem.

mis ex ſua gratia avertat, & regnum hoc in aperto ſtatim periculo erit, & univerſa Chriſtianitas detrimentum eertiſſimum patietur. Itaque tometſi copiæ meæ, quæ tota æſtate decurſa cum magnifico Domino Paulo de Kinys, Comite Temeſienſi, contra inteſtinos, & extroneos Majeſtatis veſtræ boſtes non ſine graviſſimis impenſis meis militarunt (o) tametſi inquam copiæ meæ deſtructis equis, & armis, fractis inſuper corporibus redierunt, & ab eo tempore ne unam quidem hebdomadam domi manere potuerunt, coacti propter arduas neceſſitates Eccleſiæ meæ in ſervitiis meis occupari: tamen ad tantam Majeſtatis veſtræ, & regni hujus neceſſitotem, non ſolum copias mihi, & meæ tenuitati poſſibiles mittere paratus ſum, dummodo & alii domini concurrant, ſed inſuper perſonam meam, ſi quid opitulari poſſem, periculo exponere, & ſanguinem effundere non dubitarem. Provideat tantum Majeſtas veſtro, ut ſi meæ copiæ illuc mittendæ ſunt, ſubditi Eccleſiæ meæ, ſine quorum auxilio illos mittere nequaquam poſſum, olio onere non graventur. Scripſi & ad Dominum Deſpotum litteros, & cum litteris Majeſtatis veſtræ una eaſdem per hominem meum uſque ad Relpen transmiſi, illum obteſtans, & rogans, ut poſito ante oculos tom ingenti periculo, velit ſe modis omnibus voluntati Majeſtatis veſtræ conformare, & pollicitam Majeſtati veſtræ fidelitatem, coptato hac occaſione, operibus efficaciter comprobare. Hominem etiam, qui litteras attulerat, & alias ad Dominum Ducem Laurentium, & Dominos Gereb ſe habere dicebat, cum eaſdem diceret, non poſſe perſonaliter deſerre ad Dominum Ducem, & alios propter loca remotiora, in quibus diſtant ab hoc loco, coegi, ut perſonaliter ad eoſdem Dominas litteras Majeſtatis veſtræ deſerret: cumque carere viatico ſe diceret, viatico juvi, & miſi illum feſtinanter. Unum tamen eſt, quod neceſſario adjiciendum mihi, & in memoriam videbatur revocandum Majeſtati veſtræ, ut videlicet, dum Majeſtas veſtro regni Boſnæ curom habet, caſtrum Belgradum, & hos fines non obliviſcatur: quia ſicut prioribus litteris meis nudius tertius, vel nudius quartus ſcripſi; ſi cito, cito de hominibus, & neceſſariis caſtro præſertim Belgrado non providebitur, poſtquam hæ partes copiis evacuabuntur, timendum eſt, & certiſſime formidandum, ne, dum Boſnam defendimus, Belgradum omittamus. Et quis non divinare (p) poſſet, non eſſe has etiam obſidiones in regno Boſnæ in eum finem Turcorum arte commentas, ut dum illo intendimus, harum partium curam negligamus, & interea, ſi quid ipſi jam conceperunt, quod dubium non eſt, liberius exequantur. Hæc pro debito fidelitatis meæ rerum neceſſitas, & periculi magnitudo, quod, niſi provideatur, certiſſime imminet, Majeſtati veſtræ ſignificare me coegerunt. Dobit itaque mihi veniam de longioribus verbis: proſperet Omnipotens ſtatum Majeſtatis veſtræ, amplietque, & fortunet imperium ejus, ut deſtructis adverſariis (q) univerſis, regnum hoc, & omnia æmulorum ſuorum dominia ſecura Majeſtati veſtræ ſerviant libertate: cujus gratiæ, & clementiæ me fidelis, & obſequentiſſimus ſervitor, & capellanus Majeſtatis veſtræ Petrus Archiepiſcopus Colocenſis commendo. Ex caſtello Zatba feria quinta anno MCCCCXCI.

Dubium non eſt litteras ad Laurentium Vjlakium Sirmii Ducem ab rege miſſas illo in primis pertinuiſſe, ut ſopitis, quæ illi cum Raſciæ Deſpoto limitum cauſa interceſſerant, diſſidiis, vires cum eo conjungeret, ac communi ſtudio periculum Boſniæ, ac Belgrado imminens propulſaret. Id Colocenſis pro ſua in rempublicam charitate, & qua erat apud Laurentium Ducem gratia, jam multo ante operam dederat, Deſpotum ſemel, iterumque litteris conveniens, oransque, ut poſita ſimultate amicitiam cum Duce iniret, quod metuendum eſſet magnopere, ne, poſtquam vires mutuis armis, atque odiis attriviſſent, barbarorum injuriæ facilius paterent. Poſtremæ ita habent: (r)

Colocenſis ſimultates inter Sirmii Ducem, & Raſciæ Deſpotam ſopire ſtudet.

(o) Itaque non recte ISTVANFIUS Lib. II. hiſt. ſcribit, Pannoniam Savianam a Kinyſio ſine armis pacatam fuiſſe. Nec rite Lupum Raſciæ Deſpotum facit, quod ex Petri Colocenſis Archiepiſcopi litteris pluribus conſtet, Georgium id temporis Raſciæ præfuiſſe.

(p) Exemplar meum habet *induvinare*, quod obſcurum, & obſoletum eſt.

(q) Idem habet *adverſitatibus*, ſubſtitui, & ut puto, rectius, *adverſariis*.

(r) Idem Codex MS. rerum ſub Wladiſlao II. geſtarum.

1491.

Datis ad hunc ob eam rem litteris.

Illuſtri Domino Georgio regni Raſciæ Deſpoto amica noſtro honorandiſſimo Petrus Archiepiſcopus Eccleſiæ Colocenſis. Illuſtris amice noſter honorandiſſime! concordiam, & amicitiam, & bonam vicinitatem potius, inter vos, & illuſtrem Dominum Laurentium Ducem, quam iſtas differentias, quas inter vos, & illum diabolica ſuggeſtio, & malorum hominum iniquitas excitavit. De quibus quidem differentiis, & perſecutionibus non aliud intelligimus, niſi quod & ex litteris veſtris clare colligimus quotidiana mala, & innocentum hominum ſubditorum videlicet utriusque veſtrum indigniſſimam necem, & ſanguinis effuſionem, qua in re & Deum uterque veſtrum vehementer offenditis, & animam gravatis. Hoc itaque libentius videremus, quod vos cum Domino Duce amice, & benevole concordaretis, & ſuſcitatam inter vos diſcordiam bono modo componeretis, & iſtas cædes, mutuasque perſecutiones, quas facitis, adverſum paganos regni hujus, & fidei noſtræ Chriſtianæ æmulos exerceretis. Ad quod adhuc hortamur veſtram dominationem jure amicitiæ noſtræ, hortamur, & Dominum Ducem, ſi verba noſtra non aſpernaretur, ut cogitetis, quomodo hujusmodi altercationes inter vos, & dominationem ſuam bono modo ſopiantur potius, quam excitata inter vos flamma in majus incendium coaleſcat: in hoc enim, & honori veſtro conſuletis, & ſaluti, & ſtatui, & dignitati. Mutua namque hac perſecutione, & alterna cæde, alternoque periculo vosmet ipſos conſumetis, & enervabitis vires veſtras, ut, dum neceſſe ſit vel nobis, vel Domino Duci, regiæ Majeſtatis obſequio pro defenſione regni intereſſe, vel certo contra Turcos agere, imparatiores inveniamini, & debiliores ad exequendum officium, & debitum veſtrum. Rogamus igitur pro Deo dominationem veſtram, ut potius convertatis animum veſtrum ad concordiam cum Domino Duce, ne ulterius Chriſtiam ſanguinis effuſio inter vos contingat, cogitantes maxime, quantis alioquin malis per æmulos regni regnum affligitur, quantis etiam, & quam arduis curis, & ſolicitudinibus ipſa regia Majeſtas una cum dominis regni primoribus pro defenſione publica continue occupatur, ut potius publico hujus regni negotio ſuccurratis, quam privato odio inter vos digladiantes, vosmet ipſos fruſtra conſumatis, & inſuper divinam indignationem, ac regiæ Majeſtatis, & Dominorum regni notam incurratis. Bene valere optamus dominationem veſtram. Ex caſtro noſtra Bachienſi in feſto S. Margarethæ anno Domini MCCCCXCI.

Rex miſſis ad Maximilianum Legatis,

Sed magis irritato uterque animo fuit, quam ut amici conſilio aut locum darent, aut morem etiam gererent, metusque non omnino nullus erat, barbaros iſtorum diſſidiis in rem ſuam uſuros. Neque minus periculi a Maximiliano imminebat, quem a confecta cum Flandris pace, jus ſuum in Hungariam armis rurſos vindicaturum pro comperto habebatur. Itaque ne vix ſopitis domi partium ſtudiis cum gemino hoſte noſtris res eodem tempore eſſet, per nuncios cum Maximiliano de fœderibus agere Wladislaus conſtituit; viſoque Cæſarem cum filio ab ineunda amicitia non abhorrere, facile utrisque convenerat, ut miſſis Poſonium Oratoribus, quorum arbitrio ſtandum eſſet, de fœderis conditionibus commoni opera, & conſilio ageretur. Wladislaus ex Hungaris, & Bohemis Proceribus Legationem, cui Thomam Jaurinenſem Epiſcopum cum Stephano Bathorio præfecerat, conflari voluit: quibus rex cum Palotæ cauſa reipublicæ ageret, auctoritatem conficiendi ſuo nomine fœderis viceſima ſecunda Auguſti tribuit. (s) Ab Cæſare Tobias Boskoviczius primas tenuit: a Maximiliano Fridericus de Zolarn, & Bernhardus de Polheim affuere: quorum ſtudio, curaque poſt longam, difficilemque conſultationem pax iisdem fere capitibus, in quæ ſub Mathia coaluerat, ſancita eſt; adjectis pro temporum ratione conditionibus, quæ futuris etiam diſſidiis caverent. Nihil a more meo alienum, & ad res, quæ deinceps ſequentur, rite intelligendas appoſite prorſus faciam, ſi fœderis tabulas in lucem eduxero. Earum hic tenor eſt. (t)

„ Nos

(s) Exſtant de ea re litteræ in Tabular. Auguſtæ Domus ut notat. Cl. Kollar. in Auctar. Diplomatar.

(t) In Auctar. Diplom. Doctiss. Kollar, qui id ex Tabulis Authent. Sanctionis Tabularii Aug. Domus depromſit, & cum Velli Ursini hiſtoria edidit.

Pacem Poſonii init, & quibus conditionibus.

„ Nos Thomas Epiſcopus Eccleſiæ Jaurienſis &c. regius Cancellarius in Hungaria, Comes Stephanus de Bathor, Judex curiæ regiæ, & Vayvoda Tranſilvanus, Joannes Scellenberg regni Bohemiæ Cancellarius, Ladislaus Orſzág de Guth Agazonum, alter Ladislaus de Rozgon Cubiculariorum regiorum magiſtri, Beneſius Waithmüllner, Burggraffius in Karlſtein, & magiſter monetarum in montibus Kuthnis, Wilhelmus Pamkircher de Zalonok, & Joannes de Rupow magiſter curiæ regni Bohemiæ, pro ſereniſſimo Principe, & Domino Domino Wladislao Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. rege, Marchione Moraviæ, ac Sleſiæ, & Lucemburgenſi, Duce &c. Domino noſtro gratioſiſſimo, & præfato regno Hungariæ, Nuncii, & Oratores ſpecialiter deputati recognoſcimus, & notum facimus tenore præſentium univerſis, quod ad tollendas, & prorſus extinguendas hoſtilitates, guerras, differentias inter ſereniſſimos, & inviſtiſſimos Principes, & Dominos Dominos Fridericum Imperatorem, & Maximilianum regem Romanorum ſemper Auguſtos &c. ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. reges, eorumque terras, Principatus, dominia, ſubditos, & incolas, ex una, & ſereniſſimum quondam Dominum Mathiam Hungariæ, & Bohemiæ regem &c. conſequenter ſereniſſimum Principem, & Dominum, Dominum Wladislaum Hungariæ, & Bohemiæ regem &c. ac inclitum regnum Hungariæ, regna, principatus, & dominia, illi pertinentia, eorundemque ſubditos, & incolas, partibus ex altera dudum exortas, & occaſione juris, quod idem Dominus Maximilianus rex ad ipſum regnum Hungariæ vigore cujusdam inſcriptionis habere dignoſcitur, poſt ipſius Domini Mathiæ regis mortem, usque in hæc tempora noſtra continuatas, ſuffulti plenaria, & omnimoda auctoritate, facultate, & poteſtate præfati ſereniſſimi, & gratioſiſſimi Domini noſtri Wladislai regis, prout in litteris mandati noſtri nobis deſuper dati clare contineri dignoſcitur, cum ſpectabilibus, magnificis, & generoſis Dominis Tobia de Boskovicz, & de Tſernahora, præfatæ Majeſtatis Imperialis capitaneo Generali, Mathæo de Spaur, ſuæ Majeſtatis Camerario ac Pincerna hæreditario Comitatus Tirolenſis, Bernhardo Perger juris Pontificii licentiato, Imperiali Prothonotario, & Joanne Fuchsmagen Doctore, Imperiali conſiliario, pro eodem ſereniſſimo Principe, & Domino, Domino Friderico Romanorum Imperatore ſemper Auguſto &c. Oratoribus, & nunciis ſpecialiter deputatis: Item Yttel Friderico Comite de Zolarn, regiæ Romanorum Majeſtatis Capitaneo in Hohenburg, Bernhardo Domino de Polheim decretorum doctore, regio conſiliario, Henrico Prutſching libero Domino in Stetenberg regio Camerario, Joanne Kishorváth de Halapſycs, & Georgio Rottäller regiis conſiliariis pro eodem ſereniſſimo Principe, & Domino, Domino Maximiliano Romanorum rege ſemper Auguſto &c. Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. ſimiliter rege, Archiduce Auſtriæ, Duce Burgundiæ, Brittaniæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Geldriæ, &c. Comite Flandriæ, & Tirolis, &c. ſimiliter Oratoribus, & nunciis ſpecialiter deputatis, in unum convenientes, & inter præfatos Principes nec non regna, & dominia, atque ſubditos eorum, pacis materiam diu longeque tractantes, tandem poſt diuturnos, & inexhauſtos labores, divina aſpirante clementia, & communi, & unanimi conſenſu, ac concordia cum præfatis Oratoribus, pro quiete, & tranquillitate dictorum Principatuum, & dominiorum, tum & univerſæ Chriſtianæ religionis conſolatione hujusmodi bella, guerras, diſſenſiones, & differentias præſentium tenore ſopivimus, & prorſus exſtinximus, ſub modo, & forma articulorum infraſcriptorum, ad quos devenimus, eosque in virtute præfati mandati noſtri concluſimus, in hunc, qui ſequitur, modum.

„ Primo convenimus, quod ſereniſſimus Dominus Wladislaus rex, deinceps pro vero, & indubitato rege Hungariæ maneat, regnumque ipſum etiam in hæredes ſuos maſculos legitimos ex lumbis ſuis procreatos ſub conditionibus infra ſcriptis transmittatur, & devolvatur, quodque inter præ-

1491. „ fatos Romanorum Imperatorem, & utroſque reges, eorum regna, principa-
„ tus, terras, dominia, ſubditos, incolas, & inhabitatores eorundem, hinc in
„ antea, firma, atque perpetua ſit, & maneat pax. unio, & concordia, atque
„ quidquid hactenus ab initio belli hujus, a tempore præfati quondam regis
„ Mathiæ usque ad hanc horam, præda, captivitate, homicidio, exuſtione, aut
„ quacunque alia vi bellica, inter hæc dominia, ſubditos, habitatores, ſtipen-
„ diarios, & miniſtros commiſſum eſt, id univerſaliter abolitum ſit & per-
„ petuo exſtinctum: & principes ipſi amicitia, benevolentia, & favore ſe mu-
„ tuo complectantur, præcipue vero Cæſarea, & regia Romanorum Majeſtates,
„ ipſum dominum regem Wladislaum uti ſuarum Majeſtatum conſanguineum,
„ regnique ſui Hungariæ ſtatum apud ſanctiſſimum Dominum noſtrum ſummum
„ Pontificem, ſedem Apoſtolicam, Principes ſacri Romani Imperii, & alias ubi
„ opus fuerit, præſertim in facto defenſionis præfati regni ab incurſione & va-
„ ſtatione nefariæ gentis Turcorum ſincere promoveant, & faveant eisdem:
„ viciſſim quoque ipſe Dominus Wladislaus rex, & regum prænominatis Ro-
„ manorum Imperatori, & regi omni ſtudio, conſilio, & favore adeſſe debeant,
„ ſtatum, & dignitatem eorum pro poſſe ſuo adjuvando & ampliando.

„ Item conclusum eſt, quod omnia ablata in hoc bello præter bona mo-
„ bilia, quæ, ut fit, illico diſtrahuntur, ad quorumque reſtitutionem nemo
„ præſentis tenore cogatur, principibus, & ipſorum ſubditis, moderationibus
„ & conditionibus ſequentibus reſtituantur: in primis Dominus Wladislaus rex
„ univerſa caſtra, civitates, munitiones, & alia loca cum ſuis pertinentiis in
„ Auſtria, Stiria, Carinthia, Carniolia, & aliis dominiis hæreditariis Cæſareæ
„ Majeſtatis, quæ in ſuæ ſerenitatis & ſuorum ſubditorum manibus ſunt, &
„ per quondam Dominum Mathiam regem vi armorum, & in bello, quod
„ contra Imperialem, & regiam Romanorum Majeſtates geſſit, obtenta fuerunt,
„ aut alias quoquo modo in manus ſuas venerunt, cum omni jure, ſi quod
„ in illis habere potuit, Romanorum Imperatori, infra tempus, modos, &
„ conditiones, hic proxime deſcriptas, præſentis tenore reddere teneatur, ſi-
„ militer, & eidem Cæſareæ Majeſtati omnia jura, quæ idem Dominus Mathias
„ rex in caſtris, quæ ſua Majeſtas Cæſarea usque hodie in terris ſuis hæreditariis
„ recuperavit, forma, & modo melioribus, ut fieri potuit, ceſſiſſe intelligatur.

„ Item conventum eſt; quod ipſe Dominus Wladislaus rex loca ſub-
„ ſcripta, infra hinc, & feſtum Sanctæ Luciæ proxime venturum Romanorum
„ Imperatori, aut ejus officialibus, quos ad hoc Majeſtas ſua deputabit, reddere
„ teneatur, & providere, quod in reddendo hujusmodi loca ipſe Dominus rex
„ hominibus ſuis præcipiat, & diſponat, ut pacifice ſine ſpoliis oppidanorum aut
„ aſportatione bombardarum & aliarum machinarum bellicarum, quæ in præ-
„ ſentiarum in ipſis locis ſunt conſtitutæ, & ad ea præciſe pertinent, recedant,
„ hujusmodi machinis illic relictis. Et ſunt hæc loca, quæ infra hinc & feſtum
„ Sanctæ Luciæ cedere debet: Stuchſenſtein, Starenberg, Guttenſtein, Liech-
„ tenverd, Pottendorff, Korneuburg, Smida, Laa, Egenburg, Ciſtersdorff,
„ Schonberg, Hahenprwk, & alia caſtra, loca, & munitiones, quæ forte ſunt
„ in manibus Domini regis Wladislai, aliis non obligata hoc tempore cedet: at
„ oppidum Recz, & caſtrum Wolkersdorff Dominus rex Wladislaus aſſignare
„ tenebitur, Romanorum Imperatori, infra hinc ad feſtum ſancti Blaſii proxi-
„ me venturum; infraſcripta vero caſtra, oppida, & munitiones, cum ſint
„ aliis obligata, & inſcripta, & tempore egeant, ipſe Dominus rex Wladislaus,
„ ut ea ex illorum manibus redimat, conventum eſt, ut ea infra medium an-
„ num initium ejus a feſto ſancti Martini nunc inſtanti computando, vel citius,
„ ut fieri poterit, ad manus Cæſareas, vel Romanorum regias, ſi, quod abſit,
„ Cæſar interea excederet ex humanis, conſignare debebit, videlicet: Kirchslag,
„ Ebenfurt, Waltesdorff, Horn, Altenſteig, Gmind, Mellperg, Groborn,

Ka-

» Karenbrunn, Potenberg, Creyczenſtetten, Kadaw, Schanſtein, Obernruſ-
» pach, Krainberg, ſimiliter & alia omnia, & ſingula caſtra, & loca cum ſuis
» pertinentiis, in præfatis Cæſareæ Majeſtatis Dominiis hæreditariis ſita, quæ
» aliis obligata eſſe poſſint, & hic nominata non ſint, infra præfixum annum
» Cæſareæ Majeſtati ipſe Dominus Wladislaus rex aſſignare debebit: ex parte
» autem caſtri Schonkirchen, quoniam iſtud non vi armorum, ſed emtionis ti-
» tulo ad manus Sigismundi Schnapek a quodam N. Rewter deveniſſe conſtat,
» concluſum eſt, quod idem caſtrum in manibus ipſius Schoapek maneat, ſal-
» vo tamen, quod hæredibus, aut aliis jus ad dictum caſtrum habere præten-
» dentibus ad eorum impetitionem coram Principe patriæ, uti alius patriæ in-
» cola, ſtet juri, quodque ſententia mediante decretum fuerit, exequi patia-
» tur, absque aliquo impedimento: caſtrum vero Johenſtein, Joanni Sokolos-
» ky, ad quem jure hæreditario pertinet, reſtituatur.

» Item conventum eſt, ſi aliqui, quibus dicta caſtra, aut munitiones
» obligatæ ſunt, pro honeſta, & convenienti ſatisfactione, quam Dominus Wla-
» dislaus rex ipſis offert, infra nominatum annum, aut quandocunque ab ipſo
» Domino Wladislao rege in tali tempore anni requiſiti fuerint, cedere nollent,
» quod tunc Cæſar, & Romanorum rex armis, auxiliis, & conſiliis, aut aliis
» viis, & modis, prout Principes ipſi inter ſe convenerint, Domino Wladislao
» regi adeſſe tenebuntur, quo tanto commodius hujusmodi rebelles ad tradi-
» tionem ipſorum caſtrorum, quæ tenent, Cæſareæ Majeſtati, conſtringere poſſit,
» quodque ipſe rex Wladislaus tenentibus hujusmodi caſtra talem ponat modum,
» quod in hoc tempore, quousque Cæſareæ Majeſtati conſignari debent, reddi-
» tibus ad ipſa caſtra pertinentibus, ſint contenti, & vicinos non moleſtent,
» neque perturbent, ueque pacis hujus violatores, aut turbatores in ea caſtra
» intro mittant, neque cum eis fœdus ullum, ſub quocunque colore, aut
» forma id fieri poſſit, ineant; contravenientes, ut pacis violatores, & rebelles
» puniendo.

» Item conventum eſt, quod infraſcripta loca Eccleſiis, aut Eccleſiarum
» Prælatis pertinentia per ipſum Dominum Wladislaum regem ad manus Cæſa-
» reas ſub eadem inſcriptione, & obligatione, ſub qua ea tenuit Mathias rex
» præfatus, aut ad manus regias caſu, ſi interea Cæſar vita fungeretur, conſi-
» gnari debent, ita tamen, ut cum ipſi Prælati, ad quos hujusmodi loca perti-
» nent Cæſareæ Majeſtati, aut poſt ſuam Majeſtatem Romanorum regi ſatisfe-
» cerint, quod tunc ſuæ Majeſtates ea loca ipſis Prælatis reddere, & nullo mo-
» do ab Eccleſiis alienare valeant: ſunt hæc, & non nulla alia loca fere omnia
» apud manus Jacobi Székel, videlicet: Pethovia, Pryſacz, vel alio nomine
» Rain, Liechtenvald, Reichenſtein, & ſi qua ſint alia hic non nominata, eadem
» lege tradi debebunt.

» Item conventum eſt, quod Cæſarea, & regia Romanorum Majeſtas,
» ipſum Jacobum Székel ſerioſe, & omni via meliori requirere debebunt, quod
» omnia, & ſingula caſtra, oppida, & munitiones, quæ in terris hæreditariis Cæ-
» ſareæ Majeſtatis quoudam Domini regis Mathiæ nomine tenuit, & hodie quo-
» cunque nomine tenet, ſive ſint Eccleſiarum, ſive Cæſareæ Majeſtatis, ſive
» aliorum, ſuæ Cæſareæ Majeſtati absque ulla dilatione reſtituat; & ne is ſeſe
» vel per fidem præſtitam, vel alio modo ab ea traditione facienda excuſare poſ-
» ſit, conventum eſt, quod ipſe Dominus Wladislaus rex, ſimiliter & illuſtris
» Dominus Dux Corvinus, quando quidem regnum cum codem Duce concor-
» davit, quod hujusmodi caſtra regno reddere debeat, eidem ſerioſe ſcribant,
» & admoneant, ut hujusmodi loca præfata Cæſareæ Majeſtati ad ejus requiſi-
» tionem absque ulteriori mora cedat in effectu. Qui ſi poſt hujusmodi requi-
» ſitionem adhuc cedere nollet, prætendens occaſionem alicujus obligationis,
» qua vel Dominus rex Wladislaus, regnum, vel Dux Corvinus ſibi videatur eſſe
» obligatus ad hujusmodi ceſſionem, donec ſibi ſatis fiat, arctari non debere,
» concluſum eſt, quod in tali caſu Romanorum Imperator, vel rex tres viros
» eligere, ſimiliter & Dominus Wladislaus rex tres nominare debebunt, qui

1491. „ ſex in oppido Hamburg, in termino duodecim hebdomadarum, initium earum
„ a tempore requiſitionis dictorum caſtrorum computando conſtitui debebunt,
„ ubi & ipſe Jacobus, & aliquis cum ſufficienti mandato nomine Domini regis
„ Wladislai, & Ducis Corvini, coram illis comparere, qui more arbitrorum
„ hinc inde quaslibet querelas, differentias, & actiones, & reſponſiones utrius-
„ que partis ſufficienter audire debebunt, quibus auditis ſtudebunt partes ami-
„ cabili compoſitione unire, quæ ſi reperiri non poſſit, ex hinc inde deductis,
„ quid juris ſit cognoſcent: qui ſi ſic ſententiando omnes vel major pars con-
„ cordabunt, quod decretum eſt, illico executioni demandetur, ſi vero ſic ſen-
„ tentiando ſint pares quoque pro parte ſua ſententiam dicentes, ex tunc acta
„ judicii, una cum arbitrorum ſententiis clauſa, & ſignata ad illuſtrem Princi-
„ pem, & Dominum Dominum Ottonem, Ducem Bavariæ, tamquam ſuper
„ arbitrum, qui ambabus partibus ut ſe huic negotio intromittat, interpellari
„ debebit, transmittent, qui viſis actis unam ex illis ſententiis probare teneatur,
„ & quamcunque ſuo laudo probandam duxerit, ea absque mora in executio-
„ nem mitti debebit. Ubi ſi Dominus rex Wladislaus, vel Dux Corvinus in
„ aliqua pecunia ſolvenda ſententiari fuerint, neque inpromta pecunia adeo ſub-
„ ito ſolvere habeant, debet ipſe Jacobus Székel poſitis pignoribus ſufficienti-
„ bus pro æquitate, & qualitate debiti contentari. Totus autem ille arbitrii,
„ ſeu judicii actus in termino duorum menſium, poſtquam partes in Hambur-
„ go comparuerint, finiri debebit, niſi jus ipſum, longius tempus expoſtula-
„ ret. At nihilominus teneatur Jacobus Székel prænominata caſtra absque mora
„ ad manus Cæſareas conſignare, qui ſi ſuper hæc omnia adhuc rebellare, &
„ hanc conditionem neque ſuſcipere, neque loca præfata Cæſari cedere vellet,
„ ex tunc ambo reges, & Cæſar ſe mutuo juvare debebunt, eundem ad obedien-
„ tiam compellendo: ſi tamen idem Jacobus caſtra, & loca præfata Cæſari ſine
„ difficultate, & dilatione, poſtquam requiſitus fuerit, reſtituet, conventum
„ eſt, quod ex tunc Dominus Wladislaus rex de eo ſit contentus, & ei quietan-
„ tiam abſolutoriam de omnibus præſtet, ſi, & in quantum nihil obligationis a
„ ſua ſerenitate, vel Duce requiret.

„ Item, quantum pertinet ad caſtra, & oppida intra fines regni Hunga-
„ riæ conſtituta, videlicet: Ferream civitatem, Vorchtenſtein, Kobelsdorff, Horn-
„ ſtein, Rechnicz, Guncz, Pernſtein, & alia loca, quæ ante bellum quondam
„ regis Mathiæ fuerunt in manibus ſacræ Imperialis Majeſtatis, conventum eſt,
„ quod ea loca omnia præter Rechnicz cum ſuis pertinentiis antiquis, quod Im-
„ perialis celſitudo de gratia ſpeciali, Domino Wilhelmo Paumkircher, juxta ſuæ
„ Majeſtatis litteras donavit, debeant apud ſuam Majeſtatem remanere, ſecun-
„ dum vim, & tenorem prioris inſcriptionis, & concordiæ tempore præfati re-
„ gis Mathiæ cum Imperiali Majeſtate factæ: ſed quoniam ferrea civitas, & Forch-
„ tenſtein, & Kobelsdorff usque hodie in manibus Domini regis Wladislai, aut
„ ſuorum ſubditorum habentur, concluſum eſt, quod ea loca cum ſuis perti-
„ nentiis idem Dominus rex Wladislaus ad manus Cæſareas infra hinc, & diem
„ ſanctæ Gertrudis proxime venturam, quæ eſt decima ſeptima Martii anni
„ nonageſimi ſecundi, conſignare debebit, retentis tamen omnibus conditioni-
„ bus circa ea loca in priori tractu notatis in ſuo vigore (*u*) præſertim in facto
„ impoſitionis ſuper homines illorum locorum ob generale paſſagium pro defen-
„ ſione regni & jurium, & exercitii, jurisdictionis pertinentis ad Eccleſiam Jau-
„ rienſem, aut alias Eccleſias regni: & quidem non ſolum in locis præfatis, ſed
„ & quibuscunque aliis Eccleſiis in regno conſiſtentibus, percipi ſolent, ubi ſi
„ quispiam locorum illorum Capitaneus, vel officialis, aut alius ſubditus Im-
„ perialis Majeſtatis, in ſolutione decimarum, aut aliorum jurium Eccleſiæ re-
bellis,

(*u*) Innuit tabulas fœderis inter Fridericum Cæſarem, & regem Mathiam anno 1463. initi: in quibus cavetur, oppida hæc non reſtituenda prius, quam rex aut regnum quadraginta florenorum millia Cæſari aut ejus hæredibus pendat.

» bellis, vel ea jura, uti jus poſtulat, non ſolviſſe compertus fuerit, compelli
» debet per Cæſaream Majeſtatem, ad ſatisfactionem integram una cum expen-
» ſarum ſolutione. Quocirca, ut hujusmodi turbationes, quæ tempore fieri
» poſſent, vitentur; dignabitur ſacra Imperialis Majeſtas tales illic ponere ca-
» ſtellanos, qui cum vicinis amicabiliter vivant, via facti nihil contra eos atten-
» tent, & Eccleſiis ſua jura, uti ab antiquo eſt introductum, relinquant.

» Item, quod ipſe Dominus Wladislaus rex, & regnum litteras illas ob-
» ligatorias pro centum millibus florenorum datas quondam Mathiæ regi in
» prima concordia Cæſareæ Majeſtati reddere debeant, quæ ſi haberi poſſent,
» obligabuntur dare ſuæ Majeſtati quietantiam ſufficientem, qua ſua Majeſtas,
» ſubditi, & omnes ſtatus Ducatuum, & dominiorum ſuæ Majeſtatis ſint aſſe-
» curati, & nihilominus litteræ, hujusmodi præſentis tractatus vigore, ipſo facto
» intelligantur caſſæ, & exſtinctæ.

» Item ipſe Dominus Wladislaus rex, & univerſum regnum veteres illas
» inſcriptiones ſuper ſucceſſione factas, ratificare, confirmare, & renovare te-
» neantur: ita videlicet, quod ſi ipſum Dominum Wladislaum regem, hæredem
» maſculum non contingat ſuſcipere, aut ſuſceptum vita fungi, nullo hærede ma-
» ſculo per lineam rectam deſcendente poſt eum relicto, regnum ipſum cum uni-
» verſis aliis regnis, provinciis, & dominiis ad coronam regni Hungariæ ſpe-
» ctantibus in ipſam regiam Romanorum Majeſtatem, aut ejus hæredes per li-
» neam rectam ex lumbis ſuis deſcendentes devolutum intelligatur ipſo facto.

» Item, quod regia Romanorum Majeſtas de hujusmodi ſucceſſione ma-
» gis aſſecuretur, concluſum eſt, quod Dominus Wladislaus rex hujus rei, ac
» aliorum negotiorum regni gratia citius, ut fieri poteſt, dietam indicat, de
» cujus tempore dominos conſiliarios Cæſareæ, aut regiæ Majeſtatum, Viennæ
» exiſtentes aviſabit tempeſtive, ad quam convocet Prælatos, Barones, civitates,
» & alios ſtatus regni potiores in majori, ut pro temporis hujus brevitate fieri
» poteſt, numero, ubi & Romanorum regis Oratores adeſſe debebunt, qui
» Prælati, Barones, civitates, & alii ſtatus regni illic comparentes hunc præſen-
» tem tractatum ſolenniter acceptabunt, ac omnes, & ſinguli ſeſe pro hæredibus,
» & ſucceſſoribus ſuis, litteris patentibus inſcribent in hanc ſententiam: ſi Do-
» minum Wladislaum regem liberis maſculis ex lumbis ſuis legitime procreatis,
» non relictis, aut eisdem relictis, & ſine hæredibus deſcendentibus mortuis
» decedere contingat, quod in tali caſu ipſum Maximilianum Romanorum re-
» gem, aut eo non exiſtente, aliquem ex filiis ſuis, aut his non exiſtentibus
» eorum hæredibus maſculis, per lineam rectam ex lumbis eorum deſcendenti-
» bus, quem eligendum duxerint pro ſuo legitimo, & indubitato rege acce-
» ptabunt, ad poſſeſſionem regni abſque omni difficultate venire permittent,
» in poſſeſſionem regni inducent, & illi, uti regi, & domino ſuo debita obſe-
» quia præſtabunt, hancque ſententiam publice, & ſolenniter in eadem congre-
» gatione, Romanorum regi in præfatorum regis Romanorum Oratorum præ-
» ſentia jurabunt.

» Item, quoniam multi fortaſſis, quorum intereſt, aut intereſſe debe-
» bit in hac congregatione non comparebunt, & ipſius negotii magnitudo ex-
» poſtulat, ut hæc præſens concordia omnium auribus immittatur, concluſum
» eſt, ut hac, & aliarum regni neceſſitatum gratia, Dominus rex Wladislaus
» alteram dictam generalem ad feſta Pentecoſtes proxime ventura, vel circa in ali-
» quo inſigni loco, ſeu civitate regni indicat, ubi ſimiliter Oratores Romanorum
» regis adeſſe debebunt: in qua convocatis omnibus incolis totius regni, & domi-
» niorum illi pertinentium hunc tractatum, & unionem univerſaliter publicari, &
» ab univerſo populo, Romanorum regem, aut ſuos hæredes, caſu, quo ipſe
» Dominus Wladislaus rex ſine legitima prole maſculina ſuperſtite, mortem ob-
» iret, in futurum Hungariæ regem acceptari faciat: & ſi qui illic comparentes
» in priori congregatione viſi non fuerint, illic prænominatum juramentum
» publice, modo, quo ſupra dictum eſt, præſtare, & litteras confitentes iti-

1491. „ dem, quod generales illæ litteræ in prima congregatione recognoverunt, ro-
„ borare debebunt.

„ Item concluſum eſt, quod hujusmodi litterarum roboratio, & jura-
„ mentum, deinceps de perſona in perſonam deſcendat tamdiu, quousque talis
„ caſus de ſuccedendo Romanorum rege, aut ſua prole verificetur, ita, ut quo-
„ tiescunque aliquem regni Prælatum ad Prælaturam ſuam de novo aſſumi con-
„ tingat, quod is in aſſumtione ſua præſentem tractatum de ſucceſſione Roma-
„ norum regis, aut ſuorum hæredum juret, velle obſervare, & eum proſe-
„ qui, uti de juramento in prima congregatione ſuperius dictum eſt: inſuper
„ & litteras patentes, quibus & juramentum hujusmodi ſe præſtitiſſe, & tra-
„ ctatum præſentem ſervare velle, ſeſe obligare tenebitur: alioquin, niſi hæc
„ fecerit ad hujusmodi Prælaturam admitti non debet. Pari modo Palatinus re-
„ gni, Vayvoda Tranſilvanus, Banus Croatiæ, Comes Temeſienſis, Bani de
„ Jaycza, Zewrinienſis, & Nandor Albenſis, Caſtellani caſtri Budenſis, Co-
„ mes Poſonienſis, & alii officiales majores, & Caſtellani potiorum caſtrorum
„ regni, præſertim eorum, quæ in finibus regni ſunt conſtituta, quotiescunque
„ tales de novo ad ſua officia aſſumi contingat, jurare Romanorum regi, & lit-
„ teras dare, modo, quo ſupra de Prælatis dictum eſt, tenebuntur, neque
„ alias hujusmodi eorum officiis præficiantur. Item conſervatores ſacræ coro-
„ næ regni, præſentes & futuri, in ingreſſu officii ſui jurabunt Romanorum
„ regi, eam coronam, ſi accidat Dominum Wladislaum regem ſine legitima prole
„ decedere, nulla poſt eum maſculina relicta modo, quo ſupra dictum eſt, ad
„ nullius manus dare, ſed pro coronatione ipſius Romanorum regis, aut ſui
„ ſanguinis, ex ſe per lineam rectam deſcendentis, fideliter conſervare, ſimili-
„ ter, & cum ipſo caſtro Wiſegrad ſoli Romanorum regi, aut hæredibus ſuis
„ in tali præfato caſu obedire velle, & de his litteras ſuas patentes roborabunt.

„ Item ſi Dominus Wladislaus rex excederet ex humanis, hærede ma-
„ ſculo annis minore relicto, conventum eſt, quod ii, qui hæredem talem
„ juxta regni ordinationes & conſuetudines ſub tutela ſua tenebunt, pari modo,
„ & de novo jurabunt, cum tutelam hujusmodi ſuſcipient, præſentem tracta-
„ tum, quantum ad ſucceſſionem, manu tenere, & ſecundum illius tenorem
„ vivere, hæres inſuper ipſe, cum ad legitimam ætatem pervenerit, tenebitur
„ omnia hic in præſenti tractatu concluſa litteris, & ſigillis pro ſe, & hære-
„ dibus ſuis eo modo, quo Dominus Wladislaus rex fecit, antequam regni gu-
„ bernacula aſſumet, roborare, & confirmare: & hic modus ſervandus erit de
„ hærede in hæredem, & tutoribus eorundem continuando, quousque ſucceſſio
„ ipſa in ſanguinem Romanorum regis, ſi ſuper exſtat, devolvatur. Item
„ conventum eſt, quod litteræ roborandæ in Prælatorum, officialium, autu-
„ torum aſſumtione nova, & aliæ litteræ omnes, de quibus ſupra fit mentio,
„ mox ut fuerint roboratæ, præſentari debeant in Hamburgam, reponendo eas
„ ad Judicem, & conſulatum, aut Caſtellanum ibidem, uti placitum, ſive or-
„ dinatum fuerit per Romanorum regem, quorum opera ulterius ad manus
„ Romanorum regis transmittentur.

„ Item concluſum eſt, ſi Dominus Wladislaus rex ſic, uti præmittitur,
„ ſine hæredibus maſculis decedens, filiam unam vel plures reliquerit; tenebi-
„ tur rex Romanorum, vel hæredes ejus, qui tunc regno præficientur, easdem
„ pro conſuetudine regni honeſte dotare, & maritare. Item ſi Dominus Wla-
„ dislaus rex ſic, ut præmittitur, ſine hæredibus maſculis decederet, uxore ſua
„ vidua relicta, tenebitur Romanorum rex dotem ipſi viduæ juxta regni con-
„ ſuetudinem debitam ſolvere ex integro. Idem concluſum intelligatur de hæ-
„ redibus ſuccedentibus hæredibus Romanorum regis, quotiescunque uxores
„ viduas poſt ſe ſuperſtites reliquerint.

„ Item concluſum eſt, quod Romanorum rex, aut hæredes ſui regnum
„ ſuſcepturi pro ejusdem regni, & incolarum ſuorum conſolatione & commo-
„ diori contra hoſtes defenſione in ipſo regno ſaltem pro majori parte temporis

habi-

„ habitare dignetur. Item conventum eſt, ſi regni Hnngariæ hæreditas modo
„ prædicto in ſanguinem Cæſareum devolvetur, quod is, qni juxta capitula
„ præfata a regnicolis rex acceptabitur, vel eligetur, pro regni defenſione, &
„ conſolatione, quam primum venire, & accelerare debeat, qni ſimiliter nou
„ armis, nt hoſtis regnnm intret, ſed in limitibns regni juxta morem expectet,
„ quonsque per Prælatos, Barones, & alios regnicolas honorifice ſuſceptus,
„ ſine dilatione introducatur: qui & tunc jura, & conſnetudines regni antiquas,
„ & approbatas ſervare, & regnicolas omnes in ſuis juribns, libertatibus, &
„ approbatis conſuetudinibus conſervare, & confirmare promittet, qnemadmo-
„ dum & alii reges prædeceſſores ſui promittere, & confirmare conſueverunt.

„ Item Romanorum rex titulo regni Hungariæ uti poterit, & ita a Do-
„ mino rege Wladislao, & regnicolis appellabitnr, quemadmodum Cæſarea
„ Majeſtas eodem hactenus uſa fuit, & deinceps utetur: viciſſim quoqne Cæ-
„ ſar, & Romanorum rex, & ipſorum ſnbditi Dominum Wladislaum regem
„ Hungariæ cum titulo ſolito regni Hungariæ appellare, & intitulare tenebitur.
„ Inſuper pro ſolidiori perpetuæ hujus unionis fundamento, conventum eſt;
„ quod idem Dominus Wladislans rex, circa regnicolas regni Bohemiæ laborare,
„ & omnem ſibi poſſibilem dare debebit operam, & ſtudium impendere, quo
„ eosdem inclinet, & in hanc ſententiam trahat, nt eo ſine liberis maſculis dece-
„ dente, huuc Dominum Maximilianum regem, aut hæredes ſuos legitimos,
„ ex lumbis ſuis deſcendentes, regem ſibi præficiant, idque quantocius fieri
„ poteſt, incipere, & omnes favores, & ſtndia ſibi poſſibilia adhibere de-
„ bebit, ut ipſe rex Romanorum, & nemo alius in hoc Bohemiæ regno ſibi in
„ tali caſu ſnccedat.

„ Item conventum eſt, qnod in recompenſam aliqualem expenſarnm fa-
„ ctarum per Romanornm regem in hoc bello, & requiſitione juris ſni, ipſe
„ Dominus Wladislaus rex ſolvere debebit Romanorum regi centum millia flo-
„ renorum Hungaricalinm in auro juſti ponderis, vel argento, aut moneta cur-
„ rente in Auſtria, compntando ſemper quatuor Rhenenſes: aut tantum monetæ
„ hic currentis, pro tribns florenis Hungaricalibus, in ſpacio duorum anno-
„ rum, quorum initinm computandum ſit a feſto ſancti Martini nunc inſtanti:
„ ita tamen, qnod triginta millia teneatur ſolvere in termino primi dimidii anni,
„ alia triginta millia in fine primi anni: reliquæ vero ſummæ medietatem in fine
„ ſecundi dimidii anni, & alteram medietatem in fine ſecundi anni. (x) Et
„ pro hujusmodi pecnnia ipſe Dominus Wladislaus rex, & regnum, Romano-
„ rum regem aſſecnrabunt litteris, & ſigillis in ea forma, & obligatione: quod
„ ſi aliquam ex illis ſummis ſolvere neglexerit, quod ex tunc ejus loco duplum,
„ hoc eſt pro triginta ſexaginta, & pro viginti quadraginta millia ſolvere ſit ob-
„ ligatus: liceat inſuper Romanornm regi negotiatores regni, & eorum bona,
„ ubicunque ea invenire poterit, & occaſione arreſtationis hujus non intelliga-
„ tur præſens unio, & pax eſſe violata.

„ Item conventum eſt, qnod omnes injuriæ, diſſenſiones, diſcordiæ, &
„ differentiæ quoquo modo occaſione præſentis belli, & adhæſionis Romanorum
„ regi, infraſcriptarum perſonarum, videlicet: reverendiſſimi Domini Joannis
„ Epiſcopi Veſprimienſis, & magnificorum, & nobilium virorum Domini Joan-
„ nis Comitis de Czetm, Jacobi, & Nicolai Székel, Joannis Kishorváth, Ste-
„ phani, & Georgii fratrum ejns, Laurentii Banfy, Joannis Beryzlo, Ladislai,
„ Joannis, & Stephani fratrum de Kanyſa, Nicolai Zéchi de Alſo Lindva, Jaco-
„ bi Banfy de Lindva, Joannis, & Stephani fratrum de Elderbach, Nicolai Co-
„ mitis de Frangepan, Michaelis Comitis filii Duran, Nicolai Hagymás de Szent-

(x) Conſtat ex hoc Articulo, quantopere aut neceſſaria regi pax fuerit, aut bellum ab Auſtria metuerit. Alioquin hæc ſumma compenſari facile potuit per eam, quam Fridericus Cæſar Mathiæ ſe daturum ſtipulatus eſt: niſi forte, ut apparet, Oratores languidius, quam par erat, rem eam tractarunt.

1491. „ giroth, Joannis Bornemyſza, Georgii de Streſewle, Georgii de Welyki, Pe-
„ tri Ampolyth, Elezveyda, Nicolai Kalamanicz, Petricz, Mathiæ Kleſicz,
„ Petri Elez, Nicolai, & Ladislai filiorum Franconis, quondam Bani de Tha-
„ locz, Joannis Banfy filii quondam Perkonis Bani, Bernardi, & Georgii filio-
„ rum quondam Franciſci Banfy, & Joannis filii Nicolai de Thalocz, Ladislaus
„ Oſthfy, inter Prælatos, Barones, Nobiles, oppidanos, & alios regni Hun-
„ gariæ, & pertinentiarum incolas, & eorum ſubditos exortæ prorſus ſint ſub-
„ latæ, & exſtinctæ, quodque præfati, & alii, quicunque adhærentes, & con-
„ fœderati Romanorum regi hic ſuis nominibus non deſignati, apud Dominum
„ Wladislaum regem eadem gratia, & benevolentia, uti ceteri incolæ regni tra-
„ ctentur, cum abolitione omnium præteritorum, quovis modo in hoc bello
„ contra ſuam ſerenitatem, & regnum attentatorum, & ſublatione omnis in-
„ dignationis omnino, quibus, & cuique eorum ſeorſum ſua ſerenitas litteras
„ hujuscemodi reconciliationis in forma honeſta: inſuper & libertatem, & fa-
„ cultatem ubicunque, aut cuicunque Principum, qui non ſit hoſtis ſuæ Ma-
„ jeſtatis, aut regni, aut hoſtibus adhærens, & præſertim ad honorem regis
„ Romanorum, præſtita tamen prius obedientia, & fidelitatis juramento, inſtar
„ aliorum, ipſi Domino regi Wladislao extra regnum ſtandi, & ſerviendi, prout
„ ipſis libitum, aut conveniens fuerit, libertatibus tamen regni, & oneribus
„ circa eorum bona, & redditus ſupportandis ſemper ſalvis, ad eorum inſtan-
„ tiam, & petitionem clementer concredere, & admittere debebit. Concluſum
„ eſt inſuper, quod in ſpacio quatuor menſium, initium eorum a prædicto ſancti
„ Martini feſto ſumendo, præfati adhærentes in omnia eorum bona immobilia,
„ & jura, quæ poſt mortem regis Mathiæ, Romanorum regi adhærendo, per-
„ diderunt, reſtituantur: ſi autem hujusmodi bona in quorundam Baronum,
„ aut incolarum regni manibus teneantur, quæ Dominus rex Wladislaus non
„ niſi armis ob eorum temeritatem ab eis eripere valeat, concluſum eſt, quod
„ hoc caſu ſua ſerenitate contra tales ipſo facto armis procedente, quidquid
„ temporis ultra dictum ſpacium quadrimeſtre pro recuperatione eorundem lo-
„ corum curret, neque imputari, neque huic tractatui obeſſe debebit: ipſi in-
„ ſuper adhærentes, quibus caſtra ſua in hoc bello non ſunt adempta, tenebun-
„ tur in ſpacio octo hebdomadarum initium earum a feſto ſancti Martini jam di-
„ cto computando, niſi a regno abeſſent, ipſi Domino Wladislao regi præſtare
„ juramentum fidelitatis, quemadmodum moris, & conſuetudinis eſt in regno
„ hactenus obſervatæ. At abſentium loco ſufficiet, quod hujusmodi juramen-
„ tum fratres eorum præſentes usque ad eorum reditum interea præſtare tenean-
„ tur, & præſtent: ipſis autem ſupervenientibus hujusmodi juramentum per
„ ſe præſtare tenebuntur. Quicunque autem hæc, uti præſcripta ſunt, ſive
„ præſentes, ſive abſentes facere neglexerint, præſens tractatus ipſis minime
„ ſuffragari debebit: quibus vero caſtra, & alia bona ſua hoc tempore belli ſunt
„ ablata, illi tunc tandem juramentum hujusmodi præſtare tenebuntur, cum
„ eorum bona ipſis modo jam præſcripto reſtituta fuerint. Præterea, ſi quæ
„ telonia, vel alia bona ſive hæreditaria, ſive pignoratitia nominati adhærentes,
„ aliis occaſione præſentis belli abſtuliſſent, vel occupaſſent, teneantur & iſti
„ poſt notificationem præſentis concordiæ, ad reſtituendum ea illis, quibus per-
„ tinent, aut e quorum manibus abſtulerunt, ſi tamen aliqua ex hujusmodi
„ bonis receptis, vel occupatis per adhærentes rurſum ex manibus eorum ere-
„ pta eſſent, apud illos, quibus pertinent, maneant: qui quidem adhærentes,
„ ſi alias aliquid juris ad hujusmodi bona habere prætendant, id jure mediante
„ requirere debebunt, quibus ad eorum inſtantiam jus expeditum adminiſtrari
„ debebitur. Simili modo, & via, uti jam de adhærentibus regiæ Romanorum
„ Majeſtati ſcriptum eſt, agatur in reddendo caſtra, & alia bona circa ſubditos
„ Cæſareæ Majeſtatis, ſi qui fortaſſis in hoc bello Domino Wladislao, aut quon-
„ dam Mathiæ regi adhærere, & ea gratia, caſtra ſua perdere potuiſſent, ſu-
„ perioribus articulis ſalvis, & in ſuo robore permanentibus. Circa, caſtra ta-
„ men reddenda Domino de Liechtenſtein, de Muraw, ita conventum eſt: ut

ea

„ ea tandem Cæſarea Majeſtas teneatur eidem reddere, cum fiet ultima reſtitutio
„ caſtrorum prædictorum ad manus Cæſareas, ita, quod ſimul & ſemel, hinc
„ Cæſar Domino de Liechtenſtein, illinc Dominos rex Wladislaus caſtra reſtantia
„ Cæſari reddat, qui quidem de Liechtenſtein, cum hoc tempore captivus te-
„ neatur, communi articulo captivos concernente gaudere debebit.

„ Item, cum Comites Croatiæ in hoc bello Romanorum regi adhæren-
„ tes conquerantur, de bonis ipſis ablatis, concluſum eſt; quod omnia & ſin-
„ gula eorum bona, & jura, quæ poſtquam Romanorum regi adhæſeruut, per-
„ dideront, eis reſtitui debent in tempore, qoo ſupra de adhærentibus dictum
„ eſt: de his aotem bonis, quæ ante adhæſionem, aut tempore regis Mathiæ
„ ipſis ablata ſunt, ad eorum inſtantiam Dominus rex Wladislaus expeditam ju-
„ ſtitiam, remotis ſuperfluis dilationibos, & exceptionibus, magis ad differen-
„ dum negotium, quam jus promovendum proponi ſolitis, juxta morem, &
„ ragni conſuetudinem adminiſtrare, & in propria perſona pro hujusmodi jure
„ reddendo ſedere debebit. Item de caſtris Comitum de Zagoria ita conven-
„ tum eſt, quod Jacobus Székel ea caſtra ad fideles manus Domini Wladislai
„ regis tamquam tertiam perſonam reſignet, & poſtea vocatis Comitibus ipſis,
„ & Domino Duce Corvino, cui ea caſtra per Mathiam regem perhibentur eſſe
„ donata, ipſe Dominus rex Wladislaus juxta regni conſuetudinem, ſervatis
„ ſervandis, expeditam juſtitiam miniſtret; & cui partium prædictarum per hu-
„ jusmodi ſententiam ipſa caſtra obvenient, illius manibus rex ipſe ea tradere
„ teneatur indilate. Item in facto debiti, & querelarum, quas Nobilis Domi-
„ nus Thobias de Tſernahora propoſuit, in honc modum eſt conventum: in
„ primis Dominos rex Wladislaus tenebitur ipſi infra menſem, initium ejus a
„ feſto Martini computando, villas illas in Moravia, ſibi pro certa pecuniarum
„ ſumma obligatas, & per quondam Mathiam regem vi ablatas, reſtituere, ut
„ illis juxta vim, & tenorem litterarum obligationis libere uti poſſit, duo inſu-
„ per millia florenorum quoudam Mathiæ regi præfato per ipſum Dominum Tho-
„ biam mutuata, ſi ipſe Dominus Thobias per litteras, vel alia evidentia docu-
„ menta hujusmodi debitum probaverit, ipſe rex Wladislaus infra annum ejus
„ initium a ſæpe dicto ſancti Martini feſto computaudo, ipſi Domino Thobiæ,
„ aut eo non exiſtente, hæredibus ſuis reſtituere teneatur. De quinque milli-
„ bus florenorum inſcriptis ipſi Domino Thobiæ per ipſum Mathiam regem ſu-
„ per caſtro Sonberg, quandoquidem ex illis ipſe Dominus Thobias Domino
„ Wladislao regi tria millia de bona voluntate remiſit, conventum eſt, ut reli-
„ qua duo millia Dominus rex Wladislaus eidem in ſpacio doorum annorum,
„ initium eorum iterum a feſto ſancti Martini jam inſtanti computando ſolvat.
„ Quantum vero ad impenſas factas, in ædificia in Spilberg pertinet, conven-
„ tum eſt; quod de hujusmodi impenſis Dominus Thobias Capitaneum Mora-
„ viæ edoceat, quibus edoctis, & ad regiam Majeſtatem per Capitaneum dedu-
„ ctis, & conſtituto ex ipſius Capitanei relatione, quid ſua ſerenitas pro hujus-
„ modi impenſa ſolvere debeat, id infra annum a tempore declarationis ipſius
„ Capitanei, ipſi Domino Thobiæ ſolvere tenebitur. Item in facto crediti no-
„ bilis viri, Domini Wilhelmi Pamkircher, quod contra Provinciales Stiriæ,
„ & Carinthiæ proponit, ita conventum eſt, Majeſtas Imperialis demandabit præ-
„ fatis Provincialibus, ut ei dictum creditum ſolvaut, qui, ſi ſe in eo mandato
„ gravari querantur, tamquam jam dudum ab eo ſint abſoluti, conſtituere debe-
„ bit Cæſarea Majeſtas præfatis Provincialibus diem ad Grecz in feſto Purificatio-
„ nis celebrandam, ubi & ipſe Dominus Wilhelmus factores ſuos una cum ali-
„ quo Domini regis Wladislai ſervitore, habere debebit, & facta ratione, &
„ compnto de perceptis ex dicto credito, & conſtito quantum poſt hujusmodi
„ computum ſolvendum eidem reſtet, iſtius ſummæ dimidiom in termino primi
„ anni, ejus initium a concluſione computi faciendo, & alterum dimidium in
„ termino ſecundi anni immediate ſequentis præfati Provinciales ipſi Domino

1491. „ Wilhelmo ſolvere debebunt. Quod vero ad caſtrum Ketſch, ſive ejus reddi-
„ tus, & proventus ſpectat, conventum eſt, quod idem Dominus Wilhelmus
„ Cæſaream Majeſtatem de hujusmodi jure, litteris, & ſigillis, ut prætendit,
„ munitus informet, quibus juribus, ſi Cæſarea Majeſtas excipiendo contradi-
„ cat, ex tunc illi ſex in Heimburgum in facto Jacobi Székel, ut præfatum eſt,
„ venturi, an litteræ Domini Wilhelmi, an Cæſareæ Majeſtatis contra easdem
„ exceptio prævaleat, decernant, qui ſi cognoſcendo ſint pares, ex tunc Domi-
„ nus Thobias de Tſernahora a nobis Cæſareis, & regiis Oratoribus, ut hoc
„ onus in ſe aſſumat, interpellatus in præſentiarum, uti ſuperarbiter uni dicta-
„ rum ſententiarum accedere debebit, ex cujus cognitione, ſi caſtrum præfa-
„ tum, aut ejus redditus ipſi Domino Wilhelmo accedere debebunt, ex tunc
„ in ſpacio dimidii anni ejus initium a tempore hujus deciſionis computando,
„ Cæſarea Majeſtas Domino Wilhelmo caſtrum ipſum, vel ejus redditus reſti-
„ tuere, aut ejus loco octo millia florenorum Hungaricalium auri ſolvere debe-
„ bit: at ſi præfati ſex occaſione dicti Jacobi, ut puta, quia ejus cauſa absque
„ eorum conventu terminari poterit, in Hamburgam non eſſent acceſſuri, ni-
„ hilominus præſentis cognitionis gratia venire debebunt.

„ Item conventum eſt inſuper, quod Dominus rex Wladislaus, & regni-
„ colæ hos, qui ſe neutrales in hoc bello conſtituerunt, ut Sopronienſes, &
„ alios, æque, ut alios regni ſubditos gratia & benevolentia complectantur, &
„ occaſione illius neutralitatis aut cujusvis alterius cum Romanorum rege in-
„ telligentiæ, nulla indignatione, aut ſtatuum ſuorum detrimento perſequantur.
„ Item quantum ſpectat ad caſtra ipſius Gyleys, ita conventum eſt, ſi coram
„ præfatis ſex in Heimburgum in facto Jacobi Székel venturis, documentis
„ apertis docebitur pro parte Cæſareæ Majeſtatis, Cæſaream Majeſtatem ejus
„ caſtra ut hominis rebellantis ſuæ Majeſtati obſediſſe, priusquam ſuæ Majeſtati
„ de novo, quandoquidem poſt mortem Mathiæ regis ſe in ſubjectionem Cæ-
„ ſaream dederit, nomine Domini regis Wladiſlai diffidaverit, excluſus ſit a
„ beneficio præſentis tractatus: ſi autem oſtendetur, quia ante hujusmodi ob-
„ ſeſſionem, & poſt reconciliationem, & agnitam naturalis domini ſui ſuperio-
„ tatem, Cæſari nomine regis Wladiſlai bellum indixerit, gaudeat beneficio tra-
„ ctatus præſentis, ita, ut caſtra ſua ſic ablata, eidem reſtituantur. Item ex
„ quo caſtra, & dominia omnia ipſius domini de Pottendorff ad manus Cæſareas
„ venire debebunt juxta prius concluſa, ipſe autem filiam unicam reliquerit
„ ſuperſtitem, conventum eſt, quod ſua Majeſtas eidem bona ſua hæreditaria,
„ aut jura debita, reſtituat, & donec ſit minor annis, ei de tutore provideat.

„ Item conventum eſt, quod ex adverſo Romanorum rex univerſa ca-
„ ſtra, & munitiones hoc tempore belli per ſuam Majeſtatem in Hungaria,
„ Croatia, Sclavonia, & ceteris provinciis qualitercunque ad Hungariam per-
„ tinentibus, per ſe, aut alios expugnata, vel alias qualitercunque in deditionem
„ recepta, infra hinc, & feſtum Sanctæ Luciæ præſcriptum ita, ut hujusmodi
„ caſtrorum traditio hinc inde eodem tempore fiat his, quorum fuerunt, &
„ de quorum manibus recepta ſunt, reddere, vel reſtitui facere teneatur, &
„ præſertim Sabariam (*y*) vulgariter *Stein am Anger*, Zentgerod, Körmend,
„ Marvankew, Koſtel, & alia omnia, quæ in ſuis, aut ſuorum ſubditorum
„ manibus habet, & hic non ſunt expreſſa ſuis nominibus. At caſtrum Terſat,
„ quod ut fertur, eſt in manibus Cæſareis, conventum eſt, ut in ſuæ Majeſtatis ma-
„ nibus cum ſuis pertinentiis, quoad vitam ſuæ Majeſtatis dumtaxat maneat, &
„ ſua Majeſtate ex human s ſublata, absque ulteriori cunctatione ad regnum re-
„ dire debeat, quod ut certius fiat, tenebitur ſe Maximilianus rex de tradendo
hujus-

(*y*) Non igitur recte BONFINIUS, & poſt hunc ISTVANFY ſcribunt, Sabariam per Thomæ Jaurinenſis Epiſcopi milites interceptam eſſe.

» hujuſmodi caſtro poſt Cæſaris mortem ipſi regno, vel regi, ſi interea modo 1491.
» ſuperius expreſſo regno non præficeretur, pro ſe, & hæredibus ſuis inſcribere,
» & obligare. Item quantum ad caſtrum Zdencz attinet, conventum eſt, ut ex
» quo ad illud Dominus Vayvoda Tranſilvanus plenum jus babere aſſerit, ma-
» nibus ſuis per regiam Romanorum Majeſtatem aſſignetur, quando Dominus
» Wladiſlaus rex ultimam faciet Cæſari caſtrorum prædictorum reſtitutionem,
» ita quod hujuſmodi reſtitutio hinc inde eodem tempore fiat. Item conven-
» tum eſt, quod Dominus Wladiſlaus rex filiis quondam Udalrici Graffneker
» provideat de aliquo honeſto tutore, qui caſtrum Scharffenek e manibus Ro-
» manorum regis, aut ſuorum ſubditorum ſuo tempore recipiat, & ad manus
» dictorum filiorum, una cum aliis eorum bonis fideliter cuſtodiat, & ipſis ad
» legitimam ætatem pervenientibus caſtrum ipſum cum his pertinentiis, & aliis
» bonis reddat, & rationem perceptorum, & expoſitorum faciat.

» Item ex quo tres Majeſtates in hanc ſententiam convenerunt, quod
» hinc inde adhærentium caſtra & dominia, quibus ablata ſunt, reſtituantur,
» & fortaſſis aliqui ex his in regno Hungariæ, quæ hujuſmodi caſtra tenent,
» in eisdem reddendis, ſive reſtituendis ſeſe difficiles exhibere, aut prorſus in-
» obedientes oſtendere poſſent, conventum eſt, quod tam Cæſar, quam Ro-
» manorum rex, quam Dominus Wladiſlaus rex, & regnum Hungariæ unanimi
» conſilio, & auxilio contra tales inſurgere, & eos ad reſtitutionem hujuſmodi
» caſtrorum, his, quibus ablata ſunt, non ſolum compellere, verum etiam
» contumacia eorum creſcente, & exigente, omnia eorum bona confiſcare, &
» perſonas ipſas exterminare debebunt. Ita ſimiliter de ſubditis Cæſareæ Maje-
» ſtatis obſervari debere in hoc caſu conventum eſt: ſi tamen aliqui ad hujus-
» modi caſtra ſic obtenta jus habere prætendant, illud juxta conſuetudinem patriæ,
» jure, non violentia requirere teneantur.

» Item conventum eſt, quod neque Cæſarea Majeſtas, neque Romano-
» rum rex, ſubditos coronæ regni Hungariæ rebelles, inobedientes, aut alios
» quocunque pacto, cum Domino rege Wladiſlao non bene ſentientes, in ſui
» defenſionem, & protectionem, aut caſtra, & munitiones eorum, quas tali
» caſu offerre poſſent, recipiant, aut quoquo quæſito fuco auxilia, aut conſilia
» occulta, aut manifeſta præſtent, ſed ad eos confugientes repellant, & ſe neque
» de perſonis, neque de bonis, & caſtris eorum intromittant: idque cum ſub-
» ditis, & baronibus eorum fieri diſponant, contra venientes serioſe puniendo.
» Iidem viciſſim fiat de ſubditis Cæſareæ, aut regiæ Romanorum Majeſtatum
» rebellantibus, dolo, & fraude remotis.

» Item omnes in bello iſto captivi ab utraque parte, quam primum poſt
» feſtum ſancti Martini, absque ulteriori detrimento liberi pronuncientur, &
» holdæ, & aliæ exactiones jure belli promiſſæ inſuper, & captivorum taxationes
» uſque in hanc diem ſancti Martini non ſolutæ, deinceps non ſolvantur, neque
» petantur: tum & earum ſolutionum gratia fidejuſſores a fidejuſſione liberi pro-
» nuncientur, non obſtante quacunque pactione; ſub quacunque conditione in-
» ter partes hinc inde concluſa, etiamſi expreſſis verbis beneficio præſentis re-
» laxationis renunciaſſent. Omnibus nempe hujuſmodi, & aliis obligationibus
» non obſtantibus, quidquid usque ad præfatum feſtum ſancti Martini ſolutum
» non fuerit, deinceps non ſolvatur. Item mercatoribus liber ſit omni quaque
» acceſſus, & negotiatio, tam in aquis, quam in terris, ſolutis tamen teloneis,
» & aliis pro eorum mercibus ſolvi conſuetis. Sed quoniam quidam mercato-
» res tempore reſtitutionis Albæ Regalis, ad manus Domini Wladiſlai regis ſeſe
» in mercibus, & ſervitoribus eorum, illic contra articulos in ceſſione loci præ-
» fati concluſos, & quidam ex illis etiam contra ſalvum conductum regium, vim,
» & damnum paſſos conqueruntur, conventum eſt, ut ejus querelæ diſcuſſio

1491. „ ad illos ſex in Hamburga convenire debentes, remittatur, & in hac re eorum judicio ſtetur.

„ Item generaliter omnes confœderati, omnes adhærentes Principes ſacri „ Romani Imperii, & alii quacunque dignitate, titulo, vel officio ſint inſigniti, „ cum eorum ſervitoribus in hac pace, & unione intelligantur eſſe incluſi: omnes „ inſuper vaſalli occaſione præſentis adhæſionis, & belli feuda ſua petere negligentes, illud deinceps a Domino, cujus eſt feudum, petant, quod quidem „ feudum, ob tempus neglectum, aut adhæſionem ad Dominum feudi, non intelligatur devolutum.

„ Item ſi quiſpiam ſubditus coronæ regni Hungariæ actionem, ſive querelam habuerit, vel habiturus ſit contra ſubditum Cæſareæ, aut regiæ Romanorum Majeſtatum, conveniat eum coram officialibus Cæſareis, vel regis Romanorum, prout juris eſt, & patriæ conſuetudinis, ſimiliter fiat & ex adverſo, ſi ſubditus Cæſareæ Majeſtatis, aut Romanorum regis actionem, vel „ querelam habeat, vel habiturus ſit contra ſubditum coronæ, & ut pro utraque parte vitentur ambages, & expenſæ, Capitanei a parte Cæſareæ Majeſtatis, aut parte Domini regis Wladiſlai, & regni, in loco rei, vel conventi, „ querulantibus ſimpliciter, & de plano juſtitiam ſummarie, quoties opportunum fuerit, miniſtrare debebunt. Qui ſi cauſam hujusmodi diffinire non poſſent, eam remittent ad Principem rei, vel conventi, qui poſt remiſſionem „ in ſpacio unius menſis, in quantum jus admittit, cauſam hujusmodi juſtitia „ mediante finire teneatur. Item ſi quiſpiam ſubditorum Cæſareæ Majeſtatis, „ aut Romanorum regis contra ſubditum coronæ actionem habens, non quæſita, aut expectata juſtitia, propria authoritate, aut vi armorum, illi, contra „ quem hujusmodi actionem habet, aut alteri regnicolæ quocunque quæſito colore damnum inferre præſumſerit, ex tunc hinc Cæſar, vel rex, illinc Hungariæ rex per Cæſarem, vel Romanorum regem requiſitus, contra hujusmodi ſubditum inſurgere, & eundem pro modo exceſſuum ſuorum, etiam usque ad exterminium, & ejectionem a patria, & bonorum confiſcationem caſtigare tenebuntur: ſimili modo per omnia procedatur circa ſubditum regni „ ſimili temeritate contra ſubditum Cæſareæ, aut regiæ Romanorum Majeſtatum „ quidquam contra jus attentare conantem.

„ Item conventum eſt, quod Cæſar, & Romanorum rex hanc pacem, „ & unionem ſub generalibus ſcripturis, ſanctiſſimo Domino noſtro, & collegio Cardinalium intiment, ſanctitatem ſuam certiorem reddendo, quod hunc „ Dominum Wladiſlaum regem deinceps pro vero, & indubitato Hungariæ „ rege habeant, & recognoſcant, obedientiam, quam præſtiterit, acceptent, „ & ſuam ſerenitatem, ut in principio hujus tractatus ſcriptum eſt, promovendo.

„ Item conventum eſt, ſi ſtipendiarii utriusque partis, pro convenienti, „ & honeſta laborum ſuorum ſatisfactione non contenti, fraternitates, & uniones inter ſe facere, & regna, Principatus, & dominia illius, aut alterius „ Principis vi aut armis invadere conſtituerent, ex tunc ambo reges, & Cæſar „ una cum ſuis ſubditis, pari conſenſu contra tales inſurgere, & eos, uti pacis „ violatores punire, & ejicere teneantur.

„ Item concluſum eſt, quod ſacra Imperialis Majeſtas, Romanorum rex, „ & Dominus Wladislaus rex hunc præſentem tractatum cum inſertione articulorum, de verbo ad verbum, de novo roborent, & confirment. Et hujusmodi roborationis, & confirmationis litteræ Cæſareæ, & regiæ Romanorum „ Majeſtatum una cum litteris concernentibus caſtrum Therſat, ſimiliter & domini

„ mini Wladiſlai regis in Hamburgum ad diem ſanctorum Fabiani, & Sebaſtiani „ proxime futurum portentur, & illic hinc inde aſſignentur, ita, quod hu- „ jusmodi litterarum aſſignatio hinc eodem die fiat.

„ Item certis reſpectibus neceſſariis, præſertim pro ſolidiori præſentium „ articulorum firmatione, & integritate amicitiæ eorum, & manutentione re- „ gnorum, terrarum, & dominiorum ſuorum, tum & nova inter reges ambos „ & Cæſarem confœderatione pro unitis auxiliis contra quoscunque præſtandis, „ & aliis rebus ingruentibus, conventum eſt, quod poſt feſtum Pentecoſtes, „ cum Dominus Wladiſlaus rex ab alia generali dieta, de qua in articulis præ- „ ſcriptis abſolutus fuerit, Romanorum Imperator, & rex, & ſua ſerenitas in „ aliquo loco, de quo poſtea concordabunt, perſonaliter convenient, & illic de „ omnibus, quæ opus ſunt, concordabunt. Item conventum eſt, quod dein- „ ceps nullius differentiæ, aut diſſenſionis cauſa, etiam inter Principes ipſos, aut „ eorum ſubditos, quantumcunque potentes, aut inferiores, ſive occaſione ju- „ risdictionis, aut contractus cujuscunque, ſive confinium, aut metarum Do- „ miniorum, ſive delicti ſubditorum, ſive alia quacunque cauſa, nulla exce- „ pta, exortæ, Principes ipſi ad arma, aut hoſtilitatem deveniant: ſed quoties- „ cunque talis caſus in futurum accidet, ſi quidem is per Capitaneos, & officia- „ les locorum determinari non poſſit, Principes ipſi Conſiliarios ſuos utrinque „ in aliquo loco competenti convenire faciant, & illis plenam authoritatem, hu- „ jusmodi differentias ſopiendi, & prorſus tollendi concedant: Et quidquid „ per hujusmodi Conſiliarios decretum fuerit, id ab utraque parte obſervari „ debebit.

„ Poſtremo quantum ad caſtrum Coſtel pertinet, quod, tamquam in præ- „ ſenti bello hoſtiliter captum eſſet, inter alia, ut Domino regi Wladiſlao aſſi- „ gnaretur, in articulis præcedentibus connumeratur, conventum eſt, quod „ idem caſtrum in illius manibus, qui hoc hodie tenet, remaneat, ſervitiis, „ oneribus, & impoſitionibus generalibus ad colonos, uti aliis regni colonis „ fieri eſt conſuetum, ſimiliter & præſtatione fidelitatis de eodem caſtro regi Hun- „ gariæ, uti ab antiquo introductum eſt, ac aliis juribus, ſi quod quispiam ad „ idem caſtrum habere prætendit, ſemper ſalvis. In quarum rerum robur, fi- „ dem, & teſtimonium, has præſentes litteras ſcribi, & ſigillis noſtris ſolitis „ communiri fecimus, & pro majori ſecuritate omnium ſupradictorum manus „ noſtras proprias hic infra ſubjunximus. Datum, & actum Poſonii die Lunæ „ poſt feſtum ſancti Leonardi, anno Domini MCCCCXCI.

„ Ego Thomas Epiſcopus Jaurienſis recognoſco ſupra ſcripta manu „ propria.

„ Ego Georgius de Bathor, nomine patrui mei Domini Stephani de Ba- „ thor Vayvodæ &c. ſcribere ignorantis, recognoſco propria manu.

„ Joannes de Schellenbergk Cancellarius regni Bohemiæ manu propria.

„ Ego Thomas Epiſcopus, qui ſupra, pro Domino utroque Ladiſlao „ de Guth, & de Roſzgon, qui ſcribere ignorant, propria manu me ſubſcri- „ pſi. (a)

„ Wilhelmus Pamkircher recognoſco manu propria.

„ Joannes de Rupow Protonotarius regni Bohemiæ manu propria.

(a) Interjecta eſt manus Germanico charactere: Benuß von der Weitmül, mein Hand.

His conditionibus alias quoque Bonſinius adjicit.

Hæc fœderis capita erant, quibus Bonſinius addit, *ne ſummi honores ulli, ut Duumviratus ſacri diadematis, Palatinatus, ut omnia tam ſacra, quam profana, & provinciarum præfecturæ, niſi interpoſita amborum auctoritate, & jurejurando utrique dato, capi poſſent.* (*b*) Quod ex quo fonte hauſerit, quando tabulæ nihil iſtorum meminerunt, ignoro: opinor errori cauſam iſthinc datam, quod a Proceribus tam ſacri, quam profani ordinis prius, dignitatem quam adirent, ſacramentum Maximiliano dicendum eſſet, ſe ei ſucceſſionis jura ex pactis conventis bona fide ſervaturos eſſe. Alioquin conferendæ dignitatis poteſtas, quibus vellet, libera regi ſemper, & alieno arbitrio minime obnoxia fuit.

Rex præterea juri materno in Auſtriam renunciat.

Wladislaus præter hæc, quæ in conventu Poſonienſi palam per Oratores Principum ſuorum nomine acta ſunt, privato etiam ſtudio cum Cæſarem, tum Maximilianum ſibi conciliare ſatagebat, facileque juri, quod in dotem, Eliſabethæ matri ſuæ nondum, ut Ladislaus poſtumus ſe facturum recepit, in ſolidum perſolutam habere videbatur, renunciaverat, eademque opera nihil ſe, quantum ad Auſtriæ ducatum materno jure attineret, ſucceſſionis cauſa moturum pollicitus eſt. (*c*) Quæ res, ut regno Hungariæ nihil prorſus incommodaverat, ita privato quoque regis commodo, præter Maximiliani benevolentiam, nihil acceſſionis adjecit.

(*b*) Dec. V. Lib. II.

(*c*) Exſtant ea de re litteræ Wladisl. regis in ſanctiori tabulario Aug. Domus. Datæ Budæ feria quarta poſt Eliſabethæ (23 Novembris) anno 1491.

LIBER

LIBER IV.

Legati domum reduces cum pacis conditiones promulgant, vim populi ægre effugiant.

Poſtquam Legati domum reverſi ſunt, placuit conditiones pacis, ut fœdere conventum erat, in vulgus efferri, ac juramento firmari. Itaque concitis in forum Divi Georgii, quod pro palatio regis fuit, Nobilibus, atque cunctis populi ordinibus, Thomas Bikacſius, ac Stephanus Bathorius Legationis Principes, ſermonem ad concionem exorſi, (*a*) cauſas primum, quibus ad ineundam cum Germanis pacem compulſi fuiſſent, aperiunt, tum explicatis, quæ iſthinc in omnes redundatura eſſeut, commodis, fœderis conditiones promulgant. Cum ad eam partem ventum eſt, qua regni jus, improle Wladiſlao, ad Maximiliani hæredes transferri audierant, oborto repente clamore: *millies ſe morituros potius, quam Germanoram ſervitutem ſubeant* (*b*) incondita vociferatione obſtrepebant, coortaque ſeditione, vix ab armis ſibi temperabant, ut adeo Legati ægre concioni ſeſe clam ſubducere, & in arcem recipere incolumes poſſent. Sopitus rege in publicum prodeunte tantiſper tumultus eſt, ne in cædes prorumperet; animi tamen tam fœdis, ut videbatur, conditionibus exacerbati minime ad frugem reducti: quin non defuere, qui tabellas noctu per trivia ſpargerent, affigerentque templorum valvis, quibus aperte pacis conditiones, ac Legatorum proditionem averſabantur, omnesque ſenſim dilabi, ue ad dicendum Sacramentum, hoc enim agi in primis videbant, ingratiis ſuis cogi poſſent.

Pauci ex Proceribus eas ratas habent.

Nullo negotio hinc cognitum eſt, pacis conditiones ab regni Optimatibus, ſi comitia indicerentur, non facile, ut nuper Poſonii convenerat, jurejurando firmatum iri, præſertim, quod non pauci Proceres cum Nobilium ordine palam, aperteque fœderis tabulas ſugillarent. Itaque Wladiſlaus, qui, uiſi confecta cum Maximiliano pace, minime tutam ſibi regni poſſeſſionem futuram arbitrabatur, vocatis ſeorſim, quorum fidem certis indiciis cognitam habuit, Proceribus, facile impetravit, ut fœdus cum Romanorum rege initum, ſuis quoque nominibus interpoſita litterarum fide, ratum in hæc verba haberent: (*c*) *Nos Osvaldus Zagrabienſis, Valentinus Varadienſis, Joannes Cſanadienſis, Nicolaus Vaczienſis, Stephanus Sirmienſis, Frater Georgius Nitrienſis, Lucas Boznenſis, Eccleſiarum Epiſcopi, Dominus Præpoſitus Eccleſiæ Albenſis, item Joannes, & Petrus Fratres, Comites de Bozyn, & de ſancto Georgio, Ladiſlaus de Loſſonz Tavernicorum, Bartholomæus Dragfy de Belthewk Cubiculariorum, Georgius de Thurocz Pincernarum regiorum magiſtri, Petrus de Docz, Nicolaus Pethöfy de Gerſe, Prælati, Barones, & Proceres regni Hun-*

(*a*) BONFIN. loco cit. narrat, pacis conditiones primum omnium concito populo a Varadienſi Bohemica lingua vulgatas eſſe. Niſi id Bohemorum, quos Wladiſlaus adduxit, cauſa factum ſit, non video quare, & quomodo fieri potuerit. Alioquin ut idem habet Jaurienſis Epiſcopus patrio ſermone Hungaris fœderum capita explicuit.

(*b*) ISTVAN. Hiſt. Lib. II. ſimilia BONFIN. loco cit. & Gerardus de Roo Lib. X. Hiſt. Auſtr. habent.

(*c*) Ex tabulis authenticis ſanctioris Tabularii Auguſt. Domus in Auctar. Diplom. Ct. KOLLARII ad Urſini Velii hiſtoriam adjecto.

1491. *Hungariæ, recognoſcimus, & tenore præſentium notum facimus univerſis. Quod cum diebus his ſuperioribus ſereniſſimus Princeps, & Dominus, Dominus Wladislaus Hungariæ, Bohemiæque rex &c. Dominus noſter gratioſiſſimus, accedente voluntate, & conſilio reliquorum Dominorum Prælatorum, Baronum, & Procerum ſuorum tum apud Majeſtatem ſuam agentium, ad tollendas, & prorſus ſopiendas omnes hoſtilitates, guerras, differentias, & diſſenſiones inter ſereniſſimos, & invictiſſimos Principes, & Dominos, Dominos Fridericum Imperatorem, & Maximilianum regem Romanorum ſemper Auguſtos &c. ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. reges, eorum terras, principatus, dominia, ſubditos, & incolas ex una, & ſereniſſimum quondam Dominum Mathiam Hungariæ, & Bohemiæ regem, conſequenterque eundem ſereniſſimum Dominum noſtrum Wladislaum regem, & hoc inclitum regnum Hungariæ ex altera partibus, dudum tempore præfati ſereniſſimi quondam Domini noſtri Mathiæ regis bonæ memoriæ exortas, & in hæc uſque tempora continuatas, reverendum in Chriſto patrem Dominum Thomam Epiſcopum Eccleſiæ Jaurinenſis Cancellarium ſuum, item magnificos Dominos Comitem Stephanum de Bathor, judicem curiæ ſuæ regiæ, & Vayvodam Tranſilvanum &c. nec non Joannem Schellenbergk, regni Bohemiæ cancellarium, Ladislaum Orſzág de Guth Agazonum, alterum Ladislaum de Rozgon Cubiculariorum regiorum Magiſtros, Beneſium Weitmiller Bnrggraffium in Carlſtein, & magiſtrum monetarum in montibus Cuthnis, Wilhelmum Pamkircher de Zalonok, & Joannem de Rupovv magiſtrum curiæ regni Bohemiæ &c. Oratores, & nuncios ſuos, fratres vero, & amicos noſtros, ſuo, & regni hujus, nomine cum plenaria, & omnimoda authoritate ſpecialiter deputaverit, illique cum Oratoribus, & nunciis præfatarum, Cæſareæ, & regiæ Romanorum Majeſtatum ad id ſimiliter ſpecialiter deputatis convenientes, hujusmodi hoſtilitates, & differentias univerſas extinxerint, & ſopiverint, perpetuamque pacem, & concordiam inter ipſas tres Majeſtates, regnaque, principatus, terras, dominia, & ſubditos eorundem ſub modo, & forma articulorum deſuper confectorum concluſerint; Nos itaque libera, & ſpontanea noſtra voluntate fatemur, & recognoſcimus, quod, quidquid in cauſa hujusmodi pacis, & concordiæ præfati Oratores ſcilicet noſtri inter ipſas tres Majeſtates, regnaque, & Principatus, ac ſubditos earundem tractaverunt, concluſerunt, & litteris atque ſigillis eorum firmaverunt, id totum de noſtra mente, voluntate, conſilio, authoritate, & poteſtate, per nos eisdem conceſſa egerunt, & fecerunt. Atque ideo tractatus hujusmodi, omniaque per eosdem Oratores concluſa, & firmata acceptamus, approbamus, laudamus, & ratificamus, atque obſervare bona fide noſtra promittimus, harum noſtrarum vigore, & teſtimonio litterarum, ſigillorum noſtrorum conſuetorum appenſione communitarum mediante. Datum Budæ in vigilia beati Andreæ Apoſtoli, anno Domini MCCCCXCI.*

Quas Wladislaus ſuo quoque nomine confirmat.

Wladislaus quoque, ut pactis conventis morem gereret, quam primum confirmatas procerum nominibus pacis tabulas intellexit, ſua etiam authoritate fœdus ratum habuit, ac bona ab ſe fide ſervatum iri, litteris firmavit. (*d*) *Nos Wladislaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Cumanæ, Bulgariæque rex, nec non Sleſiæ, & Lucemburgenſis Dux, Marchio Moraviæ, & Luſatiæ &c. recognoſcimus & tenore præſentium notum facimus univerſis. Cum nos, qui pacis, & concordiæ cupidi ſemper ſumus, & illam cum omnibus principibus chriſtianis, quantum in nobis eſt, habere, & tenere, viresque, & facultates noſtras pro bono communi, & ſalute rei publicæ Chriſtianæ, in hoſtes potius fidei, ſanguinem chriſtianum, & perniciem religionis catholicæ ſine fine ſitientes, quam in chriſtianos ipſos convertere, & expendere ſemper optamus, in cauſa guerrarum, & diſſenſionum earum, quæ inter ſereniſſimos Principes, Dominos Fridericum Imperatorem, & Maximilianum regem Romanorum ſemper Auguſtos, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. ſimiliter reges, nec non ſereniſſimum principem, quondam Dominum Mathiam ſimiliter Hungariæ, & Bohemiæ, &c. regem, prædeceſſorem noſtrum claræ memoriæ, & tandem inter nos ſuſcitatarum, infra nominatos Oratores, & nuncios noſtros ſpeciales cum plena & omnimoda noſtra, & ejusdem regni noſtri Hungariæ facultate, ad conveniendum, & tractandum, ſimiliter cum infraſcriptis Oratoribus, & nunciis ſpecialibus, præfatarum Imperialis, & regiæ Romanorum Majeſtatum his diebus ſuperioribus deputaſſemus, & hi ex utraque parte in civitate noſtra Poſonienſi, fraterne, & amicabiliter conveniſſent, pluribus prius,*

ac

(*d*) Ibidem.

ac notabilibus inter ſe habitis tractatibus, poſtremo, bono, ut non dubitamus aſſiſtente ſpiritu, in infra ſcriptos articulos pacis, ac concordiæ, cum bona ac matura deliberatione devenerunt, illosque pari, & unanimi voluntate, & conſenſu in virtute mandatorum, quæ utrinque habebant, pro utriusque partis commodo, & quiete, proque totius rei publicæ chriſtianæ conſolatione, & tranquillitate, ac bono communi concluſerunt, litterisque ac ſigillis corum, in hunc, qui ſequitur, modum firmaverunt. Tum integras fœderis tabulas quemadmodum a nobis ſupra in medium prolatæ ſunt, litteris inſerens, ratasque habens in hæc verba concludit: *Nos itaque Wladislaus rex præfatus, qui, ut præmiſſum eſt, pacis ſemper zelatores, & amatores ſumus, communeque bonum, & Catholicæ religionis incrementum cordi ſemper habemus, ſemperque pro noſtra virili promovere cupimus, viſis, & examinatis prædictis articulis, capitulis, & concluſionibus, penſantes, illos non ſolum honori, quieti, & commodo utriusque partis, & regnorum, ſtatuumque & principatuum earundem, ſed etiam rebus fidei & univerſæ rei publicæ chriſtianæ plurimum conducere: eosdem igitur in omnibus ſuis partibus, capitulis, & punctis laudavimus, approbavimus, acceptavimus, & ratificavimus, ex certaque noſtra ſcientia, & animo deliberato laudamus, approbamus, acceptamus, ratificamus, & roboramus per præſentes, promittentes pro nobis, & hæredibus noſtris in verbo noſtro regio, & bona fide mediante, quod illos firmiter, & inconcuſſe obſervabimus, eisdemque in præmiſſis omnibus clauſulis, punctis, & ſententiis, realiter, & cum effectu ſatisfaciemus; dolo, & fraude in his omnibus ceſſantibus, quibuscunque. In cujus rei fidem, & teſtimonium, ſecretum ſigillum noſtrum, quo, ut rex Hungariæ utimur, præſentibus fecimus appendi. Datum Budæ in feſto beati Nicolai Epiſcopi, & Confeſſoris anno Domini MCCCCXCI. regnorum noſtrorum, Hungariæ anno ſecundo, Bohemiæ vero vigeſimo primo.* In eundem modum Maximilianus Romanorum rex, easdem fœderis conditiones, cum Oeniponti apud Tirolenſes ageret, annusque jam in exitu eſſet, vigeſima Decembris ſuo nomine confirmavit. (*e*)

An. Chr. 1492.

Tum Cæſar etiam ratas habet, & Saxonum civitates in Tranſilvania.

At Fridericus Cæſar ſequente primum anno pridie nonas Januarias datis Lincio litteris idem fœdus ratum habuit: (*f*) quod deinceps a plerisque Tranſilvaniæ urbibus, quas Saxones præcipue colebant, itidem factum reperio. Omnium primi Claudiopolitani jura ſucceſſionis, quæ Wladislaus in Maximilianum, ejusque hæredes transtulerat, ſuo conſenſu roborarunt. (*g*) Hos præterea Biſtricenſes ſequuti, (*h*) quorum exemplo Megyeſſinum quoque (*i*), cum Braſſovia (*k*) Cibinium, ac Segesvaria (*l*) ad fœderis communionem acceſſere.

Ad hæc Wladislaus X. florenum millia Friderico remittit.

Horum conſenſione, etſi pacis conditiones non pro eo, ac Cæſar cum Maximiliano optabat, firmatæ eſſent, ſatis tamen argumento erat, pacta conventa ab rege bona fide ſervatum iri, præſertim, quod non ſolum Friderico decem florenorum millia, quæ is ex pacto Mathiæ olim daturum ſe pollicitus erat, quorumve vadimonium Auſtriæ ordines in ſe receperant, ſponte, volensque remiſiſſet, ſed datis etiam XVII. calendas Apriles litteris ſe eam ſummam deinceps nunquam repetiturum fidem feciſſet. (*m*) *Nos Wladislaus Dei gratia rex Hungariæ, & Bohemiæ &c. recognoſcimus, & tenore præſentium notum facimus univerſis. Quod cum diebus his ſuperioribus univerſæ illæ guerræ, differentiæ, diſſenſiones, &c. hoſtilitates, omniaque bellorum incendia, quæ hactenus inter ſereniſſimos Principes, Dominos Fridericum Imperatorem, & Maximilianum regem Romanorum ſemper Auguſtos, & ex una, ab alia vero partibus, inter ſereniſſimum quondam Dominum Mathiam Hungariæ, & Bohemiæ regem, &c. prædeceſſorem noſtrum claræ memoriæ, & tandem inter nos fuerint medio Oratorum utriusque partis, Poſonii die Lunæ poſt feſtum beati Leonardi Confeſſoris anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo ſint ſopitæ, & extinctæ, paxque*

(*e*) Habentur litteræ in ſanctiori Tabulario Aug. Domus.

(*f*) Ibidem datæ in oppido Lyncz.

(*g*) Ibid. datæ Coloswari feria ſexta poſt feſtum Paſchæ anno 1492.

(*h*) Ibid. datæ Biſtriczii Dominica Quaſi modo geniti 1492.

(*i*) Ibid. Civitatis Megyeſſienſis, & duarum ſedium Saxonicalium. Datum Megyes ſine die, anno 1492.

(*k*) Ibid. datæ Braſſoviæ die SS. Philippi, & Jacobi 1492.

(*l*) Ibid. Civitatum Cibinienſis, & Segesvarienſis, aliarumque ſedium Saxonicalium partium Tranſilvanarum. Datæ Cibinii Dominica poſt feſtum Inventionis S. Crucis 1492.

(*m*) Ibidem.

1492. *perpetua, & unio, atque ſincera amicitia, ac fraternitas inita, & concluſa. Nos itaque ne minima etiam ſcintilla ulterioris belli, & diſcordiæ inter praefatos Imperialem, & regiam Romanorum Majeſtates, ac inter nos, regnaque, & principatus, ac dominia utriusque remaneat, ſed omnes differentiae, & belli materia, & occaſio de medio tollatur, obligotionem illam, ſive inſcriptionem, quam alias praefota Caeſarea Majeſtas, ſubditique, & omnes ſtatus ducatuum, & dominiorum ſuae Majeſtatis praedicto quondam Domino Mathiae regi, praedeceſſori noſtro, in primo concordia ſuper centum millibus florenorum per certas litteras ſuas patentes feciſſe dignoſcitur, eidem Majeſtati Imperiali, & ſereniſſimo Domino Maximiliano Romanorum regi, ejus filio, ſuisque haeredibus, noſtro, ha eredumque, & ſucceſſorum noſtrorum ac univerſi hujus regni noſtri Hungariae nominibus, ex certa noſtra ſcientia, & animo deliberato, juxta vim, & formam praemiſſae mutuae concordiae, & pacis relaxandi, & remittendi, & tam ſuas Majeſtates, quam etiam univerſos ſubditos ſtatus ducatuum, & dominiorum ſuorum ob ea obligotione, & inſcriptione penitus abſolvendi, atque omni via, jure, & forma meliori, quibus poſſumus, quietondi, easdemque litteras inſcriptionales ipſius Caeſareae Majeſtatis, & ſubditorum ſuorum caſſandi, & annullandi, imo remittimus, relaxamus, abſolvimus, quietamus, caſſamus, & annullamus, per omniaque invalidas relinquimus, harum noſtrarum vigore, & teſtimonio litterarum mediante. Datum Budae feria ſexta proxima ante Dominicam Reminiſcere, anno Domini MCCCCXCII. regnorum noſtrorum Hungariae &c. ſecundo, Bohemiae vero vigeſimo primo.* Ita rex eodem anno duos potentiſſimos hoſtes non tam armis, quam pace ab ſe amolitus eſt, quæ, ſi eventus rationem habeamus, non omnino commodiſſima, ſi auri, argentique vim, cujus ſimbolam in ſe rex acceperat, magis precio emta, quam per amicitiam comparata eſſe videri poteſt.

Indicto Budam conventu leges ſancit.

Pacata hunc in modum republica haud minor Wladislaum cura inceſſerat, de revocanda rurſus legum integritate, quæ domeſticis partium ſtudiis, ac bellorum cum exteris ſuſceptorum cauſa non modo fœdam labem contraxere, ſed armorum vi ita haud paucæ obſoleverant, ut injuriis, niſi in integrum revocarentur, modus vix aliquis reliquus eſſet. Indixerat eam ob cauſam ad calendas Februarias Budam regni conventum, inquo de ſumma rei communi conſilio, ac voluntate ageretur. Confluxere ingenti numero non ſolum ex Procerum, ac Nobilium ordine, quos ex ſingulis provinciis concire mos eſt, ſed alii quoque, quos & recens percuſſum cum Maximiliano fœdus, & rerum tractandarum gravitas, patriæque ſtudium ſuopte excivit. Ante omnia de legendo Palatii Comite, quæ dignitas abhinc quam Emericus Zapolya obiit, aliquot annis vacabat, ſuffragia rogata, omniumque conſenſione Stephanus Scepuſienſis Comes, defuncto Emerico ſubrogatus eſt. (*n*) Tum de iis, quæ ad rempublicam attinent, diligenter conſultatum, ac antiquatis partim, quæ Mathias conſtituerat, legibus, partim retentis, atque novis etiam pro temporis uſu adjectis, aut quæ obſcuræ erant, in clariori luce collocatis, decretum, quod noſtri jurisperiti majus vocant, per provincias regis nomine vulgatum, quod ſive in dicundo jure, ſeu aliis in rebus deinceps norma omnibus eſſet, ad quam publica rerum tractatio exigeretur.

Actum ibidem etiam de nuptiis cum Beatrice conflandis.

Actum etiam de conflandis inter regem, ac Beatricem nuptiis, quod non deeſſent, qui beneficiis Mathiæ, & reginæ muneribus capti, hujus partes tuerentur. Petrus in primis Colocenſis Archiepiſcopus omnium primus de ea re rogationem ad patres tulit, habuitque non modo conſentientes ſibi Proceres aliquot, ſed regem etiam tacita conſcientia victum, non prorſus ab eo conjugio alienum. Nam & promiſſas ab ſe Beatrici nuptias, ut regno facilius potiretur, minime abnuit, &, ſi modo feminæ, virum procaciter pene ambienti, creditum eſt, aliquanto, quam aut viduam, aut cœlibem par eſt, cum ea regem liberius

(*n*) Neque enim ante hanc annum usquam comperi, Stephanum Scepuſienſem ea dignitate ornatum fuiſſe: itaque veriſimile, hoc conventu, ut noſtris mos eſt, electum eſſe.

berius conſueſſe poſtea compertum fuit. (*a*) Refragati tamen plerique ſunt, præſertim qui ſucceſſionis jura in Maximilianum, ſi rex improlis decederet, traduci impatienter ferebant, ac ſterilitatem Beatricis peroſi, ut fœcundam, quæ tanto matrimonio minime defutura videretur, virginem duceret, auctores regi fuere.

Quæ repulſam paſſa ad Innocentium Papam, tum Colocenſem Arch ep. confugit.

Beatrix, quæ, cum hæc agerentur, Budæ erat, poſtquam intellexit verba ſibi dari, Strigonium rediit, atque hinc, ubi ſe penitus regii matrimonii ſpe excluſam vidit, ad patrem primum, ut Legatum, qui ſua jura tueretur, mitteret, tum ad Pontificem quoque litteras dederat, quibus de illota ſibi injuria graviter queſta, orabat Innocentium, ne ſe deſertam ab omnibus, in cauſa, quæ juſtiſſima eſſet, malevòlorum libidini deſtituere vellet. Neque ſatis ſpretæ, iratæque mulieri fuit, Pontificem in ſuas partes pertrahere, domi etiam ſoluto conventu munerum lorgitione, ac blanditiis non paucos Procerum aggreſſa, Petrum Coloceuſem, cul cauſæ ſuæ rationem in comitiis commendaverat, litteris convenit; magnopere flagitans, ut, qua apud regem eſſet gratia, captato aditu, illius animum emolliret. Ille, quod videret ſtudium in re, quæ omnibus improbata fuit, fruſtra teri, ita Beatrici reſpondit, ut nec negare voluntatis officium, nec cum dignitatis ſuæ detrimento operam polliceri videretur. (*p*) *Sacræ regmali Majeſtati Hungariæ, & Bohemiæ, &c. Dominæ meæ gratioſiſſimæ, Majeſtatis veſtræ fidelis Petrus Archiepiſcopus Colocenſis. Sereniſſima regina - - - Ad ea, quæ ſcribit nobis Majeſtas veſtra, non alud reſpondere ſcimus, niſi, quod ſæpe coram omnibus Dominis Prælatis una cum illis Majeſtati veſtræ diximus; cupere nos, & velle Majeſtati regiæ in primis tamquam Domino noſtro gratioſiſſimo, cui omni fidelitate obligomur, & deinde etiam veſtræ Majeſtoti ob illam clementiam, & bonitatem, qua nos proſequi dignatur totis viribus, & omni ſtudia inſervire. Proinde ſi quid eſt, quod cum bona gratia ſereniſſimi Domini regis mei, & cum benevolentia Dominorum Pralatorum, & Boronum faecre in obſequia Mojeſtatis veſtræ poſſumus, cum non dubitemus illos quoque Majeſtati veſtræ obſequentiſſimos, inter ceteras neque nos reperiet Majeſtas veſtra ſegniores. Cui vero, vel quibus omeis noſtris, Majeſtatis veſtræ negotia in curia regia commendemus, profecto cogitare non poſſumus, eum ſeiat Majeſtas veſtra nunc in curia regia neminem Dominorum, præter eos, qoi ad latus regium manere ſoliti ſunt, remanſiſſe. Nos autem propter adventum Turcorum Cæſaris, quotidianis rumoribus, & quidem ſemper deterioribus ita conſtringimur, ad gentes noſtras quamprimum expediendas, at vix ſit nobis reſpirandi locus. Conſervet Omnipotens Majeſtatem veſtram incolumem, lætam, & felicem ad vota: cui nas, & obſequia noſtra iterum, iterumque commendamus. Ex caſtra naſtro Bachienſi die Sabati ante Sophiæ Virginis MCCCCXCII.* Parum itaque præſidii in amicis ſuis repoſitum videns, tempori conſilia accommodabat, ſpe haud dubia, Pontificem maximum, patremque Ferdinandum operam daturos, ut ſeſe ex invidioſa hac cauſa cum decore explicarent.

Confectis cum Bajazete induciis, nihilo tutiores domi res ſunt.

Ceterum rumor de Turcarum adventu, cujus Colocenſis memoriam in litteris facit, non de nihilo ſparſus, neque inanis fuit. Redierat a Bajazete Emericus Czoborius (*q*), quem anno priori Wladislaus Legatum Conſtantinopolim miſerat, ac ſpem juxta, & metum ex æquo auxit. Conflatas quidem his capitibus inducias referebat: ut neutri partium ſeu vi, ſeu dolo in hoſticum ingredi fas eſſet, neque caſtrum, urbem, oppidumque occupare: ſi fieret, cum da-

(o) Exſtant Alexandri Papæ litteræ, ubi inter cetera hæc habentur: *Sæpius Majeſtatem tuam de venerabili fratrum noſtrorum ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinalium conſilio tum litteris, tum per bonæ memoriæ Urſum Epiſcopum &c. Nuncium Apoſtolicum ad tuam Majeſtatem, paterna monitione bortati ſumus, ut chariſſimam in Chriſto filiam noſtram Beatricem de Arragonia, claræ memoriæ Mathiæ Hungariæ regis relictam, cum qua, ut ipſa aſſerit, matrimonium per verba de præſenti legitime contraxiſti, ac carnali copula conſumaſti, in uxorem traduceret &c.*

(p) Idem Codex MS. rerum ſub Wladiſlao II. geſtarum.

(q) In inſtrumento mandatorum Legati ad Bajazetem poſtea miſſi, Emericus nominatim exprimitur. Quare in Martini loco, quem Bonfinius habet, ſubſtitui Emericum, quod ſæpe alias Bonfinium in nominibus lapſum compererimus.

damni penſatione redditum, & captivos ſine precio reſtitutum iri: (r) poſtea tamen, quam ictum cum Maximiliano fœdus comperiſſet, vehementer nutare, omneſque apparatus, quos terra marique maximos fecerat, ac Sophiam deſtinarat, mutata animi ſententia, verſus Peloponeſum convertiſſe, ut adeo in quam partem incubiturus barbarus eſſet, haud ſatis conſtaret. Tauruno quidem, ut nunc res eſſent, nihil magnopere timendum videri, facturum tamen regem ſapienter, ſi, quod nulla etiam diligentiſſima in barbaros cura ſupervacanea unquam fuiſſet, urbem, quæ hoſtis injuriæ proxime objecta eſſet, ad vim propulſandam diligenter compararet. Placuit Legati ſententia, præſertim, quod Colocenſis Archiepiſcopus datis ad regem litteris incertas Bajazetis molitiones indicans metum magnopere augeret. (s) Sciat, inquit, *Majeſtas veſtra heſterno die ex Belgrado hæc nova nobis fuiſſe allata: quod Turcorum Cæſar in Plodyn fuerit ante diem quintum decimum conſtitutus cum ingenti apparatu. Baſſa vero in Sophia dicitur cum decem millibus Janiſſariorum eſſe in Cæſaris comitatu: viginti millia Thimariotarum . . ., præterea ſeptem millia Chiauſſiorum, & reliquæ multitudinis non eſſe numerum. Turcorum etiam decem millia eſſe, cupro, & ſagittis, ac bombardis, & omnis generis inſtrumentis, & machinis onerata, claſſem quoque plus quam poſſit explicari. Nondum vero ex transmaritimis copias in partem citeriorem trajeciſſe, ſed in dies trajicere, & feſtinato juſſos omnes ſubſequi Cæſarem.*

Itaque Belgrado in primis cau. um.

Wladislaus, cognito Bajazetis conſilio, confeſtim mandata ad Præfectos miſerat, ut Belgradum omnibus ſuſtinendæ obſidioni neceſſariis rebus inſtructum adverſus vim compararent, miſſiſque, qui præſidio urbi eſſent, mille Bohemis militibus, mœnia cum propugnaculis, foſſiſque ex ritu militaris diſciplinæ reparari juſſit. Eodem ſtudio Temesvarinum, Jaïcza, Severinum, & Sabacſium communita fuere. Ea diligentia territi barbari, ſeu prodita ſua conſilia putabant, ſeu noſtrorum conatus vererentur, vires alioſum convertere. Sabacſium tamen acerrimo per noctem aſſultu ab iis tentatum: ſed cum magna præſidiariorum virtute rejecti eſſent, accepta inſigni clade, & re infecta diſceſſum eſt.

Legatus Neapoli miſſus fruſtra nuptias Beatricis urget.

Hæc inter Andreas Caraffa, Comes Montorii, vir magna & nobilitate, & virtute Neapoli cauſa Beatricis affuit, captatoque Procerum ſtudio, utiliſſimas Ferdinandi, ac Alphonſi hujus filii nomine conditiones in medium propoſuit, ſi Wladislaus, quod alias, & crebro pollicitus erat, Beatricem ſibi jungeret, id beneficii genus patrem maximo loco habiturum, nec deſtiturum unquam quin grata ſemper memoria uſurparet. Wladislaus, qui & regni, & ſui cauſa conſtitutum habebat, repudiata Beatrice, aliam conjugio ſibi copulare, nec aperte etiam refragari e re ſua eſſe putabat, reſpondit, oblatam Ferdinandi amicitiam magni ſe ſemper feciſſe, cupereque omnino perpetuam eſſe, cum ob privatas regni ſui rationes, tum quod Caſimiro patri conjunctiſſimus fuiſſet. De matrimonio, quod per ſeſe expetendum videretur, alias ſe, quid animo conſtituiſſet, prompturum; nunc & plura ſibi negotia domi oborta, quam ut amoribus vacare poſſit, & patris recens defuncti dolorem, niſi decori publici rationem deſpicatui habere velit, vetare omnino, ut nuptias ambiret, miſſurum ſe Neapolim proxime Legatum, qui de ea re eum Ferdinando tranſigat.

Rex defuncto patri parentat, Bonfinio de

Cum hoc reſponſo poſtquam dimiſſus Caraffa fuiſſet, rex convocatis Proceribus, patri majori dolore, quam pompa, parentavit. Defuncti laudes Bonfinius, totius generis ſeriem altius repetens, prolixa oratione complexus eſt, regiſque mœrorem utcunque mitigavit. Ab exequiis Legati Ladislaus (t) Kanyſajus, & Joannes Schellenbergicus Bohemiæ Cancellarius, nominati, qui Polonorum

(r) Hæ conditiones in mandatis Legato datis, quæ alias commemorabo, diſerte exprimuntur.

(s) Laudatus Cod. MS. ſub Wladislao II.

(t) Bonfinius habet Ladislaum Caſſinerum, cujus nominis cum neminem Wladislai temporibus reperiam, credibileque ſit, Hungarum illo deſtinatum fuiſſe, Ladislaum autem Kanyſajum magnæ deinceps apud regem gratiæ fuiſſe compertum habeam, tebar in nomen ipſum errorem irrepſiſſe. Itaque veriſimiliter Caſſinero Kanyſajum ſubſtitui.

norum Comitiis Petricoviam indictis adeſſent, ac jura Wladiſlai, tametſi Cromerus a patre exhæreditatum fuiſſe ſcribat, in Albertum fratrem transferrent. Poloni enim magnopere in partes diſtracti, incertis animis, quem ex Caſimiri filiis regem legereut, ferebantur. Alii natu poſt Albertum proximo Alexandro, nonnulli Sigismundo juniori favebant: Eliſabetha mater cum Friderico filio Cracovienſi Epiſcopo, magnaque Optimatum parte ab Alberto ſtabant, qui, cum & Legatorum Hungariæ, & populi præterea favor accederet, rex a plerisque XII. calendas Septembris proclamatus eſt. Habuit Albertus Hungaris Legatis propterea gratiam, ſimulque, ut dignitatem adverſus factioſos tueretur, Oratores iis adjunxit, qui cum fratre Wladislao fœdus ſanciant, quo non ſolum contra Turcos, ſi in alterutrius ditiones incurrerent, ſed contra ſubditos quoque, ſi rebellionem molirentur, mutuam ſibi opem, atque, ſi opus ſit, auxilia quoque ſpoponderę. (*n*)

Laudibus defuncti perorante.

Confirmata hunc in modum regia utrinque per fœdus dignitate, non leve Wladislao periculum domi obortum eſt, unde præcipuum alias præſidium adverſus hoſtes peti ſolebat. Bohemi, ex quibus Sileſiaci belli tempore nigra legio maximam partem conflata erat, quave Mathias fere in prælio uſus eſt, ad Szegedinum peramplum inferioris Hungariæ oppidum Tibiſco flumine obſeptum, ita fœde omnia miſcebant, ut nullum facile eſſet rapinarum, incendiorum, cædium, avaritiæ, ac libidinis exemplum, quod per licentiam militarem, cui ſub Mathia conſueverant, in miſeros colonos non perpetraſſent, tolerabiliorque ſub gravi Turcorum jugo viventium fere erat condirio, quam eorum, apud quos turpiſſimum id homiuum genus ſecuritatis publicæ cauſa æſtivas ſtationes habebat. Itaque Wladislaus multorum in dies querelis pulſatus, ad Kinyſium Temesvarienſem Præfectum mandata miſerat, ut noxiam facinoroſorum hominum licentiam coerceret, ſin, ut conjectura non vana erat, dicto minus audientes comperiret, armis rem aggrederetur, ac fœdam illam colluviem penitus exſtirparet: malle ſe enim qualicunque adverſus hoſtem præſidio carere, quam peſſimo ad ceteros exemplo tot illatas ſuis injurias impune permittere. Kinyſius, qui militiæ illius uſum probe cognitum habuerat, ac porro eorum opera adverſum barbaros uti vellet, vocatis ad ſe centurionibus præteritorum ſe nullam rationem habiturum edixerat, ſi ſuos deinceps in officio continerent: & qoia ab rapinis licentiæ initium factum eſſet, conſtituto parabili precio, quo vendi, emique res poſſint, utcunque ferociam eorum compreſſerat. At cum illi haud multo poſt tempore rurſus diſciplinam poſuiſſent, Kinyſius ſerio agendum ratus, ſimulata in Turcos profectióne veteranas cohortes collegerat, vocatisque in ſubſidium finitimis Legionum Præfectis, & concita ingenti agreſtium manu, in ſeditioſos, poſitis enim caſtris, vallo, foſſaque ſe muniverant, exercitum duxit. Illi cognito Kinyſii conſilio, minime intra vallum hoſtem exſpectandum rati, quadrato agmine caſtris excedunt, pugnæ copiam facturi, quæ ſi ex ſententia caderet, impunitatem ſcelerum illis paritura erat. Kinyſius non ignarus acerrimam ab illis primam coitionem fieri ſolere, prælium auſpicaturis mandaverat, ut ſimulato metu pedetentim regreſſi impetum eliderent primum, tum, ubi eos ab caſtris longius abſtraxiſſent, in ordinem rurſus coorti, manus fortiter conſererent; ipſe opportuno inſidiis loco pedites cum graviori equitatu conſtituit, his agreſtes, quos falcatis longuris armaverat, adjicit, jubetque hoſtem, dum pugnæ ardore ſibi eriperetur, circumvecti, ab tergo, & lateribus peterent. Favit conſilio eventus: Bohemi enim facto in noſtros impetu cum facile levem equitatum loco moviſſent, ſpe victoriæ incenſi retro cedentes longius proſequuntur, ſenſimque ab caſtris remoti, & in inſidias præcipitati in orbem pugnare coguntur. Fuit aliquamdiu atrox, & ſanguinarium prælium, ſeditioſis ex ritu militari perinde, ac deſperatione pugnantibus, quoad agreſtes falcatis perticis equorum ſuffragines eminus præcidiſſent, tum pedites equitatu deſtituti, ac ſo-

Nigra Legio ex Bovemis maximam partem id temporis conflata ob ſeditionem deletur.

(*n*) In Diplomatario MS. Poloniæ apud Ct. Sommersberg. Datum in arce Budenſi in Vigilia S. Nicolai anno 1492.

1492. luta ordinum compage manipulatim dimicare coacti ad ſexcentos trucidantur, ceteri abjectis armis, vitamque pacti deditionem faciunt; caſtra rapinarum, ac prædæ plena noſtris in ſpolium ceſſere. Kinyſius ſeditionis primipilos in collibus, quos planities illa multos habet, partim furca necari, partim fractis cruribus, & brachiis, excruciari juſſit, reliquos, qui alieno potius exemplo, quam ſua malitia peccaſſent, regiis copiis auctoravit. Qui fuga evaſerant, per invia, & avia ad albos montes, qui inter Hungariam, Moraviam, Auſtriamque medii ſunt, variis erroribus delati latrocinia exercebant, donec a provinciarum præfectis capti, vario ſuppliciorum genere penitus exſtirpati fuiſſent. Hunc in modum nigra legio, qua Mathias magno regni commodo ſemper uſus eſt, cum primum ſoluta diſciplina militari noxia eſſe cœpit, reipublicæ cauſa deleta eſt.

Bajazetis in Hungariam molimina Colocenſis regi ſignificat, utque Belgrado conſulat, monet.

Interea Bajazetes, qui in Macedoniam, ac Epirum profectus, ſeditioſos ad obedientiam vi armorum revocarat, Hungariæ rurſum incubiturus ferebatur, tametſi vafrum ingenium miro artificio tegeret, datis ſemel, iterumque ad Innocentium Papam litteris, per quas fratrem Zizimum iisdem pactis, quibus apud Rhodios olim tenebatur, ſervari in Italia orabat. Ea humanitatis ſpecie palpum Chriſtianis Principibus, in primis Wladislao obtrudere moliebatur: re enim vera, per ſpeculatores cognitum eſt, barbarum, revocato ex Macedonia exercitu, minora primum præſidia, quæ ad Savi ripam ad arcendos Turcos collocata erant, tentaturum; ac deinceps iis in poteſtatem redactis, Belgradum, cui alias quoque inhiabat, obſidione aggreſſurum. Id Colocenſis Archiepiſcopus ex transfuga Turco, qui Senderovienſi Præfecto ab epiſtolis erat, primus omnium comperit, regemque continuo certiorem reddidit, obteſtatus, quod alias quoque fecerat, ut urbi, qua occupata aditus barbaris in Hungariam proniſſimus efficeretur, mature conſultum vellet. (x) *Illuſtriſſimo Principi Domino Wladislao, Dei gratia regi Hungariæ, & Bohemiæ &c. Domino meo gratioſiſſimo, Majeſtatis veſtræ fidelis Capellanus, Petrus Archiepiſcopus Colocenſis. Sereniſſime Princeps! Domine noſter gratioſiſſime, poſt meæ fidelitatis, & obſequiorum debitorum commendationem. Ducitur nunc ad conſpectum Majeſtatis veſtræ per hominem Bani Nandoralbenſis Turcus quidam, quem ajunt fuiſſe Secretarium, ſeu ſcribam Baſſæ de Szenderö. Is affirmat Cæſarem Turcorum expugnatis hoſtibus illis, ad quos tranſierat, jam eſſe in regreſſu, & omnino ſtatuiſſe, caſtra primum minora juxta Savum aggredi, deinde illis obtentis, etiam Belgradum obſidere. Refert etiam homo noſter, quem verſus caſtellum noſtrum Barych his diebus miſeramus, octo millia Turcorum apud fodinas eſſe congregata, eo propoſito, ut tranſito fluvio Savo, quem decreviſſe multum dicunt, adeo, ut pervium iter equitibus præbeat, incurſionem in comitatum Sirmienſem faciant, & nunc finitimos illos juxta Savum maximo eſſe terrore perculſos. Scriba vero dicit, ultra maritimos omnes, Baſſam de Szenderö ex Sophia advocaſſe, & eos non longe a Szenderö conſtitutos præſtolari Cæſaris adventum. Quidquid ſit, non erit malum celeriter, & in tempore Majeſtatem veſtram providere de gentibus numeroſioribus ad Belgradum, quia pedites, qui miſſi erant per Majeſtatem veſtram, partim intemperie inſueti aeris, vel potatione nimia correpti languoribus, partim pecuniis, ut ajunt, & debito ſtipendio deſtituti, maxima in parte dicuntur abſceſſiſſe. Itaque ſi Cæſarem quidpiam moliri contingat, non eſt nunc illa proviſio reſiſtendi, quæ nuper fuit. Quam rem, ut Majeſtas veſtra cordi habere dignetur, & ſine dilatione providere, ſupplicamus. Scitum quippe illud proverbium eſt, & legibus cautum, quod interdum occaſio faciat furem. Ex caſtro noſtro Bachienſi die Dominica ante aſſumtionis Virginis glorioſæ, anno Domini MCCCCXCII.* Nihil tamen in Belgradum hoc anno tentatum eſt, ſive, quod rex per Colocenſem admonitus urbem ad defenſionem celeriter comparaſſet, ſeu barbari Macedonica expeditione feſſi, exhauſtique non ſatis virium ad trahendum porro bellum habuerint.

Beatricis frater Romæ.

Soluto hac parte curis Wladislao novum ex Italia negotium Beatricis cauſa obortum eſt. Cum enim Innocentio defuncto Alexander hujus nominis ſextus, tertio idus Auguſtas ſubrogatus eſſet, eumque Alphonſus Beatricis frater, ho-

(x) Ex laudato Cod. MS. rerum ſub Wladislao geſtarum.

honoris, & feudi cauſa adiens ſalutaſſet, in Cardinalium Senatu Pontificem per-
tinaciſſimo ſtudio aggreſſus orabat, ne pactiones, de conficiendis inter ſororem,
& Wladiſlaum nuptiis initas infringi, vel aliam ab rege conjugem duci patere-
tur, qui, quod Beatricis ſtudio regnum ſibi peperiſſet, eo parto cum graviſſi-
ma injuria reginam non modo deſpicatui haberet, ſed Hungaria etiam exigere
meditetur. Tametſi minus conſentientem ſibi Alexandrum eatenus haberet Al-
phonſus, periculum tamen haud dubium erat, precibus, ac clientelarum ſtudio
facile in partes Beatricis tractum iri, præſertim, quod patris nomine, ſe in Pon-
tificis obſequio ſemper futurum, adducta Romam ornatiſſima Legatione fidem
publice dediſſet. Id cum Wladiſlaus vereretur, Nitrienſem Epiſcopum, Ora-
torem in urbem legat, qui omni conatu Ferdinandi, ac Alphonſi ſtudia apud
Alexandrum occuparet, efficeretque, ne ingratiis ſuis Beatricem ducere coge-
retur, ex qua cum tollendæ prolis ſpes nulla eſſet, Hungariam, quæ nondum
ab inteſtino malo penitus reſpiraſſet, graviſſimo diſcrimini rurſus objectum iri,
citra ambages explicaret. Hæc privatim Legato mandata; tum litteræ etiam
officii, & captandæ voluntatis cauſa adjectæ, quibus & obtentam recens digni-
tatem Pontifici gratulatur, & Petrum Colocenſem Archiepiſcopum, ſingulari in
hunc benevolentiæ ductus ſtudio, commendat. (y)

causam sororis agit.

„ Sanctiſſimo in Chriſto patri, & Domino, Domino Alexandro, ſacro-
„ ſanctæ Romanæ, & univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Domino noſtro cle-
„ mentiſſimo, Wladiſlaus Dei gratia Hungariæ, & Bohemiæ, &c. rex. Beatiſſi-
„ me pater! Domine, Domine clementiſſime! poſt commendationem noſtri ad
„ pedum oſcula beatorum. Gaudio affecerunt nos non mediocri nova ex urbe
„ allata, ſanctitatem veſtram ſummi Pontificatus apicem conſcendiſſe, & locum
„ tenere Apoſtolorum Principis, Chriſtique vicarium in terris gerere. Quæ
„ res eo amplius placuit nobis, quod recordamur, veterem nobis benevolen-
„ tiam interceſſiſſe cum ſanctitate veſtra, dum adhuc in minoribus eſſet, &
„ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Vice-Cancellarii officio fungeretur,
„ quo etiam tempore hunc honorem orbis primarium veſtræ ſanctitati affectu
„ præcipuo ſemper ſperavimus, & optavimus, auxiliante tamen, & favente illi
„ Deo, cujus ſpiritu Eccleſia ſancta Catholica gubernatur, & regitur. Quod
„ cum ex ſententia evenerit, gaudemus, & congratulamur felicibus ſucceſſibus
„ veſtræ ſanctitatis, optantes illam in altiſſimo jam ſummæ dignitatis culmine
„ poſitam, dudum conciliatæ inter nos, & illam benevolentiæ, & noſtræ er-
„ ga illam veteris obſervantiæ ſæpe recordari, noſque, & regnum noſtrum in
„ primis habere commendatos. Et quoniam aliis quoque litteris noſtris de no-
„ ſtra congratulatione mentem noſtram perſtrinximus, his, quod perneceſſarium
„ exiſtimavimus preces tantum porrigere pro negotio fidelis noſtri dilecti, reve-
„ rendiſſimi Domini Petri Archiepiſcopi Colocenſis veſtræ ſanctitati duximus,
„ quem cum ob integritatem, fidem, probitatem, & merita, & ſingularem
„ in nos obſervantiam apprime charum habemus, & dilectum, eundem una cum
„ Eccleſia ſua veſtræ ſanctitati, majore, quo poſſumus, affectu, & ſtudio com-
„ mendamus, hoc unum magnopere a veſtra ſanctitate deprecantes, ut digne-
„ tur tandem diutinæ afflictionis, vexationiſque illius, & Eccleſiæ ſuæ paternali
„ pietate compati, miſereri, & illum bonum patrem, ſanctitatis veſtræ, noſtro
„ quoque teſtimonio, ab initio obſervantiſſimum, obſequentiſſimumque in ſuis
„ neceſſitatibus relevare (z), noſtrique intuitu, & favore ea gratia proſequi,

Qua de causa rex Oratorem cum litteris Romam mittit.

(y) Ex eodem Codice MS.

(z) Primum enim obortum Petro negotium eſt cum Religioſis Ordinis Minorum, qui ad ſedem Romanam appellantes effecerant, ut Archiepiſcopus ad dicendam cauſam in urbem evocaretur. Retentus tamen in regno eſt, & regis juſſu, & frequenti Turcorum periculo, ut hæc ex crebris illius litteris perſpicua ſunt. Tum ob damna, quæ per Turcorum incurſiones paſſus erat, adjecta illi per regem eſt Abbatia de Földvár, Innocentius autem tametſi ſæpe ab Wladiſlao litteris propterea conveniretur, permoveri non potuit, ut ei poſſeſſionem gemini beneficii admitteret.

1492.

„ & ea complecti benevolentia, de qua nos merito eidem veſtræ ſan
„ poſſimus habere digniſſimas. Compatimur profecto beatiſſime
„ illius Archiepiſcopalis, & non minus perſonæ vexationi, cujus,
„ rarum omnium regni noſtri Eccleſiarum, inſtar prædeceſſorum
„ vorum Hungariæ regum, ut patroni ſumus, & protectores. E
„ timo corde, & præfatum Dominum Petrum Archiepiſcopum,
„ ſuam Apoſtolicæ benignitati, & clementiæ veſtræ recommittimu
„ modum & deceſſori veſtræ ſanctitatis felicis memoriæ Pontifici
„ unis tantum litteris pro eadem cauſa ſcriptis recommiſeramus,
„ ſtræ potuiſſent ad ſuæ Beatitudinis notitiam propter frequentia
„ mina pervenire. Quidquid autem favoris, & gratiæ ſanctitas ve
„ tuitu, noſtra etiam hac commendatione ipſi Domino Petro Archi
„ Eccleſiæ ſuæ oſtendere dignabitur, ſciat nos non aliter acceptur
„ roſque, quam ſi propriæ perſonæ noſtræ impendiſſet. Dei enim
„ ſtram propriam ducimus. Hoc igitur beneficio, quod Deo in pri
„ bitur, non modo ipſum Dominum Archiepiſcopum, ſed nos ſibi
„ quod nos omni debito erga ſanctitatem veſtram, & ſanctam ſedem
„ cam officio, & obſequio ſtudebimus promovere. Optamus veſtra
„ tem felici anſpicio principatus ſui ingreſſam principia, Eccleſiam
„ turne, & feliciter regere, talemque Chriſtianis Principibus, & populo
„ bere paſtorem, qualis votis omnium debuit a Deo optimo, maximo,
„ meritoque pro Eccleſiæ ſuæ fauſto regimine, & incremento exoptari,
„ mopere deſiderantes, hoc petitionis noſtræ principium a veſtra ſanctita
„ menter, & cum effectu exaudiri. Datum Budæ ſecundo die feſti ſan
„ thæi Apoſtoli, anno Domini MCCCCXCII.

An. Chr. 1493.

Miſſus itaque in Hungariam Legatus Apoſtolicus, qui rem cognoſceret.

Cum his mandatis Legatus dimiſſus in principio ſequentis anni tenuit, magnaque benevolentiæ ſignificatione ab Alexandro acceptus, po Legationis cauſas explicuiſſet, facile a Pontifice obtinuit, ut Urſus Urſinius biliſſima Romanorum ſtirpe ortus, Epiſcopus Tranenſis in Hungariam Le a latere mitteretur, qui, quo jure Beatrix nuptias regis ambiret, diligenter quireret, Romamque perſcriberet, ut judicium in neutram partem vehemen conſtitui poſſet, quo nec Ferdinando ægre fieret, nec Wladiſlao injuria irrogaretur. Urſinius relicta urbe per forum Julii, & Carnos profectus brevi Hungariam attigit, regeque ſalutato, cur veniſſet, aperit, oratque, ut communicato cum ſuis conſilio animum aperte explicaret, quid ſpei nuptiarum cauſa Beatrix reliquum habeat, Papam, tametſi multis nominibus Arragonio obſtrictus eſſet, ſententiam tamen pro cauſæ æquitate pronunciaturum ſpondet, modo citra ambages, quibus potiſſimum rationibus in repudianda Beatrice niteretur, ſecum communicaret. Wladiſlaus, qui rem, quæ ſibi toties moleſtiam creaſſet, ad vivum reſecare cupiebat, vocatis ad ſe Proceribus; habitaque deliberatione Legato reſpondit, ſe quidem nec a Beatrice abhorrere, nec promiſſum regni cauſa matrimonium inficiari, Optimates tamen, qui nullam gignendæ prolis ex ſterili ſpem viderent, omnino cupere, velleque, ut alia ſibi in manus conveniat, ex qua hæredem regno daret, bellique ſemen, quo Hungariam ſe improle involvi neceſſum eſſet, jam multo ante præfocaret: ſibi Procerum voluntati eatenus refragari non eſſe integrum, quibus præ tot æmulis regni poſſeſſionem deberet: hæc ſi Pontifici, ut erant, ſignificaret, minime dubium videri, quin in ſuas partes concederet.

Cujus conſilio rex liber ab eo matrimonio Romæ pronunciatur.

Quæ cum Urſinius Alexandrum per litteras edocuiſſet, cauſa in Senatu Cardinalium acta pro Wladiſlao denique pronunciata eſt, & Beatrici, ne quidquam deinceps nuptiarum gratia obmoveret, imperatum, quemadmodum Burchardus illius temporis ſcriptor, & Romæ, dum hæc fierent, agens in hæc verba perhibet: (*a*) *Feria ſexta*, inquit, *tertia menſis Aprilis fuit conſiſtorium ſecretum, quod duravit usque poſt horam vigeſimam primam, in quo ſanctiſſimus Dominus noſter per ſuam ſententiam in ſcriptis pronunciavit, prætenſum matrimonium* *inter*

(*a*) Apud RAYNALD. in Annal. Eccleſ. Tomo XI. ad annum 1493.

inter illuſtrem regem Hungariæ, & illuſtrem Dominam Beatricem, filiam Ferdinandi Neapolitani regis, relictam Mathiæ regis Hungariæ, eſſe nullum, & de facto præſumtum, & impoſuit perpetuum ſilentium ipſi Beatrici, & eam condemnavit in expenſis ſportulæ, ſive propinæ, quæ fuit viginti quinque millium ducatorum, ut dictum fuit, & ex pactis. Eadem opera ſponſionem matrimonii, quam inter Joannem Corvinum Ducem, & Blancam Mariæ Sfortiæ, ac Joannis Galeatii Mediolanenſium Ducis filiam interceſſiſſe alias memoravimus, irritam declaravit, ut omnes diſſenſionum, quæ oriri iſthinc poterant, cauſas reſcinderet. Abhinc Corvinus ex Frangepanibus conjugem ſibi adlegit, Beatrix autem Hungaria excedens apud patrem, fratremque conſenuit, tametſi ſcriptis ſæpe ad Petrum Colocenſem Archiepiſcopum litteris, miſſisque muneribus ſpem conjugii eousque aluerat, quoad Wladislaus Annam Gandalenſem ſibi copulaſſet.

Irritatur quoque ſponſio matrimonii inter Joannem Corvinum & Blancam Mediolanenſem.

Hæc Romæ acta: in Hungaria Mathias Gerebus, regis Mathiæ conſobrinus, & Stephanus Bathorius, viri cum belli in primis uſu, ſcientiaque inſignes, tum magnæ auctoritatis, & prudentiæ ingenti regis dolore obierunt. Huic in Præfectura Tranſilvanienſi Bartholomæus Dragſy ſuffectus eſt, ac confeſtim ab adito magiſtratu, inſigni ex barbaris victoria potitus, non indignum ſe regi probavit, qui Bathorio ſubrogaretur. Turci enim Alibego Duce a Bathorii obitu aliquid tentandum rati, Tranſilvaniam durato per hiemem Danubio invaſerant, jamque acta latiſſime præda, quod nusquam hoſtis ſe aſpectabilem daret, domum properabant, cum Dragſyus, concita tumultuarie Siculorum manu, redeuntes opportuno inſidiis loco occupavit, excuſſaque præda, ac ſpoliis memorabili clade profligatos e provinciæ finibus exegit. Præfectus Senderoviæ, qui profectionis Dux auctorque erat, ægre vitam fuga ſervavit, caſtra cum impedimentis victori in præmium rei fortiter geſtæ diribita. Rex victoriam lætiſſimo animo acceperat, Legatoque Romam ſignificavit, ut Burchardus in hæc verba refert: (*b*) *Tertia Aprilis Papa pro matutinis ſe parante, Epiſcopus Nitrienſis Orator regis Hungariæ legit coram Pontifice, & Cardinalibus ibidem præſentibus litteras ejusdem regis prima die Martii proxime præteriti in Hungaria datas, per quas ſignificabat ei, ſe magnam, & ſingularem victoriam babuiſſe contra Turcos, qui regnum Hungariæ invaſerant, quindecim millia, vel circa occidiſſe, & proſtraviſſe, & non modica ſpolia exinde reportaſſe.*

Stephano Bathorio defuncto, Dragſyus ſubrogatur, qui rem in Turcos præclare gerit.

Sed ea lætitia haud multo poſt tempore ingenti noſtrorum jactura, & clade intercepta eſt. Jacupes Bosniæ Præfectus, ſive ut acceptum nuper in Tranſilvania damnum penſaret, ſeu prædarum ſtudio ductus, coactis ex Thracia, & Macedonia decem Acanziorum, equitum id genus erat, millibus, tanta celeritate in Carnos haud procul Labaco irrupit, ut actis latiſſime ſpoliis prius reverteret, quam hoſtem adveniſſe cognitum eſſet. Inde incredibili hominum, rerumque præda onuſti barbari in Modruſienſem agrum pervenerant, cum Derencenius Croatiæ Banus cum Bernardo, Joanne, ac Nicolao Frangepanibus, quibus ſe Carolus Corbaviæ Comes, & Petrus quoque Zrinius conjunxerant, occurrendum hoſti ratus, ſilvis, in quas ſe de induſtria Turci receperant, cum octo millium exercitu ex agreſtibus fere conflato appropinquabat. At cum ſe numero inferiorem eſſe, copiasque haud ſatis ex diſciplina militari inſtructas videret, ad Modruſiæ urbis mœnia militem reducere malebat, quam pugnam incerto eventu conſerere. Obſtabat prudenti conſilio Bernardus Frangepanes, qui, ut natura ferocior erat, ita ſignum prælio dari, prædamque hoſtibus excuti oportere contendebat, indignum Chriſtianis facinus clamitans, ſi barbaros, qui toties ſpolia ex hoſtico agerent, impune abire ſinerent, ſe, ſi Banus nollet, aut tergiverſaretur, cum ſuis aleam tentaturum, quocunque demum ſucceſſu fortuna ſe daret. Ita inter ſe, utrum ſigna conferenda eſſent, an prælio abſtinendum, contendentibus, Turci inſtructa acie ex ſilvis erumpunt, noſtrosque aggreſſi primum fortiter rejiciuntur: Laborantibus Jacupes cum recenti equitum ſubſidio accurrens recta in Bernardum pugnæ auctorem fertur, totoque impetu la-

Sed viciſſim noſtri in Croatia cladem a barbaris accipiunt.

(*b*) Apud eundem ad annum 1493.

1493. latera aggreſſus, aliquamdiu viriliter pugnantem loco movet, tum penitus in fugam agit. Ea res ceteros quoque inclinavit, nihil proficiente Derencenio, qui tertio agmine, quod in ſubſidiis pro rerum eventu locaverat, prælium inſtaurare moliebatur. Itaque ex dolore acceptæ cladis in conſertiſſimos hoſtes illatus, fortiſſimeque dimicans, filio, ac fratre, qui laboranti ſuppetias accurrerant, crudeliter necatis, cum Nicolao Frangepane capitur. (*c*) Conſtantinopolim adductus veneno, aut peſtilentia, ut Bonfinius, ut vero Iſtvanfius, in carcere ex mœrore contabuit. Certum tamen eſt, ex litterario ejus temporis inſtrumento, utrumque ſoluta ingenti auri ſumma ab Thoma Bakacſio, in libertatem vindicatum eſſe. (*d*) Cecidere præter Principes Hungarici, ac Illyrici nominis viros quinque millia, ſignaque omnia cum caſtris amiſſa: ex Turcis mille, aut eo quiddam amplius deſiderati.

Banfſyus, & Agrienſis Epiſcopus ad cohoneſtandum Cæſaris funus Viennam mittuntur.

Ea clades cum ad Maximilianum, ac Wladislaum perinde attineret, hic præter dolorem ingenti etiam metu perculſus, ne quod paucorum imperitia peccatum erat, ſuæ deſidiæ, ac ſocordiæ tribueretur, Joannem Kanyſaium adjuncto equitum, peditumque ſupplemento in Illyricum miſit, ac provinciæ in Derencenii loco præfecit: Maximilianus contra apparando patris funeri intentus, ſero, ac tum in Carnos primum auxilia miſerat, cum barbari expilata provincia, in Modruſienſem, ut narratum eſt, agrum rediere. Itaque interruptam funeris pompam, cui Wladislaus Urbanum Agrienſem Epiſcopum cum Nicolao Banfio adeſſe voluit, exquiſitiſſimo ſplendore ornavit, patremque XIII. calendas Septembres Lincii defunctum, marmoreo ad Divi Stephani ſepulcro Viennæ condidit. (*e*) A funere Maximilianus jam dudum deſignatus Cæſar, rerum in Germania potitus, rurſum fœdus cum Wladislao Agrienſis Epiſcopi opera innovavit, quo conventum in primis erat, ut, quas cum Bajazete olim ſanciverat, induciis includeretur, ac non modo Hungariæ, & obnoxiis hujus juris provinciis, ſed Cæſareis etiam terris caveret, in quas barbaris incurrere, quoad induciarum tempus elaberetur, omnino nefas deinceps eſſet. Is poſtremus omnium Urbano Agrienſi labor erat, haud multo poſt rebus humanis exempto, (*f*) cui Thomas Bakacſius ex Jaurinenſi ad Agrienſem Epiſcopatum Wladislai voluntate traductos, ſucceſſit, vir in utraque republica ingenti patriæ commodo magna ſemper laude, ac integritate verſatus.

Legati Venetorum fœdus in barbaros offerunt, ſed cum ambiguo reſponſo dimittuntur.

Per idem tempus Legati ab Venetis, Marcus Dandulus, & Paulus Capellius, ex patricio genere, Budam venere, cum officii cauſa, neque enim abhinc, quam Hungaria rex potitus eſt, ullos ab Venetis affuiſſe compertum eſt, tum ob commune periculum, quod ſibi imminere videbant, de fœderibus actari. Capto enim per hos dies ab Turcis Dyrrachio, cognitisque, quos Bajazetes terra, marique fecerat, apparatibus, Dalmatiæ, ac, quas in Ægeo habuere, inſulis metuebant, neque, niſi communi cum Hungaris ſtudio bellum in barbaros gereretur, facile videbant, quem in modum ſe, fortunasque ſuas diſcrimini eriperent. Itaque Wladislaum omni conatu ad ſociale bellum hortati ſunt, præſertim, quod a barbaris, cum quibus inducias pepigiſſet, minus periculi formidandum videretur, ſi aperte arma corriperet, quam ſi pacem parom fidam porro ſervaret; non deſtiturum Bajazetem a prædis agendis, cum locus, tempusve moneret: factum id cum ſæpe alias, tum noviſſime in primis, cum in Carnioliam ſuos latrocinatum immiſiſſet, a quibus non modo ditiſſima ſpolia ab-

(*c*) Annales Turcici apud Leunclavium ad annum 1494. Reor anni differentiam a diverſa hegyræ ratione oriri.

(*d*) Timon in Epit.

(*e*) Pontus Heuterus in Maximil. & Philippo Lib. V. Cap. II. Tametſi de die obitus magnopere ſcriptores varient.

(*f*) Timon ait defunctum anno 1492. Sed Epigraphe, quæ etiamnum, tametſi manca, in Wiſſegradi ruderibus, exſtat, & quam ipſe anno abhinc inſpexi, ſic habet: MCCCCLXXXXIII.

VRBANO PON - - EX NAGI LVCHA ORIUNDO
ET STIRPE TRANSILVANO POST RE - - M - -

Poſtremum Laurentius Károly Epiſcopus Scardonenſis, & Venerab. Capit. Eccleſ. Jaur. Præpoſitus Major in opere poſthumo legit REGIS MAT.

ablata, ſed regis etiam copiæ ingenti reipnblicæ detrimento profligatæ fuiſſent.
Satis id cauſæ ad reſcindendas inducias videri, modo rex comparato milite vires
Venetis conjungeret, qni terra, mariqne hoſtem aggreſſuri, ac mutuo conſilio
periculum, quod utrisque impenderet, ab cervicibus propulſaturi eſſent. Wla-
dislans, qui pacis, quam belli ſuapte cupidior erat, niſi deſidiam potius, quam
pacis ſtudinm malimus dicere, armorum commnnionem, quam Veneti offere-
bant, nec diſerte abnuere, neque polliceri voluit, donatosque muneribos Le-
gatos ad Albertum Poloniæ regem, quem eadem de cauſa adire optabant, ab
ſe dimiſit.

Quam ignaviam Proceres regi publico in conventu oggerunt.

Quæ res plerorumque Optimatum animos nnperna clode alioqnin irrita-
tos, vehementer regi infenſos reddidit, ut adeo indictis ad III. Calendas Octo-
bris Bodam comitiis, non vererentur eidem deſidiam aperte, palamque oggere-
re. In primis Stephanus Palatinus, ac Ladislaus Ujlakius Sirmii Dux multa
acerbe queſti ſocordiam Wladislai libere carpebant, eum domi deſidem ſedendo
cum ſingulari nominis Hungarici dedecore ignavo ocio corrumpi, militarem di-
ſciplinam, quæ maxima per Mathiam incrementa accepiſſet, & qua una reipu-
blicæ incolumitas ſtetiſſet, defluere: ex quo hoſtes animos ſumerent, non ſolum
ad violandas inducias, quæ res cum inſigni regis contemtu conjuncta eſſet, ſed
aperto etiam fere bello prædas ex Hungaria, &, quæ huic obnoxiæ eſſent, pro-
vinciis, impune agendas. Germanos, qui facile armis ad honeſtiſſimas pacis
conditiones cogi poterant, ſpe obtinendi olim regni, non tam amicos, quam
clandeſtinos hoſtes effectos eſſe: Polonos, ut militem ex Hungaria deportarent,
ingenti precio, ac provinciarum nundinatione delinitos: Turcos induciarum
quidem ſimulocro conciliatos videri, re tamen ipſa nihil ab hoſte differre, qui
pulcherrimas portiones ab regno decerpere non ceſſarent: id ſi barbaris impune
abiret, brevi futurum, ut rex Hungaria excluſus, ſolam, ex qua ad ampliſſi-
mam regni poſſeſſionem ordinum beneficio evocatus eſſet, Bohemiam retineret.
Hæc fere querelarum capita erant: quæ Stephanus Scepuſienſis, qnod id ad Pa-
latini dignitatem, munusque in primis attineret, nt ad regem referre ne grava-
retur, ordines communi conſilio jubebant: Ad ea Wladislaus turbato aliqnon-
tum animo Senatum convocans, in hunc modum reſpondit: *Se per annum tantum,
& quidem invitum domi ocium agitaſſe, quia pacato regno, & veteribus hoſtibus ſibi recon-
ciliatis, nulla res alia gerenda, quam Turcica, ſupereſſet; quam, ipſa ſe deficiente re pe-
cuniaria, qua una bellorum rationes expediuntur, & ſuſtinentur, attingere auſum non eſſe.
Ex Hungaria enim vix ſe ad eam diem quadraginta millia nummum aureum percepiſſe: Bo-
hemicis autem vectigalibus non modo regiam, ſed magna ex parte regnum ſuſtinuiſſe. Quare
ſi copiæ, ſtipendiaque debita expediantur, nullum ſe vel fortunarum, vel capitis periculum
pro reipublicæ ſalute, & dignitate recuſaturum.* (g) Hæc Bonfinius: conviciorum
cauſas in regni ordines, qui Wladislanm ad defendendam rempublicam optime
comparatum, negato ſtipendio deſtituiſſent, non obſcure retorqnens: ſed quæ
deinceps ſequuta ſunt tempora, manifeſtis indiciis docuere, nec regi eam, quam
illi Bonfinius tribnit, virtutem affuiſſe, & defuiſſe præterea animi magnitudi-
nem, & conſtantiam, qua ſi reges careant, nec auctoritate, nec imperio in ſuos
valere compertnm eſt.

Cautum in conventu eſt, ne cuſtodia ſacræ coronæ penes eosdem ſemper maneret.

Neque tamen ita ab ſuis deſpicatui rex habitus fuit, nt non aliqnorum
beneficio ab conviciis defenderetur. Itaque iſtorum ſtudio reliqnis utcunque
conciliatns, ad res regni conſtabiliendas animnm adjecit. Ante omnia cautum
ne magiſtratus cuſtodiæ ſacræ coronæ perpetuus eſſet. Quare præfectura Epi-
ſcopo Sirmienſi, & Andreæ Bathorio ablata, ac Stephano Palatino, tum Tho-
mæ Bakacſio Agrienſium Præſuli conceſſa eſt, qni, cum reipublicæ cauſa regi
adeſſe cogerentur, conſtitutis, qui vicariam operam interea exercerent, Præfe-
ctis, jurejurando iſtorum fidem ſibi obſtrinxerant, ne cui ſuo injuſſu coronam
regni in manus conſignarent. Sacramenti formula in hunc modum habet: (h)

(g) Bonfin. Dec. V. Lib. III.

(h) Petrus de Rewa in Commentario de ſacra corona regni Hungariæ Tomo II. Script. rerum Hung. Cl. Schwandtneri pag. 458.

Formula juris jurandi, qui eo magiſtratu fungebantur.

1493. *Ego Ladislaus Kolos de Nema, Caſtellanus caſtri Viſſegradienſis, recognoſco, & tenore præſentium notum facio, quibus expedit univerſis. Quod ex quo reverendiſſimus in Chriſto pater, Dominus Thomas Epiſcopus Jaurinenſis, & Electus Agrienſis, Dominus meus, inter reliquos familiares ſuos me in Caſtellanum caſtri hujus Viſſegrad, ad cuſtodiam ſacræ coronæ præfecit, & deputavit; ob hoc promitto enim ſub fide mea Chriſtiana, ac ſub honore, & humanitote mea, juroque per Deum vivum, & per Virginem Mariam, omnesque Sanctos, quod eidem Domino meo Epiſcopo, a modo in hoc officio fidelis ero, & fideliter ſerviam, dictumque caſtrum, ac ſacram coronam fideliter cuſtodiam, & conſervabo. Ceterum, ſi ipſum Dominum meum Epiſcopum aut mori, aut fortuna adverſo opprimi contingat, caſtrum ipſum Viſſegradienſe, & ipſam coronam, quoad partem ejusdem Domini mei, & loco ſui venerabili Domino, Franciſco Præpoſito Germano ſuo fideliter aſſervabo, & ſacram ipſam coronam de loco ſuo, ad quem idem Dominus meus, una cum ſpectabili, ac magnifico Domino Stephano de Zapolya, Comite Scepuſienſi, & regni Hungariæ Palatino, repoſuit, ſine ſcitu, & libera voluntate, ac expreſſo conſenſu, nunquam removebo, neque manus meas ad illam apponam, & neque regiæ Majeſtati, neque Prælatis, & Baronibus, neque aliis quibusvis illam aſſignabo. Quandoquidem vere idem Dominus meus Epiſcopus, aut in caſu præmiſſo præfatus Dominus Franciſcus Præpoſitus a me idem caſtrum, & eandem ſacram coronam, quoad partem ſuam rehabere, meque inde removere, & alium loco moi præficere voluerit, ſine omni difficultate, & renitentia, quæſitoque colore remittam, & reſignabo. Hoc tamen addito: quod eundem Dominum meum Epiſcopum, ſed neque præfatum ejus Germanum, cum tot hominibus ad caſtrum ipſum intro mittere tenear, quot me, & ſocio meo Caſtellano, vel ad nos pertinentibus potentiores, ſeu fortiores fieri poſſint, neque etiam plures gentes ejusdem Domini mei, vel etiam Germani ſui intromittere, & acceptare tenear, quam eſt ordinatum, vel quam ſocius meus, Caſtellanus ſcilicet Domini Palatini pro tempore habebit. Si tamen continget, quod aliquis potentum caſtrum ipſum obſideret, in tali caſu gentes ejusdem Domini mei reverendiſſimi, & præfati Domini Palatini, vel ſpectabilis, & magnifici Domini Joannis, ejusdem filii, æquali tamen numero, cum ſocio meo, pro tempore conſtituto, pro caſtri defenſione intromittere ſim obligatus. Quod, quoad cuſtodiam, & conſervationem hujus caſtri Viſſegradienſis, & ſacræ coronæ, debite, & præciſe eandem fidelitatem, quam ipſi domino meo Epiſcopo, & conſequenter dicto Domino Franciſco, ejus Germano tenere ſum obligatus, etiam præfato Domino Palatino, & conſequenter dicto ejusdem filio, Domino Joanni tenere debeam, & ſim adſtrictus: nihilque plus in hac parte ipſi Domino meo Epiſcopo, & dicto Germano ſuo, quam præfato Domino Palatino, ejusque filio Domino Joanni ſim obligatus. Quae omnia ſub præmiſſa fide mea Chriſtiana, & ſub amiſſione honoris, & humanitatis meae, ac incurſione perpetuae infamiae, ac perjurii eidem Domino meo Thomae Epiſcopo, & præfato Domino Franciſco Præpoſito, ejus Germano, fideliter, inviolabiliter, inconcuſſeque iterum, atque iterum juro, & promitto obſervare. In cujus rei fidem, ac teſtimonium, & robur, præſentes literos ſigillo meo proprio, cum propriis armis nobilitatis meae conſignatas, eidem Domino meo Epiſcopo, & conſequenter præfato ſuo Germano dedi, & aſſignavi. Datum in præfato caſtro Viſſegrad, anno Domini MCCCCXCIII.* Ad eundem modum fides Palatino data eſt, ne quod coronæ periculum ex ſimultate æmulorum crearetur.

In rei publicæ turbatores actum

Tum de reipublicæ turbatoribus actum, qui, dum gratiam per fœdera cum Maximiliano inito liberaliter oblatam arroganti pertinacia reſpuerent, viſum eſt ordinibus, uti rex fruſtra ſæpe alias, ut reſpicerent, commonitos, tamquam criminis læſæ Majeſtatis reos bonis mulctatos, ac perpetua infamia notatos regno ejiceret. Decretum communi Optimatum conſenſu firmatum ita habet: (*i*)

Vulgato edicto.

„ Nos Wladislaus Dei gratia rex Hungariæ, & Bohemiæ &c. memoriæ
„ commendantes cunctis, quibus incumbit, pandimus per præſentes. Quod
„ nos regalis ſagacitatis perſpicuo contemplatione metientes, quod ſententia ve-
„ ri Principis recta debet judicii ſtatera ponderari, ut contra juſtitiam non par-
„ cendo, unicuique, quod congruit, & ſuum eſt, reddat, præmiando fidos, fe-

riendo

(*i*) Ex laudato Cod. MS. rerum ſub Wladislao II. geſtarum.

„ riendo peſtiferæ perfidiæ pravitate infectos. Nam cunctis regiæ dignitatis
„ claritate fulgentibus illud præcipue cedere opinatur ad gloriam; imo ad ea
„ digne mentis eorum acies diriguntur; per quæ ſuorum regnorum habenas
„ rationis libramine moderandas felici queunt regimine gubernare: tum enim
„ potentia, & thronus eorum votive dignoſcuntur roborari, & laudabiliter in
„ melius produci, ſi falſæ juſtitiæ hominum ſceleratorum; viamque iniquitatis
„ amplectentium abſurda perverſitas recto judicio recidatur, & fideliſſime obſe-
„ quentibus, probitatiſque fervore inſignitis digna merces redditur, ac ſinus
„ dilectionis panditur. Ita enim & Deitas ſempiterna contemplari cernitur; pla-
„ carique creditur, & fideles ipſi ad firmioris fidelitatis opera, & obſequia exer-
„ cenda animoſius eriguntur. Proinde noſcat præſens ætas, & ſucceſſura futu-
„ rorum poſteritas, quod mortuo ſereniſſimo Principe quondam Domino Ma-
„ thia rege Hungariæ &c. felicis memoriæ, noſtro proximo prædeceſſore, Joan-
„ nes Kishorwath de Halapſicz, cum complicibus ſuis ante omnes alios regni
„ noſtri prædones, & turbatores, ſeditiones facere, & primus in regno ignem
„ ponere, incendiaque, ſpolia, deprædationes, & alia quam plurima mala, ſi-
„ gnanter vero in bonis Eccleſiæ Colocenſis incipere, committere, patrareque
„ non erubuit, utque patrata, & commiſſa per eum maleficia hujusmodi obum-
„ braret, certis prius complicibus, fautoribusque adhærentibus, & conjuratis
„ ſibi conquiſitis, & in deſtructionem, ac manifeſtam regni noſtri perniciem
„ adſcitis, & obligatis, ſereniſſimis Principibus Domino quondam Friderico Im-
„ peratori, & Maximiliano regi Romanorum, tunc nobis, & regno noſtro ma-
„ nifeſte adverſantibus, in deſpectum primatum, & Procerum totius regni no-
„ ſtri adhæſit, & ſe ſub eorum patrocinio recepit, cum quibus, dum nos tandem
„ pacem iniviſſemus, & concordiam, licet ſecundum formam hujusmodi pa-
„ cis, & concordiæ idem Joannes ſuper præmiſſis omnibus malis per eum modo
„ præmiſſo usque ad tempus ipſius pacis, & concordiæ commiſſis, & patratis,
„ a Majeſtate noſtra gratiam habuerit, bona etiam ejusdem omnia, quæ vivente
„ dicto quondam Domino Mathia rege poſſediſſe, & durantibus diſſenſionibus,
„ & guerris inter nos, & præfatos Dominos Imperatorem, & regem Romano-
„ rum, a manibus ſuis occupata, & erepta fuiſſe dignoſcebantur, ſibi per Ma-
„ jeſtatem noſtram reſtituta fuerint, ea tamen lege, & conditione, quod dein-
„ ceps ſeditiones, ut prius, in regno noſtro non faceret, guerras non ſuſcita-
„ ret, aliaque mala præmiſſis ſimilia non committeret, ſed ab omnibus, & qui-
„ busvis malorum generibus, & ſignanter a moleſtatione bonorum Archiepi-
„ ſcopatus Eccleſiarum Colocenſis, & Bachienſis invicem canonice unitarum,
„ præcipue vero oppidi, & caſtelli Zatha vocatorum, in comitatu de Walko
„ exiſtentium deſiſtere, & ſe abſtinere deberet, & teneretur. Tamen cum nos
„ his ſuperioribus diebus, ingruentibus non nullis neceſſitatibus regni noſtri
„ admodum arduis, pro illarum expeditione, univerſis Dominis Prælatis, &
„ Baronibus, potioribusque electis Nobilibus de ſingulis Comitatibus dicti re-
„ gni noſtri, dietam, ſive congregationem generalem pro feſto ſancti Michaelis
„ Archangeli nunc præterito celebratam, & uſque in præſentiarum durantem
„ indixiſſemus, & inter ceteros Dominos Prælatos, & Barones, fidelem quo-
„ que noſtrum reverendiſſimum in Chriſto patrem, Dominum Petrum Archi-
„ epiſcopum Eccleſiarum Colocenſis, & Bachienſis prædictarum, in ſervitiis
„ noſtræ Majeſtatis, & præfati regni noſtri, una cum gentibus ſuis occupatum,
„ denunciata eidem per noſtram Majeſtatem plene, & omnimoda ſecuritate, ne
„ quid timoris de amiſſione bonorum præfatarum Eccleſiarum ſuarum, ſignan-
„ ter vero dictorum caſtelli, & oppidi Zatha haberet, ad ipſam dietam, ſive
„ congregationem generalem dictorum Dominorum Prælatorum, & Baronum,
„ & Nobilium, conſequenterque Majeſtatem noſtram, mediantibus litteris no-
„ ſtris, & nuncio ſpeciali ad eum miſſo, nominatim vocaſſemus, venireque
„ mandaſſemus: quamvis unusquisque regnicolarum noſtrorum cujuscunque
„ dignitatis, ſtatus, vel conditionis fuerit, & exiſtat, poſtquam præmiſſo mo-
„ do vocatus itineri ſe dederit, juxta veterem conſuetudinem, & antiqua ſtatu-

1493. „ ta præfati regni noſtri, ſtatim cum omuibus rebus, & bonis ſuis ſub regia
„ tutela, & protectione ſit conſtitutus, ita, quod ſi quiſpiam hominum in hoc
„ audaciæ genus irrepſerit, quod itinerantem ad talem dietam, ſive congrega-
„ tionem, vel illius bona hoſtiliter invaſerit, aut quovis modo impediverit,
„ turbaverit, moleſtaverit, & quomodocunque nocumentum eidem intulerit,
„ aut bona ipſa ceperit, & occupaverit, vel ſocius facientis fuerit, ſive fieri
„ mandaverit, ſicut reus criminis læſæ Majeſtatis uotam perpetuæ infidelitatis
„ incurrat ipſo facto : nihilominus dicto Domino Archiepiſcopo, modo, quo
„ ſupra, per Majeſtatem noſtram ad dictam dietam, ſive congregationem voca-
„ to, & in itinere veniendi ad eandem, conſequenterque Majeſtatem noſtram
„ conſtituto, & propter dictam uoſtram aſſecurationem, nihil adverſi perſonæ,
„ aut rebus, & bonis ſuis, & Eccleſiæ ſuæ imminere formidante præfati Joan-
„ nes Kishorvath, & complices ſui, tamquam pacis, reique publicæ, regni
„ jam antea turbatores uotorii, & noſtræ regiæ dignitatis contemtores, nolentes
„ maleficiis ſuis antea, ut præmittitur, commiſſis, & patratis ſaturari; contra
„ perſonalem noſtræ Majeſtatis inhibitionem, tempore reſtitutionis bonorum
„ ſuorum factam, & contra jusjurandum per cos, de obſervanda Majeſtati no-
„ ſtræ fidelitate, & uon lædendo, inquietando, invadendo, aut impediendo
„ quovis modo bona Archiepiſcopatus dicti Domini Petri Archiepiſcopi, & ſi-
„ gnanter præfatum caſtellum, & oppidum Zatha, præſtitum, ac etiam contra
„ præſcriptam regni conſuetudinem, & ſtatuta, in tantam temeritatis audaciam
„ prorumpere præſumſerunt, quod notam dictæ infidelitatis incurrere non me-
„ tuentes, præſcriptum caſtellum Zatha invaſerunt, & illud vel ordinata pro-
„ ditione, vel alia exquiſita aſtutia ſubintrarunt, & ſurripuerunt, ac ſimul cum
„ prædicto oppido Zatha, aliiſque ejusdem pertinentiis pro ſe ipſis occuparunt,
„ requiſitique, & moniti tam litteris uoſtris ſcripto propriæ manus noſtræ conſi-
„ gnatis, quam etiam homine noſtro ſpeciali, teſtimonioque capituli Eccleſiæ,
„ de Kew, maleficium hujusmodi per cos commiſſum emendare, ac prætactum
„ caſtellum, & oppidum Zatha cum dictis eorum pertinentiis, ſolita ipſorum
„ temeritate, & rebellione mandata noſtra contemnentes, dicto Domino Petro
„ Archiepiſcopo remittere, reſtituere, & reſignare recuſarunt : inſuper univer-
„ ſa victualia, quæ nos anno ſuperiore pro neceſſitatibus, & conſervatione ca-
„ ſtrorum finitimorum, per univerſos regni noſtri partium inferiorum accolas
„ compræſtari, & congregari feceramus, manibus ejusdem Domini Petri Ar-
„ chiepiſcopi de noſtra ſpeciali commiſſione ad conſervandum aſſignata, & in ipſo
„ oppido Zatha pro neceſſitate præſcripta repoſita, una cum ceteris ipſius Domini
„ Archiepiſcopi bonis mobilibus violenta manu abſtulerunt : nec his contenti
„ unam navem ipſius Domini Petri Archiepiſcopi cum vinis decimalibus onera-
„ tam, ſub tempore ſubreptionis præfati caſtelli tunc prope in Danubio reper-
„ tam ſimiliter violenta manu abſtulerunt. De quibus omnibus tam legitimis
„ documentis, ſufficientibusque probationibus aliis, quam ex ipſius facti no-
„ torietate Majeſtati noſtræ, dictisque Dominis Prælatis, & Baronibus, ceteris-
„ que regnicolis in ipſa congregatione generali conſtitutis, plena fides facta ex-
„ ſtitit; & quia fidelitas exigui bravii fore cenſeretur, ſi infidelitas impune per-
„ tranſiret, & inulta permaneret, pro nobis una cum Primatibus, Baronibus,
„ ac Proceribus, & Nobilibus regni nobiscum in dicta dieta, ſive generali con-
„ gregatione exiſtentibus, exinde mature deliberantibus, & contra præfatos
„ Joannem Kishorvath, & complices ſuos præmiſſis eorum facinoroſis, & ſce-
„ leratis actibus per eos, ſicut prædictum eſt, perpetratis, & commiſſis, juris
„ conſonum decretum uniformiter proferentibus, eosdem Joannem Kishorvath,
„ & complices ſuos, ſicuti notorios infideles noſtros, & pacis publicæ manifeſtos
„ perturbatores, & rebelles, ſimul cum hæredibus ipſorum, mera auctoritate,
„ & poteſtatis plenitudine noſtræ regiæ Majeſtatis, dictorum etiam Dominorum
„ Prælatorum, Baronum, ac Procerum, & Nobilium ad id accedente conſilio,
„ & conſenſu, ſerioſius per eosdem requiſiti, & ad hoc deprecati, perpetuæ in-
„ fidelitatis indelebili uota obfuſcatos fore decernentes, & in ſolidum perenni-
ter

„ ter innodantes, univerſiſque poſſeſſionibus, juribusque poſſeſſionariis, oppidis, caſtris, & caſtellis in quibuscunque comitatibus, & ubivis intra ambitum, & terminos præfati regni noſtri Hungariæ exiſtentibus, quibuscunque nominibus appellatis, prævia ratione ſecundum ejusdem regni noſtri conſuetudinem, & legem approbatam deſtituentes, & deſtitutos, ac privatos eſſe declarantes, & pronunciantes, eisdem omnibus poſſeſſionibus, & juribus poſſeſſionariis, noſtris regiis manibus applicatis, riteque redactis, ac in ævum effective vendicatis, ipſis uoſtris infidelibus, ac eorum hæredibus, & ſuperſtitibus univerſis perpetuum ſilentium imponimus de eisdem, præſentium patrocinio mediante, meraque noſtræ celſitudinis auctoritate. Quibus ſic legitime per nos una cum Primatibus, Baronibus, Proceribus, & Nobilibus ſupradictis rite, & legitime, ac unanimi decreto, & ſanctione diffinitis, & concluſis, recenſentes, & rememorantes uberrimas, & præclaras fidelitates, fideliumque ſervitiorum merita præfati Domini Petri Archiepiſcopi, quibus ipſe ſane hujus regni uoſtri Hungariæ coronæ, tum antea ſemper, tum vero, & maxime in hoc principio noſtri felicis regiminis, quo ad faſtigium bujus noſtræ regalis dignitatis ſuprema diſpoſitione aſſumti ſumus, omnibus in rebus tam adverſus Turcos fidei Chriſtianæ hoſtes infeſtiſſimos, tum etiam alios non nullos noſtros, & regni noſtri æmulos, qui præcipue noſtram in ipſius regni noſtri ſolium ſublimationem ægre patientes, non minus arma contra nos movere auſi ſunt, quam ut eo fortius ſtatum, & dignitatem uoſtram perturbarent, prætereaque cunctis aliis noſtris, & regni noſtri expeditionibus, adverſis ſcilicet, & proſperis non ſine maxima expenſarum ſuarum profuſione, & copiarum, gentiumque propterea per illum levatarum, miſſarumque amiſſione Majeſtati noſtræ continue adhærendo, ſe nobis gratum, invictumque ſtuduit reddere, & acceptum. Quorum intuitu, etſi ipſe Domiuus Petrus Archiepiſcopus digniori dono, ampliorique munere per Majeſtatem noſtram non immerito præmiandus eſſet, tamen ut ejus votis hac vice videamur aliquantisper reſpondere, & etiam ut Eccleſiarum ſuarum Colocenſis, & Bachienſis, quæ multa, & maxima damna per eosdem Joannem Kishorvath, & ſuos complices paſſæ ſunt, aliqualis damnorum recompenſatio fiat, - - - poſſeſſiones - - cum aliis etiam omnibus, & ſingulis poſſeſſionibus, & juribus poſſeſſionariis - - - quocunque nominis vocabulo vocitatis, ac in quibuscunque comitatibus dicti regni uoſtri exiſtentibus, prævia ratione ab eisdem infidelibus juxta præmiſſam legem, & conſuetudinem præfati regni noſtri auferentes, - - - de conſilio, & conſenſu præfatorum Primatum, Baronum, Procerum, & Nobilium dicti regni noſtri, præmaturo, unanimique decreto, ac mera regia auctoritate, ex certaque noſtræ Majeſtatis ſcientia, præfato Domino Archiepiſcopo, & Archiepiſcopatui ejusdem prænotato - - dedimus, donavimus, & contulimus, imo damus, donamus, & conferimus jure perpetuo, & irrevocabiliter tenendum, poſſidendum, pariter & habendum ſalvo jure alieno - - -. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam præſentes litteras noſtras, noſtrique ſigilli ſecreti, quo ut rex Hungariæ utimur, appenſione communitas, duximus concedendas. Datum Budæ viceſimo die menſis Octobris anno Domini MCCCCXCIII. regnorum noſtrorum anno Hungariæ quarto, Bohemiæ vero viceſimo tertio. „

Actum quoque in conventu fuiſſe, ut pacta de jure ſucceſſionis cum Maximiliano inita, jurejurando ab ordinibus firmarentur, nihil tamen eatenus ab rege profectum, ex eo potiſſimum capite mihi veriſimile fit, quod ſolutis poſtea comitiis, Ladislaus, Kanſyaius, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Banus, (k) tum Bartholomæus Dragſy Tranſilvaniæ Vayvoda, & Martinus Czoborius Bel- *Pactis de ſucceſſione Maximiliani in Hunga-*

(k) Exſtant litteræ, ut notat Cl. Kollar. in Auctar. Diplom. in Tabul. Aug. Domus. Ladislai de Kanyſa, & Bartholomæi Dragfy ſignatæ ſunt, 22. Novembris, Martini Czoborii 25. ejusdem menſis anno 1493.

1493. grado Præfectus, privatis ſtudiis inducti, datis publicæ fidei litteris fœderum conditiones, quibus Maximiliano, ſi rex improlis decederet, jus regni Wladislaus aſſeruit, ratas habuere.

viam pauci ſubſcribunt, Palatino turbas domeſticas excitante.

Soluto conventu, cum reſpublica conciliatis inter regem, ac Proceres animis utcunque pacata videretur, Stephanus Scepuſienſis contra omnium exſpectationem, lucri, ac fortunarum cupidine præter fas actus, res novas moliri cœpit. Erat Corvino arx, Sombor dicta, arduo colli impoſita, ac ab natura magis, quam arte communita, loco in primis opportuno, atque oppidis, quæ ad Palatinum attinebant, circumſepta. Illius potiundæ dum miro ſtudio Scepuſienſis flagraret, cum præfecto arcis muneribus corrupto facile illi convenerat, ut, dum alteri, qui ſucceſſurus erat, locum faceret, caſtrum omnibus ad defenſionem receſſariis rebus deſtitnat, ſe ex improviſo obſidionem tentaturum, viſurumque, ut locum deditione caperet. Succeſſerat dolus ex ſententia: Palatinus, ubi præfectus novum magiſtratum iniit, arcem contracto celeriter exercitu obſedit, &, quamvis ſemel, iterumque ab Wladislao graviter admoneretur, ut ab incepto deſiſteret, prius locum undequaque ad tolerandam obſidionem imparatum occupat, quam Corvinus novis in Croatia litibus cum Osvaldo Zagrabienſi Epiſcopo diſtentus, ſuppetias laborantibus mitteret

An. Chr. 1494.

Rex clam cum Alberto fratre de tuenda dignitate agit.

Palatini faſtus, & rerum novarum ſtudium vehementer non Optimatum modo, ſed Wladislai etiam animum perculit; quod non de nihilo vereretur, ne ceteri quoque Proceres tanti viri auctoritate ad ſimilia audenda incitarentur, id ſi fieret, & regiam dignitatem ſuorum ludibrio expoſitam, & graviſſimum regno periculum conflari vidit. Anxio propterea, &, quid faceret, animi dubio, nihil præſentius ad firmandam auctoritatem occurrit, quam ſi fœderis rationes, quod cum Alberto percuſſerat, quove alter alterius dignitati, ſi apud ſuos in diſcrimen vocaretur, mutuum auxilium polliciti caverant, convento rurſum fratre inſtauraret. Itaque diſſimulato dolore, quem ex ſpretis a Palatino mandatis acceperat, clam nuncium ad Albertum mittit, quibus eum, ne primo quovis tempore Leutſchoviam venire gravaretur, orabat, ſe, cum per rempublicam licuerit, ad præſtitutum diem iſthic affuturum, & quæ ad utriusque commodum factura viderentur, amice, candideque collaturum eſſe.

Kinyſius præclare rem in hoſtico agit,

Hæc clam acta: palam, quo inertiæ famam elevaret, belli ſtudium præferebat, ac Paulum Kinyſium in fines Turcarum, ut cladem anni præterin repararet, cum decem equitum millibus immiſit. Ille facta per duratum frigore Danubium via, infraque Senderoviam caſtra locans, tria equitum millia ad vaſtandam Myſiam ire juſſit, ceteris, ut proxima caſtella, in quæ Alibegus multorum annorum prædas contulerat, vi, aut dolo aggrederentur, imperavit. Miles prædarum ſpe allectus opinione citius in caſtri muros, obnitente nequidquam hoſte,. eluctatus, cæſis præſidiariis, & ingenti præda abacta, locum, ne barbaris uſui deinceps eſſet, injecto igne corrupit. Rem feliciter confectam Croatæ militi præcipue tribui invenio, qui, dum barbari noſtros ex muri crepidine demoliri niterentur, incredibili audacia, ac fortitudine ſtationem, quam occuparat, tametſi viginti quinque vulneribus ſaucius eſſet, retinuit, ceteriſque in murum evadendi ſpacium, ac locum fecit. Pari celeritate, & fortuna alterum caſtellum nihilo priore minus opulentum in noſtrorum poteſtatem venit; quo flammis item abſumto Kinyſius diſtributa in milites præda copias trans Danubium magno ſuorum commodo reduxit. Poſtridie enim Alibegus circumvolantium Hungarorum fama excitus, conflato ex octo millibus exercitu, noſtros ad Danobii ripam celeriter conſequutus prælium parabat, cum ſoluta tepente aura glacies barbaro rationes omnes conturbavit. Itaque fortunæ ſuæ iratus, parumque decore barbam vellens, retractis copiis vindictam futuro tempori ſervavit.

Et detectam Belgradi

Kinyſius ex itinere Belgradum digreſſus, abſente Czoborio, qui arci præerat, ne quid ab irato hoſte detrimenti acciperet, aucto præſidiariorum numero diligenter cavit. Ibi cognito nefariorum conſilio, quo de dedenda Turcis urbe

age-

agebant, continuo proditionis primipilos vinculis onerari, & acerbiſſimis quæſtionibus agitari, crimenque confeſſos immani, neque facile audito alias ſupplicio affici juſſit. Cum enim vinctos catenis fœdiſſimo carcere ſervari, ac inedia macerari imperaſſet, ſingulis in ſingulos dies mactatis, coſtas eorum carnes ſociis fame enectis pro cibo apponendas curavit, quo & ſenſus doloris eſſet acerbior, & pœnæ immanitas ceteros a conſimili perfidia abſterreret. Qui noviſſimus erat, quod nemini ex ſuis carnibus cibum jam præbere poſſet, lenta inedia mori coactus eſt. Valuit atrocitas ſupplicii cum ad elevandam tantæ immanitatis infamiam, tum ad continendos in officio ſceleſtos, qui non facile, niſi ſuppliciorum magnitudine a male agendo ſe abduci patiuntur.

conjurationem punit. auctoribus jo- pat,

Wladiſlaus, ubi & depulſum a Belgrado periculum, & relatam ex hoſte victoriam comperiſſet, mira geſtiens lætitia milites, qui præclare rem adverſus barbaros patraſſent, præmiis muneratus eſt, ac in primis Croatam, quem incredibile fotitudinis exemplum edidiſſe memoravimus, ducentis numis aureis, & veſte purpurea donavit. Paulo autem, cujus auſpiciis hæc geſta erant, cum propter plurima in regnum merita, tum ob rem in hoſtico fortiter, ac cum laude nuper adminiſtratam, judicis curiæ regiæ dignitas, quæ ab Bathorii obitu vacabat, collata eſt. Qua de re Colocenſis Archiepiſcopus Kinyſio in hæc verba gratulatur: (*l*) *Magnifico Domino Comiti Paulo de Kinys - - Petrus Archiepiſcopus Colocenſis. Hodie regia Majeſtas, Dominus noſter, & veſter gratioſiſſimus, intellecto prius deſiderio magnificentiæ veſtræ, ſuæ Majeſtati ſatis, ſuperque per hos dies declarato, conſideratis etiam meritis, & fidelibus ſervitiis magnificentiæ veſtræ, quæ ſervitia, & merita veſtra non parum perpenderat, ut conſoletur in hac ſenectute ſua, & inter tot curas, ac labores multiplices, quos aſſidue magnificentia veſtra pro ſuæ Majeſtatis obſequio, & pro defenſione regni promptiſſime tolerat, magnificentiam veſtram pronunciari fecit, Comitem Paulum de Kinys, judicem curiæ regiæ, magno omnium Dominorum Prælatorum, & Baronum conſenſu, & aſſenſu. Quod fauſtum, felixque ſit magnificentiæ veſtræ, & concedat omnipotens, ut novæ dignitatis acceſſio magnificentiæ veſtræ ſalutem, & gaudii, ac omnis boni proſperitatem, & felicitatem cum omnium noſtrorum conſolatione largiatur. Itaque magnificentiæ veſtræ erit deinceps, & regiæ erga illam clementiæ, & omnimodæ gratiæ, ac favoris reminiſci, & beneficiorum illius recordari, ſicque erga illius Majeſtatis ſtatum, & dignitatem ſe gerere, ut quod nos conſtanti pro illa aſſertione non minus, quam pro perſona noſtra propria polliciti ſumus, & veſtri hoc idem nomine veſtro confirmarunt, in omnibus, & per omnia juxta deſiderium, & exſpectationem regiæ celſitudinis, & verbo, & opere compleantur. Salve igitur, & felix eſto jam vere Comes Paule, curiæ regiæ judex digniſſime, tuique Colocenſis memor eſto, quia & Colocenſis tuus, dignitatis, & honoris, & amplitudinis tuæ non eſt immemor. Ex Buda feria tertia proxime poſt feſtum converſionis ſancti Pauli, anno Domini MCCCCXCIV.*

ab rege Judex curiæ creatus.

Minime dubium eſt, Colocenſem, pro ſua apud regem gratia, & in Paulum amicitia novæ dignitatis auctorem exſtitiſſe; quo magis miror veniſſe non nullis ex noſtris ſcriptoribus in mentem, ut eum novas hoc anno res cum Laurentio Sirmii Duce, ac Kishorvatho, ceterisque factioſis adverſus regem molitum eſſe perhibeant, quem ex publicis litteris certum eſt, gratiæ locum, qua apud regem valuit, ad extremum vitæ diem conſtanter, & magna fidei, nominisque integritate tuitum fuiſſe. Paulo in præfectura Temeſienſi Joſa de Som ſubrogatus eſt, quem ille ab teneris annis in militari diſciplina educatum, & ſæpe illatis in Turcos armis cum laude verſatum huic dignitati, & bono patriæ jam dudum ante præparavit.

Cui in Temeſienſi præfectura Somius ſuccedit.

Interea dies colloquio præſtitutus, quo regi cum fratre Alberto Leutſchoviæ ex pactis conveniendum erat, appropinquabat, & Wladiſlaus concitis omnium fere ordinum Proceribus, quantum per impedita itinera licuit, iſthuc properans Albertum cum Sigiſmundo, & Friderico Fratribus regium in morem accepit. Affuit quoque Fridericus Marchionis Brandeburgici ex ſorore filius, ingensque Polo-

Congreſſus Wladiſlai cum Alberto Leutſchoviæ.

(*l*) Ex Cod. MS. rerum ſub Wladiſlao geſtarum.

1494 Polonorum copia, nou minus veſtium luxu, quam divitiatum oſtentatione certantium. Dies aliquot ludis, ac ſpectaculis ab gentis utriusque Optimatibus inſumti, cum reges interea clam inter ſeſe coeuntes fœdus innovarent, quo alter alterius dignitatem, ſi ita neceſſitas poſtularet, adverſus ſeditioſorum Procerum inſidias, ſociatis armis ſe tuituros promiſere: id enim Wladislaus, qui clementiam ſuam in contemtum verti a pleriſque obſervavit, maxime curabat. Actum præterea, ut Achilleam, & Moncaſtrum arces, ad Tyram amnem ſitas, quasque ex inſidiis a Bajazete ſub Mathia interceptas narravimus, Albetto armis petere liceret, quo certius adverſum barbarorum incurſiones præſidium haberet. Quæ loca cum ad Hungariæ, ut inſcriptiones ſaxis portarum inciſæ perhibent, jura pertinerent, ægreque regni ordines traduci ad Polonos laturi viderentur, reges de induſtria famam vulgarunt, belli adverſus barbaros ſuſcipiendi cauſa ſeſe conveniſſe, ſed ob inducias, quas haud ita dudum Albertus cum Bajazete iniviſſet, fruſtra & iter, & conſilia ab ſe ſuſcepta eſſe. Caveri tamen non potuit, quin eorum, quæ clancularia inter ſe coitione reges agebant, indicia ad Hungaros pervenirent, qui Moldaviæ jura ad Albertum ea ratione transferri ægre ferebant, ac deſidiam Wladislai novis conviciis petebant.

A Palatino liberaliter habentur.

Palatinus & ob intercepta Corvini oppida, & infenſum ſibi Albertum, regis iram veritus, in Scepuſio ſeſe continebat, neque prius reges adire auſus eſt, quam publicas ſecuritatis litteras ab Wladislao accepiſſet, quibus præteritorum illi gratiam regia fide impertivit. Stephanus hac benevolentiæ ſignificatione adductus non modo mille fere plauſtra vino, ac reliquo commeatu plena regibus Leutſchoviam miſit, ſed in arcem quoque Scepuſienſem vocatos, regio ſplendore acceperat, diſtributis inter Optimates muneribus, quæ ab regia magnificentia parum abhorrerent. Ibi ex Polonis non nemo, cum videret Palatinum in ſingulos dies alio, atque alio amictu uti, qui ad tria aureorum numum millia æſtimarentur, inani divitiarum oſtentatione ductus, veſtem unionibus refertiſſimam indutus, Stephanum officii cauſa adiit, ſalutatumque tacita reprehenſione perſtrinxit. Palatinus cognito vaniſſimi hominis conſilio, lapidem adeo pretioſum confeſtim expromſit, ut Polonus ſe victum confeſſus, veſtem, quam oſtentationis cauſa ſumſerat, e veſtigio poneret. Quod utri magis ad laudem tribui debeat, nou video, quando inanis utrinque jactantia parum, & cum dignitate, & cum ætate utriusque conſenſerat. Ceterum confirmata apud pleroſque Hungaros Proceres, quorum ingens copia regem ſectata fuit, ſuſpicio eſt, bonam theſauri partem, quem illi cuſtodiendum Mathias olim dederat, ab Stephano clanculum ſublectam fuiſſe. Quæ utcunque fuerint, tanti tamen Sigismundo erant, ut jam tum ad conflandas cum Palatini filia nuptias animum adjeciſſe videri non immerito poſſit.

Rex ſalutato fatre Tranſilvaniam petit.

Wladislaus ſalutatis poſtremum fratribus, Caſſoviam profectus, Sigismundum Quinque-Eccleſienſem Epiſcopum, quem paulo ante Quæſtorem creatum dicundo per abſentiam ſuam juri præfecerat, Varadinum excivit, ut ejus conſilio ad componendas Tranſilvaniæ res, quas vehementer turbari audiverat, uteretur. In provinciam delatus, cum videret mali cauſas ab ſimultate, quæ Loſſoncio cum Dragfyo collega interceſſerat, oriri, illo ad aulæ præfecturam traducto, hunc in adminiſtratione provinciæ, quam magna cum laude hactenus tenuiſſet, confirmavit. Tum imperata Tranſilvanis pecunia, & confecto ex hac exercitu Temesvarinum tenuit, ubi conjunctis cum Kinyſio copiis, huic, & Dragfyo mandata dedit, ut in Thraciam, ac Bulgariam irrumpentes, jacturam ſuperiorum annorum illato viciſſim hoſtibus maleficio ſarcirent. Illi vaſtitatem latiſſime circumferentes, cum nemo eſſet, qui populabundos ab effuſa prædandi licentia cohiberet, omnia belli terrore repleverant, abactam hominum, ac jumentorum ingentem prædam gravioris armaturæ equitibus, quos ab tergo reliquere, cuſtodiendam dederant, ut liberiorem divagandi in hoſtico copiam haberent. Eo ſucceſſu auctis animis quaquaverſum per centum millia paſſuum omnem regionem igni, ferroque populati, ad expugnandam Senderoviam Duce Kinyſio animum appulere, quod Bajazetes traducto in Aſiam bello loca fere

Inde Temesvarinum profectus Kinyſium in barbaros immittit.

omnia

1494.

omnia præſidiis nudaſſet. Fuiſſetque aliquod operæ relatum precium, ſi Kiny-ſius paulo obſequentiorem militem nactus eſſet. Sed cum plerique prædæ amit-tendæ metu ducerentur, diviſiſque ſententiis obedientiam fere detractarent, Pau-lus reducto trans Savum exercitu ad oppidum Divi Clementis caſtra metatus, ibique poſt paucos dies, cum ad familiarem morbum, quo per intervalla labo-rabat, letalis præterea febris accederet, ingenti omnium dolore exſtinctus eſt. *Vir certe memorabilis, reique publicæ peritiſſimus, utpote, qui per omnem ætatem ſumma felicitate arma tractarit, ac e manipulario pedite omnibus bonorum gradibus ſola virtute du-ce conſcenſis, Temesvario, ac ceteris inferioris Pannoniæ limitibus per viginti quinque annos cum imperio præfuerit, nec unquam, quod mirum maxime, eventuque rarum ſit, ad-verſam fortunam expertus fuiſſe feratur.* (m)

Qui re præclare geſta obit.

Mors Kinyſii, ut præter omnium opinionem evenerat, ita regi perquam importuna accidit, bellum in refractarios Proceres jam dudum meditanti, cujus gerendi rationes Kinyſio committere deſtinabat. Nam & Corvino Duci cum Os-valdo Zagrabienſi Epiſcopo oppidorum cauſa lis interceſſerat, quam collatis ar-mis repululantem Kanyſaius Banus prudentia ſua ad tempus compreſſerat; & Laurentius Sirmii Dux cum Kishorvatho, & Bartholomæo Auranæ Priore. ſa-cerdotium id peropulentum ordini Rhodiorum, qui nunc Melitenſes ab inſula Melita ordinis ſede appellantur, quondam ſacrum, novas res moliri cum per litteras, tum per nuncios ferebatur. Itaque cum Bachiæ per id tempus mora-retur, omnes, quorum ſuſpectam fidem habebat, vulgato in certum diem edi-cto, ut cauſam dicerent, præſto adeſſe juſſit. Plures edictum deſignabat, unus tamen præ ceteris Laurentius Ujlakius, qui ad ſummam arrogantiam nihil ſibi reliquum in ſpernendo, inſectandoque rege fecerat, petebatur. Præterquam enim, quod magnam ſibi apud pleroſque invidiam conflarat, cum ad conven-tum Leutſchovienſem nuper vocatus venire renuiſſet, illud quoque per omnium ora jactabatur, præfectos regios, dum vectigalia exigerent, per ſummam inju-riam immiſſis clam ab eo ſicariis e medio ſublatos eſſe, quod perinde omnibus erat, ac ſi regio ſanguine manus cruentaſſet. Illud quoque, quod nullo quan-tumvis ſævo, ac immani ſupplicio credebatur expiari poſſe, crimini datum eſt, quod pactum cum Turcis iciſſet, ut accepto in ſingula capita aureo numo, barbaros per ſuas ditiones in Chriſtianorum provincias prædatum ire pateretur. Quare nihil aliud eum moliri, quam ut barbarorum ope adjutus ſenſim tyranni-dem occupet, & ad ſolium graſſetur: dare illum nova in dies intolerabilis faſtus indicia, cum regem, contemta, quæ ſacerrima omnibus eſſet, dignitate, illi-berali prorſus ore bovem compellaret. Itaque metum non de nihilo eſſe, ne ſancitis cum Bajazete fœderibus Pannoniam interamnenſem ab regno avellat, Turcisque tributariam ſubjiciat.

In Laurentium Ujlakium res novas molientem,

His de cauſis permotus Wladislaus bellum, tametſi Thomas Agrienſis omnia prius, quam arma regem experiri cuperet, in Laurentium decrevit; ſummamque belli cum imperii poteſtate Bartholomæum Dragfyum adminiſtrare juſſit. Quod cum Laurentio per amicos clam nunciatum fuiſſet, is oppida, at-que arces ſuæ ditionis, Ujlakum in primis, & majore militum præſidio, & ex-temporaneis munitionibus in omnem eventum firmare aggreſſus, uxorem cum charioribus rebus, omnique familia Nemetuivarium traduxit, quod caſtellum in Auſtriæ, ac Stiriæ finibus poſitum, omnium, quæ illius imperio parebant, cum loci ſitu, tum artis operibus munitiſſimum habebatur. Dragfyus non ſe-gnius, atque imperatum eſt, coacto ſub ſigna milite recta Ujlakum, præterito Futaco, quod Laurentio itidem parebat, promovit, ut prius oppido, quam ſuppetias factioſi venirent, potiretur. Id vi ſumma aggreſſus, tametſi in prin-cipio ob temere incurrentes milites damnum accepiſſet, poſtridie præſidiariis deſperata loci ſalute ad arcem ſe ſubducentibus, in poteſtatem redegit. Capto oppido Wladislaus in caſtra veniens palam edixerat, nemini fraudi futurum, fa-ctioſos ſequutum fuiſſe, ſi intra triceſimum diem Laurentii partes deſeruiſſet,

Bellum decernitur.

(m) Istvanfii Hiſt. Lib. III.

1494. factiosorumque ſe omnibus præteritorum impunitatem, ſi oblata gratia intra præſtitutum tempus uti vellent, quo elapſo nulli non capitale futurum ſeditioſos ſectari, atque hoſtem reipublicæ cum ſuo, tum ordinum ſcito declaratum iri. Ea re haud pauci ſtudia cum animis converterant, & in caſtra regis transgreſſi vires Laurentii vehementer attenuabant. Qui in arce erant, cum viderent Dominum a plerisque deſeri, & muros tormentorum verberatione magnopere quaſſari, poſt decem dierum inducias, fruſtraque interea adhibitas fraudes, deditionem facere coacti ſunt. Inde traductis in Sirmium copiis Kishorvathi oppida aggredi placuit; quibus quatridui ſpatio in poteſtatem redactis, homo militiæ laude ceteroquin clarus, ac ſub Mathia ſtrenuus ordinum ductor, ſed factionum non minus, quam latrocinii ſtudio inſignis regno ejectus eſt, nec, niſi Maximiliani Cæſaris, ac Sigismundi, Wladiſlai fratris opera, regi deinceps conciliatus.

Qui deſperatis rebus ad Palatini opem confugit,

Laurentius, poſtquam res ſuas in tanto diſcrimine verſari intellexit, vereretурque, ne, quod edicto prius non paruiſſet, incenſus in ſe regis animus nihil clementiæ poſthac tribueret, cauſæ diffiſus, matrem, lectiſſimam feminam, exactæque ætatis ad Wladislaum adire juſſit, quæ ſupplicibus precibus veniam exoraret, ſimul Palatinum, cui amicitiæ, & affinitatis fœdere junctus erat, per nuncios orabat, ut pro ſua auctoritate regem placare ne gravaretur. Ille, quanquam concit tam in Wladislaum ſeditionem averſaretur, amici tamen cauſa ſe omnia apud regem experturum reſpondit: ſed monitum velle, ut ab eo, quem bovem per ludibrium compellaſſet, ſibi etiam, atque etiam caveret: cornu eum jam unum protruſiſſe, alterum propediem quoque naſciturum, quibus hoſtes ſuos petiturus eſſet. Simul Legatos ea de cauſa ad regem miſit, per quos monentis inſtar petebat, ut judicio mallet, quam armis cum regni principibus certare; quod id & legibus, & naturæ ſuæ, quam mitem, benignamque ſortitus ſit, magis conſentaneum eſſet. Tum regni conſuetudinem in memoriam revocans, ſemper id in more apud Hungaros fuiſſe oſtendit, ut, ſi de capite viri Principis agendum eſſet, cauſa indicto regni conventu per centumvirale judicium audientibus omnibus cognoſceretur. Oratum igitur regem velle, ne ab ſapienti majorum inſtituto, cum aliqua ſuorum offenſione, certaque dignitatis jactura diſcederet. Ea admonitione, quod præter tacitam reprehenſionem, manifeſtum etiam impotentis animi indicium contineret, rex vehementer exacerbatus, paulo, quam ſolebat, durius reſpondit: *Multo iniquius eſſe prætorem, quem injurias omnes prohibere oporteret, injuſtam aliquando vim alteri attuliſſe, neque regis ipſius auctoritate deduci ab incepto potuiſſe, quam regem indicta cauſa publicum - - - hoſtem armis ulciſci, eumque demum Palatini non rogantis, ſed prope minantis, non voluntati, ſed imperio denegare. Laurentium graviſſimorum criminum reum ſæpius a ſe citatum, ob rerum patratarum conſcientiam imperium detrectaſſe, & Majeſtatem regiam, quantum in ipſo fuit, in ordinem coegiſſe. Se autem, cujus pro regiæ dignitatis amplitudine tanta ſit auctoritas, ut ejus merito voluntas vim juſtiſſimæ legis obtineat, in ea cauſa, in qua regni ſalus, & publica quies contineatur, neque iniqua ſecuturum, neque recuſaturum ſevera judicia, neque bella, & pericula ulla reformidaturum. Proinde Palatino ſemper fore integrum, an manſuetum, & facilem, an prædurum, & inexorabilem velit habere Dominum. Si cum republica bene ſenſerit, neque magnificos adeo adverſus regem ſpiritus geſſerit, ſe ipſo æquiſſimo, & clementiſſimo ſemper uſurum.* (n)

Cujus Legatis propterea ad ſe miſſis rex durius reſpondet,

At matre pro filio deprecante cauſam ad centumvirale judicium rejicit.

Dimiſſis cum hoc reſponſo Legatis, minime dubium erat, regem vi, jureque adverſus Laurentium, ac factioſos acturum. Itaque aliam ad placandas iras machinam adhibere placuit, quæ ut tenuem in principio ſpem præbebat, ita exitu mire felix erat. Eodem, quo captam Ujlaki arcem die rex ingreſſus eſt, Laurentii mater, a filio ad exorandam veniam miſſa, & a nonnullis Procerum, qui Duci clam favebant, perſuaſa, atro amictu, & paſſis crinibus Wladislao ſupplex facta, orabat, ne extrema in filium experiri vellet, qui ob ætatem haud ſatis quid ſibi ex uſu ſit, intelligeret: a factioſis circumventum, ac futu-

(n) ISTVANFFIUS loco laudato.

futurorum ſpe deceptum aliena magis malitia, quam ſuo ingenio peccaſſe, pol-
liceri, eum in regis arbitrio deinceps fore, fidemque daturum publicam, nihil
in regem, aut regnum unquam moliturum. Adjecit lacrimas, quæ ab hujus
ætatis, ac dignitatis matrona profuſæ ingens ad flectendum regis animum
pondus adjecere. Itaque & miſeranda mulieris conditione, & inſita animo cle-
mentia, quæ illum ſui magis eſſe memorem, quam vindictæ cogebat, victus
rex, bono animo flentem eſſe juſſit, abjectamque erigens, nihil ſe acerbius in
filium deinceps decreturum pollicitus eſt, tametſi armis hactenus victum, op-
pidisque exutum pro jure ſuo inclementius poſſet accipere. Cauſam pro con-
ſuetudine ad regni conventum ſe rejicere, in quo per centumvirale judicium de
filio cognoſceretur: Procerum judicio, quidquid decreviſſent, ſe omnino ſtatu-
rum. His dictis feminam cum honeſto comitatu Budam deduci, triaque oppi-
da, ex quibus vitam pro dignitate tueretur, reddi juſſit, diſerte cavens, ut;
ſi redditus pro fortunæ ratione anguſtiores eſſent, ex ærario regio liberaliter tri-
bueretur.

Cum hunc in modum omnia, quæ Laurentius in inferiore Hungaria ob-
tinuerat, oppida rex in poteſtatem redegiſſet, nihilque temporis ad inſtaurandas
vires hoſti relictum vellet, ductis ſequente anno in Illyricum copiis, atque in
Duces diſtributis, Dragſyo Caposvarium, Joſæ Somio, quem Kinyſio ſubroga-
tum memoravimus, Nemetuivarium, Lupo autem Deſpoto Rahociam arcem
expugnandam tribuit. Ac Dragſyus quidem, tametſi in principio ob rem ne-
gligentius, quam in hoſtico par erat, adminiſtratam, a Davide Dombajo Capos-
varii Præfecto cladem accepiſſ· poſtea tamen & deſidiam mira diligentia ſar-
ciens, & accenſo forte fortuna apud hoſtes tormentario pulvere, dimiſſis libere
præſidiariis loco per deditionem potitus eſt. Minore damno res ab Deſpoto ge-
ſta eſt, qui arcem, Præfecti metu intra paucos dies occupatam, regio præſidio
adverſus vim egregie comparavit. Reſtabat Nemetuivarium, vulgus Giſſingam
appellat, cui Laurentius, poſtquam conjugem illo præmiſiſſet, arcique ab arte,
& natura munitiſſimæ, quantum ad tolerandam obſidionem ſatis eſſet, commea-
tum importaſſet, ſeſe cum lectiſſimis præſidiariis incluſerat. Somius viſa loci
natura obſidionem ita inſtituere aggreſſus eſt, ut obductis quaquaverſum caſtris
fame magis, quam aperta vi acturus videretur: ea enim ratione neque quidquam
ab externo hoſte metuendum erat, & intercluſo commeatu futurum ſperabat,
ut obſeſſi, quamquam lentam obſidionem utcunque toleraturi eſſent, deditio-
nem facere cogerentur.

An. Chr. 1495.

Laurentius, occupatis per regios ditionibus ſuis,

Laurentius, qui cognito Somii conſilio, facile videbat, niſi regem ſibi
placatum redderet, cum ſumma rerum omnium deſperatione ſibi conflictandum
eſſe, paucorum dierum inducias poſtulavit, ut miſſo ad regem Andrea Batho,
familiari ſuo, conditiones, quibus ſe, ac fortunas ſuas clementiæ Wladiſlai com-
mitteret, qualeſcunque impetraret. Rex, tametſi non deerant, qui adulando,
blandiendoque, vetera odia, ac recentes Laurentii injurias in memoriam de in-
duſtria revocarent, & ſupplicis precibus, & amicorum interceſſione, cum ſua-
pte natura placatus, haud difficulter conceſſit, ut ad ſe venire, & cauſæ, quam
in proximum conventum rejecerat, tractationi intereſſe poſſet, Somioque in
mandatis dederat, ut retractis ab Giſſinga copiis, data, acceptaque publica fide
Laurentium adduceret. Neque ille diu moratus, cum Nicolao Zécſio, & Joan-
ne Kishorvatho Quinque-Eccleſias ad regem venit, ſupplexque factus oratio-
nem fortunæ ſuæ accommodatam habuit, qua arrogantiæ ſuæ, & attentati in re-
gem faſtus aberrationes in prava eorum conſilia detorſerat, qui ex turbata re-
publica lucri compendium quæſiiſſent, eorum ſe ſuaſionibus in transverſum agi
ſiviſſe, ac regno, regique immodice probroſis rationes ſectatum, fortunarum,
atque exiſtimationis diminutione ſero edoctum, qua fide in eos, quos ſibi Nu-
men præfeciſſet, ſe ferri deinceps oporteat: id ſe, modo rex pro ſua clementia
præteritorum veniam faceret, manifeſtis indiciis, ut bonum, fidumque civem
deceret, commonſtraturum. Satis pœnæ videri, bonis omnibus exutum regis
ſeſe arbitrio deſtituiſſe, &, quem tacitus ſecum ubique circumferret, facti pu-

Regis gratiæ, & arbitrio ſe permittit.

dorem,

1495. dorem, quo nullum certius converſi in melius animi ſignum haberetur. Hæc proloquutum rex aliquamdiu intuitus, quaſi dignnm ſe, & auctoritate ſua judicium animo verſaret, gravioribus primum verbis ob illatas contumelias, accepit, tum ſi deterſis odiis ſincero animo ad frugem rediret, veniæ locum præbuit, facturum ſe pollicitus, ut quam de ſua clementia ſpem concepiſſet, fructum illius cumulatius percepturus eſſet. Deinde remotis arbitris in conclave ſeductum multa, quorum fama nuſquam in vulgus manavit, percunctatus, ut ad Budenſem conventum, in quo Procerum judicio de cauſa cognoſceretur, data fide veniret, imperavit. Eodem die Bartholomæus Berislous Auranæ prior ex Rhodiorum equitum ordine, vir flagitioſus in primis, ac ſupra quam credi poſſit, ſanguinarius, tametſi perfidiæ cauſa veniam prius ab rege obtinuiſſet, ob plurima tamen crimina, quorum a Proceribus poſtulabatur, ejuſdem juſſu ab Joſa Somio comprehenſus, & Budam, ut iſthic de eo ceutumvirali jodicio ſtatueretur, deductus eſt.

Wladislaus Turcorum Legatis decennes inducias petentibus, triennales concedit.

Rebus in hunc modum utcunque ex animi ſententia finitis, rex facto per Batham, Sixardinum, Albamque Regiam itinere Budam menſe Aprili pervenit. Ibi eum Legati Turcici, quos Petrus More ſuperiori anno Conſtantinopolim ab rege miſſus, adduxerat, Bajazetis nomine ſalutarunt. Legationis cauſa, induciæ, quas decennales petebant, fuere: quibus ut facilius potirentur, ſplendidiſſima munera, inter quæ gladii aureis, gemmariſque vaginis inſignes, cælata ex argento vaſa, ac tentoria Babylonici operis ſcite expicta erant, non modo regi, ſed, quos apud hunc gratia valere viderant, Proceribus quoque afferebant. Wladislaus re cum ſuis deliberata triennales ſolum inducias barbaris indulgendas cenſuit, partim ne ipſe ſibi occaſionem rei bene gerendæ, ſi quæ offerretur, e manibus elabi ſineret, partim ut hoſtes, oſtentatione fiduciæ, in metu continerentur. Induciarum hæc præcipua capita erant: (o) *ne ulla utrinque vis, & incurſio per triennium fieret: ut ſine fraude, doloque captivi ex clade Croatica redderentur. Wladislao vero integrum eſſet, inducias aut producere, ſi vellet, aut intercipere, ſi commodum eſſet, modo tribus id ante menſibus indicaret.* Maximiliano quoque Cæſari his induciis cautum, ne barbari in Carnioliam, Stiriam, Carinthiamque procurrerent, quo cum haud aliter, quam per Croatiam, aut Dalmatiam iter eſſet, inducias, ſi contra facere auſint, omnino irritas fore. Cum his conditionibus, argento præterea, ac veſtibus aureis exculti, Legati ad Bajazetem remiſſi ſunt.

In comitiis tributum oſtiatim imperatum.

Abhinc conventus, quem in menſem Majum indixerat, magna Procerum, Nobiliumque ex ſingulis regni provinciis pro more confluentium frequentia celebratus. In eo, quæ quarto abhinc anno in comitiis illuſtrari penitus non potuerant, novo edicto explicari placuit, ne cuiquam in legum uſu fraus, doluſque, aut detrimentum, aut opem afferret. Ad hæc modus ſingulatim præſcriptus, quo comitia deinceps celebrari oporteat, quod uſu compertum eſſet, conventum, dum Proceres privata præ publicis curæ habent, nullo fructu protelari, ſæpeque ob ſimultates, quæ ex dignitatis, rerumque æmulatione ortum ſumerent, plus regno damni, quam commodi, cujus tamen cauſa conventum fieri oporteret, conflari. Cautum etiam ne cui extero magiſtratus regni crederentur, tum crimen læſæ Majeſtatis ampliatum, ne factioſi occaſionem impunitatis ſibi ſumerent. Hæc communi voluntatum ſtudio, & concordibus animis acta: poſtea vero, quam de tributo oſtiatim imperando, quo ſumtus ad bellum neceſſarii ſuppeterent, memoria injecta eſſet, gravis inter patres, ac Nobilitatem ſeditio oborta eſt, quod illi regis voluntati ſe inconſultis ſubſcriberent, hi contra ad vetus regni inſtitutum rem omnem revocatam vellent, quo in quinque domos aureum numum decernere moris fuiſſet. Alioquin Mathiam omnium primum fuiſſe, qui etſi præter legum conſuetudinem in ſingulas domos, ſingulos aureos numos imperaſſet, publicis tamen litteris confeſſus ſit, id regno fraudi minime futurum, quo ſatis indicarit, præter morem id patratum eſſe.

Nec

(o) Bonfin. Dec. V. Lib. V.

Nec deerant, qui palam couvitia in Proceres jacerent, quod, cum ipſi fortunis divitiisque afflueutes, nihil regi tribuerent, parum penſi haberent, rejecto in Nobiles, horumque ſubditos graviſſimo ouere rempublicam, libertatemque prodere. Facturum itaque regem pro religioue, qua ſe, cum regnum adeptus eſt, obſtrinxerat, ſe nihil innovaturum, abolituruṁque omnia, quæ per Mathiæ cupiditatem contra legum ſcita obrepſiſſent, ſi ad publicos regni uſus, ut moris hactenus fuiſſet, in quiuque domos, ſingulos uumos aureos imperaret: eo modo ſe, qui privatorum cupiditates odio haberent, reipublicæ contra rationes ſingulari amore complecterentur, uequaquam commune onus detrectaturos eſſe. Gliſcebat jam ita ſeditio, ut rex, Proceresque vim vererentur. Itaque aſtu uobilitatem circumvenire, aut eludere placuit. Wladislaus rationem eorum, quæ petiiſſent, ſe habiturum pollicitus, Dominicum Albenſem Præpoſitum, & Joannem Veſprimienſem Epiſcopum, duumviros creat, qui accito in couſilium Stephano Verbŏcio, qui primus omnium leges patrias in ordinem coegerat, de tributi ratiouibus ad nobilitatem referrent. Ita multitndo primum hac æquitatis ſpecie delinita, poſtea autem, quam duumviri cauſas alias ex aliis de induſtria necterent, fruſtraque comitiorum exitus exſpectaretur, partim tædio, partim neceſſariarum rerum penuria, ne petito quidem ab rege commeatu domum dilapſa eſt. Ad hunc modum amandata multitudine, ceteris vero muneribus, & ſpe præmiorum conciliatis, atque in regis ſenteutiam traductis, decretum per uobilitatis infrequentiam fraude interceptum tenuit; nnmusque aureus in ſingulas domos oſtiarii tributi uomine imperatus eſt, & exactus.

Intercedente magna nobilium parte, ſed irrito conatu.

Reſtincto in hunc modum incendio, quo quin regia conflagratura crederetur, parum aberat, Wladislaus aliquanto ſedatiore, quam prius animo, cognoſcendis rerum cauſis operam navabat. Primu omnium Petro Pokyo e Mergeſſiorum geuere, qui malis rebus in Corvini clientelam ſe inſinuans, Baimociæ arcis præfecturam ab hoc obtinuerat, dies dictus. Eum Joannes Gyulanus, Ludovicus Saracenus, ac Georgius Perneſſius Corvini familiares variorum criminum poſtulavere. Præterquam enim, quod immiſſis clam ſicariis vitæ Corvini inſidiatus eſſet, arcem quoque contra jusjurandum reddere abuuebat, fratremque uegantem cedere paterna hæreditate, præcipitem in flumen deturbarat, conantemque emergere, haſta transverberatum crudeliſſime interfecit. Quæ cum ille Palatini clientelæ fidens uegaret, publica teſtium auctoritate convictus, regis & judicum ſententia proditorum more fœdo ſupplicio vivus diſcerptus eſt. Priori Auranæ, quem Quinque-Eccleſiis Budam adductum narravimus, ad cetera crimina, quibus honeſtiſſimas matronas, virginesque illato prius ſtupro necarat, id quoque flagitio datum, quod communicatis cum Turco conſiliis, conflataque adulterina moneta, qno ſcelere tum propter violatam fidem publicam, tum læſam regis Majeſtatem nihil magis vindicandum ſit, ad auctoritatem regiam aſpiraſſe videretur. Manifeſte tentus, ut dignitatis, quam gerebat, ordinisque ratio haberetur, intempeſta nocte culeo inſutus, ac in Danubium præceps actus eſt; quamquam uon deſint, qui Temesvarini perpetuæ cuſtodiæ traditum memoriæ prodiderint.

Ex reipublicæ turbatoribus graves pœnæ ſumtæ.

Laurentius interea, cum hæc agebautur, de ſe, cauſaque ſua maxime ſollicitus, patrum ſtudia ambiebat, in quorum auctoritate, & gratia tametſi multum ſpei repoueret, tameu regis, qui poſita clementia repente ſeverus in facinoroſos exſtitiſſet, animum, animique inconſtantiam metuebat. Re in deliberationem adducta duriorem ſe Wladislaus ex eorum conſilio, quorum prudentia jus, majeſtatemque ſuam tuebatur, Laurentio præbuit, quod verendum eſſet magnopere, ne, quem magis adverſæ res, quam vera virtus fregiſſet, impetrata bonorum, quæ intra Dravum, Savumque ampliſſima habuit, reſtitutione, animum cum fortuna mutaret, & cum finitimis barbaris, vindictæ dnctus ſtudio, coitiouem adverſus rempublicam moliretur, a qua ſnſpicione integris rebus minime abfuiſſet. His de cauſis rex, tametſi Quinque-Eccleſiis fidem dediſſet, Laurentii, ac ejus ditionum rationem ſe habiturum, permotus, rem pro-

Ujlakius bonis mulctatus in gratiam recipitur.

1495. procraſtinatione differendam cenſuit, oblata ſpe, cauſam in comitiis, quæ ad futurum autumnum edicturus eſſet, ex integro cognitum iri.

Rex peragrata Hungaria, Poſonii jus Bohemis dicit.

Soluto deinde conventu, quod Budæ, locisque finitimis peſtilentia graſſari inciperet, in ſilvam Verteſſiam prope Sambok oppidum latiſſime diffuſas petiit, iſthicque traducta veriatu æſtate Csanadinum, Szegedinum, ac Bacſiam, reipublicæ cauſa profectus eſt. Tum iter emenſus, trajecto Dravo, lentis itineribus Verucíam, Babociam, & Sabariam prætericus, Sopronium, atque illinc Poſonium tenuit. Hio convocatis ex Bohemia, ac Moravia Proceribus, quæ regna abhinc, quam in Hungariam venit, per proreges adminiſtraverat, conventum egit, in quo rebus, quæ ad utriusque regni commodum attinerent, communi ſententia ſtatutis, pollicitus eſt, ſe, ut primum per Hungariæ curas ſibi integrum fuerit, in Bohemiam venturum eſſe. Gratiæ ab Bohemis habitæ, cum ob inſignem voluntatis in ſe ſignificationem, tum propter declaratum in hæreticos, quos Romano Poutifici commendaſſet, ſtudium, qui, ſi iisdem, quas Sigismundus Imperator olim impetraſſet, conditionibus ſtaretur, ad Romanos ritus libenter redituros, omnium uomine fidem obſtrinxere. Wladislaus laudato Bohemorum ſtudio, Budam, quod lues jam ſopita eſſet, rediit, & conventum, quo octavarum, ut noſtri loqui amant, judicia agerentur, indixit.

Laurentius Colocenſis Archiepiſcopi opem implorat, ut bona ab rege ſibi reſtituerentur.

Id Laurentio ſpem ingentem præbuerat, placandi penitus regis, quod non dubiis indiciis prodidiſſet, cauſam ſuam eo conventu ad finem adductum iri. Itaque Petrum Colocenſem litteris convenerat, majorem in modum obteſtatus, ut, qua valeret, apud regem gratia pro veteri amicitiæ conſuetudine, ad accelerandam bonorum reſtitutionem, ſuaſor cum ceteris, hortatorque accederet. Se itineri jam accinxiſſe, fidentiæque plenum Budam properare, neque dubitari ab ſe, quin redintegrata cum rege amicitia voto potiturus ſit, ſi modo ut hactenus diligenter, conſtanterque feciſſet, aut coram verbis, aut abſens per litteras fortunam ſuam regi commendaret. Reſpondit Colocenſis, & nihil in profligata quamvis, ut videbatur, cauſa ab ſe prætermiſſum, & conaturum deinceps quoque pro virili, ut ne fruſtra ſpem in ſua amicitia collocaſſe videretur. (*p*) *Illuſtri Domino Laurentio Duci de Ujlak, fratri, & amico noſtro honorando, Petrus Archiepiſcopus Eccleſiæ Colocenſis. Illuſtris Frater, & amice noſter! Feria ſexta ante Feſtum Natalis Domini datas ad nos litteras veſtras heſterno veſpere, præſentante nobis Fratre Michaele, accepimus. In quibus hortabatur nos fraternitas veſtra, ut, ſi Budam ad regiam Majeſtatem aſcendemus, cum Fratribus, & amicis noſtris, omnem noſtram diligentiam apud ſuam Majeſtatem pro recuperandis rebus, & bonis avitis veſtræ fraternitatis interponeremus. Qua in re ſi quid preces meæ, & diligentia valuiſſent, profecto in priore adhuc aſcenſu noſtro res fraternitatis veſtræ finem optatum fuiſſent conſecutæ. Et recordamur tunc quoque certa dignationi veſtræ dediſſe indicia, ex quibus conjectari facile potuit, quo nos, & quo item alii animo, quamve fideli diligentia pro dignitate veſtra laborarunt. Pro hac vero vice conſtituta jam in procinctu Majeſtate regia, &, ſupra quam dici poteſt, occupata, nulla nobis data opportunitas eſt, ut vel pro noſtris rebus extreme neceſſariis verbum facere potuiſſemus. Ita erant aures regiæ præoccupatæ a ceteris Dominis Conſiliariis ſuæ Majeſtatis. Quod ſi nobis præſentibus dignati quipiam fuiſſent verba pro dignatione veſtra facere, nos certe non duplici animo, ſed ſimplici, puro, & ſincero corde, ac fideli diligentia non minus pro dignatione veſtra, quam pro nobis ipſis laboraſſemus, ſicut & laborare intendimus, ſi viderimus ceteros Dominos laborare, & verba noſtra aliter, quam videmus, accepta ſenſerimus, & reputata vel apud aures regias, vel etiam apud Dominos Fratres, & amicos noſtros. Ubi vero ſcribit fraternitas veſtra, paratam ſe nobis auſcultare, qualitercunque nos illam abjiciamus: rogamus illam, velit aliam de nobis inducere opinionem, quom habet in hac parte: nos enim neque fraternitatem veſtram, neque etiam longe minoris conditionis hominem, cum ſemel in amicitiam admiſerimus, abjicere ſoliti ſumus, niſi primum ab alio abjiciamur. Ad omnia igitur fraternitas veſtra commoda ſciat nos paratos eſſe, quotiescunque opera noſtra uti dignabitur, ſed non eſt inſtrumento fabrili culpa adſcribenda, ſi faber, vel artifex negligit illius officio uti. Bene valere optamus dignationem veſtram. Ex caſtro noſtro Bachienſi.*

Sed

(*p*) Ex laudato Cod. MS. rerum ſub Wladislao geſtarum.

Sed prius litteræ quam Ujlakio redderentur, jam is Thomæ Agrienſis Epiſcopi, Joannis Bornemiſza, & Andreæ Batho opera, eo in conventu, quem indictum ab rege diximus, his conditionibus Wladislao conciliatus eſt: *ut Laurentius omnibus arcibus, oppidis, & ditionibus, quas ante bellum habuiſſet, etiam in poſterum uti, & frui poſſet, eundemque dignitatis gradum, quem ante bellum tenuiſſet, deinceps obtineret. Quod ſi absque liberis decederet, uti poſtea evenit, omnis ditio ejus ad regem, ejusque ſucceſſores recideret, ita, ut arcium, & oppidorum præfecti, tam qui modo eſſent, quam qui deinceps conſtituerentur, ad reddendas eo caſu arces jurejurando obſtringerentur: ac ſuper ejusmodi transactione tabulæ a Thoma Agrienſi Epiſcopo, ejus temporis Cancellario, ſolenni ritu confectæ, publicatæque fuere.* (q)

Quæ quidem reſtituta, ſed non omnia, & certis conditionibus fuere.

Eodem in conventu edictum eſt, ut litium tractatio non ex conteſtantium, aut judicum arbitrio, ſed ſumto ab cauſarum vetuſtate initio fieret, quæ res, quemadmodum æquitati conſentanea, & bono publico apprime utilis eſt, ita hodie quoque uſurpatur. De publico regni ærario itidem actum, rogatusque rex, videret, ne quid fraudis in eo adminiſtrando, dolive admitteretur. Ea re cum Sigismundus Quinque-Eccleſienſis Antiſtes, haud ita dudum Quæſtor ab rege conſtitutus, ſe peti exiſtimaret, eo magiſtratu ſe ſponte, volensque abdicavit. Id plerisque ſuſpicionem ingeſſerat, hominem haud optima fide rem pecuniariam adminiſtraſſe; quæ cum pluribus indiciis firmaretur, dati judices ſunt, qui cauſam cognoſcerent. Ex confuſis rationibus (r) facile omnibus patuit, peculatus crimine ſeſe obſtrinxiſſe: *Itaque juſſu regis repente comprehenſus, & in carcerem magna plebis gratulatione conditus eſt. Captus quoque cum eo Dombay proquæſtor ejus, qui propter eximium avaritiæ artificium omnis peculatus author habebatur. Cum ſolvendo non eſſet, ad Themesvarum perpetuo carceri traditus eſt. Sigismundus autem in rempublicam ſe deliquiſſe ultro profeſſus, cum carceris fœditatem ferre non poſſet, dignuſſimum ſe, qui fortunis, Epiſcopatu, vitaque ipſa ſpoliaretur, tacita religione, & conſcientia compellente profeſſus, quamcunque pecuniæ ſummam, ut inde eximeretur, ſoluturum eſſe pollicitus eſt. At vero ubi de pœna judices decreverunt, quadringentorum millium mulcta contenti fuerunt.* - - Hæc Bonfinius (s), qui rerum Hungaricarum narrationem ab Scythiæ incunabulis exorſus, ad hunc annum perducit, finemque operi imponit. Scriptor eloquentiſſimus, qui ſi paulum prius in regnum veniſſet, longe uberiorem; ac præcipue Corviniarum rerum ſeriem haberemus.

Quinque-Eccleſienſis Epiſcopus repetundarum poſtulatus, & convictus.

Ceterum Wladislaus ab adminiſtrata hunc in modum juſtitia magnam apud vulgus laudem tulit, tametſi Nobilitatis judicio multum ex ea detereretur, quod fama minime dubia efficiebat, hæc omnia non tam per regem, quam per eos auctores fieri, qui ſub Mathia olim magna & ſapientiæ, & integritatis laude ſententiam de republica dixiſſent, quorum plerosque gratia, & auctoritate apud Wladislaum valere compertum erat. Cum enim rerum in Hungaria potitus eſt, vivebant adhuc multi rei militaris gloria, famaque inſignes, duo Stephani, Bathor, & Scepuſius: ille parta apud Tranſilvanos memorabili ex barbaris victoria, hic Sileſia, & Auſtria Mathiæ auſpiciis in poteſtatatem redactis clarus. Paulus item Kinyſius ex manipulario milite ad maximos, qui belli ſunt, honores evectus, Turcorum, quoties ſigna contulerat, victor: Mathias Gerebus Croaticis bellis exercitus, Ladislaus Loſoncius, Bartholomæus Dragſius, Emericus Derencenius, omnes ex relatis victoriis minime dubiam militaris ſcientiæ laudem conſecuti. E Pontificum item numero haud pauci, qui ad præſtans litterarum decus, ſapientiæ quoque encomium adjecere: Petrus Colocenſis, Urbanus Agrienſis, Ladislaus Gerebus Tranſilvanus, Dominicus Albenſis, Stephanus Cri-

Laus inde regi conciliata: cujus tamen maxima pars in Mathiæ Corvini familiares redundat.

(q) Istvanfy Hiſt. Lib. III. ſed male ut ex eodem conficitur, ad annum 1496. Si enim Laurentii cauſa ex comitiis anni 1495. menſe Majo celebratis volente rege in proximum autumnum rejecta eſt, liquet, hæc omnia ad eundem annum 1495. pertinere.

(r) Exſtat is Liber rationum in Biblioth. Auguſta Vindobon.

(s) Dec. V. Lib. V.

1495.

Criſpus Syrmienſis, quorum conſiliis, illorumque virtute, quamdiu vixerunt, regnum Wladislao ab omni belli clade invictum manſit : ab exceſſu contra, quaſi cum iis reipublicæ propugnacula omnia corruiſſent, ſenſim convelli, ac labefactari cœptum eſt. Tantum refert, quorum conſiliis, & opera ad gubernandam rempublicam reges utantur.

An. Chr. **1496.**

Polonos Moldavis bellum inferentes

Rebus in conventu ad hunc modum, ut narratum eſt, compoſitis, nova Wladislao cum fratre Alberto lis oborta eſt, quæ niſi in principio præfocata fuiſſet, in apertum bellum eruperat. Jam biennio abhinc Alberto cum fratre ita convenerat, ut bona regis venia Achilleam, & Moncaſtrum, quas Bajazetes Mathiæ per fraudem eripuit, aggredi integrum ſibi eſſet, eamque ob rem conflato ex octoginta millibus exercitu, utramque arcem obſidione aggredi conſtitutum habebat, cum illi, incertum ob quam cauſam, repente cum Stephano Moldaviæ Vayvoda ſimultas interceſſit, ex qua improviſum bellum enatum eſt. Albertus enim mutata conſilii ratione, niſi id forte jam prius animo deſignatum habuit, retractis ab Achillea copiis, Sozaviam, urbem Vayvodæ juribus obnoxiam obſedit, & provinciam latiſſime fœda populatione pervagatus eſt. Stephanus cognito periculo nihil animum demittens, paucas, ſed bello Turcico aſſuetas, ac multorum ſtipendiorum copias ſub ſigna coegit, Polonosque per intervalla, & ex inſidiis carpens, bellum magis trahebat, quam propulſabat, ratus hoſtem annonæ, ac pabulationis inopia ſponte ex provincia exceſſurum. Simul Wladislaum, cujus clientelæ, deſertis Polonis, ſe dediderat, per nuncios edocet, quo loco res eſſent, obteſtatus, vellet pro ſua auctoritate fratrem a bello dehortari, quod & ſuo in primis, tum ingenti Chriſtianorum damno gereretur: alioquin verendum eſſe magnopere, ne barbari, captato tempore, cum ſeſe mutuis viribus atterunt, utrumque aggreſſi, provincia ſua potirentur, ex qua, cum vellent, bellum in Polonorum ditiones traducturi eſſent.

Wladislaus miſſis ad Albertum fratrem Legatis

Valuere apud regem Stephani preces, qui ut primum, quid frater moliretur, quantoque diſcrimini ſe objiceret, comperit, cum illius cauſa, tum propter Vayvodam, qui conclamatis rebus ingenti Hungariæ damno ad Turcos tranſiturus timebatur, Legatos in Moldaviam maximis itineribus properare juſſit, ac diſſidentes, quibus poſſent, conditionibus componere. Illi ſumma celeritate Tranſilvaniam emenſi, accepta publica fide, Albertum conveniunt, ac fratris nomine orant, ut Stephano pacem indulgeret, ne is deſperatione ſalutis, & rerum ſuarum, ad opem barbarorum confugere cogeretur, qui occaſione ea non modo libenter, ſed maximo etiam Chriſtianæ rei diſcrimine uſuri eſſent. Albertus febri per eos dies tentatus, & quod plerique miſſionem a ſignis peterent, facilem ſe Legatis præbuit : Stephanus contra, qui interclusſo commeatu Polonos haud parum premebat, illata provinciæ, ſuisque damna ſarciri petiit, ita ſe pacem accepturum. Id cum & faſtu plenum Alberto videretur, & de conditionibus præterea partibus non conveniret; Legati, quibus arbitrium pacis creditum erat, difficiliorem, quam ſperabant, provinciam nacti ſunt: donec Csicſojenſi arce, quæ in Tranſilvania ſita eſt, Moldavo oblata, induciæ in has conditiones conflatæ eſſent : Albertus ſine maleficio eadem, qua venerat, via in Poloniam rediret, Stephanus a perſequendis Polonis abſtineret, ubi ille in ditiones ſuas perveniſſet, Moldavus miſſis ad Albertum Legatis de pace ageret.

Conciliat, induciasque conflat.

Albertus conflatis induciis nihil moratus, convaſatis rebus, itineri ſe cum exercitu accinxit, & ſecundis caſtris in Bucovinam ſilvam pervenit. Ea itineris ratio cum contra quam conventum erat, inſtitueretur, Stephanus, qui copias nondum dimiſerat, occaſionem ſibi, qua injurias ulciſceretur, oblatam ratus, militem per diverticula, & notos aditus ſilvæ immiſit, qui ex inſidiis coorti Polonos a tergo, & lateribus circumventos, ac incondita magis vociferatione cæleſtem opem implorantes, quam vim parantes miſere cædunt, & in caſtra, quæ prius inſederant, repulſos circumvallant. Albertus, qui ex luco pridie emerſerat, cognito ſuorum periculo aulicum equitatum laborantibus ſubmiſit:

ea

ea res Polonis ſaluti fuit. Valachi enim & copiarum numero, & armorum fulgore territi, cæſis ad unum omnibus, qoos cœperant, notis ſilvarum latebris ſe abdidere.. Ita Poloni nulla re, cujus cauſa veniſſent, feliciter patrata, copiisqoe immodice mulctati ad propria rediere. Quos non multo poſt Turci, adjuncta ſibi Tartarorum manu, in Ruſſiam minorem conſeqouti, populationem igne, ferroque latiſſime circumferrebant, ingentiqoe prædarum copia onuſti, omnem illum terræ tractum vaſtiſſimum reddebant.

Imminente a barbaris metu belli apparatum comparat.

Rei feliciter geſtæ nuncius haud multo poſt ad Wladislaom allatus, vehementes ei ad excutiendum animo veternum ſtimulos adjecerat, reputanti ſecum, barbaros felicitate ſua abreptos in Hongariæ etiam ditiones graſſaturos eſſe, præſertim quod præſidiarium militem, quem Jaiczam nuper miſerat cootra iodociarum fidem intercepiſſeot. Itaque & novos delectus per regnum imperare, decrevit, & reliquos ad bellum apparatus magna cura complexus eſt, ſive ut cladem fratris vindicaret, ſeu ne, ſi hoſtis ex improviſo aliquid moliretur, ad vim propulſandam imparatus eſſet. Ac delectu quidem per provincias habito, ſatis frequens ad ſigna miles coofluxerat, neqoe ærarium imperato noper in ſingulas domos numo aureo, inane erat; ſed reliqui ad bellum neceſſarii apparatus non maximi, neque optimo loco fuere, ut adeo viliſſimorum in regno hominum opera uti neceſſe haberet, miſſis per ſingulas provincias mandatis, quibus Zingarorum Vayvodæ, abjecta, & incertis ſedibos errans gens eſt, ubicunque vellet, globos ferreos, quorum in bello uſus eſſet, conflandi poteſtatem triboit. Diploma eatenus vulgatum ita habet: (*t*) *Wladislaus Dei gratia rex Hungariæ, & Bohemiæ &c. Fidelibus noſtris univerſis, & ſingulis, Prælatis, & Baronibus, Comitibus, Caſtellanis, Nobilibus, ipſorumque officialibus, item civitatibus, oppidis, & villis, earundemque rectoribus, judicibus ſcilicet, & villicis, præterea Triceſimatoribus, Tributariis, ac triceſimarum, tributorum, teloniorumque exactoribus, & omnibus ſubditis noſtris, præſentes litteras viſuris, ſalutem, & gratiam. Quia nos ad ſupplicationem non nullorum fidelium noſtrorum, Majeſtati noſtræ propterea factam, agilem Thomam Bolgar Vayvodam Pharaonum, una cum aliis Pharaonibus ſub viginti quinque tentoriis, & conducta, ſive comitiva ſua vagantibus, ab aliorum Vayvodarum Pharaonum in hoc regno noſtro Hungariæ vagantium contubernio, & ſocietate ſegregavimus, atque pro faciendis globulis pyxidum, ſive aliis inſtrumentis, ad belli uſum neceſſariis, ad ſervitia fidelis noſtri, reverendiſſimi in Chriſta Patris Domini Sigismundi Epiſcopi Eccleſiæ Quinque-Eccleſienſis deputavimus. Cui etiam ſimul cum comitiva ſua ubique in terris, & dominiis poteſtati noſtræ ſubjectis, iter tutum, & expeditum dare volentes, mandamus fidelitatibus veſtris, & cujuslibet veſtrum, harum ſerie firmiſſime, ut, dum, & quandocunque, ac quotiescunque idem Thomas Bolgar Vayvoda cum camitiva viginti quinque tentoriorum, ac rebus, & bonis ſuis ad terras, poſſeſſiones, & oppida, ac veſtri in medium, ſed & triceſimarum, tributorum, teloniorumque veſtrorum loca applicuerit, eundem ſimul cum comitiva ſua viginti quinque duntaxat tentoriorum, libere ſtare, morari, & facta ſua expedire permittere, & permitti facere debeatis, & teneamini. Secus igitur non facturi gratiæ noſtræ ſub obtentu, præſentibus perlectis exhibenti reſtitutis. Datum Budæ feria quinta proxima in octava feſti ſacratiſſimi corporis Chriſti, anno ejusdem MCCCCXCVI. regnorum noſtrorum, Hungariæ anno ſexta, Bohemiæ vera viceſimo ſexto.* Huc nimirum ab Mathiæ obitu belli ſtudium domeſtica ſimultate recidit, ut præcipua apparatus cura ſordidæ, vagæque genti crederetor. Ceterum rectene ex Pharaonum nomine coojecturam ii capiaot, qui ex Ægypto ad nos traductos exiſtimant, alii arbitrentur: certe ea opinio hoc quidem tempore paſſim obtinebat. (*u*)

Quorum ad id opera uſus.

(*t*) Ex Codice MS. rerum ſub Wladislao geſtarum.

(*u*) Etiam hodie apud vulgus familiare illud dictum eſt: *Pharaó Nemzetsége*, quaſi dicas Pharaonis ſtirps. Multi, nec minimi cenſus auctores de hac gente ſcripſere. Camerarius in horis ſuis ſubciſivis Centur. I. Cap. XVII. ex Pierii Hieroglyphicis ſcribit, eos ab avi Cinclo, quæ paupertatis ſymbolum ſit, Zingaros dictos. Polidorus Vergilius eos ex Aſſyria, & Cilicia ortos narrat: Volaterranus ex Uxiis in Perſia venire putat. Mihi veriſimile ſit, ex Aſia minore ad nos ve-

1496.

Inde Legatum ad Bajazetem mittit.

Habito militum delectu, Legatio ad Bajazetem decreta eſt, qua non modo ut induciis barbari ſtarent, peteretur, ſed quidquid præterea induciarum tempore contra pacta conventa actum fuiſſet, in ſolidum ſarcirent. Utrumvis Bajazetes abnueret, integrum Wladiſlao eſſet, interceptis induciis, quemadmodum utriſque prius convenerat, bellum moliri. Multa erant, quæ, ut tam cordate cum barbaris ageret, regem movere. Præter cladem enim, qua fratrem Albertum nuper affecerant, quamque Wladiſlaus, quod iiſdem induciis comprehenſus eſſet, ſuam injuriam interpretabatur, nuper admodum, & Oratorem ſuum, infra dignitatem acceptum contumeliis exagitarant, & præſidiarium militem Jayczam proficiſcentem intercepere: quem etſi ex pactorum fide in libertatem reſtitui oportuiſſet, Byzantium tamen contra omnem æquitatis rationem in vincula abduxerint. Ad hæc Boſniæ Præfectum oppida quædam circum Jayczam per fraudem occupaſſe, neque, tametſi ſemel, iterumque, uti redderentur, per Legatum ſuum poſtulaſſet, reddita eſſe: imo, cum militaribus operibus firmarentur, dubium minime videri, non itidem deinceps redditum iri, quin bellum adeo ex illis in finitimos agros moliri velle. His de cauſis Legatum mitti oportere ad Bajazetem rex decreverat, ut, bellumne, an pacem malit, citra ambages intelligeret. Legati nomen nuſquam, quod ſcio, memoriæ eſt proditum: mandata autem Legato in hunc tenorem data fuiſſe compertum habeo, (x) ex quibus eorum temporum res, quas plerique præteriere, permultum illuſtrantur.

Quæ mandata huic data ſint.

„ Exſpectata prius debita certitudine ſecuritatis, Orator regius cum ad
„ Cæſarem Turcorum pervenerit, poſt præmiſſam ſalutationem dicere debebit,
„ regiam Majeſtatem ab eo tempore, quo primitus treugæ inter duas Majeſtates firmatæ fuerint, promiſſam fidem, ſicuti Cæſar ipſe optime noviſſe potuit,
„ ſemper intemeratam obſervaſſe, ſuoſque omnes finitimos officiales, & finium
„ cuſtodes prohibuiſſe ab omni prorſus hoſtilitate de ſub dominio regio, dominiis Cæſareis inferenda: hoc idem, & ſua regia Majeſtas a Cæſarea Majeſtate
„ exſpectaſſet. Sed medio tempore plorima ex illa parte facta ſunt contra ſubditos regiæ Majeſtatis, quæ optaſſet Majeſtas regia non fieri, vel, poſtquam
„ facta ſunt, debita proviſione Cæſareæ Majeſtatis emendari, veluti de ademtione caſtri in regno Boſniæ, de interfectione certorum mercatorum de Belgrado, quos filius Alibeeg manu propria trucidavit, & omnia bona illorum
„ abſtulit, & plura alia, quæ ſi rectificata debito modo exſtitiſſent, uti regiæ
„ Majeſtatis nomine, Cæſareæ ſpecificabantur, & ſicuti in litteris treugarum
„ compromiſſio continebat, regia Majeſtas quoque parata fuiſſet, ea, quæ fortaſſis ſubditi Cæſaris contra finitimos regiæ Majeſtatis ſubditos, & familiares
„ queſti exſtitiſſent, dummodo ea legitimis documentis comprobaſſent, rectificare. Sub ea namque confidentia regia Majeſtas pacem ipſam cum Cæſarea
„ Majeſtate ab initio tenere exoptabat, ut ſubditi partis utriuſque in bona vicinitate permanerent, & ambabus Majeſtatibus inter ſe cum bana amicitia, &
„ pace manentibus, liceret expeditius ad alia negotia tractanda intendere: &
„ quamvis non ſemel oblata ſit occaſio commodiſſima regiæ Majeſtati, pluribusque requiſita fuerit per Catholicos Principes, quo pacem confectam cum Cæſarea Majeſtate rumperet, & illorum, qui non ſemel adoriri voluerunt, tam

per

veniſſe. Ipſi enim ſe lingua vernacula *Rome* appellant: hujus nominis provincia ad fluvium Akaram intra ambitum Galatiæ, Amaſiæ, Paphlagoniæ, ac Ponti, quinquaginta circiter milliaribus a Byzantio remota olim fuit. Gens, quæ eam provinciam coluit, paſſim auctoribus *Ciancari*, & *Cigiani* dicuntur. Si quid igitur ſimilitudo nominis valet, inde ortos ſuſpicor. Poſtea autem, quam Tamerlanes occupata Aſia minore Bajazetem cepit, credibile eſt gentem in varia loca ſparſam fuiſſe poſt annum Chriſti 1403. atque in Europam etiam perveniſſe. Certe primum omnium in Moldavia, Valachia, ac Hungaria circiter annum 1417. viſi ſunt, illincque in alias Europæ ditiones propagati.

(x) Ex Codice MS. rerum ſub Wladiſlao geſtarum.

„ per terram, quàm per mare ipſum Cæſarem, voluntati, & præparationi
„ concurreret, regia Majeſtas tameu promiſſorum, & datæ fidei ſemper me-
„ mor, maluit etiam Principibus Chriſtianis pro ſalute totius Chriſtianitatis
„ contra Cæſaream Majeſtatem decèrtare volentibus diſplicere, & obſiſtere,
„ quam operam ſuam, ad conterendam Cæſaris potentiam commodare. Pro-
„ pter quod usque modo omnis offenſio, quæ a Principibus Chriſtianis procul
„ dubio facta contra ipſum Cæſarem exſtitiſſet, dilata eſt, vel neglecta &
„ ideo nullo modo exſpectaſſet regia Majeſtas a Cæſarea Majeſtate, ut ſtantibus
„ ejusmodi treugis, & poſtremo eisdem ſub prioribus omnino conditionibus
„ rurſum renovatis, dum ex altera parte regiæ Majeſtati treugas pacis per lit-
„ teras, & promiſſa obſervare pollicetur, ex altero latere fraternam Majeſtatem
„ Domini regis Poloniæ, regna quoque, & dominia illius ita enormiter offende-
„ ret. Scire namque debuit regiam Majeſtatem fraternam, & illud regnum,
„ quod ſibi uativum, & hæreditarium eſt, & jure primo geniture ſe magis,
„ quam ipſum Dominum regem Poloniæ concernit, ſalvo honore nulli relin-
„ quere poſſe, & ideo exoptaſſet, ut Cæſarea Majeſtas tam enormem læſionem,
„ & injuriam fraternæ Majeſtati, & per conſequens Majeſtati ſuæ, ſtantibus
„ treugis cum Cæſare, ſaltem contemplatione regiæ Majeſtatis, & mutuæ bonæ
„ vicinitatis, & amicitiæ nou feciſſet.

„ Item dicat Orator regius, quod ſi regia Majeſtas a principio ſciviſſet,
„ Cæſaream Majeſtatem difficultare velle, & nullatenus aſſentire, ut fraterna
„ Majeſtas Domini regis Poloniæ in treugas pacis includatur, ſicuti Majeſtas
„ ſua id ſpecialiter optabat; ſuper quo etiam Oratori ſuo inſtructionem dederat,
„ in tantum ut ſine incluſione Domini regis Poloniæ, vel ſaltem læſione Ma-
„ jeſtatis ſuæ, & dominiorum ſuorum, neque treugas pacis cum Cæſare renovare
„ voluit, hoc procul dubio ſciat Majeſtas Cæſarea quod nec priorem nec poſte-
„ riorem pacem, pro qua conficienda Cæſar ipſe ſuum etiam Oratorem ante in-
„ greſſum ultimi Oratoris ultro deſtinaverat, cum Cæſarea Majeſtate acceptaſſet.
„ Sed credebat Majeſtas regia Cæſaream Majeſtatem rationem regii honoris habi-
„ turam, & contemplatione regiæ Majeſtatis non refragaturam his, quæ regia
„ Majeſtas a ſua Cæſarea Majeſtate in hac parte affectabat. Unde & plurimum
„ dolet, exſpectatione ſua hoc modo, non ſine evidenti fraternæ Majeſtatis domini
„ regis Poloniæ, & dominiorum ſuorum detrimento ſe fruſtratum eſſe. Cogitare
„ autem ſua Majeſtas Cæſarea poteſt, apud Deum, impium, & apud homines
„ nefarium videri, minimeque honori, & ſaluti regiæ Majeſtatis conſentaneum,
„ ſi fraterna Majeſtas Domini regis Poloniæ in tanto periculo per Majeſtatem re-
„ giam deſeratur, & Chriſtianorum animas de dominio ſuo nativo, & hæredita-
„ rio, hoc modo in captivitatem abduci, vel etiam regnum illud Poloniæ cum
„ regnis illi adjacentibus deſolari, & deſtrui patiatur. Idcirco optat primum
„ damna fraternæ Majeſtati illata per Cæſarem rectificari, & deinceps ab incur-
„ ſione, & invaſione præfatæ Majeſtatis, & dominiorum ſuorum, gentes Tur-
„ corum Cæſaris cohiberi: præterea ſi treugas tenere ulterius vult cum regia
„ Majeſtate, ipſam quoque fraternam Majeſtatem ad eas modis omnibus inclu-
„ dere: nam ſi aliter faceret, & ſaltem deinceps ab invaſione dominiorum fra-
„ ternæ Majeſtatis ſuas copias Cæſar Turcorum non cohiberet, proteſtatur Ma-
„ jeſtas regia, quod nec ipſa treugas ulterius cum Cæſare obſervabit ſicuti nec
„ poſſet, ut ſupra memoratum eſt, ſalvo honore, & ſalute ſine evidenti detri-
„ mento rerum ſuarum obſervare, quin potius omni conatu, & totis viribus
„ aget, quo non ſolum ex hoc regno Hungariæ, & ex omnibus Majeſtati ſuæ
„ ſubjectis regnis, & dominiis, ſed ex omni Chriſtianitate, Majeſtati Domini re-
„ gis Poloniæ auxilium procurare poſſit: quia etiam ſi fraterna Majeſtas illa,
„ quæ nunc per Cæſarem opprimi queritur, non eſſet, ſi regna illius, & do-
„ minia regiam Majeſtatem non minus quam illam fraternam Majeſtatem con-
„ cernerent, adhuc nefarium eſſet, regna Chriſtiana tam vicina, tam regnis
„ Majeſtatis regiæ contermina hoc modo permittere, per potentiam Turcorum
„ Cæſaris deſtrui, & deſolari. His enim deſtructis, quid aliud, quam ſuorum

1496. ,, regnorum deſtructionem deberet exſpectare. Proteſtatur itaque Majeſtas re-
,, gia, per ipſam nihil omnino defuiſſe, quin treugas initas omni prorſus ſtudio,
,, ſine omni ſubterfugio obſervaret, dummodo Cæſarea Majeſtas tales novitates
,, contra fraternam Majeſtatem non inchoaſſet. Si quid igitur in poſterum ſeque-
,, tur, non Majeſtati regiæ, ſed ſibi ipſi potius debebit Cæſarea Majeſtas impu-
,, tare, quæ ſtantibus treugis, cum talibus injuriis, & damnis fraternæ Ma-
,, jeſtati illatis, rumpendæ paci exordium, & occaſionem dedit, palam demon-
,, ſtrans, nolle cum regia Majeſtate, & dominiis utriusque Majeſtatis cum bona
,, pace, & vicinitate permanere.

,, Si vero objiceretur Oratori regio, non per Cæſarem Turcorum, ſed
,, per Dominum regem Poloniæ pacem ipſam violatam, vel diceretur his malis,
,, quæ ſecuta ſunt, non per Cæſarem, ſed per Dominum regem Poloniæ occa-
,, ſionem præſtitam eſſe, quia ipſe Dominus rex Poloniæ regnum Moldaviæ Cæ-
,, ſari magna parte, & etiam Domino regi Hungariæ ſubjectum, poteori manu
,, primus ſubintravit, Vayvodam quoque illum Cæſari tributarium de regno illo
,, ejicere voluit, imo quod eſt amplius, caſtra quoque Neſter, & Kylhe, quæ
,, ſunt prope caſtra Cæſareæ Majeſtatis, quæ ſiverit expugnare: reſpondebit Ora-
,, tor, invaſionem illam regni Moldaviæ non ad ipſum Cæſarem, ſed ad regiam
,, Majeſtatem multo magis pertinere, eo, quod regnum illud ab initio regibus
,, Hungariæ fuit, & eſt ſubjectum, ſicuti hoc in omnibus treugarum confectio-
,, nibus, & litteris treugarum manifeſte patet; ſemper enim regnum Moldaviæ,
,, & ſimiliter regnum Transalpinum cum ſuis Vayvodis penes regiam Majeſta-
,, tem fuit in l tteris treugarum incluſum. Ed idcirco, ſi quid ipſe Dominus
,, rex in illo regno attentavit, contra Vayvodam terræ illius, id regiæ Maje-
,, ſtati potius, quam Cæſari requirere pertinebat, cum injuria regni Moldaviæ
,, regiam Majeſtatem in primis concernat: Et præterea cum dominia Cæſaris
,, Turcorum in nullo fuerint, per fraternam Majeſtatem læſa, nec etiam caſtra
,, Neſter, & Kyllie fuerunt obſeſſa, nec de obſidione quidquam attentatum.
,, Quamquam illa quoque caſtra ſub tempore treugarum fuerint violenter ex-
,, pugnata, & ademta, non tam Vayvodæ, quam regno Moldaviæ, cujus regni
,, defenſionem novit ipſe Cæſar ad regiam Majeſtatem pertinere.

,, Hoc quoque dicere habebit Orator: quod optime novit Cæſar Tur-
,, corum, & omnes Baſſæ non ignorant, qualiter in priori, & poſteriori con-
,, cluſione pacis cautum erat: quod ſive Maximilianus rex Romanorum, pacem
,, inter regiam Majeſtatem, & Cæſarem confectam acceptaret, ſive non, ſive
,, etiam in conditionibus treugarum ſe, & dominia ſua includi velit, ſive non,
,, regia Majeſtas exercitum Domini regis Romanorum ab invaſione Turcorum
,, Cæſaris durante pace confecta prohiberet. Similiter & Cæſarea Majeſtas pro-
,, miſerat, per regna, & terras, ſeu dominia regiæ Majeſtatis in perſona ſua ire
,, nolle, nec exercitum ſuum mittere, inſuper nec (*y*) Harambuk, nec alios
,, exercitus ſuos ire pateretur. Quod tamen Cæſarea Majeſtas minime obſerva-
,, vit: quia jam non ſemel, & ſignanter his diebus præteritis exercitus ſui ex
,, Verbozánya per terras, & Dominia regiæ Majeſtatis per regnum videlicet
,, Croatiæ ad Carnioliam, & Carinthiam, terras, & dominia Domini regis Ro-
,, manorum, & ad terras Chriſtianas in ſatis valida manu tranſierunt, & inde
,, multam hominum, & rerum prædam abduxerunt, regiæque Majeſtati per
,, tranſitum, & reditum ſuum, in ipſo regno Croatiæ non parum damni intu-
,, lerunt, quodque amplius eſt, per regnum Moldaviæ, quod etiam regiæ Ma-
,, jeſtati ſubjectum eſt, & inter dominia regiæ Majeſtati ſubjecta in primis quo-
,, que litteris pacis, ſeu treugarum commemoratum, ſpecificatumque eſt, ad
,, devaſtandas terras, & dominia hæreditaria Majeſtatis regiæ, & fraternæ Ma-
,, jeſtatis Domini regis Poloniæ tranſierunt, abindeque innumerabilem hominum,

&

(*y*) Ita MS. Codex, quo utor: an autem eo nomine dux belli, an certum militiæ genus veniat, haud ſatis conjicio.

„ & omnis generis prædam aſportantes redierunt, & uno cum ingenti præda
„ redeunte exercitu alius exercitus eſt ſubſequutus.

„ Præterea regii Oratores, quoties mitterentur ex una Majeſtate ad aliam,
„ cautum fuit in litteris treugarum, eos poſſe libere ire, & redire ſine aliquibus
„ litteris ſalvi conductus, & absque aliquibus obſidibus, ſine omni impedimento.
„ Quod etiam qualiter ſervatum eſt, ipſi Oratores teſtantur, quia ſæpius non
„ ſine lamentis queruntur regiæ Majeſtati ſub tam dira cuſtodia illos teneri, quo-
„ tiesconque ad Cæſarem mittuntur, ac ſi non Oratores, ſed captivi - - - eſſent:
„ quamvis regia Majeſtas pro honore ſuo & pro honore Cæſareæ Majeſtatis nun-
„ quam mittere ſolita ſit aliquem ad Cæſaream Majeſtatem, qui non ſit de primis
„ Nobilibus regni ſuæ Majeſtatis, & ideo expectaſſet illos ſine oppreſſione teneri,
„ & non illos per plures menſes antequam ad portam Cæſaris accedere permit-
„ terentur, remorari, qui non ſolum remorati, & indigniſſime tenti ſunt, ſed,
„ ut ipſi dicunt, neſcitur quibus etiam terroribus afflicti, & anguſtiati, exce-
„ pta eorum longiturna retardarione permanſerunt.

„ Item cavetur & hoc in ſpeciali articulo: quod, quousque pax iſta ab
„ utraque parte perſeverabit, nec Cæſarea Majeſtas per ſe ibit contra noſtros
„ Chriſtianos, & noſtræ religionis homines, nec exercitum ſuum mittet per
„ terras, & dominia regiæ Majeſtatis, aut *Akanſias*, ſive incurſiones, vel etiam
„ commeatores, vulgo *Thetar* ſine voluntate, & licentia regiæ Majeſtatis mitte-
„ re vult. Hoc qualiter & in Croatia, & in Moldavia, & iu partibus Trans-
„ alpinis, & in finitimis locis ad Belgradum, & caſtrum Temeſienſe obſerva-
„ tum eſt, & ex præcedeutibus ſatis cognoſci poteſt, & etiam frequentibus
„ jam querelis finitimorum officialiom regiæ Majeſtatis, Cæſarea Majeſtas, &
„ Domini Baſſæ ſatis iutelligere potuerunt. Cavetur inſuper in eisdem litteris
„ pacis, quod neutra partiom ultro, citroque fortalitiis, caſtris, villis, civitati-
„ bus, ac hominibus furto, tradimento, calumnia, fraude, aut aliqoo dulo, pa-
„ ce iſta durante nocere, aut tradimentum inferre valeat, imo nec præſumat
„ modo aliquali. Hic articulus, quomodo ſit obſervatus, noviſſe potuit Maje-
„ ſtas Cæſarea. Nam poſt confectionem treugarum, & conſcriptionem hujus
„ articuli caſtrum Komothyn in regno Bosnæ eſt ademtum, & occupatum. Et
„ licet Oratori regio Emerico Czobor promiſſum fuerit Cæſareo nomine per Baſ-
„ ſas caſtra, ſive fortalitia reſtituere, quæ pace duraute alienata, vel occopata
„ fuerunt, & etiam promiſerint ſecundum juris æquitatem revidere, utrum
„ pace durante, aut alias caſtra aliqua, vel fortalitia, ſeu munitiones periclita-
„ tæ fuerint, id tamen usque modo factom non eſt. Optaret vero regia Maje-
„ ſtas iſtud adhuc revideri, & ſi compertum foret, ſub ipſo pacis, ſeu treuga-
„ rum tempore occupatum eſſe caſtrum præfatum, vel etiam alia caſtra, face-
„ ret Cæſarea Majeſtas rectificari, & remitti.

„ Promiſerant etiam per Emericum Czobor ipſi Baſſæ nomine Cæſaris,
„ reddere, & remittere illos captivos tam ſenes, quam juvenes utriusque ſexus
„ homines, qui ſub tempore treugarum fuerunt per Turcos de Carinthia in
„ captivitatem abducti, eo, quod & ipſa Carinthiæ invaſio facta eſt per terras
„ regiæ Majeſtatis contra formam pacis: ſed & eos captivos usque modo non
„ reſtituerunt. Item promiſerant iidem Baſſæ per Emericum Czobor, pedites
„ illos, qui, cum ad caſtrum Jaicza per regiam Majeſtatem durante pace mitte-
„ rentur, per Turcos invaſi, & alii interfecti, alii abducti in captivitatem fue-
„ runt, diligenter perquirere, & reſtituere, patratores etiam hujus maleficii
„ caſtigare: quod etiam promiſſum minime compleverunt. Queſtus namque
„ eſt idem Orator regiæ Majeſtati, certos ſuos familiares violenter de hoſpitio
„ ſuo extractos fuiſſe, & abductos, & retentos. Quanta etiam mala in confini-
„ bus per officiales Cæſareæ Majeſtatis ad confinia regiæ Majeſtatis perpetrata
„ ſunt, ſi videret regia Majeſtas juſtitiam ſibi, & ſuis fideliter ex hac parte mi-
„ niſtrari, parata foret, & illa omnia in regiſtrum conſcripta declarare.

1496. „ Poſt hæc omuia dicat, regiam Majeſtatem, niſi fidem præſtitam, &
„ promiſſa ſua cum Cæſare facta conſideraſſet, has injurias non tam fraternæ
„ Majeſtati, quam ſibi, & dominiis ſuis hæreditariis, ut præmittitor, irroga-
„ tas, neque hactenus diſſimulare, vel utrinque tolerare voluiſſe. Nam etſi Ma-
„ jeſtas regia diſſimulare vellet, nihilominus Chriſtiani Principes, qui tantæ ca-
„ lamitati Chriſtianæ pro ſua quisque parte valde compatiuntur, minime diſſimu-
„ larent: & hoc Cæſar atteutando quod cœpit, nihil aliud facit, niſi omnium
„ Chriſtianorum Principum animos, & vires in ſe coucitat, imo tanta atrocitate
„ in regno Poloniæ perpetrata Principes Chriſtianos, etiamſi alias negligentes
„ eſſent, ad defenſionem Chriſtianæ reipublicæ contra ſemetipſum, & dominia
„ ſua irritat. Quia hoc notorium eſſe Cæſareæ Majeſtati poteſt, quod omnes
„ Chriſtiani Principes tam notabilis membri Chriſtianitatis, ſicuti eſt regnum
„ Poloniæ, cladem, & perniciem nullatenus patientur, ſed & diſſenſionibus, ſi
„ quas inter ſe haberent, depoſitis, & concordatis alter alterum contra ipſum
„ Cæſarem provocabunt, & fortaſſis jam de facto hoc conſilium cœperunt fer-
„ ventius agitare, ſicuti & nuper cœperant, niſi regia Majeſtas propter pacem
„ cum Cæſare confectam, rem illam perturbaſſet. Itaque regia Majeſtas nulla-
„ tenus poteſt, etiamſi alii uon concurrerent, hanc injuriam fratris ſui tolerare.
„ Quare ſi Majeſtas Cæſarea vult illam quoque includi ad treugas, poſtquam
„ jam treugæ ipſæ inter regiam Majeſtatem, & Cæſarem ſemel concluſæ ſunt,
„ quæ tamen his novitatibus uotabiliter violatæ ſunt, regia Majeſtas cum inclo-
„ ſione fraternæ Majeſtatis adhuc parata eſt, ne fides ſua frangatur ipſas treugas
„ usque ad præfinitum tempus obſervare, ita tamen ut regnis, & dominiis
„ utriusqne Majeſtatis, & omnium ad ipſas Majeſtates pertinentium omnimoda
„ pax relinquatur; ſin aliter regia Majeſtas ipſas treugas denunciat nolle cum
„ injuria fraternæ Majeſtatis, & dominiorum utriusque Majeſtatis detrimento
„ amplius obſervare, & vult de his, ſi quæ iu poſterum ſequerentur, ex quo
„ rumpendis fœderibus Cæſarea Majeſtas cauſam dedit, omnino haberi excuſa-
„ ta; quia in Dei nomiue Divino confiſa auxilio, decrevit omnino fraternæ Ma-
„ jeſtatis, & dominiorum ſuorum periculo quibuscunque poteſt modis obviare.

„ Si vero Turci vellent quidem includere Dominum regem Poloniæ ad
„ treugas, ſed ea conditione, ut in hoc caſu Maximilianus Romanorum rex
„ pacem cum Turco non habeat, uec etiam de invaſioue terrarum dominii il-
„ lius aliquid caveatur, vel quod jam prius cautum eſt, refringator, Orator re-
„ gius, quantumcunque poteſt, obſiſtat, & omnibus modis det operam, ut
„ articulus ille, qui poſitus eſt in litteris pacis, de nou invadenda terra regis
„ Romanorum, ſine voluntate, & licentia regia maneat in vigore. Sin aotem
„ illi aſſentiri nullo modo volent. dicat Orator, quod ſaltem pro hac vice, ex
„ quo jam concluſio pacis a principio ita facta exſtitit, ut dominia regis Roma-
„ norum uon invadantur durantibus treugis, res ipſa maneat, prout eſt con-
„ cluſa. Si vero poſt exſpirationem treugarum præſentium ulterius treogæ
„ erunt diſponendæ, in eo caſu id fiat, quo tunc poterit inter Majeſtatem re-
„ giam, & Cæſaream coucordari, teneatque hanc ſententiam, quamdiu poterit,
„ regius Orator fortiter, ſi autem ad ultimum Turci non acquieſcent, extunc
„ facta incluſione fraternæ tantum Majeſtatis rem illam mittat in ſuſpenſo, &
„ polliceatur negotium illud, quoad dominia regis Romanorum referre ad re-
„ giam Majeſtatem, & ſuper illo articulo infra tres, vel ſaltem duos menſes re-
„ ſponſum finale regiæ Majeſtatis ad portam affuturum. Utrum videlicet oon
„ incluſo illo articulo de non invadendo dominio regis Romanorum, velit Majeſtas
„ regia de ſola incluſione fraternæ Majeſtatis eſſe contenta. Poſt omnia, ſi nec his
„ modis vellent eſſe contenti, ſi aliter fieri uullo modo poteſt, dummodo fra-
„ terna Majeſtas cum magno Duce Lithuaniæ, alio fratre regiæ Majeſtatis in
„ treugas includatur, articulus ille, de non invadendis dominiis regis Romano-
„ rum, de treugis ipſis dimittatur: ſed hoc ſolum in treugis caveatur, quod
„ per terras, & dominia regiæ Majeſtatis, dominia ipſa Romanorum regis non
inva-

„ invadantur. Si vero nec uno, nec alio modo fraternam Majeſtatem Domini
„ regis Poloniæ, vel etiam magnum Ducem Lithuaniæ Turci includere vellent,
„ vel aliquam tributariam penſionem a fraterna Majeſtate Domini regis Poloniæ
„ annuatim ſolvendam optarent, hoc finaliter dicat: quia ad hoc regia Majeſtas
„ nullo modo conſentiet, ut Turci tempore ſuo regnum ſuum nativum, &
„ hæreditarium tributarium faciant, & potius mavult omnia extrema cum Dei
„ adjutorio experiri, quam ad hoc aliquo modo conſentire: & in hoc caſu Ora-
„ tor ipſe redire debebit, rebus per omnia infectis, & non concluſis, facta tan-
„ tummodo, ut præmittitur, proteſtatione, quod treugæ pacis, & promiſſa
„ per Majeſtatem regiam fuiſſent inviolabiliter obſervata, dummodo ea per Cæ-
„ ſarem Turcorum non eſſent tam evidenter violata. Non enim ſic habere vel
„ tenere regia Majeſtas pacem cum Cæſare optat, ut per occaſionem pacis hu-
„ juſmodi reliqua Chriſtianitatis membra, & maxime fraternæ Majeſtatis domi-
„ nia per Cæſaris potentiam lacerentur.

Sclavoniæ ordines regni ſui inſignia inſtaurari ab rege petunt.

Hactenus mandata, cum quibus Orator dimiſſus ad Bajazetem abiit; reipublicæ mirum in modum opportuna, ſi aut aperta metus indicia non præferrent, aut regi ad viam, qnam fortiter cœperat, inſiſtendam non defuiſſet conſtantia. Nam & Polouos bello in ſequentem annum obrutos a barbaris conſtat, & induciarum fidem, quam regi pepigerant, ut libido, & commodi ratio, locusque erat, trajecto ſæpe Savo violaſſe, ex damnorum, cladisque frequentia manifeſtum fuit. Tametſi, quemadmodum belli fert fortuna, non impune id illis præſertim a Sclavonibus eſſet, qui, perpetua cum barbaris armorum collatione, ita virtute militari, ac fortitudinis laude inclaruerant, ut hoſtem concitata de ſe fama ſæpe in metu continerent. Eam ob rem Wladislaus mire collaudatos aliquo virtutis prœmio ornaverat, cum ad uſitatum regni inſigne Sidus Martis adjiceret, quo bellicam gentis indolem poſteris commendaret, edito diplomate teſtatus, quam ob cauſam ad id faciendum inductus eſſet. (z) *Wladislaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque rex, nec non Sleſiæ, & Lucenburgicus Dux, Marchioque Moraviæ, & Luſatiæ &c. ad perpetuam rei memoriam. Decet regiam Majeſtatem juſtis, & congruis precibus condeſcendere ſubditorum, & ipſos ſubditos de plenitudine gratiæ ſuæ continuis honoribus afficere, ut, dum ſuo ſubjecti domino ſuave jugum portare ſe ſenſerint, fortius accendantur ad obſervanda ſuſceptæ, debitæque fidelitatis exercitia: tunc enim ſubditi in virtute lætantur boni præſidentis, cum eos non in antiquis ſolammodo legibus, & conſuetudinibus ſuis ſtudioſe fovet, & conſervat, ſed inſuper novis extollit honoribus, & regalis beneficentiæ adornat donativis. Proinde ad univerſorum notitiam, harum ſerie volumus pervenire, quod, cum his diebus in hac civitate noſtra Budenſi una cum nonnullis Dominis Prælatis, & Baronibus regni noſtri fuiſſemus conſtituti, fideles noſtri, Nobiles, & egregii Bernardus de Thurocz, Georgius Capitanffi de Deſznicza, ac Nicolaus Voikffi de Voikovecz nomine, & in perſona univerſitatis Nobilium regni noſtri Sclavoniæ noſtræ Majeſtatis accedentes in conſpectum exponere curaverunt, quod quamvis illud regnum noſtrum Sclavoniæ ab antiquo habuerit pro armorum inſigni unum Mardurem, & his armis usque præſentiarum ſemper uſum fuiſſet, & ejusdem univerſitas univerſaliter uſa extiterit, tamen propter certas cauſas, & rationes cuperent iidem regnicolæ hoc armorum inſigne per noſtram Majeſtatem renovari, & ſibi de novo ad perpetuam memoriam renovatum condonari. Nos igitur qui præfatum regnum noſtrum Sclavoniæ, & ejusdem regnicolas nihilo minus, quam alia regna, & dominia noſtra, & eorundem incolas cupimus non ſolum in antiquis legibus, juribus, & conſuetudinibus ſuis conſervare, ſed etiam majoribus honorum titulis de regia noſtra providentia, & liberalitate decorare. Nam regnum hoc inter duo flumina videlicet Savum, & Dravum conſtitutum, contra & adverſus Turcos Chriſtianitatis perpetuos hoſtes, & inimicos ſibi proxima loca tenentes continua bella exercet, & ita ſe armis tutatur, & conſervat; ut vix eam regionem Turcus usquam ingrediatur, quin accepta graviſſima clade, & calamitate ex eodem regno noſtro recedat. Quapropter non imme-*

(z) Ex [illegible] MS. Cl. Ko[illegible]

1496. *immerito hoc ipſum regnum noſtrum unum præcipuum ſcitum, vel potius antemurale hujus regni noſtri Hungariæ appellaverimus: ut itaque hoc ipſum regnum noſtrum Sclavoniæ, atque univerſitas fidelium noſtrorum in eodem conſtituta noſtram regiam munificentiam perſentiat, & experiatur liberalem, hæc arma videlicet in uno ſcuto triangulari duo flumina ſuperius denominata per tranſverſum directe depicta, in eorumque medio ſuperſtitio, campo ſcilicet penitus rubicundo prædictum Mardurem, antiquum eorum inſigne coloris naturalis, & proprii, reliqui autem duo campi ejusdem ſcuti duas partes exteriores prædictorum fluminum occupantes, ſunt penitus colore depicti cœleſtino, in quorum ſuperiori unam ſtellam, quod propter continuas bellicas exercitationes, in quibus præfatum regnum noſtrum Sclavoniæ, & ejusdem incolæ adverſum prædictos Turcos continue agitantur, Sidus Martis volumus appellore, propterea ſupra ſcutum galeam unam in vero colore, propriaque figura, variis floribus, veluti vento agitatis, univerſum gyrum ejusdem galeæ, atque ſcuti totamque armorum deſcriptionem pulchra diverſitate ambientibus, prout hæc in principio, ſeu capite præſentium litterarum noſtrarum figurata ſunt, & diſtinctius expreſſata animo deliberato, & ex certa noſtra ſcientia, ac de conſilio prædictorum Dominorum Prælatorum, & Boronum noſtrorum, plenitudineque poteſtatis noſtræ regiæ eidem regno noſtro Sclavoniæ, univerſitatique Nobilium duximus danda, & conferenda, annuentes eisdem, & concedentes, ut ipſi amodo deinceps in perpetuum his armis in Banderiis ſuis, & aliis quibuscunque rebus, & exercitiis militaribus univerſitatem illius regni noſtri concernentibus fruantur, & utantur. Atque ut iidem publice utilitati ſuæ cautius, & providentius conſulere poſſint, iisdem armis in ſigillo per impreſſionem ceræ rubræ quantum in litteris, & epiſtolis miſſilibus omnibus in rebus nomine univerſitatis ſuæ uti, frui, & gaudere poſſint, & valeant. De talismodi igitur ſingularis, & ſpecialis noſtræ gratiæ antidoto merito exultent, & tanto ampliori ſtudio ad honorem regiæ Majeſtatis ipſorum de cetero ſolidetur intentio, quanto ſe ipſos largiore favore regio præventos eſſe conſpiciunt & munere gratiarum. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam præſentes litteras noſtras, pendentis, & authentici noſtri duplicis ſigilli, quo ut rex Hungariæ utimur, conſignatas, eidem regno noſtro Sclavoniæ, regnicolarumque ejusdem univerſitati duximus concedendas. Datum per manus reverendi in Chriſto patris, Domini Thomæ Epiſcopi Eccleſiæ Agrienſis, aulæ noſtræ ſummi, & ſecretarii cancellarii, & fidelis noſtri dilecti, Budæ in feſto Conceptionis beatiſſimæ Virginis anno Domini MCCCCXCVI.*

An. Chr. 1497. *Wladislaus ad Bohemos invisit.*

Neque minor regi interea Bohemiæ ſuæ cura fuit, ad quam ut veniret, ſæpe per Procerum litteras, & Legationes rogabatur. Et adfuere in principio ſequentis anni rurſum Oratores primæ nobilitatis homioes, qui ob tributi collationem ingens inter regni ordines diſſidium obortum referebant, quod niſi matura præſentia ſua ſopiret, verendom magnopere videri, ne ſimultates, quæ clam adhuc gliſcerent, ipſo tempore in apertam ſeditionem erumperent. Tum in regios Præfectos, qui Bohemiam vicaria poteſtate per abſentiam regis adminiſtrabant, vehementi oratione invecti, avaritiam eorum, qua non modo publicum ærarium, ſed privatorum quoque fortunas per ſummam injuriam pecularentor, ſugillabant, qoa una re, niſi opem ferre maturet, regnum ſenſim labefactatum extremo diſcrimini objiceretur. Mali contagionem in Sileſiam qooque jam ſerpere, ubi Nicoluus Opolienſium Dux ordinum jodicio inſigoi cum regis contemtu, peoes quem vitæ, necisque arbitrium eſſet, capite mulctatus fuiſſet; idem in Bohemia timeri, ne partium ſtudia mutuis cædibus omnia replerent. His atque aliis malorum generibus facile animum induxit Wladislaus, ut in Bohemiam, quam abhioc, cum Hungaria potitus eſt, non viderat, ad ferendam morbo medelam proficiſceretur. Itaque certo die Hungaris dicto, cum ingenti Procerum caterva Agrienſis præcipue, ac Varadienſis Epiſcopi comitato ſtipatus Buda diſceſſit, Bohemosque, ne imparati opprimerentur, de ſoo adventu per

Procerum utrius-

Oratores, qui præiverant, fieri certiores juſſit. Ferunt ingenti ſtudio inter Bohemos, & Hungaros eſſe certatum (*a*) „ de ſplendore, & magnificentia apparatus his aſſectando, & deducendo rege, illis excipiendo nihil eſt reliquum

ad

(*a*) MS. Hiſt. rerum Hungaricarum Joannis MICHAELIS BRUTII Lib. I.

„ ad celebris pompæ ſpectaculum facientibus. Erat vero regius comitatus prin-
„ cipum nobilitate, & frequentia in primis ſpectandus, maxime tum florenti-
„ bus in Hungaria, & publicis, & privatis rebus. . Ita vero Hungari Wladis-
„ laum contemnebant, ut in eo ipſo tamen videri vellent, non Wladislaum, ſed
„ Hungarorum regem honeſtare, quo colendo, atque augendo omni genere ho-
„ noris, tueri ſe gentis decus exiſtimabant. Conſpiciebantur nobiles homines
„ patrio more longis deducentium clientum atque amicorum agminibus inſideu-
„ tes Thraciis equis, & generoſæ indolis, quos aureæ phaleræ ornabant, variis
„ lapillis, gemmisque collucentes, ut non Hungari magis cum Bohemis de
„ pompæ apparatu, quam inter ſe ipſi de magnificentiæ laude certare videren-
„ tur Honeſta vero contentio, & in pari nobilitate index magni animi, pro
„ gentis gloria adverſus nobiliſſimas nationes ſuſcepta, certe æque apta in primis
„ tum ad concilianda tum ad retinenda populorum ſtudia, qui rerum ſpecie ma-
„ gis, quam rebus moventur. „

que gentis ſtudia,

Hac pompa facto per Moraviam ac Bohemiam itinere Pragam tenuit, ingenti concurſantium gaudio acceptus, qui rege, ex quo ſedem in Hungaria conſtabilierat, orbati, tanto majori lætitiæ ſignificatioue venientem ſalutavere, quanto ardentiori deſiderio abſentis tenebantur. Datis quieti diebus aliquot ad inſtaurandam rempublicam aggreſſus, inde curas ordiri placuit, unde maloru n colluvies fere originem traxit. Nulla erat in urbe ob ſenatus infrequentiam publica auctoritas, quam improbi ſcelerum impunitate, vi, atque armis omnia obtinentes ſuſtulerant, ut adeo nemo paulum honeſtior eſſet, qui eum ſibi honorem petenduin exiſtimaret, quo niſi eum malis per violatum ſummi imperii jus conſentiret, potiri non poſſet. Itaque rex motis iis, qui turpiſſimæ vitæ fama, & flagitiis uotati erant, viros bonos, & quorum exiſtimatio uſu, ac conſuetudine comprobata eſſet, in ſenatum adlegit, vim, auctoritatemque edicto concilians, qua in ſuos ex legum norma uterentur. Cautum quoque, ut quoniam perturbato gentilitatis jure, multi ex veteri urbe in novam ex hac viciſſim in illam comigraſſent, ex priſco regum inſtituto, ſinguli in patrium locum redirent, ne commutata ex cujusvis arbitrio ſede. jura quoque incredibili civium damno permiſcerentur. Nec minus reprimendis latrociniis, quæ magna regis, & regni infamia invaluerant, ſtudium impenſum, præmiaque iis propoſita, qui ſceleratos homines aut vivos, aut cæſos magiſtratui deſtituerent. Quæ induſtria cum haud ſatis ad reprimendos facinoroſorum conatus eſſe videretur, lex quoque promulgata, qua privatis poteſtas fiebat, ut, quemcunque in ſuo fundo latrocinia exercere, viasque publicas inſidere deprehenderet, cujuscunque fortunæ ordinisque eſſet, conſcripta etiam in eam rem militia, impune interficere liceret: compertumque poſtea eſt, eam ſeveritatem, etſi crudelitatis ſpeciem præferret, ad refrenandam id genus hominum licentiam permultum valuiſſe. Mox ad cognoſcendas privatorum cauſas converſus regios miniſtros, qui argentarias in Cutnenſium montibus curabant, in jus vocavit; ac in manifeſto peculatus crimine tentos, partim repetundarum damnavit, partim præcipue quos publica auctoritate ad fraudes, & furta abuſos eſſe conſtabat, ſupplicio affici magno populi applauſu juſſit.

Pragam veniens collapſas res ſapienter inſtaurat.

Tum convocatis in urbem Sileſiæ, Moraviæ, ac Luſatiæ ordinibus, præcipuos ex quavis provincia Principes fiduciario jure tanquam Hungariæ rex dicto ſibi Sacramento obſtrinxit. (*b*) Dederat id Hungariæ Optimatibus, qui veterum pactorum, quæ Mathias olim cum Wladislao iniſſet, memores, eas provincias juri Hungarico aſſertum ibant, quoad auri ſumma ab Mathiæ obitu

Et ſacramentum fidei ab Sileſia, Moravia,

(*b*) Liquet id ex Articulo 24. decreti anni ſequentis, qui ſic habet: *Quod Majeſtas Regia dabit huic regno litteras teſtimoniales, ſuper juramento fidei, ſibi per Majeſtati ſuæ a Moravis, & Sileſiis, nec non Luſatia facto, quod hujusmodi juramentum fidelitatis non accepit ab eisdem tamquam rex Bohemiæ, ſed tamquam rex Hungariæ: nec tamquam a ſubjectis regni Bohemiæ, ſed tamquam a feudatariis hujus regni, & inſcriptione huic regno Hungariæ legitime obligatis.*

1497. ex pactis conventis integra ſolveretur. Hæc ideo memorari oportuit, ne ea regna Hungariæ olim nbnoxia fuiſſe neſciremus. Neque conſtat, quem in modum prius ad Bohemiæ jura rurſum redierint, quam Ferdinandus I. rerum poeiretur.

& Luſatiæ ordinibus accipit.

Redux in Hungariam Thomam Bakacſium Strig. Archiep. creat.

His curis perſunctus Wladislaus, poſtquam, ut erat, religioni impenſe deditus, templum S. Viti auro, argento, gemmis, aliiſque cimeliis, ac tapetibus opere phrygio contextis regium in morem exornaſſet, eadem pompæ magnificentia, & oſtentatione, qua Bohemiam petierat, in Hungariam reverſus eſt. Hic cum res Eccleſiaſticas per abſentiam Hippolyti Eſtenſis turbatas reperiſſet, Thomam Agrienſem Epiſcopum non invito Alexandro ad Strigonienſem Cathedram promovit, Eſtenſi ad Agrienſem Epiſcopen traducto. Id judicium cum mire omnibus probaretur, tum ob egregias viri virtutes, tum ſingularia in rempublicam merita, magna regi laus apud pleroſque parta eſt, qui eo argumento perſuaſi, credebant, Wladislaum excuſſo animi torpore, animum ad curandam rempublicam ſerio appuliſſe. Quod quam vere exiſtimatum ſit, ex rerum, quas deinceps narrando complectemur, eventu perſpicuum fiet.

Colocenſis ducto alveo Danubium Bachiam divertit.

Hæc inter, cum rex Sacra non indiligenter curat, Petrus Colocenſis Archiepiſcopus, vir a rerum publicarum ſtudio ſingularis, incredibili pertinacia Danubium ſatis longo interceptum ſpacio ab alveo ſeducens, ac Bachiam derivans magnam ſibi toto regno laudem comparavit, quod ea molitio, tameſi ab pleriſque riſu, ac cavillatione acciperetur, non ſolum finitimis uſui, ſed inſigni etiam Hungariæ commodo eſſet. Extant ea de re Petri ad Bathorium Vacienſem Epiſcopum litteræ plenæ ſalis, & facetiarum non prorſus indignæ, quæ in annalibus locum habeant. (*c*) *Reverendo in Chriſto Patri Domino Nicolao de Bathor, Epiſcopo Vacienſi, Fratri, & amico noſtro honorando, Petrus Archiepiſcopus Colocenſis. Ut morem geramus paternitati veſtræ pro hoc anno, nunciamus fieri juxta voluntatem veſtram, & petitionem Jobagionum ſupplicantium, ut videre, & experiri poſſimus, an conducat Eccleſiis amborum noſtrum, & ſi utile erit, corroborabimus illud poſtmodum in perpetuum. Ceterum ubi paternitas veſtra nos laudat, de Danubio Bachiam traducto, profecto, ſi videret, majoribus laudibus opus extolleret: quoniam omnis illa antiqua immunditia, & vetus fermentum expurgatum eſt, aquamque habemus Danubialem mundiſſimam, non ſine recentium piſcium copia. In qua ſi tener narciſſus viveret, & ſe ipſum videret, oblectari poſſet. Si Xerxes compedibus ſuis aliquid magnum operari potuit; ſi Poenus ille, cui appoſuit natura Alpemque, nivemque, montem rupit aceto, nonne debuit exorcizatus Danubius nobis incantantibus ſapienter parere, & obedire? certe coactus eſt ſervire, & omnes immunditias veteres expurgare, aliamque arcem Bachienſem, quam aliquando vidit paternitas veſtra, & non probavit, reddere. Rem quidem grandem effecimus, ad laudem Dei omnipotentis, quæ regiæ Majeſtati, ceteriſque Dominis, qui viderunt, incredibilis, & riſu digna in principio videbatur. Nihilominus induſtria noſtra non quieſcet, ſi tamen rerum natura non obſtabit, quin Maſtongus noſter Danubio, & Danubius Maſtongo reſpondeat. Rebellanti, ſi opus fuerit, & vitam Deus produxerit, id remedii adhibebimus, quod adhibuerat aliquando, ipſum compedibus, qui vinxerat Sigeum. Caveat tamen paternitas veſtra, ne latrantibus canibus hoc communicet, ne forte occaſionem ſumant exaggerandi materiam, ut qui olim caudatum furem, incluſum pedicæ, non ſine manifeſto rubore conſcientiæ, & hominum vera ſapientium notatione, ac reprehenſione ementiebantur. Aſſerant poſtea nos, captivitate laudati furis non contentos, etiam fluvium noſtræ patriæ Xerxis more, compedibus conſtrinxiſſe. Ex caſtro noſtro Bachienſi, die Sabbathi ante feſtum beati Georgii Martyris, anno MCCCCXCVII.* Qua una re, ſi cetera deeſſent etiam, egregie de Hungaria meritum, dignumque fuiſſe, cujus apud poſteros memoria nusquam intercidat, minime in ambiguo eſt. Quo magis Tuberonem miror, qui cum inſanæ mentis hmminem, conſiliiſque atrocem non optime de regno meruiſſe in litteras referre auſus ſit. (*d*)

Wladis-

(*c*) Ex Cod. MS. rerum ſub Wladislao geſtarum.

(*d*) Commentar. rerum de ſuis temporibus Lib. I.

1497.

Rex, beneficiis in exterum collatione optimates offendit.

Wladiſlaus ab reditu ex Bohemia varias Hungariæ Provincias peragratus, ſive Juris dicundi cauſa, ſeu ut qua parte regnum labem traxiſſet, per ſeſe cognoſceret, cum Szegedinum ad anni finem perveniſſet, regni ordines haud leviter offenderat, non tam vitio animi, quam voluntatis, qua ſuopte de aliis benemerendi prudens, volensque tempora occupabat. Cum enim bienno abhinc publico edicto caviſſet, ne quis ex externis hominibus magiſtratum, aut beneficia, quæ Eccleſiaſtica vocant, conſequeretur, Angelo, homini ex Italia allato, quive Pontificio, ac Colocenſis Archiepiſcopi nomine Abbatiam Petrivaradienſem gubernarat, cujusvis in Hungaria conſequendi beneficii poteſtatem, datis in hæc verba litteris, tribuit: (*e*) *Wladislaus Dei gratia rex Hungariæ & Bohemiæ, memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit, univerſis: quod nos inducti meritis, & virtutibus, ac doctrina fidelis noſtri Angeli Decretorum Doctoris, & Gubernatoris Abbatiæ Varadinpetri, eidem ex multis bonis reſpectibus, non obſtante generali decreto, nuperrime per Dominos Prælatos, ac Barones, ceterosque nobiles hujus regni noſtri edita, quo cavetur, ut extraneis hominibus nulla omnino beneficia in hoc regno noſtro conferantur, id duximus gratioſe annuendum, & concedendum, imo annuimus, & concedimus præſentium per vigorem, ut ipſe in hoc regno noſtro quæcunque beneficia poſſidere, atque etiam de novo obtinere valeat, atque poſſit, dummodo tamen ſibi hujuſmodi beneficia Canonice, ac ſine aliqua Simoniaca pravitate conferantur. Datum Szegedini feria quinta proxima poſt feſtum XI. millium virginum, anno Domini MCCCCXCVII.* Ea libertate non paucos ex optimatibus, ut ſupra indicavi, offenſos fuiſſe patuit, non tam quod virum eum litterarum ſcientia, copiaque inſignem, magiſtratibus idoneum non exiſtimarent, quam ob regis inconſtantiam, levitatemque, quæ & multum infra dignitatem ejus eſſet, & manifeſta indicia daret, in rebus etiam graviſſimis haud fortiore animo futurum, qui tam verſatili ingenio, quæ nuper ex ordinum ſcito ſtatuiſſet, rurſus convulſum iret. Neque a vero abhorret, id quoque inter cauſas fuiſſe, cur indicto Peſtinum ad III. idus Novembres comitio minus conſentientem ſibi nobilitatis ordinem habuerit, ut adeo conventum re infecta ſolvi oporteret.

An. Chr.

1498.

Quos ad conventum Budam evocat.

Itaque cum ad hanc cauſam alia quoque multa accederent, quæ, niſi concitis regni optimatibus expediri, illuſtrarique non poſſent, conventum in annum ſequentem ad feſtum Divi Georgii indicere placuit, ad quem ingens omnium ordinum concurſatio fiebat. Rex, cur rurſum Proceres, & provinciarum Legatos conciviſſet, cauſam, vulgato edicto, in hæc verba reddidit: (*f*) „ Wladislaus Dei gratia Hungariæ Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ,
„ Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque rex nec non
„ Sileſiæ & Lucemburgenſis Dux, ac Moraviæ, & Luſatiæ Marchio, omnibus
„ Chriſti fidelibus præſentibus pariter, & futuris, præſentium notitiam habi-
„ turis ſalutem in eo, qui eſt vera ſalus. Glorioſiſſimus Deus, cujus nutu
„ cuncta a ſe condita tam in ipſa ſuperna Hieruſalem, quam etiam in iſtis am-
„ pliſſimis terrarum climatibus reguntur, propter hoc nos, licet immeritos,
„ ad hujus regiæ dignitatis culmen, ſive faſtigium ſublimavit, ut quemadmo-
„ dum ſua donaria nobis largiſſime contulit, ſic nos quoque memores bene-
„ ficiorum ejus, quieti ſubditorum noſtrorum, quibus nos præeſſe voluit, ſa-
„ lubriter provideremus; ita, ut cum quibus una eſt nobis naſcendi, morien-
„ dique conditio, illis prodeſſe potius, quam inutiliter dominari deberemus.
„ Deditque nobis Deus ipſe duo inſtrumenta, quibus populum nobis ſubjectum
„ regeremus, arma ſcilicet, & jura. Jura quidem, ut eos in tribus naturæ
„ præceptis: honeſte vivere, alterum non lædere, unicuique, quod ſuum eſt,
„ reddere inſtrueremus: arma vero, quos timor pœnæ legalis a malis eorum
„ actibus non refrenaret, hos ſaltem vindicis gladii ſeveritas compeſceret a pec-
„ catis, & ſic hominum coerceretur audacia, & inter improbos innocentia tuta

(*e*) Ex Cod. MS. rerum ſub Wladislao geſtarum.

(*f*) Exſtat Decretorum Parte I. corporis juris patrii.

1498. „ redderetur, & ut boni quiete viverent inter malos. Proinde ad univerſorum,
„ tam præſentium, quam futurorum notitiam, harum ſerie volumus perveni-
„ re, quod cum nos poſt felicem coronationem noſtram, pro commodo, &
„ utilitate hujus inclyti regni noſtri Hungariæ, binis jam poſt ſeſe vicibus di-
„ verſas conſtitutiones, prout temporis neceſſitas, & rerum conditio expoſcebat
„ ad humillimam ſupplicationem, & interceſſionem fidelium noſtrorum, Præ-
„ latorum, & Baronum, regnique noſtri Nobilium edidiſſemos; tandem iidem
„ Barones, regnique noſtri Nobiles univerſi, de ſingulis comitatibus ejusdem
„ regni noſtri, in præſenti congregatione generali, quam eisdem ad feſtum
„ Beati Georgii Martyris noviſſime præteritum, urgentibus arduis neceſſitatibus
„ ipſius regni noſtri indixeramus, conſtituti, noſtrum adeuntes in conſpectum
„ non ſine amaritudine cordis eorum nobis detegere curaverunt in hunc modum:
„ quod quamvis nos tempore ipſius felicis coronationis noſtræ, unicuique re-
„ gnicolarum noſtrorum, tam Magnatum, & potiorum ſcilicet, quam inferio-
„ rum, libertates eorum ipſis a sereniſſimo Principe quondam Domino Andrea
„ rege, prædeceſſore noſtro felicis memoriæ conceſſas, per sereniſſimosque Prin-
„ cipes quondam Dominos Ludovicum, & Mathiam reges, prædeceſſores no-
„ ſtros felicium recordationum confirmatas, & jam a multis retro actis annis,
„ in compluribus ſuis articulis diminutas, ad utilitatem eorum reformare, &
„ renovare, confirmareque, & confirmatas obſervare, & obſervari facere pro-
„ miſerimus, forent tamen pleriqua hujusmodi ſalobri noſtro propoſito, &
„ deſiderio eorum ſe opponentes, & privatom potius, quam commune bonum
„ ſectantes, per quorum impedimenta nunquam hactenus votum eorum con-
„ ſequi potuiſſent; potiſſimum vero, cum nos noviſſime ad ipſorum humilli-
„ mam interceſſionem ad perficiendum ea omnia, quæ a nobis maximo cum
„ ſuſpiramine expectabant, congregationem generalem pro die feſto beati Mar-
„ tini in anno proxime transacto indixiſſemus, & Deo opitulante in civitate no-
„ ſtra Peſthienſi celebraſſemus, inter delecta grana frumenti Zizaniam imponen-
„ do omnia ſubvertiſſent, & ſic ipſi Barones, & regnicolæ noſtri nihil boni una
„ nobiscum concludentes, cum jactura rerum ſuarum ſatis grandi ad propria
„ remeare coacti fuiſſent. Quibus expoſitis iidem Barones, & ceteri Nobiles,
„ tam potiores, quam minores, quosdam articulos ſuper libertatibus eorum, ip-
„ ſis tam a præfato quondam Domino Andrea rege, quam etiam aliis divis regibus
„ Hungariæ conceſſis exaratos Majeſtati noſtræ exhibuerunt, & produxerunt --
„ ſupplicantes noſtræ Majeſtati præfati Barones, ceteriqne regnicolæ humili cum
„ precum inſtantia, ut conſideratis eorum oppreſſionibus, tranquillitati iſtius
„ regni noſtri, quod ab infidelibus Turcis, crucis Chriſti perſecutoribus, &
„ ceteris ejusdem regni noſtri æmulis undique premeretur, conſulere, libertates-
„ que ipſorum in eisdem articulis conſcriptas renovare, & confirmare, renova-
„ tasque, & confirmatas obſervare, & per alios obſervari facere dignaremur.

Certa comitiis celebrandis tempora decernuntur. His, quæ pleraque regum in ſuos officia complectuntur, cauſæ inſtar, cur ordines convocati eſſent, memoratis, ea, de quibus in conventu mutuis conſiliis actum erat, ſubducuntur, ex quibus, quæ ad illuſtrandam illius temporis hiſtoriam facere videntur, more noſtro promemus. Ante omnia de comitiis, quod ingenti ſæpe fortunarom jactura, nulloque pene fructu longiſſime ducerentur, neque tempus iis celebrandis intra certos limites contractum, præſtitutumque hactenus fuerit, decretum eſt, „ quod amodo infra quatuor an-
„ norum ſpacia, poſt ſeſe immediate, conſequenterque affutura, ſingulis annis
„ ad feſtum Sancti Georgii Martyris, univerſis regnicolis, tam ſcilicet Prælatis,
„ quam Baronibus, ceterisque Nobilibus, & poſſeſſionatis hominibus per regiam
„ Majeſtatem in campo Rakos una congregatio generalis indicatur, & celebre-
„ tur. Celebratio autem hujusmodi congregationis in quindecim diebus explea-
„ tur: Elapſis autem ipſis quatuor annis, deinceps futuris ſemper ſucceſſivis
„ temporibus, ſingulo tertio anno ipſa congregatio generalis modo præmiſſo ce-
„ lebretur. Si qui autem Dominorum Prælatorum, & Baronum, vel aliorum

regni-

„ regnicolarum ad primum diem ipſius congregatiouis venire, & illic infra ipſos
„ quindecim dies perſeverare nollet, talis, ſi fuerit Prælatus, vel Baro in du-
„ centis marcis gravis ponderis, octingentos florenos auri facientibus: ſi autem
„ potiores, vel mediocres, ſeu inferiores fuerint, in centum marcis, quadrin-
„ gentos florenos auri facientibus per regiam Majeſtatem irremiſſibiliter exigen-
„ dis condemnentur: exceptis officialibus regiæ Majeſtatis, ac Dominorum
„ Prælatorum, & Baronum, ceterorumque regnicolarum, ac aliis caſtra finiti-
„ ma tenentibus, vel extra regnum in legationibus regiis & regni, aut Domi-
„ norum ſuorum neceſſario occnpatis: nec non infirmis, cœcis. claudis, &
„ nimium pauperibus, qui nequaquam venire poſſent; illis etiam, qui extra
„ regnum hoc in peregrinationibus neceſſario occupantur: Ita tamen, quod ſi
„ duo, vel plures fratres indiviſi fuerint, vel pater filium unum, vel plures ha-
„ buerit indiviſos, tunc ſufficiat unum illorum mittere ex ſe ipſis ad dietam:
„ ſi autem diviſi fuerint ab invicem, per ſingula capita venire teneantur. No-
„ biles autem unius ſeſſionis, ex decem unum mittere debebunt. Si autem
„ Comites Parochiales, vel eorum vices gerentes ſub aliqua pactione, pecuniis
„ ſcilicet, aut muneribus allecti facultatem darent cuipiam domi manendi, ta-
„ les modo ſimili in centum marcis condemnentur.

Tum, quod regia auctoritas in primo conventu ex patrum conſulto infra dignitatem conſtricta, cautumque fuiſſet, ne rex certos limites in donando excederet, placuit ordinibus, uti deinceps pro arbitratu ſuo largitiones faceret; etenim „ in decreto majori ita prius ordinatum fuit, & conclusum, quod Ma-
„ jeſtas regia proprio motu, & per ſe ipſam usque ad centum Jobagiones con-
„ ferre poſſit, quibuscunque voluerit: ultra vero ipſum numerum. cum con-
„ ſilio Dominorum Prælatorum, & Baronum - - quod Dominis regnicolis vi-
„ detur inconveniens, & illicitum. Et idcirco nollunt conſtringere poteſtatem,
„ & auctoritatem Majeſtatis ſuæ in aliquo: demtis duntaxat ſorenſibus, & ex-
„ ternis, quibus nolunt in hoc regno collationes fieri, neque beneficiorum Ec-
„ cleſiaſticorum, neque etiam ſæcularium poſſeſſionum.

Largitionibus regiis modus ab Optimatibus præſcribitur.

Judiciorum autem, quæ octavarum dicunt, ratio in hunc modum conſtituta: „ Quod ſingulis annis duæ octavæ, magnæ, & integræ, videlicet San-
„ ctorum Georgii martyris, & Michaelis Archangeli, & ſimiliter duæ breves,
„ quæ judicia brevia appellantur, videlicet Epiphaniarum Domini, & feſti Beati
„ Jacobi Apoſtoli in hoc regno celebrentur. Octavarum autem celebratio, ſive
„ prima dies incipitur ſtatim vigeſimo die poſt feſta prædicta, & duret per qua-
„ draginta dies. Si vero poſt quadraginta dies aliqua judicia fierent, nullius
„ ſint vigoris, & momenti, ſive in cauſis levatis, ſive non levatis. Celebratio-
„ nis vero Judiciorum brevium prima dies inchoetur vigeſimo die poſt prædi-
„ cta feſta, & hujusmodi brevia judicia finiantur, ac durent per viginti tantum-
„ modo dies feriatos, in quibus judicia fieri poſſunt, ita, quod dies feſti inter
„ hos viginti dies, pro judiciis dirimendis non computentur. Fiant autem evo-
„ cationes ad ipſa brevia judicia, ſicut ad octavas majores, ante octo dies, vel
„ ipſo octavo die, diei feſtivitatum prædictarum. In bis autem judiciis omni-
„ bus, tam majoribus, quam brevibus ultra judices ordinarios, etiam ex Do-
„ minis Prælatis duo, & ex Dominis Baronibus ſimiliter totidem, & ex regni-
„ colis ſedecim Nobiles potiores, & præſtantiores hujus regni; Juriſperiti illi
„ videlicet, qui ſapientia præſunt, ex omnibus quatuor partibus regni per re-
„ giam Majeſtatem, & regnum eligantur, qui ſemper in judiciis decernendis in-
„ tereſſe debeant; ita, quod in octavis integris omnes illi ſedecim Nobiles, in
„ brevibus autem judiciis ſolummodo octo ex ipſis, mutuatis, & alternis ſci-
„ licet inter ſeſe vicibus, aſſidere teneantur. Illis autem ſedecim electis Nobi-
„ libus, qui, ut præmiſſum eſt, pro cauſis diſcutiendis eligentur, Domini re-
„ gnicolæ de ſalariis competentibus providebunt, Dominis autem Prælatis, &
„ Baronibus electis, ceteri Domini Prælati, & Barones de ipſorum ſalariis pro-

Conſtituta quoque Judiciorum ratio.

1498. „ videre teneantur. In Tranſilvania autem, & Sclavonia conſimiliter duæ octa-
„ væ majores, videlicet feſtorum Epiphaniarum Domini, & beati Jacobi Apo-
„ ſtoli, nec non duo judicia brevia, feſtivitatum beatorum Georgii martyris,
„ & Michaelis Archangeli celebrentur. Celebratio autem ipſarum octavarum,
„ & brevium judiciorum incipiatur quinto decimo die ante prædicta feſta, & du-
„ ret quindecim diebus poſt initium celebrationis earundem octavarum, & bre-
„ vium judiciorum. „ Sed iſtorum paulo alia ratio hodie obtinet.

Quam ſymbolam Eccleſiaſtici ordines ad belli apparatum conferre debeant.

De bellico apparatu, & conflanda militia vetus lex, & conſuetudo fir-
mata eſt, ut, cum periculum ab hoſte ingruerit Eccleſiaſtici quoque viri ſuam
ſymbolam conferrent, neve fas eſſet, oneris incommoda in ſolos profanos deval-
vi. „ Ex quo Domini Archiepiſcopi (ita edictum habet) Epiſcopi, Capitula,
„ Præpoſiti, Abbates, & Carthuſienſes de Lövöld, nec non Prior Auranæ, juxta
„ hujus regni laudabilem conſuetudinem antiquam, pro defenſione hujus regni,
„ tam ratione proventuum decimalium, quam ratione poſſeſſionum ſuarum Ec-
„ cleſiarum, Banderia (*g*) ſua ſecundum exigentiam proventuum, & uſum
„ Jobagionum ſuorum levare tenentur; ob hoc ipſi Domini Archiepiſcopi, Epi-
„ ſcopi, Capitula, Præpoſiti, Abbates, & Carthuſienſes, nec non Prior Aura-
„ næ, eorum gentes, pro defenſione regni, juxta limitationem (*b*) infra ſcri-
„ ptam tenere, & conſervare teneantur. Cetera autem Capitula, Conventus,
„ nec non Abbates, & Præpoſiti, ceterique viri Eccleſiaſtici tam religioſi, quam
„ ſeculares decimas habentes, ſecundum exigentiam proventuum ſuorum deci-
„ malium, & uſum Jobagionum ſuorum: illi vero, qui decimas non haberent,
„ inſtar aliorum regnicolarum Banderia non habentium, de ſingulis triginta ſex
„ portis ſingulum unum equitem, armis bene diſpoſitum dare, & tenere de-
„ beant. Si autem aliqui Prælatorum, & virorum Eccleſiaſticorum, ſæcularia
„ jura poſſiderent, ea, quæ ab antiquo banderiata ſunt, erratione illorum ultra
„ cetera bona Eccleſiarum, ſuper quibus fundata ſunt, conſimiliter exercituare
„ ſint obligati. Ut autem difficultatibus illis, quæ de proventibus banderia non
„ habentium decimalibus, & numero Jobagionum ſuorum poſſent exoriri, via
„ præcludatur, concluſum eſt: Quod in ſingulis Comitatibus tot probi, & fide
„ digni homines potiores per communitatem nobilium eorundem comitatuum
„ eligantur, quot in eiſdem Comitatibus judices Nobilium habentur, qui una
„ cum eiſdem judicibus Nobilium illius Comitatus, in quo connumeratio fieri
„ debebit, præſtitis juramentis per eoſdem, tam de proventibus eorundem de-
„ cimalibus, quam numero Jobagionum ſuorum diligenter perquirant, & in
„ regeſto fideliter annotent, atque ad locum ſedis judiciariæ importent, & ibi
„ per univerſitatem Nobilium juxta conſcientioſam eorum limitationem, nume-
„ rus exercituantium in ſingulis Comitatibus deſcribatur, & ſecundum hoc ipſi
„ viri Eccleſiaſtici, nec non banderiati exercituare teneantur.

Scribendæ militiæ, ac profectionis leges.

Tum ſcribendæ militiæ, ac profectionis in hoſtem ordo pro ratione peri-
culi deſignatur. „ Ut autem regnum hoc ab inſultibus infidelium, & ceterorum
„ æmulorum tutius defendatur, placuit univerſis regnicolis, quod in omni co-
„ mitatu per totum regnum Hungariæ, gentes ipſæ juxta limitationem præſcri-
„ ptam, pro defenſione regni ſub nota perpetuæ infidelitatis usque ad feſtum
„ Beati Martini proxime affuturum, ubique ſine defectu diſponantur, & dein-
ceps

(g) Nomine Banderii, quod vexillum notat, veniunt, ſi ſit integrum, quadringenti, ſi medium ducenti milites, ut eſt Art. 20. Decret. I. anni 1492. Erant quoque Banderia, quæ mille equites continebant. Redimi precio poterant, cujus exempla produntur in libro rationum de annis 1494 & 95. quem in Bibl. Auguſta Viennæ exſtare alias monui, in hæc verba: *Reverendus Dominus Nicolaus Epiſcopus Vacienſis, ut per integrum annum non exercituaret, ſolvit Majeſtati Regiæ flor. nongentos. Dominus Andreas de Bathor ſimiliter ratione non exercituationis ſolvit Majeſtati Regiæ flor. mille.*

(*b*) Habetur ea limitatio in eodem Decreto Art. XIX.

„ ceps ſemper paratæ teneantur: ita tamen, quod tales gentes ſine ſpeciali con-
„ ſenſu, ac voluntate regiæ Majeſtatis nullo pacto levari poſſint. Si autem infra
„ prædictum feſtum beati Martini aliqua neceſſitas huic regno emerſerit, pro-
„ pter quam regia Majeſtas carere non poſſet, ex tunc Majeſtas ſua primum of-
„ ficiales ſuos, nec non Dominos Prælatos, viroſque Eccleſiaſticos banderiatos,
„ & gentes tenere debentes, Dominoſque Barones, tandem vero, ſi neceſſe fue-
„ rit, univerſitatem inſuper regnicolarum pro defenſione hujus regni levare
„ valeat, atque poſſit. - - - Si Capitaneus regius, qui exercitum regni leva-
„ ret, falſis rumoribus, & ex induſtria, animoque malignandi ſtudioſe id face-
„ ret, per hocque regiam Majeſtatem, & regnum hoc defatigaret, ſine neceſſi-
„ tate rationabili, in tali caſu notam infidelitatis incurrat.

De ſtipendiariis contra, qui ex publico ærario alebantur, ita cautum lego:
„ quod ex quo Domini regnicolæ pro defenſione regni ſtipendiarios de eorum
„ Jobagionibus neceſſario tenere habebunt, ob hoc quoties neceſſe pro defen-
„ ſione hujus regni fuerit, officiales, nec non ſtipendiarii tam regales, quam
„ Dominorum Prælatorum, & Baronum, nec non ceterorum regnicolarum li-
„ mites, & metas regni ſecundum temporis, & rerum neceſſitatem, egredi
„ exercitualiter debeant, & illis nullæ metæ præfiniantur. Si autem cogente
„ neceſſitate ultra illos ſtipendiarios univerſitatem inſuper regnicolarum inſur-
„ gere contigerit, tunc iſto caſu ipſa univerſitas ultra limites, & metas regni
„ exercituare non teneantur.

Quem morem cum ſtipendiariis ſervari oporteat.

Et quia ad reipublicæ conſervationem permultum referebat, vicina ho-
ſtibus caſtella præſidio militari ad propulſandam vim comparare, eaque pro vi-
rili defendere, data Comiti Palatino, & Judici curiæ provincia eſt, viderent,
juberentque, ne finitima barbaris munimenta, commeatu, ac reliquo belli ap-
paratu laborarent, & ſi quis metu aut deſidia locum, cui præfectus erat, hoſti
dederet, id ei capitale eſſet. „ Quoniam (in hæc verba lex habet) ſunt non-
„ nulli officiales, qui eorum negligentia, & indebita conſervatione nonnulla ca-
„ ſtra finitima amiſerunt, & poſt amiſſiones tam notabiles, & huic regno da-
„ mnoſas non ſolum impunitate gaudent, ſed inſuper alia caſtra pro eorum ſala-
„ rio retinent: quare ſtatutum eſt, ut regia Majeſtas abſque conſenſu regnico-
„ larum, iis, qui aliqua caſtra finitima propter ipſorum negligentiam, & in-
„ cautam obſervationem amiſiſſent, vel amitterent, in futurum gratiam non fa-
„ ciat, ſed illos juxta ipſorum demerita caſtiget, & puniat juxta contenta gene-
„ ralis decreti. Sunt autem hi, qui huic regno in amiſſionibus caſtrorum
„ notabilia damna intulerunt: nam quondam Ladislaus Egervára caſtra Therſacz,
„ & Nerethva: Franciſcus Haraſzti caſtrum Koſſoruvár, Georgius vero Popo-
„ vich conſimiliter caſtrum Komothin tempore Majeſtatis regiæ amiſerunt. Sin-
„ gulis annis duo judices regni, videlicet Domini, Palatinus, & judex curiæ
„ regiæ homines ſuos penes hominem regium, juramento de Rakos de dicenda
„ veritate, & fideliter ſine perſonarum favore ad regiam Majeſtatem referenda
„ juratos deputare debeant; qui caſtrorum finitimorum conditiones, & ſtatus,
„ ac ædificationes, vel cuſtodias & conſervationes, nec non machinas, & in-
„ genia, & victualia, atque ſtipendiarios juxta diſpoſitionem tenere debeant,
„ alioſque opifices, ſeu artifices bis in anno revideant, & Majeſtati regiæ fideli-
„ ter referant: ita, quod tales conſpicientes caſtra finitima, vadant diverſo tem-
„ pore, & non ſimul, & ſemel, ſed ſeorſim, ita, quod homo regiæ Majeſtatis
„ non ſciat, quando homines Dominorum Palatini, & judicis curiæ vadunt; &
„ illi ſimiliter ignorent, quando iſte ibit, ne muneribus corrumpantur, & ut
„ eo fidelius illa valeant referre, & facilius etiam cognoſci poſſit, ſi falſitatem,
„ & mendacium dixerint. Si vero illi, vel alter eorum aliquas in caſtris finiti-
„ mis negligentias, & defectus, vel etiam perſonarum ibi conſtitutarum exor-
„ bitantias ſubticuerint, & fideliter pro favore aliquorum officialium non retu-
„ lerint, pœnam capitis ſubeant eo facto, & bona ipſorum univerſa ad colla-

Palatino, & Judici curiæ data provincia, ut finitima barbaris præſidia diligenter curentur.

1498. „ tionem regiam devolvantur : expenſas autem talibus Majeſtas regia dare debeat.

Has ſanctiones Wladiſlaus ſuo, ac Procerum nomine confirmat.

Hæc Wladislaus citra difficultatem rata habens ſuo etiam arbitrio in hæc verba confirmat : „ Nos igitur, cujus intereſt, ex ſuſcepti regiminis noſtri officio, tranquillo ſtatui dicti regni noſtri providere, ſupplicationibus præfatorum Baronum, Procerumque, & Nobilium dicti regni noſtri, tamqnam juſtis, & rationabilibus inclinati, præſcriptos articulos, commune bonum, ac quietem, ſtatum, & utilitatem ipſius regni noſtri in ſe continentes, acceptantes, approbantes, & ratificantes, eosdem articulos, ac omnia iu ipſis contenta innovantes perpetuo valituros, & duraturos confirmamus; nosque omnia, & ſingula in ipſis ſpecificata inviolabiliter obſervare, & per alios obſervari facere promittimus, & obligamus præſentis noſtri ſcripti patrocinio mediante. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam præſentes litteras noſtras privilegiales, ſub appenſione ſecreti ſigilli noſtri, quo ut rex Hungariæ uimur, communitas duximus concedendas. Datum Budæ, quadrageſimo die congregationis generalis ante dictæ, anno Domini MCCCCXCVIII. regnorum noſtrorum Hungariæ &c. anno octavo, Bohemiæ vero vigeſimo octavo. Venerabilibus in Chriſto patribus Dominis Thoma Strigouienſis, & Petro Colocenſis Eccleſiarum Archiepiſcopis; nec non illuſtriſſimo, ac reverendiſſimo Hipolyto Eſtenſi de Arragonia, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diacono Cardinali, Agrienſis, Osvaldo Zagrabienſis, Ladislao Gereb Tranſilvanienſis, Dominico Varadieuſis, Sigismundo Quinque-Eccleſienſis, Franciſco Jaurinenſis, Joanne Veſprimienſis, Nicolao de Bathor Vacienſis, Luca Chanadienſis, Antonio Nitrienſis, Sirmienſi ſede vacante, Gabriele Bosnenſis, Briccio Tininienſis, Michaele Segnieuſis, & Chriſtophoro Modruſienſis Eccleſiarum Epiſcopis, Eccleſias Dei feliciter gubernantibus. Item ſpectabili, ac magnificis Stephano de Zapolya, Comite perpetuo terræ Scepuſienſis, regni noſtri Hungariæ palatino, & judice Cumanorum, Comite Petro Gereb de Wingarth, judice curiæ noſtræ, Bartholomæo Dragffi de Belthök, Vayvoda noſtro Tranſilvanieuſi, & Comite Siculorum noſtrorum, Georgio de Kanyſa regnorum noſtrorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ, Petro Tharnok de Machkas, & Jacobo Gerliſtye Zevrinienſibus Banis, Joſa de Som, Comite Themeſienſi, & generali Capitaneo partium regni noſtri inferiorum, officio magiſtri Tavernicatus noſtri vacante: Nicolao Banffi de Lindva, Janitorum, Emerico de Perén Dapiferorum, Stephano de Kauyſa Pincernarum, Blaſio de Raska Cubiculariorum, & Joanne Eruuſt de Chaktornya Agazonum noſtrorum regalium magiſtris, aliisque compluribus, regni noſtri officia tenentibus, & honores.

Turcis Poloniam vaſtantibus,

Huuc in modum conventus pacatis utrinque animis finem accepit, qoo vix ſoluto novæ regem curæ exceperant triſtiſſimis nunciis ex Polonia allatis, qui Turcos cum Tartaris longe, lateque in Ruſſiam populabundos procurriſſe ſignificabant, majusque in diem periculum, ac cladem timeri, quod Polonis metu perculſis ad arcendos hoſtes neque ſatis animi, nec virium eſſet. Neque multo poſt Sigismundus Wladislai frater Budam veniens, quæ per uuncios vulgata erant, præſens affirmavit, Stephanum Moldaviæ Vayvodam belli auctorem barbaris fuiſſe, ſupra centum millia hominum cum innumerabili gregum, armentorum, & omnis geueris præda in captivitatem abacta, quæ ut per ſeſe magna eſſent, plus tamen diſcriminis poſt ſe tractura videri, quod rex domi ob inteſtina partinm ſtudia, res ad vim, ſi rurſus barbari ingruerent, propulſandam non optime comparatas haberet.

Rex Alberto fratri Auctor eſt, ut Legatos ad Im-

Wladislaus ad hæc, qui injurias fratris ſuas eſſe interpretabatur, nihil in præſentiarum ſibi opis eſſe reſpondit, qua Polonis laborautibns ſuccurreret, neque ſatis in re utriusque videri, ſi aliorum deſtituti auxiliis ſoli adverſus tam poteutes hoſtes rem bello agendam ſuſciperent : accerſendos quoque alios Principes in ſubſidium, cum quibus communi opera, & viribus barbari peterentur; Maximilianum in primis orandum, cum ad couventum, quem Imperii Principibus

pibus Friburgum edixerat, proficiſceratur, auctoritate ſua vellet efficere, ut communi fœdere bellum in Barbaros decerueretur. Itaque cupere ſe magnopere, uti frater Legatos illo mittat, qui ſubſidia, opemqua in barbaros implorent, ſe Oratorem quoque ad Cæſarem miſſurum eſſe, per quem fratris ſtudia adjutum eat, neque nullam ſibi ſpem oboriri, Maximilianum pro vetere in ſe amicitia, communique fœdere, quod ſibi cum eo intercederet, omnia facturum eſſe, quæcunque ad ſalutem Polonorum facere viderentur.

perii comitia mitteret.

Id conſilium cum Alberto mirum in modum probaretur, nihil moratus, ſplendidam Legationem ad Imperii Principes mittere decreverat. Præfecerat Legationi Nicolaum Roſenbergerum, virum promti conſilii, & maximi in tractatioue rerumpublicarum uſus: cui, ut fidem conciliaret, has ad Imperii Principes litteras dedit: (*i*) *Joannes Albertus Dei gratia rex Poloniæ, ſupremus Dux Lithuániæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque Dominus, & bæres, univerſis, & ſingulis ſpiritualibus, & ſæcularibus Dominis Prælatis, Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, militibus fratribus noſtris ebariſſimis, amicis, & benevolis ſincere, & grate nobis dilectis, præſentibus requirendis ſalutem, amicitiam, incrementum, & regium affectum. Illuſtriſſimi præclari Principes, nec non reverendiſſimi, ac reverendi in Chriſtą patres, magnificique, ac ſpectabiles, ac generaſi fratres, amici benevoli, ſincere, & grate nobis dilecti! reddet veſtris claritatibus litteras generoſus, & ſtrenuus Nicolaus Roſenberger, aulicus noſter, quem ad veſtras claritates in negotiis noſtris, & reipublicæ Chriſtianæ mittimus plene informatum, cui rogamus veſtræ claritates in omnibus nomine noſtra dicendis plenam velint babere fidem, non minus, quam nas ipſi perſonaliter loqueremur cum veſtris claritatibus. Datum Cracaviæ in octava aſcenſionis Domini, anno ejuſdem MCCCCXCVIII. regni noſtri VI.*

Qui miſſo Roſenbergero litteras ad Imperii ordines dat.

Legatus cum his litteris, & ingenti clientum ſatellitio ſtipatus, cum facto per Germaniam itinere Friburgum veniſſet, poſt paucorum dierum quietem, quibus Principes regis uomine ſalutaverat, dato ampliſſimo Senatu, ita ad Maximilianum & conventum verba fecit: (*k*) *Poſtquam conjunctia ſanguinis eo benevolentiæ vinculo ſacram Majeſtatem veſtram, & ſereniſſimum Dominum meum Poloniæ regem mutua ſibi devinctas efficiat, ut in quibusvis neceſſitatibus, periculiſque obeundis, conſilio ſibi, & auxilio Majeſtates veſtræ adeſſe jure debeant, quod ſemper per Divos Majeſtatum veſtrarum parentes, ſempiternæ gloriæ Principes firmiter exſtitit obſervatum, ne id quidem, & per Majeſtates veſtras intermiſſum, verum tamen in præſentiarum mutuæ charitatis ſolidandæ, & intelligentiæ ineundæ, babendæque major, ac urgentior cauſa eſt, commune videlicet periculum impendens reipublicæ Chriſtianæ, quæ in dies ab immaniſſima nominis Chriſtiani boſte, Turcorum Imperatore laceratur, diripitur, & occupatur, cui niſi in communibus Chriſtianorum conſilus, & opibus, maturius ſuccurratur, ipſam procul dubia univerſitatem propediem vel ruituram, vel vebementer declinaturam, verendum eſt. Non incogniti ſunt rex glorioſiſſime, ſacræ Majeſtati veſtræ acerrimi illius, ac potentiſſimi boſtis conatus, qui nil aliud magis cogitat, curat, nil ardentius ſitit, niſi ut rem Chriſtianam evertat, quo ſic, & profanam ſectam ſuam, & Imperium propagare poſſet: utque id facilius aggrediatur, ingeniis, & aſtu utens treugas, ſufferentiasque pacis cum ceteris finitimis Principibus ſibi conſtituit, ut impetum potentiæ ſuæ in unum Principem convertendo, illum vaſtet, occupet, & pedetentim ceteros Chriſtianos Principes facilius opprimat, & ditioni ſuæ ſubjiciat, prout boc ingenio, initio felicis aſſumtionis majeſtatis regiæ ad regnum uſus eſt, dum pra treugis conſtituendis, atque firmandis ad quodcunque tempus placuiſſet, arbitrio ſuæ Majeſtatis per Oratorem ſuum, plenarium babentem mandatum detulit, cujus Majeſtati ex certis ratianibus, reſpectibus, atque cauſis diuturnas facere non fuit viſum, ſed præcipue ne ea res regnis, & Principatibus clariſſimornm Germanorum ſuorum, ceteriſque finitimis fieret incommoda, tandemque temporum qualitate in triennales pacis ſufferentias conſenſit, ut medio tempore ſeſe ad gerendum bellum commodius compararet. Quæ quidem treugæ tam per Capitaneos limitum Turcici Imperii, quam etiam Tartaros, qui*

Hujus ad Germaniæ Principes oratio.

(*i*) Exſtant Tom. II. rer. German. apud FREHERUM pag. 235.

(*k*) Apud eundem ibid.

1498. *tunc in fœderibus adſcripti erant, non ſemel extitere violatæ: in quos quidem Tartaros, Tauricam Cherſoneſum incolentes, poſt captas magni ponderis urbes, Capham, & Theodoſiam, Turcus ditionem ſibi comparavit, & imperium. Quod dum Majeſtas ſereniſſimi Domini mei regis cognoviſſet, quorſumque res tenderet, conſideraſſet, treugæ quoque ipſæ exſpiraſſent, juſtis, ac neceſſariis cauſis permota, nil cunctandum ratu, ne incautam, imparatamque hoſtis domi opprimeret, conſultius fore exiſtimavit, foris cum hoſte bellum gerere, quam domi ſibi illatum propulſare. Et maxime inſtigante ad hoc ipſum, ac ſolicitante Moldaviæ Vayvoda, ſubdito ſuo, cui ſe olim ſereniſſimus parens, æternæ memoriæ Princeps, urbes dudum per Turcos occupatas, Albipolim, & Lycoscoviam, quæ alias Kilia dicitur, jure ſuſcepti ab eo feudi, atque ſœderum recuperaturum pollicitus, & obligatus erat. Dumque id Majeſtas ſua validiſſimo, & inſtructiſſimo exercitu comparato perficere curaret, idem ipſe Vayvoda Valachiæ præſtitæ fidei immemor, atque debiti ſui, quo ſe antea jurejurando Poloniæ adſtrinxerat, ab obedientia ſuæ ſerenitatis diſcedens rebellavit, ſive timore magnitudinis potentiæ Turcorum percitus, ſive ſolita imbutus pro more gentis perfidia; & ita cœpta ſuæ Majeſtatis impediens, atque perturbans bellum demum neceſſario in ſe convertit. In cujus belli proſecutione, qua fortuna uſa ſit Majeſtas ſua regia, & quorum, quantæque auxiliares copiæ adverſatæ ſint, cœptis ſuæ ſerenitatis, & quantum in ea re delatum ſit poſtulatis, ac deſiderio fraternæ Majeſtatis, ſereniſſimi Domini Hungariæ regis, quemque etiam in finem præfatus Moldaviæ Vayvoda perfidia uſus ſit in Majeſtatem regiam firmatis induciis, atque fœderibus violatis, æſtimat ſacram Majeſtatem veſtram non latere. Sed neque ea perfidia illata contentus fuit, niſi majorem multo periculoſioremque nuper adjeciſſet, concitans ingentes Turcorum, & Tartarorum copias, quibus etiam ſecurum tranſitum, atque commeatum per ſuam provinciam præbuit: qui quidem crudeliſſimi hoſtes incredibili celeritate uſi, qua omnes alias gentes ſuperant, anni tempore ſibi ad bellandum inconſueto, quali nunquam alias exercitum educere ſolebant, inopinati ſupervenientes in dominia ſuæ Majeſtatis irruperunt, hoc eſt, in terras Ruſſiæ, nobiliſſimam regni portionem, multarumque vicinarum provinciarum altricem, quam tanta clade affixerunt, quanta nulla unquam provincia tam atrociter aut auditur, aut legitur afflicta fuiſſe: quoniam in omnem ætatem ſexus utriusque, in omnemque conditionem humanam, ſine delectu immaniſſime ſævitum eſt, ſenes, & decrepiti, pueri, atque infantes, matronæ gravidæ, ſacerdotes, & quidquid religionem Chriſti profitebatur cæſi omnes, crudeliterque obtruncati ſunt, reliqui, quibus vires, & ætas validior fuit, capti omnes, ac in duram, ac miſerandam ſervitutem abrepti. Sævitum etiam præter morem humanum in animantia bruta, pecudum omnis generis, ex quibus nihil vivi omnino relictum eſt, quodque ferrum abſumere non potuit, ignis conſumſit. Vaſtata deinde pro magna ejus parte nobiliſſima provincia, onuſti rerum omnifaria præda Valachiam feſtinantiſſime repetierunt, inde redituri aucti majoribus copiis brevi ſperabantur, prout de eo ſereniſſimus Dominus Hungariæ, & Bohemiæ rex fraternæ Majeſtati litteris ſuis in exitu meo de Polonia ſignificavit, quomodo gener Turcorum Imperatoris ſexaginta millibus bellatorum aſſociatus, ex Aſia ſeu Anatolia adventans jam Danubium trajicere inceepiſſet Ruſſiam ingreſſurus, urbesque, & arces provinciæ ejusdem Tartarorum, & utriusque Valachiæ Palatinorum auxiliis expugnaturus eſſet. Significavit etiam eodem tempore illuſtriſſimus Princeps Alexander magnus Dux Lithuaniæ, Germanus ſuæ Majeſtatis; huic ſimile auditu minus gratum, ac jucundum, quomodo inſtigante, ac ſolicitante Turcorum Cæſare, duo, vel fortaſſe tres Tartarorum Imperatores cum innumerabilibus copiis e ſedibus ſuis moventes, Ruſſiæ terris appropinquarent, jamque ad ripam Boryſthenis fluminis caſtra metati fuiſſent, contra quos omni ſua, ſuorumque potentia adunata præfatus illuſtriſſimus Lithuaniæ Princeps ad reſiſtendum conſurrexit. His tantis, ac tam periculoſis rumoribus Majeſtas ſereniſſimi Domini mei permota, omni ſua, ſuorumque potentia congregata contra eam hoſtilitatem campeſtraliter ad occurrendum profecta eſt in partes Ruſſiæ, committens ſe Deo, expectans celerrima, ac indubitata Majeſtatis fraternæ auxilia, quæ ex utroque ſuo regno, & litteris, & Oratoribus certis ſuæ Majeſtati mittere fraterne, & liberaliter pollicita eſt, per ſeque in armis paratam neceſſitatibus ſuæ Majeſtis modis omnibus ſuccurrere. Cum igitur Majeſtas ſua tanti periculi cauſam, & quæ inde ſequi poſſent, incommoda ſecum diligentius reputaſſet, noſſetque dubios bellorum ſemper eſſe eventus, intelligens non minus regni opum, atque virium fore, ad ſuſtinendum diu tantum, ac tam periculoſum bellum, dignum, ac neceſſarium*

exſti-

*exiſtimavit, cauſam communis impendentis periculi ad notitiam ſacræ Majeſtatis veſtræ,
tamquam primarii Chriſtianæ reipublicæ Principis, ſimulque univerſorum ſacri Romani Im-
perii, ac Germaniæ illuſtriſſimorum Principum, cujuſcunque ſtatus, ac eminentiæ exiſtant,
referre, conſilium, & auxilium ſacræ Majeſtatis veſtræ, atque univerſorum tantæ neceſſi-
tati expoſcens, atque implorans, quo tantorum, tamque validorum hoſtium conatus, atque
inſultus, communibus Chriſtianorum opibus, & auxiliis reprimi poſſent, ne hoc regnum,
quod ſemper ſingulare Chriſtianorum propugnaculum exſtitit, aſſiduo bello attritum, conci-
dere quovis modo, aut everti contingat. Quæ res quantum periculi univerſæ reipublicæ
Chriſtianæ afferre poſſet, facile eſt conſiderare. Non enim dubium eſt, ſacram veſtram
Majeſtatem minime latere, quomodo aliquando Gothi, Hunni, Tartari, ceteræque ignotæ
Scythicæ gentes non prius in Pannonias, Germaniam, & Italiam, ac deinceps in alias fini-
timas provincias irrupere, niſi fractis, & contritis regionibus Poloniæ regni, ut ſic facilior
illis aditus ceteras regiones invadendi pateret. Quapropter rex excellentiſſime! pro ratio-
ne, & magnitudine periculorum expetendum neceſſario eſt, & adhibendum moderamen, ac
celeritas conſiliorum, ne aut minora, aut tardiora ſint remedia, quam caſus, vulnera, quæ
ſacræ veſtræ Majeſtati ſanare maxime convenit, neceſſitatique tantæ ſalutis publicæ Chri-
ſtianæ gratam ſe, atque utilem exhibere, quæ ex ea potiſſimum pendere videtur, ſingulare
eam præſidium ſui, & ornamentum recognoſcens, oſtendereque lumen animi, ingenii, con-
ſiliique ſui, neque eam tantis attritam jacturis, & pene periclitantem pro derelicta habere,
veſtigiis inſiſtendo clariſſimorum majorum, atque prædeceſſorum ſuorum, qui terrarum or-
bem late impleverunt nominis ſui gloria, & quibus virtus iter fecit ad ſuperos, atque in
aſtra levavit. Quorum tanta fuit virtus, animique magnitudo, ut zelo religionis ſanctæ
permoti, optima ſpe pleni, glorioſum, ac ſalutiferum laborem ſubire non dubitaſſent, quo
non Turcorum ſolum potentiam, ac Principatum contererent, ſed etiam Syriam univerſam,
regnumque Hieroſolymitanum cum ſancta civitate e manibus Saracenorum eriperent. Sic
igitur oramus, ſacra Majeſtas veſtra, hæres clariſſimorum Majorum ſuorum gloriæ, eo-
rumque decori ne deſit. Subeſt enim cauſa ingens, & materia minus contemnenda, affert
ſe denique oportunitas, qualis ſe nulli unquam Prædeceſſorum obtulit, exercendæ, atque
declarandæ virtutis, animique magnitudinis, qua tam neceſſario, & periculoſo tempore illu-
ſtrare maxime poterit hunc ampliſſimæ dignitatis Principatum ſuum: quoniam Dei gratia
opitulante, auctoritate, prudentia, & felicitate ſerenitatis veſtræ pacata eſſe videtur uni-
verſa Germania, nutum ejus per omnia ſequens, atque reſpectans: adſunt ſereniſſimorum
conſanguineorum ſuorum Hungariæ, & Poloniæ regum ad cauſam alacres, & promtæ vo-
luntates, tantummodo incæpto opus eſſe videtur, cetera rem perficere. Neque eo terreri de-
bet ſacra Majeſtas veſtra, quoniam complures Principes Chriſtiani attentarunt aliquando
gentem hanc peſtiferam armis obruere, quorum, licet occulto nobis Dei judicio, irriti fuere
conatus, quia forſitan rebus neque conſilium debitum, neque recta ratio fuerat adhibita.
Utcunque autem fuit, non tamen eſſe deſperandum, Deum noſtrum ſubvenire miſericorditer
cauſæ ſuæ, dum eam ſincero affectu, ſummaque devotione, cordibus, unitisque animis, at-
que viribus aggreſſuri ſint ii, quorum manibus ſummam rerum poteſtatem omnipotens in ter-
ris committere voluit. Illuſtret obſecramus rex invictiſſime! ſæculum noſtrum, nomenque
ſuum glorioſiſſimo, ac utiliſſimo hoc omnium facto, ex quo ſolo, tum ſalus, tum etiam rei-
publicæ Chriſtianæ ingentia commoda dependere videntur, pro quo quidem multum ei debe-
bit ætas noſtra, plurimum etiam poſteritas, maxime autem, dum ipſam rempublicam Chri-
ſtianam tantopere afflictam, atque fluctuantem ex deſperatione ſumma in ſpem firmiorem re-
vocabit, ut ſic ſacram veſtram Majeſtatem optatæ tranquillitatis auctorem perpetuo ſe gra-
tuletur habituram. Nihil enim in hac vita mortali neque ſublimius, neque magnificentius
ſacra veſtra Majeſtas aggredi, atque efficere poterit, quam juvare, prodeſſe, atque defen-
dere, patriæque, & univerſalis reipublicæ Chriſtianæ commoda procurare, reminiſcens offi-
cii debitique ſui: quia in hoc primario, & ampliſſimo principatu, tamquam in ſpecula con-
ſulari collocata eſt, ut vacuum metu populum ſuum ſua vigilia, ac providentia redderet,
meriti tanti eam a Deo mercedem immortali relatura, quam etiam Ethnici illi veritatis con-
ſummatæ ignari, pro virtutis merito ſibi certam proponebant, credentes, omnibus, qui
Patriam auxerint, defenderint, conſervaverint, certum eſſe in cœlo definitum locum, ubi
beati ævo fruantur ſempiterno. Hæc ſunt rex ſereniſſime, quæ mihi vice, & nomine ſe-
reniſſimi Domini mei gratioſiſſimi Poloniæ regis, ſacræ veſtræ Majeſtati exponenda erant.*

1498. *Cujus Majeſtas iterum, atque iterum rogat, quatenus veſtra ſerenitas, & neceſſitudinis mutuæ, & communis periculi, quod jamjam imminet, rationem habere dignetur, ne Majeſtas ſua præſidio Chriſtianorum deſerta, aliter, quam ejus decori, dignitative conveniat, pacem ſibi, regnoque ſuo procurare cogatur. Quin potius communicatis conſiliis cum illuſtriſſimis ſacri Imperii Principibus, tantis impendentibus periculis elementer conſulere, matureque ac liberaliter auxiliari dignetur, ut ſic res Chriſtiana, & univerſa Germania ſalute hujus regni Poloniæ conſervata, etiam ſaluti ſuæ conſulat.*

Legato fruſtra rem apud Germanos agente mutuum inter Hungaros, & Polonos fœdus percutitur.

Hæc quamquam Legatus graviter, & ad propoſitum cauſæ, & temporis habitum appoſite dixiſſet, nihil tamen, cujus rei gratia venerat, proficere potuit, quod Cæſar & novo cum Helvetiis bello implicaretur, neque odium in Venetos penitus poſuiſſet, adverſum quos, ſi Sanuto fides ſit, (*l*) Italorum Principum conſilio incitatus barbaros occultis nunciis conciliabat. Itaque Orator nullo operæ precio ex Germania reverſus, Wladislaum adiit, apud quem Legatos ab Alberto adeſſe comperiens, multum operæ contulit, ut fœdus, quod ſeptimo abhinc anno fratres percuſſerant iiſdem conditionibus VI. Idus Decembris inſtauraretur, cujus id præcipuum caput erat, ut, cum a barbaris periculum ingrueret, mutuo ſibi auxilio aſſiſterent, opemque ferrent. (*m*)

Sed cum hæc ad reprimendas Bajazetis molitiones parum utilia viderentur, niſi Stephanus Moldaviæ Vayvoda, a barbarorum amicitia abſtractus, in

An. Chr. 1499. fœderis communionem veniret, placuit hominem, & clientelari jure regno obnoxium, & Cicſojenſis arcis cauſa, quam donum acceperat, aliisque nominibus regi obſtrictum tentare, utrum deſertis Turcorum partibus, Hungarorum, & Polonorum amicitiam ſectari vellet.

Cui mox Vayvoda Moldaviæ ſocius accedit.

Nuncius, qui ea de cauſa in Moldaviam miſſus eſt, facile Vayvodam, Turcorum amicitiæ, ob inſignem perfidiam, qua ejus ditiones, velut hoſtes expilabant, ſuopte pertæſum, illo permoverat, ut ſe, ſi impunitas ſibi ab Alberto daretur, in regis arbitrio futurum promitteret, ſimul Oratores Budam miſit, qui ſuo nomine fœdera conficerent; pollicitus ſe, quascunque rex in medium propoſuiſſet, conditionibus bona fide ſtaturum. Wladislaus ea re lætus, fratrem per litteras edocet, oratque, uti Legatos ad ſe mittere non gravetur, qui conditiones, quæ mutuo fœderi non obeſſent, primo quovis tempore afferrent, id regno ſuo, ut nunc res eſſent, ſaluti futurum, modo poſitis odiis Vayvodam, cujus opera perquam neceſſaria utrique ſit, priſtina amicitia frui pateretur. Albertus, qui contra, quam putarat, nulla ab Germanis auxilia per Legatum obtinuit, & ſi ob cladem, quam nuper a Turcis ac Tartaris acceperat, Stephano perinfenſus eſſet, fratris tamen, ac ſuorum cauſa, conſilium, mentemque tempori commodans, Oratores Budam mittendos cenſuit, quorum ſtudio haud multo poſt fœdus cum Moldavis in hæc capita coaluit.

Quibus conditionibus in ſocietatem receptus ſit.

Albertus Stephano in amicitiam recepto, ab infeſtandis ejus ditionibus deinceps abſtineret: hic viciſſim, ſi reges bellum Turcis obmoverent, comparato, quam poſſet, maximo exercitu, Hungaros, & Polonos per ſeſe adjutum iret: ſi morbo vetaretur, filium Bogdanum iiſdem conditionibus obſtrictum in ſui loco mitteret, idemque, qui ei in provincia, & magiſtratu ſuccederet, facturum ſe jurejurando polliceretur: neve Turcis per Moldaviam in Polonorum ditiones irrupturis, commeatum præberet, regesque, ſi quod eatenus periculum eſſet, confeſtim de barbarorum molitionibus edoceret. Eodem fœdere Alexander Lithuaniæ Dux, regum Frater comprehenderetur, nullique ſine mutuo conſenſu, aut pacem cum Turcis ſancire, aut bellum movere, fas, integrumque ſit. De ſubſidiis, quanto numero viciſſim mitti debeant, in futuris comitiis tranſigeretur: interea operam datum iri, ut ceteri Principes in fœderis quoque communionem veniant. Si Turci cum decem, aut duodecim millibus Hungariam, Poloniamve infeſtent, alterum alteri ex regibus ſuppetias miſſurum: ſin ipſe Bajazetes, aut Præfectus primi ordinis cum validiore exercitu bellum ucciperet, reges per ſeſe laborantibus affuturos. Ne quid autem doli Stephanus Mol-

(*l*) Mansi in notis ad Raynald. hoc anno.

(*m*) In Diplomatario MS. Poloniæ apud Sommersberg. Tom. II.

Moldaviæ Vayvoda comminiſceretur, Wladiſlaum pro eo fide juſſurum eſſe. Hæ fœderis inter utrumque regem Tabulæ, feria III. ante feſtum Pentecoſtes Budæ anno MCCCCXCIX. vulgatæ. (*n*)

Stephanus de Zapolya Palatinus moritur.

Ita periculo, ſi quod a Barbaris ingrueret, non male cautum erat, præſertim, ſi, quod fama ferebat, Chriſtiani Principes Alexandri Pontificis opera commune inter ſe fœdus contra Turcos inirent. Neque minus interea domi conjungere ſtudia placuit, ut rationes exequendi fœderis, quod ex Optimatum conſenſu ſancitum erat, cum uſus poſceret, in promtu eſſent. Itaque Palatino mandatum, ut habito per provincias delectu, videret, ne quid ad redintegrandam militiam, præſertim ſtipendiarios, qui ex publico ærario alebantur, qoid-quam deeſſet, fuiſſetque nonnullum prorſus operæ precium factum, niſi Palatinum mors ex improviſo VIII. calendas Januarias occupaſſet; (*o*) virum, & conſilio, & armorum gloria præ ceteris inſignem, qui cum prima militiæ rudimenta ſub Mathiæ auſpiciis poſuiſſet, ex hujus diſciplina ſeveris moribus imbutus, Wladiſlai deſidiam, ac inertiam privatim, palamque carpebat, ratus ad muneris ſui, quo ab Wladiſlao ornatus erat, rationes pertinere, ut regem in graviſſimis reipublicæ periculis, officii commonefaceret: ex quo ſæpe quidem utrinque ſimultas oborta, quæ tamen nec regis anctoritati quidquam detr. heret, nec minueret amicitiam, qua virum Wladiſlaus, ut primum ſummam rerum in Hungaria obtinuit, complexus erat. Reliquit ex Hedwige Premiſlai Teſſinenſis Ducis filia tres liberos, Joannem, & Georgium, tum filiam Barbaram: ex quibus hæc Sigiſmundo poſtea regi Poloniæ nuptui collocata, Joannes autem rerum in Hungaria potitus eſt.

An. Chr. 1500.

Rex cum Venetis Thomæ Bakacſii ſtudio ſœdus contra Turcos init.

Hæc inter annus ſupra milleſimum quingenteſimus Europam pene omnem bello implicuit, initio ab Italia orto, quam inquies Ludovici Sforciæ ingenium, & extrema, in quam conjectus erat, rerum neceſſitas perturbabat; cum enim Pontifex conciliato cum Ludovico Gallorum rege, & Venetis fœdere ex Mediolanenſi Principatu Sforciam exturbare niterentur, hic viciſſim, quo fœderatis ægre faceret, vireſque diſtraheret, apud Bajazetem Legationibus, ác precibus agere non deſtitit, quoad propagandi Imperii ſuopte avidum ad inferendum Venetis bellum permoveret. Ea re tametſi ad tempus ſibi, rebuſque ſuis conſuluiſſet. Chriſtianos tamen & Italiam maximo diſcrimini objecit. Nam Bajazetes immiſſa in Ægeum. & Jonium claſſe, ingentem exercitum per Iſthmi fauces in Peloponeſum infuderat, quo in partes diviſo cum varias urbes tentaret, brevi tempore Methonem, Coronam, & Dyrachium in poteſtatem redegit, paulumque poſt, quam Veneta claſſis disjecta, & fugata eſſet, Achaja, Ætolia, ac omni Peloponeſo potitus eſt. Veneti, tot provinciis exiguo tempore ejecti, cum viderent non aliter ſe ex tam formidabili bello explicare poſſe, niſi exterorum Principum auxiliis fulcirentur, Galliæ, Hiſpaniarumque reges in primis Wladiſlaum per Legatos ad ferendam opem orandos decrevere. Petrus Paſchalicus, ſummæ vir prudentiæ, in Hungariam miſſus, qui partim Georgio Piſano, Legatione apud Hungaros magna cum laude functo, ſuccederet, partim regem, captatis Procerum ſtudiis, ad commune in barbaros bellum incitaret, fœderiſque, quod cum Pontifice, & rege Galliarum conflaverant, conditiones af-

(*n*) Apud eundem ibid.

(*o*) Conditus eſt in templo Divi Martini, quod in Scepuſio eſt, tumulo marmoreo, cujus dextro lateri hoc carmen inciſum erat:

Contegitur Stephanus Comes hac Scepuſius urna,
Qui decus ob patrium mille trophea tulit.
Qui de ſtirpe fuit regali conjuge dignus,
Dignus regnicolis & Palatinus erat.
Una ſalus regni fuerat, tutela, decuſque,
Virtutis cujus fama perennis erit.
VIII. Kalend. Januarii.

In latere ſiniſtro:

Qui duxit ſine bonore ſuos inglorius annos,
Ille ſibi mortem ſentiat eſſe gravem.
Aſt ego, qui faſtos implevi ingentibus actis,
Quive Palatina culmine dignus eram:
Lætus eo, quo fas animas virtute ſuperbas
Scandere, magnanimos quo decet ire viros.
Nam licet hic Stephani jaceat ſub marmore virtus,
Attamen Hungarico clara ſub axe viget.
MCCCCXCIX.

1500. afferret. Is ut primum Budam venit, regemque Venetorum nomine ſalutaſſet, Thomam Strigonienſem Archiepiſcopum, & quos præterea gratia apud Wladislaum præſtare noverat, ſermone familiari, ac quibus valebat, rationum momentis aggreſſus, facile hujus auctoritate regis animum ad ineundum cum Venetis fœdus adduxit; præſertim quod idem Pontifex per litteras orare non deſinebat. Itaque Thomæ Strigonienſis opera, ſtudioque pax cum Venetis iisdem conditionibus, quas cum Mathia olim pepigerant, conſlata eſt: Wladislaus comparato exercitu in barbaros terreſtri itinere moveret, Veneti contra rem mari agerent, & in ſingulos annos centum millia aureorum numum regi penderent, ex quibus ſtipendium militi præberetur. Ita bellum in Turcos, tametſi haud pauci, qui Veneto nomini minime favebant, ſententiis diſcreparent, decretum, ac in æde Divæ Virginis, quam Germanicam dixère (*p*), publicatum eſt.

Qui propterea in Cardinalium numerum cooptatur.

Thomæ diligentia, quam conficiendo fœderi locaverat, Alexandro Pontifici adeo probata eſt, ut virum maximis per ſeſe dignitatibus parem rege, ac Veneto Senatu agentibus non modo in Cardinalium Collegium abſentem cooptaret, ſed miſſo præterea in Hungariam Caſparo Callienſi Epiſcopo, veniam regi faceret, omnium Eccleſiarum in regno proventuum decumas in bellum Turcicum convertendi. Quæ res etſi pleriſque Epiſcopis vehementer diſplicebat, ob periculi tamen gravitatem eorum ingratiis effectum data, mirum in modum conatus adjuvit. Dehinc mandata Joanni Corvino Dalmatiæ, ac Illyrici præfecto data, ut communicatis cum Joſepho Somio Comite Themeſienſi, & Petro Comite Sancti Georgii, Tranſilvaniæ Vayvoda conſiliis, copias, quanto poſſet numero, conſcriberet, ſimul ſtipendium, quod Veneti ſe daturos pollicebantur, large Corvino tranſmiſſum, ut militem, cum uſus, tempusve ferret, in omnes belli eventus promtiorem haberet.

Joannes Corvinus Turcos ad Jayczam profligat.

Et oblata paulum poſt, qua ſe Corvinus regi probaret, occaſio eſt. Turci, ac in primis Verboſaniæ, & Semendriæ Præfecti cognito Hungarorum cum Venetis inito fœdere, non fruſtra ſuſpicati, belli molem abſente in Græcia Bajazete ſibi incubituram eſſe, comparatis ſumma celeritate copiis, conatus noſtrorum antevertendos cenſuere: Jayczamque Bosniæ arcem, quæ ad defenſionem omnino imparata erat, ſummis viribus aggreſſi, prius loco ſe potituros ſperabant, quam noſtri ſuppetias laborantibus afferrent. Corvinus, in cujus provincia bellum cœperat, cognito periculo, ſine mora ex ſuis, ac Frangepanum, Carloviciorum, Zrinianorumque clientelis militem comparaverat, qui accepto poſtea a Gerebo Palatino ducentorum Equitum ſupplemento, concitisque ad arma nobilibus juſtum pene exercitum conflavit; quem cum in obſeſſæ arcis conſpectum adduceret, barbarosque in ordines, ac aciem coortos obviam haberet, confeſtim vocatis copiarum Ducibus, paucisque, quid vellet, locutus, prælium ſuis edicit; qui ſpe victoriæ pleni quadrato agmine in Turcos invecti, pugnam aliquot horis non minori fortitudine, quam hoſtes pertinacia extrahunt, quoad barbari noſtrorum virtute loco moti in effuſiſſimam fugam conjecti eſſent. Haud minor in fuga cædes, quam in prælio patrata eſt, quod hoſtes in fluvium delati, cum impeditas utrinque ripas viderent, partim in profluentem ſe agerent, partim a victore deprehenſi, maximam partem cæſi, aut capti eſſent. Noſtrorum ſupra mille ex prima acie deſiderati, ex barbaris quatuor millia cæſa, caſtraque cum impedimentis capta militi in prædam ceſſere. Liberatam in hunc modum Jayczam Corvinus, qua parte per hoſtium machinas vitium fecerat, reparari confeſtim juſſit, ac Joanni Gyulano, qui eam magna virtute defenderat, deinceps quoque tuendam credidit. Ipſe præmiſſis aliquot nobilioribus captivis, ac ſignis

(*p*) Legi plura inſtrumenta Erneſti Archiducis Auſtriæ nomen referentia, qui Rudolpho abſente, res Hungariæ moderabatur, in quibus ſacræ hujus ædis, quæ Germanica vocatur, memoria occurrit. Quo nomine, an templum, quod ſub RR. PP. Societatis JESU cura eſt, veniat, prorſus ignoro.

ſignis militaribus, Budam ad regem profectus, ſervatæ arcis laudem ab Wladislao, & regni ordinibus tulit. 1500.

An. Chr. 1501.

Victoriæ fama cum in Italiam allata, & per litteras Cardinalis Regini, quem circa prioris anni exitum Pontifex Legatum in Hungariam miſerat, confirmata eſſet, mirum, quam Alexandri ſtudium, quo in movendo adverſus barbaros bello flagrabat, acuerit, præſertim, quod Wladislaum icto cum Venetis fœdere, non parum ad communem belli rationem, quod cum Galliæ, ac Hiſpaniæ regibus, Venetisque, ac Rhodiis conflaverat., videbat collaturum. Itaque ante omnia, quo publicam lætitiæ ſignificationem magis teſtaretur, recens Hungariæ cum Venetis fœdus in urbe vulgavit. Quod Burchardus, qui rei, cum gereretur, interfuit, in hunc modum eveniſſe ſcribit: (q) *Dominica Pentecoſtes trigeſima Maji - - reverendus Dominus Petrus de Zincentia, auditor cameræ, & Epiſcopus Cæſenatenſis accepit pluviale rubeum, & mitram ſimplicem inter cancellum, ac illius partem ad altare, aſcendit ad Papam, & oſculatus eſt genu ejus, &, omiſſa petitione benedictionis, petiit indulgentias, & Papa conceſſit intereſſentibus plenarias. Quibus habitis deſcendit ad pulpitum prædictum, & fecit orationem denunciatoriam fœderis, inter Papam, regem Hungariæ, & dominium Venetorum initi contra Turcos, & non venit ad ſpecificationem capitulorum, nec lecta ſunt capitula. Finita oratione pronunciavit ſine mora indulgentias habitas a Papa, qui ſtatim ſtans in ſolio ſine mitra incepit, intelligibili voce: Te Deum laudamus, quod cantores proſecuti ſunt ad finem: quo finito Papa adhuc in ſolio ſtans dixit: Pater noſter, & verſiculos, ac duas orationes, quæ habentur in ceremoniali in publicatione fœderis initi contra infideles,*

De quo Pontifex edoctus fœdus primum Romæ vulgat.

A promulgato fœdere quadraginta aureorum millia, quotannis pendenda Wladislao decrevit, idque Cardinali Regino per litteras ſignificans, claſſem præterea ingentem, quæ Aſiæ, Græciæque littora vexaret, cuique Petrus Aubuſſonius Rhodiorum magiſter, idemque Diaconus Cardinalis, & Apoſtolicæ ſedis Legatus præeſſet, ab Hiſpanis, Franciſque, tum Venetis, ac Rhodiis communi opera apparari, ut regem in propoſito confirmaret, majoresque adderet ad communem cauſam ſtimulos, in hæc verba ſcribit: (r) *Quamplures per hos dies tuæ circumſpectionis litteras accepimus, quibus diligentiam, ac ſedulitatem tuam, ſtudiumque, quod penes iſtam regiam Majeſtatem, ac regni Prælatos, ac Proceres, Turcorum cauſa tibi commiſſa adhibes, plene percepimus, de quo licet tibi non ita frequenter reſcripſerimus, valde a nobis, & ſacro Cardinalium collegio, ubi ſæpe tua opera, ac geſta relata, ac recitata fuerunt, commendatus fuiſti. Nunc autem, ut intelligas, quæ penes nos in ipſa Turcorum cauſa, in qua dies, & noctes, ac tanto animo, & corde fervemus, ſucceſſerit, has tibi ſcribendas duximus. Innotuiſſe debet circumſpectioni tuæ, quemadmodum nos ſuperioribus menſibus pro ea Turcorum cauſa conſtituimus dilectum filium noſtrum Petrum S. Hadriani Diaconum Cardinalem, Rhodi Magiſtrum noſtrum, & Apoſtolicæ ſedis Legatum, ad quam ineundam legationem cum idem Cardinalis nuper ſe cum quibusdam triremibus, & navigiis, ſuis ſumtibus paratum fore nobis ad Breve noſtrum, quo nos eum Legatum deputaſſe ſignificavimus, reſcripſiſſet, diſtulimus publicationem Legationis hujusmodi, quoad cum chariſſimis in Chriſto filiis noſtris, Francorum Chriſtianiſſimo, & Hiſpaniarum regibus Catholicis, propter novum inter nos, & ipſos reges contra dictos Turcos fœdus initum, & inclito Venetorum dominio, ſuper tempore publicandæ legationis hujusmodi, ac hoſtilis invaſionis conſultaremus, ac ſimul intelligeremus, an iſta regia Hungariæ Majeſtas, cum qua, ut noſti, ad hoc ſanctum opus, nos, & ipſum Venetorum dominium ſuperioribus menſibus fœdus inieramus, in Turcos irrumperet, ut maturo, ſicuti res poſceret, accepto conſilio, quid facto opus eſſet, deliberare poſſemus, deque his omnibus eundem Cardinalem per noſtras litteras fecimus certiorem. Cum autem heri Oratores dictorum regum, & dominii ad nos veniſſent, ac in conſiſtorio noſtro coram venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, ſuis Principibus deputationem dicti Legati perneceſſariam eſſe, ſibique valde placere aſſeveraſſent, & ut idem Legatus publicaretur, inſtitiſſent, & a nobis interrogati, an dicti ſui Principes parati eſſent, claſſem ſuam facta hac publicatione in Turcos ſine mora dirigere,*

Tum ad XL. aureorum millia Wladislao decernit.

(q) Raynald. Annal. Eccleſ. ad hunc annum. (r) Idem ibid.

1501. *& dicto Legato, tanquam propriæ, noſtræ perſonæ parere vellent, ac una nobiſcum, & claſſe noſtra in hanc ſanctam expeditionem vires ſuas, & conatus, quemodmodum ſemper ſollicitavimus, & ipſi promiſerant, convertere, reſpondiſſentque dicti Oratores claſſem ſuorum Principum præſto eſſe, procul dubio in dictos Turcos deducendam, ac eidem Legato parituram, nec quia præſens æſtas prope jam ad finem vergeret, ſe propterea retardaturos, ſed quod ejus temporis ſupererat, in tam laudabili opere, ac Chriſtianorum omnium cauſa conſumturos, proviſurosque, ut quod perſonoliter non poterant, per delectiſſimos belli Duces, ac Præfectos magno ordine, & ratione adminiſtraretur, ſimulque daturos operam, ut continuandæ claſſis ſumtus proferri, ac continuari poſſent: nos itaque collaudata, ut par erat, dictorum Principum virtute, ac religione, ac tom ſerventi de republico Chriſtiana bene merendi zelo, & deſiderio, ac requiſitis eorum Oratoribus, ut illos, ut ita agerent, ac perſeverarent, noſtro nomine hortarentur, eundem Cardinalem virum fortem, ſtrenuum, ſingulari prudentia, ac fide præditum, ac aſſiduo in Turcos bello exercitatum, bellum noſtrum, & dictæ ſedis Legatum in eodem conſiſtorio publicavimus, ac ut, quod ſemper toto corde, & animo concupivimus, ſancta expeditio toties per nos excitata procederet, diximus, nos quindecim illas triremes, quas pridem Venetiis deſignaveramus, inſtructuros, easque in hoc ſanctum fidei opus ſub Legato noſtro deſtinaturos. Et ut primi, promti in hoc tam neceſſario, tamque communi opere, ut ſemper voluimus, reperiamur, ſcripturos, & ordinaturos, ſicuti ſecimus, venerabili Fratri Antonio Tiburtino Epiſcopo, Venetiis Oratori noſtro, ut nulla interpoſita mora dictas quindecim triremes armari, & inſtrui curet, easque ſic noſtro, & Eccleſiæ nomine ex toto inſtructas, & paratas ad ipſum Cardinalem Legatum perducat. Et cum tua circumſpectio per plures ſuas litteras nobis ſignificaverit, quanto ſtudio, & animi ardore idem rex Hungariæ huic ſacræ expeditioni ſe accingat, & quam validum virtute, ac robore delectorum militum exercitum comparet, licet ſemper ea fuerit opinio, & exſpectatio noſtra de ſua Majeſtate, putemusque eum more progenitorum ſuorum, qui Chriſtianæ religionis ſemper acerrimi propugnatores, & deſenſores fuerunt, hanc tantam de republica Chriſtiana cum ſumma ejus gloria bene merendi occoſionem, & quod pollicita eſt, & in confœderatione promiſit, ac pepigit, non omiſſuram, ſed totis viribus hoc tam ſanctum, & glorioſum opus aggreſſuram, tamen, ut ſua Majeſtas ardentius, & majore animo provinciam hanc aggrediatur, tua circumſpectio ei hæc omnia ſignificabit, referetque dictos noſtros, & dictoram Principum apparatus claſſium in promtu eſſe, propediem, ac ſine dubio, Deo Duce, in Turcos ſelicibus auſpiciis ſoluturos, ſuamque celſitudinem ad hanc provinciam ardentius capeſſendam, & ut in ea perſonaliter incedat, omni ſtudio, cura, ac diligentia hortari, excitare, ac inflammare non deſines, ut eodem tempore nos, & dicti Principes mari potenti claſſe, & ſua Majeſtas volidiſſimo terreſtri exercitu communem hoſtem invadamus, ut circum quaqae laceſſitus non ſolum noſtra non offendat, ſed ſeſe, ac quæ occupavit, tueri non poſſit. Quod ſi ut nobis procul dubio perſuademus, ſua Majeſtas effecerit, facile ſperata de communi hoſte victoria, Domino concedente, ſequetur, & ejus magna, ac præcipua pars virtuti, ac laudi ſuæ Majeſtatis adſcribetur, ac proinde ſua Majeſtas meritum æternum, perenne nomen, & immortalem gloriam conſequetur. Præterea referes ſuæ Majeſtati nos pecunias, quas ſibi pro ſecunda ſolutione debemus, paratas habere, ſed, cum non repererimus modum illas iſthuc commode mittendi, ordinabis, aut procuratoribus ſuæ Majeſtatis, aut cui illa voluerit, Venetiis in tempore debito perſolvantur, unde ſua Majeſtas commode poterit illas accipere. Hortaberis itaque ſuam Majeſtatem, velit eſſe contenta illas Venetiis capere, cum in Hungaria, ut diximus, per quem ſolvantur, non reperiamus; & ſuis procuratoribus committere, ut illas Venetiis recipiant, ac de his, quæ ſucceſſerint, facies nos per litteras tuas certiores.*

Petancius regis juſſu in Rhodum, tum in Galliam ſponſa

Wladislaus, poſtquam per Legatum de Pontificis animo, rebusque Italicis edoctus eſt, ipſe quoque, ne partibus ſuis deeſſet, ad delectus, quos per Hungariam habuit, nova equitum, peditumque ſupplementa ex Bohemia adjunxit, quoniam uſu compertum plerique haberent, id militiæ genus, quod ſtatariæ pugnæ conſueſſet, plurimum in barbaros valere. Simul Felicem Petancium Segnienſem Cancellarium ad Rhodiorum Magiſtrum mittendum cenſuit, qui, poſtquam belli rationes ex eo ſingillatim intellexiſſet, eadem opera in Gallias naviga-

vigaret, ut de nuptiis cum Anno Gaſtonis (s) Fuxenſis Candelæ reguli filia conflandis tranſigeret, hanc enim, repudiata, ut alias narratum eſt, Beatrice, quæ ſibi in manus conveniret, non invitis regni ordinibus deſignarat. Credibile eſt Petancium, quod impeditnm a barbaris iter eſſet, cum Georgio Piſano, qui Legatione in Hungaria perfunctus, domum ab Senatu revocabotur, Venetias primum, poſtea Rhodum eſſe profectnm, tum ut tutior eſſet profect o, tum ut de auri ſumma, quam Pontifex Venetias ſe miſſurnm ſpoponderat, rationes magis expeditas redderet. Piſonum rex ob præclaras viri virtntes ægre ab ſe dimiſerat, dimiſſnmque Duci, ac Senatui Venetorum ſcriptis in hæc verba litteris commendavit: (t) *Wladislaus Dei gratia rex Hungariæ, & Bohemiæ &c. Illuſtriſſimo Principi Domino Auguſtino Barbadico, Duci Venetiarum, amico, & confœderato noſtro chariſſimo ſalutem, & amicitiæ incrementum. Etſi illuſtriſſimæ dominationi veſtræ, & illi illuſtriſſimo Dominio pene ſupervacaneum eſſe videatur, in commendationem hujus magnifici viri Georgii Piſani, Capiſani Doctoris Juris excellentiſſimi Patricii Venati, qui voluntate illius clariſſimæ reipublicæ apud nos munere Legationis functus eſt, ſcribere; quem, & claritudo generis, & in primis ſumma ejus integritas, vehemens ingenium, dexteritas mirabilis, & in rebus arduis conſilium pene incredibile, in quibus illi illuſtriſſimo Dominio ſæpe domi, foriſque, cum in omnibus rebus quantumvis arduis, tum maxime in his, quæ hic fidei, diligentiæque ſuæ demandatæ fuere, locupletiſſimum teſtimonium præbuerit, ipſum abunde commendatum jam pridem reddiderit: tamen profecto non alienum ab officio noſtro regio exiſtimavimus, hominem ob eximias ſuas virtutes alias celeberrimam, etiam præconio noſtro pro meritis, virtutibusque ſuis perſpicuis commendare, qui illi ſpei, opinionique, quam de ipſo conceperamus, non ſolum plene, abundeque reſpondit, ſed etiam diligentia, conſilio, integritate, qua continenter uſus eſt, vehementer auxit, ampliavitque, nosque eum in omnibus rebus ſemper talem eſſe comperimus, perſpeximusque, qualem a tanta republica ad talia, tantaque negotia tractanda, conficiendaque ſemper incredibili quodam deſiderio exſpectavimus, tantumque abſuit, ut ejus præſentia famam, nomen, auctoritatemque imminuerit, ut etiam multum certe ponderis, exiſtimationisque adjecerit. Itaque nobis ſemper acceptus, & noſtris omnibus vehementer charus fuit. Quare gratias, & meritas, & ingentes illuſtriſſimæ dominationi veſtræ, & illuſtriſſimo Dominio agimus, quod tantum virum, tam diligentem, tantaque experientia, uſuque præditum pro hac univerſali expeditione huc miſerit, cujus diſceſſus, etſi nobis profecto non parum diſpliceat, tamen cum propter legitimas, & honeſtiſſimas cauſas, rationesque illuſtriſſimo Dominio ſic viſum, placitumque eſt, quoquo modo poterimus, æquo animo feremus. Qui propter ſingulares ſuas virtutes, & commendatione noſtra præſenti dignus eſt, & ob illuſtriſſima dominatione veſtra, ac ab illuſtriſſimo Dominio, ubi ſingulorum virtutes, meritaque exacte, penſiculateque ponderantur, multa laude, præmioque perenni extolli, complectique meretur. Quod ubi ſenſerimus, civem digniſſimum, ac in patriam gratiſſimum, bene meritumque condignis laudibus, præmiisque honoratum, decoratumque eſſe, id in primis nobis gratiſſimum erit, arbitrabimurque præter hoc, quod virtus iſthic primum obtinet locum, etiam commendatione noſtra ad hominis dignitatem aliquid cumuli acceſſiſſe. Pro qua illuſtriſſimæ dominationi veſtræ, & illuſtriſſimo Dominio ſemper gratias quam maximas teſtabimur. Datum Budæ anno Domini MDI.*

cauſa profiſciſcitur.

Cum quo Legatus Venetus abit,

Quem rex duci vehementer commendat.

Res fere in hunc modnm adverſus barbaros comparatas, mors Alberti tantisper intercepit, qui, cum Toruniam proficiſceretur, ut cum Friderico Crucigerorum Magiſtro amicitiam componeret, apoplexia ictus, vitam finivit. Eo nuncio Wladislaus non ſolum in concepto contra Turcos belli ſtndio refrixit, ſed, ne turbarum quid in Polonia ab regis exceſſn oriretur, vehementer etiam metuebat. Diſtractæ enim in plures partes ſententiæ erant, ntri ex tribus fratribus regnum deferendum eſſet: multi Sigismnndo natu minimo, Glogovienſium, & Oppavienſium Duci ſtudebant, plerique contra, qui minorem Poloniam co-

Alberto rege mortuo Alexander frater ſuccedit, non invito Wladislao.

(s) Istvanffius vocat Aquitanam: Pistorius Joannis Comitis de Candela in Vaſconibus ex familia Comitum Fœcenſium filiam: Spondanus, & plerique Galli Gaſtonis Fuxenſis natam, quibus malui, quam aliis in hac re deferre.

(t) Codex MS. rerum ſub Wladislao geſtarum.

1501. colunt, Wladiſlaum deſignabant, miſereque Legatos in Hungariam Petrum Myſcovium Palatinum Lanciciensſem, & Nicolaum Vnroblovium Canonicum Cracovienſem, qui regi ſtudia ſua offerrent, & ad ſuſcipiendam regni curam invitarent. Vicit tamen eorum ſententia, qui Alexandrum Lithuaniæ Ducem ab fratris obitu regem proclamarunt, quod conjunctis Lithnanorum, ac Polonorum viribus plus ſpei ad reprimendos hoſtes adeſſe videretur, quam ſi electo Wladiſlao tria potentiſſima regna unirentur, quorum ſingula ob ditionum amplitudinem, diverſoſque mores, ac legum ſanctiones rege ſeorſim egerent. Itaque omninm votis Alexander rex Petricoviæ in Comitio declaratus, haud multo poſt non invito Wladiſlao, quin Polonorum ſuffragationem vehementer probante, inauguratus eſt.

Rex in cauſa Epiſcoporum ad alias Epiſcopes translatorum Papæ ſcribit.

Hac parte ſolutus metu Wladiſlaus, ne fœderatis deeſſet, & annus jam ad finem vergeret, majore, qnam antea cura ad conficiendos belli apparatus incubuit, qua in re cum Georgii Epiſcopi Veſprimienſis ſtudium, operamque in primis utilem comperiſſet, virum ceteroquin de ſe non vulgariter meritum, Varadinum ad opulentiorem Epiſcopen traduxit, Varadienſem in Tranſilvaniam concedere; Ladiſlaum autem Gerebum Epiſcopen Tranſilvanienſem Petro Colocenſi defuncto ſubrogatum voluit. Dedit propterea ad Alexandrum Papam litteras, quibus orabat, uti deſtinationem ſuam pro veteri regum jure auctoritateque ratam habere ne gravaretur. (u) *Beatiſſime pater, & Domine clementiſſime! poſt oſcula pedum ſanctitatis veſtræ beatorum devotiſſima, & mei ipſius in gratiam ejuſdem humillimam commendationem. Vacante Epiſcopatu Tranſilvano pater beatiſſime! per reverendi in Chriſto patris, Domini Ladiſlai Gereb in Archiepiſcopatum Colocenſem translationem, ne illa Eccleſia, quæ in oris regni noſtri Tranſilvaniæ, non multum longe a Turcarum faucibus ſita eſt, diutius paſtoris vigilantiſſimi privaretur ſolatio, reverendiſſimum in Chriſto patrem, Dominum Dominicum prius Epiſcopum Varadienſem, pro votis, & deſideriis Canonicorum in eadem Eccleſia Tranſilvana commorantium transtuli, ipſumque voluntario ejus conſenſu in verum, & legitimum Paſtorem, & Epiſcopum eisdem Canonicis Tranſilvanis delegi, præfecique, qui non dubium, quin eodem paſtorali officio exactiſſime illi Tranſilvanæ Eccleſiæ ob ejus innumeras virtutes ab omnibus profecto merito commendabiles, & vero antiſtite dignas, præeſſe curabit, quo prius Eccleſiæ Varadienſi omnium certe judicio præfuit. Eſt enim præter alias ejus virtutes, etiam ſenili quadam prudentia, longa demque, diuturnaque rerum experientia, modeſtia, gravitateque morum prope ſingulari præditus. Sed eo jam in Epiſcopatum Tranſilvanum coaleſcente, ſuccedenteque pater beatiſſime! vacavit Epiſcopatus Varadienſis; in quem, ut ejuſdem Eccleſiæ, ſubditorumque ejus utilitati, dignitatique quam rectiſſime conſulerem, & maximis omnium meorum ſubditorum deſideriis reſponderem, transtuli reverendiſſimum Dominum Georgium, ſecretarium meum, alias Epiſcopum Veſprimienſem. Is eſt pater beatiſſime, cujus virtutes ſingulares, & merita multiplicia etiam alias ſanctitati veſtræ ſtudioſiſſime commendavi, quæ me indies magis, ac magis exhortantur, ut ipſum præcipua benevolentia complectar, omnibusque præmiis proſequar; quem quidem etiam ſanctitati veſtræ ob ejus concinnam ingenii dexteritatem, ſingularem fidei integritatem, litterarum eruditionem abunde multam, quibus cum in omnibus rebus, tum vero præcipuo in hoc munere ſecretario, quo jam pridem honeſtiſſime, integerrimeque ſungitur, uſus eſt, plane cognitum eſſe non dubito, qui denique in obeundis, conficiendisque negotiis, quantumvis magnis, & arduis, potiſſimum in his, quæ ad hanc univerſalem expeditionem attinuere, quantum mihi, & univerſis regnis meis idoneus, utilis, & neceſſarius fuerit, & in futurum erit, ſanctitati veſtræ multis teſtificari pene ſupervacaneum eſt, cum & ipſa a plerisque clariſſime, latiſſimeque cognoſcere potuerit. Eos ipſos itaque, quorum alterum, puta reverendiſſimum Dominum Dominicum ex Epiſcopatu Varadienſi in Tranſilvanum, alterum vero reverendiſſimum Dominum Georgium, meum, & regni mei ſecretarium ex Veſprimienſi in Varadienſem, omnibus meis id enixe efflagitantibus, canonice, legitimeque transtuli, pro mea, meorumque Prædeceſſorum Hungariæ regum antiqua, & uſitata conſuetudine ſanctitati veſtræ præſento, eidemque pro mea perpetua fide, devotione, obſervantiaque, qua ſemper in ſanctitatem veſtram*

(u) Ex eod. Cod. MS.

ſtram, & in illam ſanctam ſedem Apoſtolicam fui, humillime ſupplico, ut hujusmodi meam electionem, translationem, nominationem, putationemque ſolita ſua paterna clementia admittere, eosque in præfatis Epiſcopatibus benigne confirmare dignetur. Quod quidem ſanctitatem veſtram pro ea præcipua, & unica paternali benignitate, qua ſemper immenſa eſt, facturam non dubito, cum etiam alioquin exiſtimem, ſanctitatem veſtram præcipue in hunc reverendiſſimum Dominum Georgium ſecretarium meum, qui ob aſſiduos, & multiplices labores, curarum innumerabilium moles undique circumfuſas, quibus in primis ob bonum publicum, & reipublicæ Chriſtianæ emolumentum obvolutus eſt, & dies, noctesque diſtinetur, quos ipſe ſemper forti, conſtantique animo evincit, ſuperatque, meretur veſtræ ſanctitati unice commendari, & etiam ab eadem ſanctitate veſtra non tantum agnoſci, verum etiam aliqua benevolentiæ particula complecti. . . Datum Budæ anno Domini MDI. Credibile eſt Alexandrum regis voluntati eatenus detuliſſe, & in loco Veſprimienſis Epiſcopi, Petrum Reginum Tit. Sancti Cyriaci in thermis presbyterum Cardinalem, quem Legatum in Hungariam miſſom narravimus, ſubrogatum eſſe, quod tertio abhinc anno, omnium fere nomina, quorum rex in litteris maminit, publico edicto inſerta leguntur.

An. Chr. **1502.**

Petancius ex Rhodo, & Gallia redux, ſubſidiorum ſpem facit.

Interea Petancius ex profectione rediit, attulitque ab Rhodiorum Magiſtro litteras, quibus regem non ſolum in cepto inferendi barbaris belli ſtudio collaudat, ſed communicata ſingulatim præterea armorum ratione, modoque, quo uſurus eſſet, Principum auxilia affutura ſpondet, tantum id operam daret, ut eodem tempore, quo Itali claſſem in Turcos miſſuri eſſent, ipſe in Macedoniam, aut Thraciam belli molem converteret, qoo barbari & conſiliorum incerti redderentur, & vires ſeparare neceſſe haberent. Quæ cum regi mirifice probarentur, uſus occaſione Petancius, libellum Wladiſlao obtulit, quem de modo hoſtem aggrediendi, ſi bellum in mediterranea Turcorum inferre vellet, ut erat earum regionum gnariſſimus, ſolide conſcripſerat, id maxime contendens, ut ex cladibus hactenus acceptis Hungari cautiores redditi, majorum exemplo bellum in hoſtico mallent gerere, quam cum ſumma deſidia, & detrimento pati, ut in ſuorum ditiones ab hoſte inferatur. Non faciam rem ab propoſito alienam, neque, quod Geographiam medii ævi continet, prorſus ſupervacaneam, ſi libello, tametſi longiuſculus ſit, aliquem in annalibus locum tribuam. (x)

Et libellum de variis viis aggrediendi Turcos regi offert.

„ Accepimus ſereniſſime rex (ita Petancius orditur) majores noſtros, „ cum de inferendo bello conſultarent, prius itinera, quibus tuto in hoſtes „ pergerent, multorum & ſcriptis, & documentis accuratius inveſtigaſſe. Qua „ ex re ſæpe compertum eſt, eos, fuſis validioribus copiis, ampliſſima regna, „ atque opulentiſſimas provincias ocius fuiſſe adeptos. Eapropter operæ pretium erit, Majeſtatem veſtram commonniſſe, quos terrarum limites, quasve „ gentium regiones adeat in Turcos expeditionem affectans. Et quam decenti, „ & matura perſuaſione ad proviſionem ruinæ Chriſtianæ opus eſſet exordiri „ prolixioribus verbis, ſtatus tamen perturbatiſſimus rerum me prohibet, eoque „ maxime, quod majores noſtri, quorum exemplis innitimur in hujusmodi ardnis, & mature navandis rebus impigri, ac ſemper citiſſimi extiterunt. Igitur omiſſis oris maritimis, quæ verſus Aſiam navigantibus patent, referam „ duntaxat, qui tramites ex Septentrionali plaga, in Thraciam, & orientem dirigant.

Superior via per Thraciam ad Hellespontum,

„ Primum igitur ex Pannonia ad Iſtri, & Savi confluentem trajicitur in „ ſuperiorem Myſiam prope Belgradum oppidum, ubi duæ concurrunt viæ, „ altera ſuperior in Thraciam, ſive Romaniam, altera inferior ad Dardanos, & „ Macedones mittens. Sed ſuperiorem viam ſequendo, patentibus campis, „ Godimiri præter celebre fanum Reſſane regum, atque Principum illuſtratum „ ſepulcris, non procul ſuperato amne majoris Moravæ, relictisque ſiniſtrorſum agris Bailoviæ, per pagum Branicerum pergitur ad Niſum, olim, ut ex

(x) Tom. I. Scriptor. rerum Hung. a Cl. Schvandtnero edit. pag. 867.

1502. „ ruinis cernitur, civitatem peregregiam, nunc inſtar vici redactam, & a Tur-
„ cis, & Bulgaris habitatam. Ea altiſſimis montibus ex finitimo Rhodope pro-
„ greſſis fluvio Miſſawa adjacet, a quo denominatur, magnaque venalium copia
„ rerum, inter alios Myſiæ, & Triballorum pagos cenſetur præclara Abeſt
„ a trajectu Belgradi CXX. millibus paſſuum. Ex ea aſcendendo vicum Pirothi
„ ſitum in montanis peragrato vaſto montis Curiorovicæ jugo arduo, atque
„ difficili, cum ob profunda circum eminentium rupium concava, tum pro-
„ pter denſiſſimum nemus, longioresque anfractus, fit per L. millaria acceſ-
„ ſus ad Sophiam Metropolim Triballorum, emporium noſtro ſeculo memo-
„ randum. Jacet in plano, ſpectans ab oriente inferiorem Myſiam, hoc eſt,
„ Sagoriam, ex Cyabro flumine circa Bionium, & Nicopolim oppidum, por-
„ rectam per limites Iſtri ad mare Ponticum: a meridie Thraciam, ab occaſu, &
„ Septentrione Cordiſcos Triballos, & excelſas montis Vaſiglizæ alpes. Hinc
„ Rhodope præ aliis quam plurimis, quos habet, verticibus eſt eminentior,
„ quaſi omnibus finitimis montibus imperitans, quod ex ipſa græca denomina-
„ tione plane innuitur: per cujus aſperos, & anguſtiſſimos aditus biduo pertran-
„ ſitur ad plana Philippopolis, vel Romaniæ. Hac Romani, Aſiæ quondam im-
„ perium ſibi vendicantes, iter habuere, quorum inſigne ad hæc usque tem-
„ pora in montis medio marmoreis erectum columnis conſpicitur. Hinc & Go-
„ defredum Bullionium, dum terram promiſſionis recuperaturus pergeret, ad
„ Hellesponti, ſive Callipolis trajectum ex ſuperiore Myſia tranſcendiſſe, me-
„ moriæ proditum eſt. Hisce etiam anguſtiis Wladislaus Pannoniæ, & Poloniæ
„ rex, olim ab Amurathe Turcorum Principe obſeſſus, retrocedere, & in Pan-
„ noniam ire fuit compulſus. Ex Philippopoli via tridui, eaque compeſtri, con-
„ tinue ad latus Marizæ, ſive Hebri fluminis, pervenitur ad Driuopolim, vo-
„ catam apud priſcos Odriſum, ſive Oreſtiada. Ea quantum pulchritudine,
„ & rerum geſtarum gloria inter omnes Thraciæ urbes ſemper claruerit, hinc
„ vel maxime deprehenditur, quod ejus fæcunditate veteres Bithiniæ reges al-
„ lecti, ex Aſia in Europam commigrantes, *ipſam ſibi in domicilium, atque
„ Imperii ſedem diu ante Byzantii expugnationem tenuere. Ab ea in Propon-
„ tidem, & Hellespontum, ſite Callipolim milliaria LX. in Conſtantinopolim
„ vero CXX. computantur.

Inferior via per Dardanos, & Hæmum transgreſſa prope Hebrum cum priore jungitur.

„ Altera inferior via eſt, acceſſu perfacilis. Patet enim ex Belgrado ad
„ limites Myſiæ, & Dardanorum CCLXXX. millibus paſſuum. Progrediens
„ circa Oſternicze oppidum & Ravanicenſe monaſterium, adducit primo ad Mo-
„ ravam, olim Moschium dictum, ad latus arcis Cruſcevæ fluentem, quando-
„ que imbrium exundatione invadabilem: dehinc ad baſilicam albam, & Apen-
„ nini montes, Myſiam invicem ſeparans. Raſciani enim, primi hujus pro-
„ vinciæ populi, feroces, ac bellicoſi, eam partem incolunt, quæ ad Dravum,
„ Savum, & Iſtrum flumina ſpectat; Valachi montana, genus agreſte hominum,
„ hi gregibus tantum pollent, & armentis. Aliam autem, quæ ad Dardanos,
„ Macedones, & Triballos vergit, Serviani, gentes uſu mitiores, & ſiderum
„ aſpectu benigniore, eo, quod magis ad meridiem tendant, & frequentiam
„ commeantium mercatorum habeant. Pertranſitis itaque montibus, ſequitur
„ planum Dubotizæ frequenter inhabitatum: ſed dimiſſo ad levam aliquantis-
„ per tramite, qui ad villam magnam Procoviæ, & Niſum dirigit, non procul
„ offert ſe vallis Caſſoviza cum Labo flumine, per medium ejus decurrente,
„ procedens ad latiſſimum Caſſovum campum, celebratum toties diverſarum
„ gentium certaminibus. - - - Hic fuit illa infauſta, & omnibus ſeculis exe-
„ cranda clades Joannis Hunyiadis, genitoris divi Mathiæ Pannoniorum regis,
„ ex conflictu habito cum Amurathe, & Mahumete Calepino ejus filio, qui fuit
„ pater moderni Turcorum Imperatoris. Hujus campi planities protenditur
„ circiter LXX. millia paſſuum usque ad viam Cuzamici, & fauces Cliſſuræ,
„ quæ ad Scopiam ducit; poſita inter duo flumina Sitnizum, & Labum, vallata
„ undique montibus, quorum extrema perabundant vicis & pagis, habens ad
„ latus opulentiſſimum pagum Priſtinam, qui ob maximam ubertatem fuit

quon-

„ quondam Myſiæ dominis in maximis deliciis. Eſt inſuper ad decem milliaria
„ Novo-montana Civitas, Germanorum colonia: Principio namque Saxones in
„ Myſiæ partibus metalla, & argenti materiam reperere. Ceterum juxta Ha-
„ roviczæ lacum, & paludes, divertendo ab ea via, quæ ducit per Binzum
„ Moravam ad montes Crivicinæ, infra Myſiam & Dardanos jacentes, itinere
„ unius diei ab ingreſſu Cliſſuræ, patet acceſſus ad Scopiam, caput Dardanorum,
„ & terminum Macedoniæ. Hæc civitas eſt ferax, & abundans omnibus pre-
„ cioſis terræ fructibus, plena divitiis, diverſorium peculiare Principis, irrigua
„ ſalubri flumine Vardaro, ſcaturiente ex jugis altiſſimis Orbelli montis, qui
„ imminet Macedoniæ, Triballis, Myſiæ, Dalmatiæ, ac Epiro, propterea oppor-
„ tuna ad convocandum exercitum. Inde iter arripiendo per planitiem Geli-
„ gone, vallem *Cropnicze, balnea Beobuſei, pontemque Strymonis, diri-
„ mentem Macedones a Triballis, ſive Bulgaris, prope villam ripæ rubeæ,
„ perluſtratis campis Samocovii, & ſilvis, vaſtiſque ſolitudinibus montis Hæmi,
„ apud Triballos ejus accolas, per Coſtegnazo difficili admodum via deſcenditur
„ ad Marizam, hoc eſt Hebrum fluvium, & campos Philippopolis, ſive Roma-
„ niæ, ubi hæc via inferior, diſtans a Scopia CCXXX. millibus paſſuum, con-
„ jungitur cum ſuperiore, ex monte Vaſſigliza, ſive Rhodope, ad hæc plana
„ progrediente - - - -.

Alia ex Hungaria in Myſiam via.

„ Secundus autem locus, unde ex Pannonia tranſitur in Myſiam, eſt pro-
„ pe Saslon, ſive Sabacium oppidum, non procul inde ubi Drina ex Dalmatia
„ decurrens Savo immiſcetur. Ultra Savum duæ ſequuntur provinciæ, Beli-
„ gna, & Maza, relictis ad dextram flumine Albo, & his montibus Sacero,
„ Chriberuico, Crupno, Sacza. Et tunc iter ad famoſum vicum Vaglem,
„ monteſque Larzi, exercitibus propter currus, & alia impedimenta immeabi-
„ les. Ex parte ſiniſtra fit progreſſus ad vadum majoris Moravæ, abluentis
„ ibidem Cruſſavam arcem adhærendo ſemper aliis itineribus ſuperius memo-
„ ratis.

Ex Tranſilvania in Thraciam & Pontum.

„ Eſt & tertium iter opportunius, minuſque laborioſum ducens ex Pan-
„ nonum finibus in Thraciam, & ad alia loca vicina Ponto: verum quia tam
„ ipſos Pannonas, quam reliquos trans Danubium commorantes populos illud
„ minime latet, cum ex concurſu commeantium invicem mercatorum, tum ob
„ continuum bellum, quod circa oram Iſtri, & eas regiones Turcos propul-
„ ſando exercent, pauca tantummodo ad hanc viam neceſſaria aggrediar. Buda
„ itaque abeſt a Varadino LXXX. millibus paſſuum, interjacentibus Cumano-
„ rum locis, & flumine Tybiſco: hinc ad Rhium oppidum prope Cryſium
„ amnem eſt via unius diei, ſemper campeſtris, ex eo patet acceſſus per val-
„ lem longam in Colosvariam, ſive Temesvariam (y): inde ad Cibinium pari
„ ſpacio itineris, & perfacili. Hæc civitas eſt principalis ex ſeptem caſtris, quæ
„ regio vulgo Tranſilvania, ſive Erdelia (z) appellari conſuevit, bello inſupe-
„ rabilis. Parit enim ſtrenuos, ac fortiſſimos milites. Eſt in ea Hunyad oppi-
„ dum, loci natura munitiſſimum, unde Joannes, pater Divi Mathiæ regis,
„ oriundus fuit, qui hic primum Turcis, eorum Duce Mesribego interfecto,
„ melioribus ſemper auſpiciis victoriam proſequendo adeo hoſtibus terrori, &
„ ſuis admirationi exſtitit, ut omnium ſententia in regni Gubernatorem depo-
„ ſceretur. Ex Cibinio ſequitur Corona, ſive Braſſovia, ultimum oppidum
„ Tranſilvaniæ, adjacens montibus, qui dividunt eam provinciam a majori Va-
„ lachia, ſeu Dacia. Hinc tertia die aditur Targoviſcus, Metropolis Valacho-
„ rum, & ſedes peculiaris Principum, inacceſſibilis, non mœnibus cincta, ſed
„ foſſa, vallo, & aggeribus tantum, cum ſudibus præacutis exterius poſitis,
„ ſita inter paludes, obductas lutoſis ſilvis, & lacunis aquarum, ita, ut hieme

(y) Error manifeſtus eſt, niſi *τὸ ſive*, pro *τὸ vel* accipiatur: alioquin Colosvar, ſeu Claudiopolis, alia eſt ab Temesvario.

(z) Ex Hungarico *Erdély*, quod ſilvam notat, ſic dicta.

1502.

„ tota pene circum finitima regio immeabilis ſit. Hæc eſt provincia Dacia dicta apud veteres (*a*), Romanorum colonia, unde ejus ab origine hac etiam noſtra tempeſtate paſſim latino utuntur colloquio. Eſt ea gens barbara, crudelis, divinationibus, & auguriis dedita, rapinæ ſemper & prædæ inhians. Ex his locis declinando viam ad trajectum Bdinii, & Nicopolis dirigentem, ad lævam offert ſe Vaſillum caſtrum, medium ferme conſiſtens inter Valachiam majorem, & minorem, quæ & Moldavia dicitur, ubi ſæpe cum Turcis certatum eſt. Dracula enim cum paucis, ſed delectis militibus, Mahumetem Turcorum Imperatorem potitum jam majori Valachia, & ad minorem occupandam maturantem, hic ad ſecundam vigiliam noctis aggreſſus, converſum in fugam, ad Danubium cum magna ſuorum clade, & ignominia regredi coegit. Hic denique Stephanus Moldaviæ Princeps Soleimahnum Baſſam, & Ducem Romaniæ ſic proſtravit, ut ex triginta Turcorum millibus pauci admodum, qui forte velocioribus equis inſederant, evaſerint. Ex Vaſillo circiter XXX. millia paſſuum pertranſitur Iſter ad Brilagum, ſive Brailavum oppidum, ultra quod occurrit Græcia, procedens ultra ſeptem ora Danubii usque ad Pontum, ubi eſt campus Varnæ celebratus primo conflictu imperatoris Sigiſmundi, & Ducis Burgundiæ (*b*), poſtmodum cæde Wladiſlai Pannoniæ, & Poloniæ regis, atque Legati Apoſtolici.

Quibus viis barbari in Germaniam irrumpere ſoleant.

„ Reliquum eſt, ut quam breviſſime enarretur, ex quibus Dalmatiæ partibus Turci irruant in Germaniam, & in alias circumfinitimas nationes. Eſt igitur in ea provincia locus, qui Varboſania dicitur caput, & ſedes principalis Ducis gentis ejus: quo omnes ex Aſia, & Europa barbari, prædæ, ac rapinarum avidi confluunt, propterea, quod inde facilius diſcurritur, ſive ad oram maritimam, ſeu per Licham, & montes Corbaviæ in Liburnos, Iſtros, Lubianam, & forum Julium, vel ex monte Adrio, qui ferme medius inter Boſnam, & ſinum Adriaticum conſiſtit, ad Croatiam, declinando in Carnioliam, Ciliam, Carinthiam, Stiriam, usque ad Auſtriæ penetratur fines. Sed ex declinatione itinerum, quibus ad eas tranſitur gentes, ubi quæque regio ſita ſit, plenius apparebit. Hoſtes itaque ex Varboſania ad planitiem Thimæ, ſive Sethiæ, diſtantem CLXXX. millibus paſſuum, & ad alia loca proxima mari diſcurrere volentes, etſi plures aditus habeant, duos tamen continuis excurſionibus ſibi magis cognitos, & quaſi faciliores frequentant: altero circa Viſochii Ganzam, & Proſorium oppida, deſcendunt ad Cliſſam, Spaletum, Tragarium, & Sibenicum, altero autem longius ad Cluci arcem porrecto, præter Biſtriczam intrant in Jadræ plana usque ad fretum patentia, dirimens inſulas ab invicem, a promontorio Corbaviæ, ceteriſque mediterraneis locis. Verum regrediendo ex iſtis campis ad Cluci oppidum, & montes, unde in hæc littora divertitur, duæ offerunt ſe viæ: alia verſus Bihacſium, & Hunam fluvium pergens, altera per anguſtias Corbaviæ, pleriſque in locis tranſitu difficili, & arcto vix pedibus peragrando, dimiſſis ad lævam Novii, & Buchari oppidis, cum Iſtria, Tergeſto, & monte Falconis, feruntur ex liminibus Boſnæ CCCCXX. millibus paſſuum ad Hiſſunitium amnem. Sed ſuperiorem viam tenendo, trajicientes Hun fluvium ad latus Bihacſii, relicta Cruppa ad dextram, ſemper locis campeſtribus ſpacio quinquaginta milliarium offendunt omnem regionem Croatiæ circa Modruſium, usque ad Cruppam, & Savum fluvios. Hinc etiam in Lubianam excurſiones fieri poſſunt per eosdem montes Corbaviæ via ſtricta, lapidoſa, & aſpera. Poſt Cruppam amnem ſequitur Methlica, in cujus finibus eſt mons arduus, porrectus ad quatuor milliaria, ubi pauco admodum præſidio iter hoſtibus præcluderetur. Inde ad Savum, & Carnioliam tranſcurrunt, & ultra Savum per Ciliam, Carinthiam, & Stiriam

riam

(*a*) Latius hoc loco Dacia ſumitur, quam nunc moris ſit, moreque veterum, qui triplicem Daciam ſtatuerunt.

(*b*) Hic rurſus error latet, ut alias ex Diplomatibus Sigiſmundi regis oſtendi, qui eam cladem ad Nicopolim majorem acceptam eſſe memorat.

„ riam provincias, Dravo flumini adjacentes, depopulaturi dextra Muram flu-
„ vium, & Auſtriam adoriuntur.

Suadet bellum in hoſticum transferri oportere.

Tum itinerum rationes, quibus Romani olim, cum copias in Epirum, Macedoniam, ac reliquas Orientis provincias traducerent, uſi ſunt, in pauca capita conferens in hæc verba concludit: „ Hæc ſunt itinera a Romanis olim
„ toties peragrata exercitibus, nunc a Chriſtianis obnixius affectanda, ſi pulſis
„ ex Europa barbaris, perpetua pace potiri concupiſcunt. Non eſt itaque ex-
„ ſpectandus hoſtis, neque dimicandum cum eo in limitibus, & gremio Italiæ:
„ in Epirum, ſive Macedoniam transportandæ ſunt copiæ uno, atque eodem
„ momento. Hinc ex Pannoniæ oris bellum Thraciæ inferendum eſſe nemo
„ jam ambigit, non defuturum enim militem, neque commeatum, omniaque
„ neceſſaria præſto fore. Aderunt & ex circumfinitimis provinciis undique
„ fideles populi, ſolum expeditionem Chriſtianam præſtolantes, parati hoſtes
„ undique adoriri; ubi primum ſenſerint Chriſtianorum caſtra Iſtrum, & ex
„ Italia exercitum Adriæ fretum trajeciſſe. Hæc eſt una, atque extrema via
„ debellandi hoſtem. Legimus namque Alexandrum Magnum cum Dario Per-
„ ſarum rege in Aſia decertaſſe: Xerxes, ne ab Athenienſibus in regno ſuo cir-
„ cumveniretur, prior ipſe Græciam invaſit: Hannibalis quoque una, atque
„ eadem ſententia ſemper erat, ut in Italia bellum gereretur, neque ab ea
„ victor jam revocari potuit prius, quam translato in Africam bello: Cæſari
„ etiam in opprimmendis hoſtibus tanta celeritas inerat, ut plerumque ipſe
„ famam ſui adventus præveniret. Sed prætermittenda ſunt, tot exterarum
„ gentium exempla, ſolummodo unum relinquitur dignum memoria, ac cele-
„ brandum poſteris documentum, Joannis, qui nunquam paſſus eſt Turcos
„ adverſus Chriſtianos expeditionem moviſſe, quin eos in ipſa Thracia aggre-
„ deretur. Cujus præclara, ac ſanctiſſima pro defenſione orthodoxæ reipublicæ
„ incœpta, noſtræ tempeſtatis principes æmulari, atque imitari, Dominus Jeſus
„ Chriſtus, Deus optimus, maximus faxit.

Anna Gandalenſis ſponſæ regiæ in Hungariam adventus.

Hactenus Petancii de modo belli Turcis inferendi libellus, qui etſi Wladislao regnique ordinibus probaretur, tamen, quod annus jam in exitu eſſet, neque induciæ cum Bajazete initæ aperta denunciatione reſciſſæ, ad hæc Anna regis ſponſa ex Galliis affutura ferebatur, curæ a bello ad conflandas nuptias traductæ ſunt. Deducta eſt primum per Salaſſos, & Allobroges in Italiam Venetias, ubi ab Duce, & Veneto ſenatu ſplendidiſſimo apparatu excepta, & muneribus regio more exculta fuit, tum Budam adducto ſecum nobiliſſimo virorum, matronarum, ac puellarum ex Galliis comitatu, felicibus auſpiciis veniens III. Calendas Octobres magna ordinum frequentia, & ingenti ob ſpem tollendæ prolis lætitia nuptias celebravit. Erat Annæ, ut refert Iſtvanffyus, genus, ex quo ortum traxit Franciæ, ac Hiſpaniæ regibus affine prorſus, ac propinquum.

Quo genere orta fuerit.

Nam *Gaſto Foxius ex Ebroicenſi familia regibus Galliæ, & Navarræ propinqua progenitus, Leonoram Henrici IV. Hiſpaniæ regis filiam uxorem habuit, & ex ea Joannem Comitem Narbonenſem ſuſcepit, qui ex ſorore Ludovici XI. regis Galliæ genuit Gaſtonem illum Fuſium, qui maximis rebus geſtis prius fortiſſimus Dux, & Imperator, quam miles, prælio Ravennatæ ab Hiſpanis fugientibus occiſus eſt, ac filias: Germanam, Ferdinando Hiſpaniæ regi, Maurorum domitori collocatam; ac Catharinam, Gulielmo Comiti Candallano Vaſconi in Aquitanis nuptui traditam, quæ eidem Gulielmo Joannem Candallanum poſteriorem, & Annam hanc Wladislai Hungariæ regis conjugem in aula Ludovici Aureliani regis Galliæ a teneris educatam genuit* (c).

Turci in Sclavoniam irrumpentes inſigni clade afficiuntur.

Tædas nuptiales Turci trajecto ad Malomfalvam, quaſi molæ pagum dicas, Savo, illata ad Poſegam, & Valconem Sclavoniæ ditiones, vaſtitate interceperant, lateque graſſantes magnum plerisque metum in principio incuſſere, donec coortis undique noſtris acceptum maleficium majori clade hoſti redditum eſſet. Petrus enim ſancti Georgii Comes, Tranſilvaniæ Vayvoda, cum Joanne Corvi-

(c) Istvanffii Hiſt. Lib. IV.

1502. Corvino, qui tum forte fortuna in provinciam delatus erat, & Joſepho Somio Temeſienſi Præfecto ad primam hoſtis famam confeſtim militem conſcripſere, quibus Petrus Tarnocus, & Jacobus Gerliſtius Severienſes Bani, ac non multo poſt Georgius Kanyſaius Belgrado profectus cum Demetrio, ac Marco Jaxicſiis, adducto Thracico equitatu, ſeſe adjunxerant. Ita conjunctis viribus Danubium haud procul ab Harumo, quod inter Belgradum, & Pancſovam medium eſt, transmittunt, Vidinumque, Bodonum alii dicunt, celerrimo itinere profecti, arcem cum oppido brevi tempore capiunt, Turcis, qui arci præſidio erant, captis, aut interfectis. Inde ſubjecto urbi igne Cladovam, proximum Vidino oppidum, progreſſi, locum exportata præda cremant: eodemque impetu ad Nicopolim delati ſuburbia flammis involvunt, & actis latiſſime ſpoliis domum revertunt. Ingens mancipiorum erat numerus: Turci ſub haſta venum proſtabant, ceteri, qui Græcum ritum profitebantur, in Hungariam miſſi, ut ditionem inter Belgradum, & Temesvarum ſitam, frequenti barbarorum incurſione vaſtiſſimam, colerent. Dona ex ſpoliis Budam allata, regem & novam nuptam incredibili lætitia affecere.

An. Chr. **1503.**

Venetis cum Bajazete paciſcentibus rex accedere tergiverſatur.

Bajazetes, quamquam cladem ad Vidinum acceptam haud ſatis æquo animo ferret, neque vires illi, qui nuper ex Græcia, & Peloponneſo victor rediſſet, ad vindicandam jacturam deeſſent, tamen ob occulta filiorum inter ſe diſſidentium odia, quæ vitæ illius exitium poſtea attulere, ad pacem, quam bellum, magis inclinabat, præſertim, quod præcipuos ex Chriſtianis Principes terra, marique adverſum ſe conſpiraſſe, eum non fugeret. Itaque cum pacem non aliter ſe obtenturum videret, niſi fœdus, quod Veneti cum Wladislao atque Pontifice, tum plerisque archipelagi inſulis conflaverant, ſolveretur, Venetos in primis tentandos cenſuit, eamque provinciam Achomati, purpuratorum Principi, qui conſiliorum omnium arbiter, & moderator erat, ut diligenter exequeretur, mandavit. Is per occultos nuncios cum Senatu Veneto agens, cum minime aſpernandas conditiones afferret, ſi Orator Conſtantinopolim mitteretur, plerosque ad pacem pronos, ac proclives nactus eſt, ſi modo eadem fœderatis mens, & animus eſſet, quibus non conſultis, aut imprudentibus fœdera conflare ex pactis conventis vetabantur. Quare miſſis ultro citroque nunciis cum Wladislao egere, uti antiquatis prioribus pactis, quæ cum Alexandro iniſſet, pacem cum barbaris ſanciret, cum quibus inducias, quarum tempus nondum evolutum eſſet, ceteroquin pepigiſſet. Rex, cum ad ſolitam animi deſidiam, metus quoque, ne fœderum ſocios turpiter deſtituiſſe videretur, accederet, neque quidquam inconſulto fratre Alexandro vellet decernere, ita incertus conſilii redditus eſt, ut neque ſpem conficiendi fœderis adimere, nec diſerte polliceri auderet. Ita ambiguis, in quam partem rex evaſurus eſſet, Venetis, pacis negotium longius, quam exiſtimabant, protractum eſt.

Conjux regia filiam cognominem enititur.

Hæc inter Anna regina IX. Calendas Julias filiam primo partu magno Wladislai gaudio edidit, quam mater, cum ex ritu Eccleſiæ ſacris undis tingeretur, Eliſabetham dici voluit, rex autem poſtea, quam ſibi conjux ex altero nixu funere elata eſſet, ob memoriam matris Annam compellavit, (*d*) quo nomine & deinceps ſemper dicta, & Ferdinando poſtea Philippi Hiſpaniarum regis filio, qui circa idem tempus Medinæ in Hiſpania lucem aſpexit, nuptui collocata eſt. Ceterum ſi Dubravio, Scriptori Bohemo, credimus, non idem omnibus, quod patri gaudium is partus attulit, multis ea de cauſa minime lætis, præſertim, (*e*) *qui regni ſpem, ſi abſque liberis deceſſiſſet rex, jam dudum devoraverant, quamquam ne tum quidem ſpem illam fovere deſiſtebant, verbis ſe conſolantes, quod filia, non autem filius, qui legitimus regni hæres haberetur, nata eſſet.* Quos ſuſpicione ſua Dubravius petat, haud ſatis compertum eſt: Maximiliano enim, cui

(*d*) Balbin. in Epitome. Qua id auctoritate ſcribat, non video, cum in inſtrumentis de anno 1506., ut alias memorabimus, ante matris mortem ſemper Anna, non item Eliſabetha compellетur.

(*e*) Hiſt. Bohem. Lib. XXXII.

cui ex pactis conventis certa regni poſſeſſio erat, ſi rex ſine hærede obiret, nihil cauſæ fuit, cur nata Wladislao filia triſtior eſſet: Procerum autem in Hungaria nemo id temporis erat, qui affectatæ tyrannidis ulla usquam indicia edidiſſet. Id certius: Optimates minorem lætitiæ ſignificationem, quam ſi filius regi editus eſſet, præſetuliſſe, quod regni poſſeſſionem ad Maximilianum, ac Germanos devolvi impatienter ferebant, ut frequens nobis alias narrandi locus erit.

Rex rurſum a Venetis invitatus, ſocietatem cum Bajazete recuſat.

Veneti rurſum de ineundis fœderibus a Bajazete per nuncios compellati, quamquam a pace omnino non abhorrerent, præſertim, quod a Gallia claſſe deſtituti eſſent, neque Alexander Pontifex, quas pollicitus erat, triremes ſuppetias miſerat, tamen quid Wladislao de re videretur, prius explorare malebant, quam non conſultis Hungaris barbarorum ſocietatem amplecti. Verum cum rex more ſuo, quid agendum, omittendumve eſſet, anxius, aliamque ſemper ex alia cauſam prætexens tergiverſatur, & Alexandro repente ex veneni ſuſpicione exſtincto, Pius hujus nominis III., tum hoc quoque poſt trimeſtre ſpacium elato, Julius II., Veneto nomini perinfenſus, ſucceſſor datus eſſet, nihil cunctati fœdus cum Bajazete iniverunt. Conditiones hujusmodi fuiſſe proditum eſt. Bajazetes, quas bello ceperat, Methonem, Caronam, & Naupactum, retineret: Veneti Neritum inſulam, quam vulgus S. Mauræ appellat, exiguo ab Morea freto abſciſſam Turcis dederent: hi viciſſim quascunque ab inito bello res Venetis ademiſſent, bona fide reſtituant: pontica navigatio, ut ante, libera eſſet, communi denique arbitrorum conſilio fines utrorumque, ne quid ad novas lites cauſæ ſit, discernerentur. Ad pacem his conditionibus amplectendam coactos ingratiis Venetos plerique eorum temporum ſcriptores produnt, quod non obſcuris indiciis, ut poſtea evenit, intelligerent, ſibi bellum a Julio Pontifice obmotum iri.

Defuncto autem Papa ipſe pacem petit, aut verius petenti Bajazeti ſeptennales inducias concedit.

Wladislaus deſertum ab Venetis ſe videns, tanto majore ſtudio animum ad conflandas cum Bajazete inducias adjecerat, quanto minore cura ſociorum conſiliis prius obaudivit: præſertim, quod per litteras Byzantio ſignificaretur, barbaros novam in Polonos expeditionem moliri; quare, ut periculum a fratre averteret, Barnabam Belajum, virum impigrum, & multarum linguarum peritum Conſtantinopolim legat, ut, quam poſſet, honeſtis conditionibus, aut veteres inducias firmaret, aut novas in longius tempus conciliaret. Difficilem ſe primum Bajazetes præbuit, quod eum non lateret, Wladislaum, cum a Venetis in fœderis ſocietatem vocaretur, ab ineunda ſecum amicitia abhorruiſſe: victus deinde cum domeſtico malo, quod a filiis ortum habuerat, tum Legati induſtria ſeptennes inducias non ſine difficultate conceſſit. Ita noſtri rem narrant, tametſi ex Wladislai litteris conſtet, Bajazetem pro impetrandis induciis ſupplicem factum eſſe, ſuosque propterea Oratores Budam miſiſſe, ex inſtrumento, quod in Tabulario Auguſto Viennæ ſervatur, perſpicuum ſit, quorum opera rex, diplomatis verba ſunt, *pro ſe, & univerſis Principibus Chriſtianis, ſpeciatim tam ratione regni Hungariæ, quam ratione Bohemiæ, Moraviæ, & Sileſiæ cum Amyr Zultan Bayazyth Turcarum Cæſare ad ſeptem annos* fœdus conflavit. *Datum Budæ XX. Auguſti anno MDIII.* (*f*)

Cauſasque, cur inducias cum Bajazete conflaſſet, ad Chienſes perſcribit.

Wladislaus confecto cum barbaris fœdere cauſas, cur amicitiam cum barbaris iniſſet, miſſis ad Principes, & Confœderatos litteris encyclicis vulgavit, tum ne id ſibi a quoquam fraudi daretur, tum ut iis, qui fœderis communionem amplecti vellent, ſpacium, tempusque præberet. Earum, quas ad Chienſes, fœderis olim ſocios, dederat, hic tenor eſt. (*g*)

„ Wladislaus Dei gratia Hungariæ, & Bohemiæ rex &c. magnificis, & „ præſtantiſſimis Dominis, Prætori, ac Rectoribus inſulæ, & Senatus civitatis Chio-

(*f*) Ex Analect. MSS. Cl. Francisci Kollarii.

(*g*) Ex Codice MS. rerum ſub Wladislao geſtarum.

1503. „ Chiorum, amicis noſtris chariſſimis ſalutem, & felicium ſucceſſuum incre-
„ menta. Cum his annis ſuperioribus fœda, ac deteſtanda Turcorum imma-
„ nitas adeo in pernicioſam cladem non nullorum convicinorum Principum
„ Chriſtianorum invaleſcere, atque prope interitum vel nominis ſanctæ noſtræ
„ fidei ſerpere cœpiſſet, ut illius arma peſtifera, terra, marique temere ſumta,
„ non modo convicinis Principibus, verum etiam longe ſepoſitis, & univerſæ
„ fere Chriſtianæ reipublicæ terrori, formidoloſaque eſſent futura, felicis recor-
„ dationis ſanctiſſimus quondam Dominus Alexander Papa VI. cujus intererat,
„ veluti capitis, ſaluti in primis Eccleſiæ ſanctæ Dei, deinde totius Chriſtianita-
„ tis pro debito curæ paſtoralis ſuſcepto, paterno, ſapientiſſimoque ſuo conſilio
„ providere, ac adverſis hoſtium communium conatibus, afflatisque in tempo-
„ re occurrere, virusque conceptum, vires erectas, virtute rurſum fidei,
„ forti animo enervare, atque reprimere, inter alios Catholicos Principes, ad
„ quos pro concitandis animis illorum ſumendisque armis contra ſigna peſti-
„ fera paſſim feſtinanter ſatis tum nuncios, & Oratores ſpeciales transmittendos
„ curaverat, tum poſtremo ad nos quoque reverendiſſimum in Chriſto patrem,
„ & Dominum, Dominum Petrum Tit. Sancti Cyriaci in thermis presbyterum
„ Cardinalem Reginum, Apoſtolicum Legatum, virum integritate, prudentia,
„ & graviſſimo conſilio pollentem duxerat mittendum. Cujus prudentiſſimis
„ conſiliis, ſimul & ſanctiſſimis cohortationibus ejusdem incitati, tametſi per
„ id tempus nondum conjunctiones fœderis cum Turco alias in alterutrum con-
„ fectæ exſpiraverant, imo vel ad ulteriores annos continuare ſumma inſtantia
„ poſtulabamur, nihilo tamen minus nos, qui ſalutem publicam privatæ ante-
„ ferri ſemper exoptavimus, pro ſatisfactione in primis ſuæ ſanctitatis, deinde
„ dominationum veſtrarum, nonnullorumque Principum, ad Chriſtianam con-
„ fœderationem tunc nos exhortantium, & præſertim illuſtriſſimi dominii Vene-
„ torum, cujus plus intererat, cum per id temporis acrius ceteris vexabatur, a
„ communi hoſte, poſt expletum annuum tempus fœderis, initis ſub certis con-
„ ditionibus, & capitulis cum ſanctiſſimo quondam Domino Alexandro, dicto-
„ que illuſtriſſimo dominio novis fœderibus, placuit tandem fœdus cum Turco
„ rumpere, & bellum illi pro pace offerre, freti in primis in Dei ſummi erga
„ rempublicam Chriſtianam benignitate, deinde noſtris domeſticis, & confœ-
„ deratorum viribus, quibus tantam hoſtis rabiem, atque licentiam contundere,
„ ipſumque invadere, atque aggredi, ac contra nos, dominiaque noſtra, ac
„ ipſorum confœderatorum ſigna ferenti, ſperavimus ſemper poſſe reſiſtere,
„ ut poſtea ex eventis ſane cognoſci potuit. Nam & terras hoſtiles aperto Mar-
„ te invaſimus, igne, ferroque cuncta vaſtantes, & venienti armato patria vir-
„ tute, forti animo, Dei benignitate ſæpe reſtitimus, & pedem retro ferre coe-
„ gimus, ſicuti & dominationum veſtrarum, & aliorum confœderatorum mari-
„ timis copiis, navali prælio, æqua ſorte, pari virtute cum hoſte illo communi,
„ ultro, citroque ſecunda, ſatisque proſpera fortuna ſæpe certatum eſſe plane
„ cognovimus. Cum vero Turcorum Imperator tantam belli molem, vires-
„ que noſtras, & confœderatorum, ac alias auxiliarias animadvertiſſet, ſeſe diu-
„ tius ſuſtinere, ferreque non poſſe, egit per certa media apud nos annuo fere
„ tempore de nova pace conficienda, quo una cum noſtris confœderatis, intuitu
„ veteris amicitiæ, & tantæ viciniæ, ad pacem amplectendam animum adjece-
„ remus. Nos vero licet bellum cœptum ſuo curſu proſequi, & noſtros ſuc-
„ ceſſus pro ſalute publica, ac ulteriore exaltatione ſacræ noſtræ fidei urgendos
„ etiam ſtatueramus, tamen cum animadvertiſſemus Cæſarem illum cum Principi-
„ bus Orientalibus, & ſibi convicinis bona ſatis amicitia conjunctum eſſe, futu-
„ rumque in bona quiete cum eis, ceterum vigilantiſſime eundem moliri Tartaro-
„ rum fœda virtute fraterno Poloniæ regno, unde noſtro quoque apertum peri-
„ culum immineret, ferale excidium, ſubodoraſſemusque pro Principum Chri-
„ ſtianorum benevolis oblationibus non aliunde ſuppeditari nobis auxiliares co-
„ pias, ad res tantas urgendas, quam a confœderatis duntaxat noſtris; quan-
„ doquidem Principes Chriſtiani præter noſtram expectationem privatis inter

ſeſe

„ ſeſe odiis, ac ſimultatibus diſſiderent, mutuiſque cædibus, & bellis invicem 1503.
„ graſſarentur, & ob hoc agnoſcentes nos, vireſque tantum noſtras domeſti-
„ cas, & confœderatorum tanto hoſti diuturno tempore impares eſſe futuras,
„ permoti & plurimis aliis ex cauſis, facto prius certiore pro debito noſtro per
„ Oratorem noſtrum ſpecialem, dicto Divo quondam Alexandro bonæ memo-
„ riæ, pro jure, & ſatisfactione confœderationis cum ejus ſanctitate tunc initæ,
„ atque id ipſo conſentiente, accedente item ſaniori confœderatorum conſilio,
„ & præſertim dicti illuſtriſſimi dominii cum Turco ipſo ſupplice pacem poſcen-
„ te, præmiſſis ex cauſis moti repudiato pacis nomine fœdus induciale, & qui-
„ dem ſeptennale felici omine inivimus, & pro ulteriore ſalute Chriſtianitatis
„ quietem hoc tempore potius amplecti, quam cœptum bellum urgere, atque
„ proſequi ſtatuimus, ſicque juxta continentias capitulorum, & articulorum
„ præſentibus annexorum, & a Turco ipſo ad nos ſub ſuis ſignis imperialibus,
„ & autenticis transmiſſorum, fideique Sacramento in alterutrum firmatorum,
„ & quæ ex Serviana lingua, qua Cæſar ipſe utitur, in latinam ſuo tenore, fi-
„ deli interprete convertenda curavimus, & dominationibus veſtris, præſenti-
„ bus exemplum illorum ſub ſigillo noſtro, quo ut rex Hungariæ utimur, trans-
„ mittimus. In has induciarum conditiones proximis his diebus cum eodem
„ Cæſare bonis avibus devenimus, & cum ritu Catholici Principis pro ulteriore
„ conſervatione ſtatus omnium, & religioſiſſimæ fidei, univerſam Chriſtianita-
„ tem in his utilibus fœderum induciis glutine quodam indiſſolubili, id quod
„ felix, fauſtumque ſit futurum omnibus incluſam eſſe voluerimus, ad aures
„ veſtrarum dominationum, earumque cognitionem pro tenore articuli tertii,
„ cum ſint ipſæ non mediocre membrum Chriſtianitatis, & quas nominatim in
„ eiſdem, uti plane conſpicatur, exprimendas duximus, pro noſtro ſuſcepto in
„ hoc munere ſtatuimus in tempore deducendum, præſentibuſque deducimus.
„ Quas & enixe hortamur, & pie requirimus, ut ſi pro tranquillitate, & fu-
„ tura quiete ſuorum regnorum, & dominiorum totius ſui ſtatus in his indu-
„ ciarum vinculis dominationes veſtræ includi, & eas induciarum conditiones
„ una nobiſcum amplecti voluerint, in curſu anni hujus præſentis usque ad vi-
„ geſimum diem Auguſti menſis futuri, hujusmodi voluntatem ſuam litteris
„ ſignatis confirmare, ac per nuncium ſpecialem ſigna hujusmodi ratificationis,
„ & recognitionis ſuæ voluntatis ad ipſum Cæſarem ante effluxum tempus an-
„ nuum, & dicti termini, ut præmittitur, omnino transmittere velint: ſique
„ viſum eiſdem fuerit, quid, qualeque conſilium in hoc capturæ ſint, nobis
„ quoque ſignificare non dedignentur, ne quid negligentiæ cuipiam noſtrum
„ ab illo Cæſare adſcribi queat, & ſumta vel futili occaſione vim alicui Chriſtia-
„ narum partium temere uſu ſuo inferre, ac incautum quempiam hoſtis inde
„ aggredi, opprimereque temere item poſſit. Quas tametſi pro ſuorum regnorum,
„ ſtatusque ſui ulteriore quiete, tranquillitate, ac diuturna conſervatione, non
„ aliter facturas arbitramur, tamen poſtea quam nos inſtar Catholici Principis no-
„ ſtro functi ſumus in hoc munere, in dominationum veſtrarum pectore ſitum eſt,
„ velint, nolint, ut præmiſſis ex cauſis his jam noſtris concluſis, firmatiſque fœ-
„ deribus, pro tenore Capitulorum in alterutrum confectorum adhærere, bellum
„ denique an pacem amplecti. Cum vero per Oratorem noſtrum priorem pro
„ hac ipſa cauſa ad ipſum Cæſarem jam pridem per nos miſſum, non ex noſtra
„ animi ſententia omni ex parte induciæ iſtæ ſeptennales Turco ipſo repugnante
„ ratificatæ, concluſæque fuiſſent, coacti ſumus novos rurſus Oratores ad eun-
„ dem mittere, & quidem pro reformatione varietatis, & diſcrepantiæ inter
„ nos, & Cæſarem illum obortæ ob dominationum veſtrarum, & aliorum Prin-
„ cipum Chriſtianorum commodum futurum, & ſalutem publicam, expeditis
„ ibi non parvo certe negotio, & labore rebus omnibus pro expectatione noſtra,
„ uti ad dominationum veſtrarum, ceterorumque Catholicorum Principum, ac
„ univerſæ Chriſtianæ reipublicæ futuram acceſſionem pertinere arbitrati ſumus,
„ novis litteris juramentalibus, novo ab ipſo Cæſare fidei ſacramento, ut par
„ fuit, tandem Dei benignitate, licet tardiuſcule, noſtri tamen ſalvi, & incolu-

1503. „ mes his modo diebus rediere. Quibus rebus effectum eſt, quo minus antea, „ & tempeſtivius domiuationibus veſtris, & ceteris ſereniſſimis Principibus, ac „ poteſtatibus id pro debito noſtro ſignificare voluerimus, & ob hoc rogandas „ eas ſtatuimus, nolint habita ratioue præmiſſarum difficultatum de hac interje- „ cta morula ſignificationis noſtræ, aut incuriæ, aut negligentiæ quidquam ad- „ ſcribere. Quas optamus bene, feliciterque valere. Datum Budæ vigeſima „ ſexta Decembris anno Domini MDIII. regnorum noſtrorum Hungariæ &c. an- „ uo quarto decimo, Bohemiæ vero trigeſimo quarto.

Eodemque argumento litteras ad regem Galliarum dedit.

In eadem pene verba ad Ludovicum Galliarum regem ſcripſit, neque tamen induciarum conditiones aperte uſpiam explicat, quas ſi nanciſci potuiſſemus, ſine dubio apertior multo nobis confecti fœderis decurreret narratio. Credibile eſt, ut mihi ex litteris ad Chienſes datis videor conjicere, regem pro ſuo in rem Chriſtianam ſtudio, id maxime operam dediſſe, ut, quos prius fœderis habuiſſet ſocios, iidem nunc, ne furori barbarorum paterent, induciis cum Bajazete initis comprehenderentur.

An. Chr. 1504.

Conventum ſuis in campum Peſtanum edicit.

Ita domi, foriſque liber ab hoſte Wladislaus conventum, ut lege ſuperiorum annorum cautum erat, ad campum Rakoſienſem regni ordinibus ad VIII. Calendas Majas indixit. Multæ eum ad cogendos ordines cauſæ permovere, nam & tributorum ratio nondum ſatis conſtituta erat, ex quo ſimultas inter provincias ſæpe oborta, & quæ conditæ erant prioribus comitiis leges, partim inſtaurari, partim illuſtrari oportebat, quæ niſi concitis optimatibus, ac præcipua regni nobilitate, ut vim auctoritatemque haberent, ad finem adduci non poterant. Has ipſe cauſas poſtea, quam ſolutus conventus eſſet, edito diplamate in hæc verba vulgavit: (*b*)

Cauſas, cur id faceret, promulgat.

„ Nos Wladislaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, „ Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, & Cumaniæ, Bulgariæque rex, nec non „ Sileſiæ, & Lucemburgenſis Dux, Marchioque Moraviæ, & Luſatiæ: memo- „ riæ commendamus, tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit, univerſis. „ Quod cum nos poſt aſſumptionem ad hujus regui, & regiæ dignitatis cul- „ men, felicemque coronationem noſtram, divina benignitate, & diſpoſitione „ factam inclitum hoc regnum noſtrum Hungariæ domi foriſque ab omni ho- „ ſtilitate tutum, tranquillumque reddidiſſemus, ac tandem ad humillimam „ Dominorum noſtrorum Prælatorum, & Baronum, ceterorumque regnicolarum „ ſupplicationem variis vicibus, varias etiam conſtitutiones, & ſtatuta pro felici „ ſtatu, & quieto, ac libertate ejusdem regni noſtri, pro temporum neceſſitate, „ & rerum conditione, una cum eisdem edidiſſemus: quia nonnulli articuli ad „ completionem, & perfectionem præmiſſarum aliarum conſtitutionum noſtra- „ rum ſumme neceſſarii propter temporis brevitatem, & negotiorum pluralita- „ tem hactenus finiri, terminarique uequierant; ad eorundem igitur explana- „ tionem, ceterorum etiam dicti regni noſtri Hungariæ negotiorum expeditio- „ nem, dum dietam, ſeu conventionem generalem univerſis Dominis Prælatis, „ & Baronibus, ceteriſque regnicolis noſtris pro hoc feſto beati Georgii Mar- „ tyris proxime transacto, ad campum Rakos, vigore generalis decreti noſtri „ indixiſſemus, & ad eandem omnes conveniſſent, atque pro felici ſtatu dicti „ regni uoſtri plurima ibidem nobiscum una tractaſſent, iidem Domini Barones, „ Proceres, Nobiles, ceterique regnicolæ noſtri inter ceteros eorum tractatus, „ & concluſiones, quosdam articulos de novo formatos, & conceptos Majeſtati „ noſtræ obtulerunt.

Creato novo Palatino tributi

Primus omnium, poſt ſubrogatum, defuncto Gerebo, Palatii Comitem Emericum Perénium, de tributi ratione, quod exira ordinem imperaretur, cum multis odiis, ac ſimultatibus occaſionem hactenus præbuiſſet in hunc modam can-

(*b*) Exſtat in corpore juris patrii parte I. pag. 315. Nos, ut ſolemus præcipua ſolum capita, & quæ ad annales attinent, promemus.

conditus eſt. „ Quoniam ſæpenumero fieri ſolet, quod regnicolæ de dietis, &
„ conventionibus eorum generalibus confuſo fine diſcedunt, qui poſtquam ad
„ propria remeant, & a ſeſe ſeparantur, alter alterius intentionem, & propo-
„ ſitum non perpendentes, plerique Dominorum, & Comitatuum proprio
„ motu, aut aliorum ſuggeſtu interdum etiam privato pro lucro contributio-
„ nem aliquam, ſeu ſubſidium regiæ Majeſtati eorum de medio offerunt: quo
„ conſiderato ceteri Comitatus in ſe diviſi, hujusmodi oblationi alii conſentiunt,
„ alii vero contradicunt, & ſic ſeditione, tumultuque, ac diſſenſione inter eos
„ ſuborta unus in alium diffamatorie, tanquam libertatis regni turbatorem in-
„ vehitur; quo fit, ut pax, & concordia, amorisque dilectio inter eos nus-
„ quam habeatur, regia Majeſtas etiam tam multoties in eorum medium mittere
„ ſolet, ut ſæpe lucrum, ſeu fructum, quem ex inde ſperaret, ſolis in expenſis
„ nuncii, vel dicatoris conſumat: præterea bona, & jura poſſeſſionaria illorum,
„ qui regiæ Majeſtati ita faciendum conſulunt, ſemper relaxantur, ſicque non
„ commodum, & fructus Majeſtati ſuæ, ſed expenſarum duntaxat ſuperflua
„ poſitio, & regnicolis aperta, manifeſtaque ſeditio exinde reportatur. Ad ex-
„ ſtinguendum igitur, & evellendum hujusmodi periculum, concluſum in pri-
„ mis eſt: quod ſi temporum in proceſſu adeo gravis neceſſitas, & periculum
„ huic regno immineret, ut ſecus fieri non poſſet, niſi dieta generalis per régiam
„ Majeſtatem ad campum Rakos, locum ſcilicet conſuetum indiceretur, ex
„ tunc ſi quid ſubſidii, ſeu contributionis ad evitandum, & propellendum hujus-
„ modi regni periculum, regiæ Majeſtati illic offerretur, & præſtaretur, com-
„ muni omnium Dominorum Prælatorum, Baronum, ac ceterorum regni No-
„ bilium conſenſu offeratur, & præſtetur, nemoque ſe a ſolutione hujusmodi
„ ſubſidii, vel contributionis retrahere, & præcavere poſſit. Si quipiam vero
„ Comitatuum motu proprio, & non de conſenſu, & voluntate totius regni,
„ extra ſcilicet conventiones regnicolarum generales, contributionem aliquam,
„ ſeu quodcunque ſubſidium præter ſolitum lucrum cameræ, contra videlicet
„ antiquam regni libertatem regiæ Majeſtati quovis modo, & quovis colore ex-
„ quiſito offerrent, aut præſtarent, ex tunc univerſitas hujusmodi Nobilium
„ Comitatus univerſaliter in pœna fidefragii, ſeu perjurii, amiſſioneque honoris,
„ & humanitatis convicta, & condemnata, & a conſortio ceterorum Nobilium
„ regni relegata, & ſegregata habeatur eo facto. Qui quidem Nobiles ſic con-
„ demnati, in conventionibus regni generalibus poſtea celebrandis, per univer-
„ ſitatem regnicolarum, juxta eorum voluntatem tamquam perjuri, honoreque
„ ac humanitate privati, ac a conſortio ipſorum ſegregati, tam in rebus, & bo-
„ nis, quam perſonis eorum puniri, caſtigarique, & damnari valeant, atque
„ poſſint: niſi forſitan aliqui ex nobilibus talis comitatus condemnati, ſeſe in-
„ nocentes, & immunes facto, aut negotio in hujusmodi exſtitiſſe, eſſeque,
„ teſtimonio credibili, & documento evidenti ibidem comprobare, & expurga-
„ re poſſint. „

Disputatum ad hæc acriter eſt a partibus de Moravia, Sileſia, ac Luſa- *Tum de Moravia, Sileſia, ac Luſatia diſceptatum.*
tia, quas cum Mathias Hungarico imperio aſſeruiſſet, Bohemiæ rurſum conjun-
gi ægre ferebant. Neque ſatis compertum erat, an Hungariæ, aut Bohemiæ no-
mine rex fidei ſacramentum ſibi ab iis provinciis dici juſſiſſet. Itaque cum in
aliis itidem conventibus fruſtra petiiſſent, uti rex mentem ſuam explicaret, rur-
ſum in hæc verba ordines ſupplicarunt. „ Ad articulum vigeſimum tertium de
„ inſcriptionibus ſex civitatum, & Luſatio, ex quó ſuper hoc, utrum litteras
„ inſcriptionis ſuper eisdem ſex civitatibus regia Majeſtas ab eis exegerit, nec
„ ne, regnicolæ nondum intelligere potuerunt, ob hoc ſupplicant ſuæ Majeſta-
„ ti, ut eosdem exinde certiores efficiat: quia nolunt, ut a ſacra corona hujus
„ regni quovis modo contra vim inſcriptionis alienentur. Super articulo vige-
„ ſimo quarto de juramento feudi a Moravis, & Sileſitis, nec non Luſatiæ exa-
„ cto, nondum ipſi regnicolæ certificari potuerunt, utrum ſua Majeſtas jura-
„ mentum fidelitatis accepit ab eisdem tamquam rex Hungariæ, & non tam-
„ quam rex Bohemiæ, ſed tamquam a feudatariis hujus regni, nec ne, idcirco

 cu-

1504.

„ cupiunt ſuperinde a ſua Majeſtate certificari per ſuas litteras : quia nequa-
„ quam volunt ab inſcriptione olim huic regno facta quovis modo diſcedere.
„ Ex quo regia Majeſtas contra articulum vigeſimum octavum minoris decreti,
„ nec non antiquas, laudabilesque conſtitutiones regni, civitatem Sopronienſem
„ una cum Comitatu, ac etiam civitatem Bartfa dicitur extraneis inſcripſiſſe :
„ præterea Moravi in confinibus, & intra veras metas hujus regni nonnullas
„ jam occupationes poſt obitum quondam Domini Mathiæ regis dicuntur fe-
„ ciſſe, & cum hoc multas terras ad dominium, & proprietatem illorum diſtra-
„ here velle ; ob hoc regia Majeſtas bona inſcripta redimere, metasque, &
„ confinia ipſius regni rectificare dignetur.

Rex ſingula, quæ proceres conſtitui optant, rata habet.

Hæc præcipua fere edicti capita ſunt, quibus rex ſub etiam judicio ſin-
gula confirmans ita ſubſcribit : „ Nos igitur, qui regnum noſtrum in tranquilla
„ pace, ſempiternaque libertate ſemper tenere, & gubernare cupimus, præ-
„ ſcriptos articulos de verbo ad verbum ſine variatione, immutationeque ali-
„ quali præſentibus inſertos, quia completionem, & perfectionem aliarum, ut
„ præfertur, conſtitutionum noſtrarum, atque commune bonum dicti regni
„ noſtri tangere, & concernere dignoſcebantur, acceptavimus, approbavimus,
„ & ratificavimus, nosque omnia in eisdem articulis ſpecificata inviolabiliter ob-
„ ſervare, & cum aliis obſervari facere promittimus, & obligamus præſentis
„ ſcripti patrocinio mediante. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpe-
„ tuam, præſentes litteras noſtras privilegiales appenſione ſigilli noſtri ſecreti,
„ quo ut rex Hungariæ utimur, communitas dandas duximus, & concedendas.
„ Datum in campo Rakos prænotato, quinto decimo die generalis noſtræ con-
„ gregationis prænarratæ. Anno Domini MDIV. regnorum noſtrorum Hunga-
„ riæ &c. anno decimo quarto, Bohemiæ vero triceſimo quarto. Reverendiſſi-
„ mis, reverendisque in Chriſto Patribus, Dominis Thoma Tit. Sancti Mar-
„ tini in Montibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali, Strigonien-
„ ſis, ſummo, & ſecretario Cancellario noſtro, ac Georgio de Frangepanibos,
„ Colocenſis, & Bachienſis Eccleſiarum canonice unitarum Archiepiſcopis : Il-
„ luſtriſſimo, reverendiſſimoque Domino Hippolyto Eſtenſi de Arragonia Cardi-
„ nali, Agrienſis, Luca Zagrabienſis, Nicolao de Bachka Tranſilvanienſis, Geor-
„ gio Varadienſis, Cancellario noſtro, Sigismundo Quinque-Eccleſienſis, reve-
„ rendiſſimo Domino Petro Tit. Sancti Cyriaci in thermis dictæ Romanæ Ec-
„ cleſiæ ſimiliter Presbytero Cardinali, Veſprimienſis, Franciſco Jaurinenſis,
„ Nicolao de Bathor Vacienſis, altero Nicolao de Chak Chanadienſis, Sigismun-
„ do Turzo Nitrienſis, Stephano Sirmienſis, & in judiciis perſonalis præſentiæ
„ noſtræ Locumtenentis, Nicolao Keſſerü Bosnenſis, & Briccio Tininienſis,
„ Eccleſiarum Epiſcopis, Eccleſias Dei feliciter gubernantibus. Item ſpectabi-
„ libus, & magnificis Emerico de Perén Comite perpetuo Comitatus Aba Ujva-
„ rienſis, regni noſtri Hungariæ prædicti Palatino, & judice Cumanorum, Co-
„ mite Petro de ſancto Georgio, & de Bozyn, judice curiæ noſtræ, Vayvoda-
„ que noſtro Tranſilvano, & Siculorum Comite : Joanne Corvino Liptoviæ
„ Duce, ac regnorum noſtrorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ, Barnaba
„ Belai, & Jacobo de Gerliſtye Zevrinienſibus Banis, Joſa de Som Comite Te-
„ meſienſi, ac generali partium regni noſtri inferiorum Capitaneo, Blaſio de
„ Raska Tavernicorum, Moyſe Buzlai de Gergel-Laka Janitorum, Michaële
„ de Palocz Pincernarum, Emerico Décſi Dapiferorum, Joanne Ernuſt de Chák-
„ tornya Agazonum, Gabriele de Perén, & Joanne Podmaniczki Cubiculario-
„ rum noſtrorum regalium Magiſtris, aliisque compluribus regni noſtri Comi-
„ tatus tenentibus, & honores.

Legatus Pontificius Hungaros ad commune in Venetos fœdus

Solutis Comitiis Legato Pontificio Senatus datus eſt, qui regem ad com-
mune in Venetos bellum invitarat. Julius enim, ut primum Pio III. ſucceſſe-
rat, Maximilianum in primis, cui veteres irarum cauſæ alioquin erant, tum
alios quoque Principes in Venetos concitabat, atque hunc in modum fœdus,
quod contra barbaros percuſſum alias narravimus, parum religione, & Chri-
ſtianæ reipublicæ periculo ductus, diſſolvit. Et quamquam Wladislao cum Ve-

netis

netis amicitia ſemel, atque iterum pactis conventis firmata intercederet, tamen, quod multum ab ejus viribus, & auctoritate momenti ad communem cauſam acceſſurum ſperabat, explorare per uuncios regis animum uon deſtitit, an averſo ab fœderibus animo bellum amplecti vellet, eam præcipue ob cauſam, quod, cum Veneti jura Eccleſiæ per ſummum uefas violenti invaſiſſent, jure fœderum minime teneretur. At rex & ſponte ſua ad pacis ſtudia proclivis, & amicitiæ tenax, ue nihil Poutificis precibus tribuiſſe videretur, a bello quidem ob fœderis communionem ſe temperaturum reſpondit, miſſurum tamen ad Venetos Legatum, qui illos, ut ablata Eccleſiæ reſtituerent, hortari, monereque non deſineret: ueque enim ſatis e reipublicæ commodo ſe facturum, ſi in tam vario, ancipitique Bajazetis animo, qui inducias ex lucri eventu ſervare conſueſſet, obmoto exteris bello barbarorum diſcrimini ſeſe objiceret. Itaque oratum Poutificem velle, ut ſibi eatenus morem uon gerenti, nihil fraudi verteret. Julius, cui ſatis erat, ne Hungari Venetos adjutum irent, gratias primum regi ob mittendum ad Venetos Oratorem habuit, tum cur in eos bellum decreſſet, cauſam reddit. (*i*) *Wladislao Hungariæ, Bohemiæque regi illuſtri. Oratorem Venetias pro reſtitutione civitatum, arcium, & locorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, te miſſurum oſtendis, & poſtremo invictum tuum, tuorumque animum pro tuitione reipublicæ Chriſtianæ, quamvis vires attritæ ſint, declaras, ſupra quam dici poſſit jucundæ nobis fuerunt litteræ ipſæ tuæ, recognoſcimus enim ex illis tuam ſingularem in nos, ſedemque Apoſtolicam pietatem, & ſolitam animi magnitudinem. Itaque primum de Oratore gratias tuæ ſerenitati agimus, quod tamen nequaquam potuiſſemus, cum ſis fœdere cum Venetis junctus, niſi nullum cujusvis amicitiæ, ac fœderis vinculum, in præjudicium Eccleſiæ, & adverſus Apoſtolicam ſedem valere, & ſervari debere ſciremus, ac ab eadem reſtitutione potiſſimum pacis Italiæ, & totius Chriſtianitatis defenſio, ac tutela penderet: donec Veneti ipſi in occupatione illarum perſiſtent, nec nos ita commode, ut optamus, pacem Catholicorum Principum inter ſe diſſidentium ſtabilire, nec eos ad ſanctam expeditionem, quam omni ſtudio quærimus, inducere ſic de facili poterimus. Cum pro patrimonio beati Petri, quod Veneti tam impie, injuſte, & crudeliter lacerant, nobis arma & temporalia, & ſpiritualia prius ſint exercenda: optamus, ut Veneti reſipiſcant, conſilia in melius vertant, tuique Oratoris verbis, ac ſuaſionibus magis permoveantur, quam moti ſint aliorum regum, & Principum Catholicorum, qui omnes ferme nunciis, & litteris eos ad reſtitutionem hujusmodi ſunt exhortati. Et ſane, quanto magis, magisque cogitamus, tanto magis miramur Venetos ipſos, qui propugnatores Catholicæ fidei dici volunt, in eam cupiditatem eſſe prolapſos, ut per ambitionem Italiæ dominio inhiantes, cum Deo, & beato Petro, quem tam inſigni injuria affecerunt, bellum gerere velint. Nos quidem eos omni tempore magnifecimus, & in Pontificatu noſtro etiam poſt acceptam talem injuriam, arciumque, & locorum hujusmodi occupationem multis gratiis proſecuti fuimus, ſperantes in bono vincere malum poſſe: ſed ipſi quotidie duriores videntur, nec conſiderant, quanto in periculo famæ, conſcientiæ, & rerum ſuarum verſentur; qui ea de cauſa pacem cum Turcis iniiſſe videntur, ut ſtatim Romanæ Eccleſiæ bellum inferre liberius poſſent. - - - Datum Romæ apud S. Petrum, die XXVI. Julii, anno Domini MDIV., Pontificatus noſtri anno primo.*

ample-ctendum hortatur.

Abnuit rex, & miſſurum ſe Legatos, qui Venetos Papæ concilient, promittit.

Gratiam illi propterea Pontifex habet.

Eodem modo regni ordinibus ſcripſerat, qui miſſo in urbem Oratore flagitabant, ut ſuam ad propulſandos ex Hungaria barbaros operam eorum ſtudiis conjungeret, pollicitus nil ſibi magis curæ futurum, quam conjunctis fœdere Principibus, ut primum ſeſe ex Venetis turbis explicuerit, in Turcos florentiſſimam expeditionem adornare. (*k*) *Laudamus in Domino*, inquit, *plurimum, ac plurimum veſtram pietatem, & animi magnitudinem, bonoque vos animo eſſe volumus. Nos enim omnes curas, & cogitationes noſtras ad decernenda contra perfidos Turcas, perpetuos Chriſtiani nominis hoſtes neceſſaria expeditione ducimus collocandas. Quamprimum enim Domino diſponente ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumti fuimus, Oratores noſtros ad excitandos Chriſtianos Principes, & reges inter ſe diſſidentes conciliandos illico miſimus, & ſi Deus pro ſtudio, & deſiderio noſtro annuerit, & nos talia vobis ſubſidia comparabimus, ut*

Et regni ordinibus ſubſidia in Turcos pollicetur.

(*i*) RAYNALD. Annal. Eccleſ. ad hunc annum. (*k*) Apud eund. ibid.

1504. *non ſolum veſtra tueri cum dignitate, ſed ultro Turcis ipſis bellum inferre poſſitis. - - . Datum Romæ apud S. Petrum die XXVII. Julii anno MDIV., Pontificatus noſtri anno primo.*

Joannis Corvini mors.

Obortam iſthinc conciliandi in barbaros Pontificis ſpem, non mediocri apud Hungaros dolore Joannis Corvini mors intercepit, quarto idus Octobres rebus humanis, cum trigeſimum quintum ætatis annum nondum compleſſet, exemtus, qui, quamquam patre rege natus proximam ad regnum ſpem haberet, eique capeſſendo eſſet idoneus, æquo tamen animo in utramvis fortunam comparatus, militiæque gloria florens, regis imperium pati maluit, quam ambitu rempublicam perdere. Conditus eſt Lupogiaviæ in Sclavonia. (*l*) Uxor illi Beatrix ex Fraugepanibus orta, lectiſſima mulier: ex qua liberos Chriſtophorum & Eliſabetham, ſed maturo funere elatos, reliquerat. Viduam ætate, ac opibus florentem Wladislaus Georgio Marchioni Brandeburgenſi, ſororis ſuæ filio nuptum poſtea collocavit, qui tametſi demtis iis, quæ Joannes in Sclavonia poſſederat, & ante mortem in familiares ſuos diviſerat, opulentiſſimam hæreditatem eo matrimonio adiiſſet, intra paucos tamen annos inſanis ſumtibus rem omnem decoxit, nulliſque poſtremo ſuſceptis ex Beatrice liberis vitam finivit. (*m*)

An. Chr. 1505.

Bogdanum Moldaviæ Vayvodam rex Polonis clientelari jure obſtringi patitur.

In Moldavia annus, qui hunc conſequitur, uovas ex improviſo res, turbasque coucivit, quæ primum in Poloniam propagatæ, in exitu poſtea Hungariam quoque corripuerunt. Bogdanus, qui defuncto patri Stephano Vayvoda in Magiſtratu ſucceſſerat, animum ad ducendam Eliſabetham Wladislai, & Alexandri Poloniæ regis ſororem adjecit, eamque ſibi per Legatos, quos Rodomiam, ubi tuuc Alexander egerat, miſit, conjugem dedi poſtulabat, duas ampliſſimas, quas Polonis ademiſſet, provincias ſe rediturum pollicitus, ſi voto potiretur. Abnuebat puella, & mater barbaricum fœdi, ac luſci hominis connubium, cum propter alienam religionem, tum inſignem crudelitatis barbariem, qua ſe finiamis non tam timeudum, quam exoſum reddiderat. Ea repulſa irritatus barbarus, tractum maritimum, Procuce dictum, ac Polonis obuoxium cum exercitu ingreſſus facile in poteſtatem redegit: ex quo tametſi Polonorum virtute ejectus eſſet, tamen quod majoribus iterum copiis bellum parare, ac in longius etiam tempus ducere vellet, Wladislaus, miſſis ad Alexandrum Osvaldo Corlatcovio, & Barnaba Belajo, Oratoribus pacem inter diſſidentes redintegrare ſtudebat: id maxime veritus, ne Bogdanus, ut erat præferocis, & verſipellis animi, vocatis in auxilium barbaris, funeſtiſſimo bello ſe, ac Polonos involveret. Legati Hungari, poſtquam ſuos quoque Oratores Bogdanus in Poloniam miſiſſet, poſt multas, ac diuturnas altercatioues fœdus inter Alexandrum, & Vayvodam in his conditioues conflarunt. *Elizabetha Bogdano nuberet his legibus, ut is ad Romanæ, & Catholicæ Eccleſiæ ritus cum aulico ſuo comitatu accederet: in Moldavia item, ut templa, ſacerdotes, & unus Epiſcopus Romani ritus inſtituerentur: Romanus Pontifex Bogdano po-* *ſtu-*

(*l*) Ejus tumulo hi verſus inſcripti leguntur, ut habet RATKAY in Mem. Ban. Dalm. Croat. & Sclav. Lib. 3. pag. 116.

Anno Domini milleſimo, quingenteſimo quarto,
Octobris duodecima die hora undecima nocturnali,
Heros ultimus dies Joannes Corvinus clauſit extremos,
Sub Eremo corpus ad Clauſtrum Lupoglava tumulare juſſit.
Aſpice rem charam bini hinc inde cingunt glorioſæ Virginis aram
Dux Joannes & filius ejus Chriſtophorus, quibus adſint gaudia trina.
Et ſequitur: *Dum licuit, tua dum viguit o Joannes poteſtas,*
Frans latuit, pax in regno iſto tuo tempore firma fuit, regum atque honeſtas.

(*m*) Itaque quomodo Joannis Corvini Stirps in Comitibus Sandreſtki, quos Godefridus Burchardus in notis ad Mellenii rem nummariam Hungaricam, in Sileſia & Bohemia florere ſcribit, propagari potuerit non video: niſi aut Mathias plures nothos habuerit, aut Joannes patris exemplo prolem quoque ex illegitimo thoro ſuſceperit, quod tamen apud neminem hactenus reperi. Mortuum autem poſt menſem Auguſtum colligo ex ejus litteris ad Caſtellanum caſtri de Hunyad datis, quarum hoc initium eſt: *Nos Johannes Corvinus Liptoviæ Dux, nec non regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Banus &c.* finis autem hujusmodi: *Datum in caſtro noſtro Krapyna in vigilia feſti Aſſumtionis Beatiſſimæ Mariæ Virginis anno Domini MDIV.*

ſtulante matrimonium id approbaret, Bogdanus regiis ditionibus fœderatus, ut eſſet, & cum ceteris Principibus Chriſtianis bellum contra barbaros ſuſciperet. (*n*) Ita pactis conventis utriuque ſubſcriptum eſt, tametſi poſtea, quam Sigismundus rerum potitus eſt, Bogdanus armis victus, pactionum litteras reddere cogeretur. Cautum quoque iis fœderibus ſeorſim eſt, uti Vayvoda Hungariæ, ac Poloniæ regibus clientelari jure obnoxius eſſet, tum ut ſuſpicionis materia inter reges ad vivum reſecaretur, tum ſi belli metus ingrueret, utrique ad propulſandum periculum armorum ſocius in promtu eſſet.

Qua re offenſi regni ordines;

Sed id ab Hungariæ ordinibus haud æquo, ut par erat, animo acceptum eſt. Ægre ferebant Moldaviam, & Valachiam Hungariæ obnoxia ab regno ſenſim avelli, aut certe jura utriusque provinciæ per regis incuriam ita ambigua reddi, ut prudens, volensque futuris bellis, & ſimultatibus ſementem præbere videretur. Neque animo exciderant Moravia cum Sileſia, & Luſatia, quas etſi crebro Hungariæ juribus copulari petiiſſent, repulſam tamen ſemper paſſos, aut incerta reſponſa ſe retuliſſe cum dolore meminere. Igitur cum pro more conventus in campum Peſtanum rurſus indictus eſſet, ignaro rege, aut, ut credibile eſt, diſſimulante, collatis inter ſeſe conſiliis, omniumque, qui aderant votis, ac ſuffragiis mire conſentientibus, decrevere: ne ullo deinceps tempore, ſi Wladislaus hærede maſculo careret, alienæ gentis, & ſanguinis regem quispiam deligendum proponere in medium auſit: qui contra facerent, ii atrociſſima denunciatione perculſi, bonis privarentur, ipſique, ac liberi eorum, aut perpetuo exilio, aut capite mulctarentur. Edictum ordinum nomine poſtea vulgatum ſic habet: (*o*)

Decretum condunt, ne quis unquam ex exteris rex optetur.

„ Nos Thomas Tit. Sancti Martini in montibus, ſacroſanctæ Eccleſiæ „ Romanæ Præsbyter Cardinalis, Strigonienſis, & Georgius de Frangepanibus „ Colocenſis, & Bachienſis Eccleſiarum canonice unitarum Archiepiſcopi: Sigis- „ mundus Thurzo Tranſilvanienſis, Georgius Varadienſis, Cancellarius re- „ gius, Franciſcus Jaurinenſis, Nicolaus de Chak Chanadienſis, Nicolaus de „ Bathor Vacienſis, Stephanus Nitrienſis Epiſcopi, & Joannes Ország Electus „ Sirmienſis, ac Bartholomæus prior Auranæ (*p*), Comes Dubicenſis. Item „ Emericus de Perén Comes perpetuus Comitatus Aba Ujvarienſis, regni Hun- „ gariæ Palatinus, & Judex Cumanorum, Petrus Comes de ſancto Georgio, „ & de Bozyn, Judex curiæ regiæ, ac Vayvoda Tranſilvanus, Joannes de Za- „ polya Comes perpetuus terræ Scepuſienſis, Dux Laurentius de Ujlak, Joſa „ de Som Comes Temeſienſis, ac partium inferiorum Capitaneus generalis, „ Blaſius de Raska Tavernicorum, Moyſes Buzlay de Gergel - Laka Janitorum, „ Georgius de Bathor Agazonum, Michaël de Palocz Pincernarum, Joannes „ Podmaniczky Cubiculariorum regiorum Magiſtri: Antonius de eadem Palocz, „ Franciſcus Comes de prædicto ſancto Georgio, & Bozyn, Georgius de Cani- „ ſa Banus Nandoralbenſis, Joannes Berizlo regni Raſciæ Despotus, Stephanus „ de Theleg Theſaurarius regius, Joannes Bebek de Pelsöcz, Georgius Dragfi „ de Belthök, Thomas Zéchi de Felſölindva, Michael Ország de Guth, Fran- „ ciſcus de Hédervara, Stephanus Bozgony de Marmaros, Joannes de Homo- „ na, Sigismundus de Loſoncz, Georgius Comes de Mèiſeo, Andreas Both de „ Bayna, & Franciſcus Balaſſa de Gyarmath regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & „ Sclavoniæ Bani electi - - (*q*) regni Nobiles, Proceresque, & Primores ejus-

(*n*) Cromer. rer. Polon. Lib. XXX.

(*o*) Ex MSS. Heveneſianis, quod & Belius notitiæ ſuæ, de nova Hungaria, inſeruit.

(*p*) An hic idem Bartholomæus Auranæ Prior, cum eo ſit, quem Bonfinius perpetuo carceri mancipatum, Iſtvánffius contra culeo inſutum, ac in profluentem præcipitatum ſcribunt, ne conjectura quidem aſſequor.

(*q*) Ceterorum hæc nomina ſunt: *Joannes Pethe de Gherſe Janitorum reginalium magiſter, Joannes Thariczai Siculorum, Ambroſius Sárkány de Akoshása Poſonienſis Comites, Michael de Chak, Joannes Banffi de Loſoncz Barones; nec non Barnabas Belay Zevrinienſis, Georgius More de Chivila Nandoralbenſis, Nicolaus Kende de eadem Chivila, de Szabacs, Mar-*

1505. „ dem regni univerſi in præſenti dieta, & conventione noſtra generali in campo
„ Rakos, de mandato præfati Domini noſtri clementiſſimi Wladislai regis pro
„ feſto beati Michaelis Archangeli proxime præterito celebrata, conſtituti exi-
„ ſtentes, memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes, quibus ex-
„ pedit, univerſis. Quod cum nihil in terris ſit, aut fiat Deo acceptius, vel
„ naturæ humanæ accommodatius, quam communi patriæ, univerſorum-
„ que hominum cœtui quam optime, quamque ſtudioſiſſime conſulere, omnes-

que

Marcus Horvat de Kamchach Caſtellanus caſtri Budenſis, Emericus Török de Ennying, Michael de Pakos, Martinus Czobor de Czobor Szent Mihály, & Michael Zob, Paulus de Mógh Vice-Palatinus, Ludovicus Zerechey de Miszenyen Vice-Judex curiæ regiæ, & partium regni Tranſilvaniæ, Mathæus de Mezeghy, & Franciſcus de Marotha, præſentiæ regiæ Majeſtatis Protonotarii, nec non Michael Imreffi de Szerdahely, Andreas Litteratus de Banthya Comes Cſongradienſis, Osvaldus Korlatkö caſtrorum Tata, & Comaromienſis Caſtellanus, Nicolaus Zekény de Albös, Nicolaus Szokol de Keverad, Ladislaus de Kiſſvárda, Nicolaus Hagymáſſi de Beregz, Albertus de Pakos, Stephanus Keſſerö, Ladislaus de Szent Péter, de Walko, Franciſcus Herczeg de Zekſe, Stephanus Iſtvanffi de Kiſſaszzonfalva, Joannes Bika de Tarantal, Georgius Orbovacz de Kraſſofö, Leonardus Dalmo de För, de Baranya, Stephanus de Korotna, Joannes Fanchi de Ghoidwa, Ladislaus Lengyel de Torcay, Joannes Kalma de Inakod Simegienſis: Franciſcus Bodo de Györgyi, Paulus & Nicolaus de Dombo, Georgius Zerechény de Meſzenyen, Nicolaus de Morghn Tolnenſis: Thomas de Artand, Nicolaus de Thorda, Michaël de Thold, Joannes de Bayon, Nicolaus de Móchtó Biharienſis: Georgius de Kerechény, Blaſius de Chan, Andreas de Kryber, de Laak, Zaladienſis: Georgius de Sitky, Ladislaus Sibrik de Sarvaskend Caſtriferrei: Franciſcus de Eszekwár, Georgius de Huſzothoth, Lazarus de Harczalom, Joannes de Ayka Veſprimenſis: Stephanus Chaki, Michaël Lorand, Sopronienſis: Georgius de Néma, Blaſius Legéndi, Jaurinenſis: Georgius de Illésbaza, Ludovicus de Körmend, Poſonienſis: Georgius de Erdöd Albenſis: Joannes Nagy, Ladislaus Solth, Joannes Balogh de Feö, Joannes Vaſs de Vaſcline, Comaromienſis: Clemens Roſen, Threncſinienſis: Matthæus de Kubin, de Arva: Chriſtophorus Turnoczi de Thurocz: Thomas Tornay, Liptovienſis: Georgius Mtſinczki, Zolienſis: Stephanus Mariasffy de Mariasfalva, Georgius Thermey, Scepuſienſis: Georgius Forgach de Ghymes, Benedictus de Tapolchan, Michael de Salgo Nitrienſis: Ladislaus de Kalna, Georgius Baranyai, Barſienſis: Blaſius de Ságh, Osvaldus de Sánthó, Georgius Radvetz de Theryen, Sigismundus Karchaly de Nempthi, Neogradienſis: Paulus de Kover, Georgius Mocskos de Nyeve, Ladislaus de Cſeby, Joannes Bakos de Oſzgyán, Hontenſis: Nicolaus Esbelcz de Syul, Michaël Konderoſſi de Gyal, Magiſter Adamus de Horváthi, Peſtienſis: Stephanus de Thas, Caſparus Rike de Pomaz, Piliſienſis: Franciſcus de Baſten Strigonienſis: Joannes, & Dominicus de Paſztho, Gallus de Bellyén Heveſienſis: Joannes de Chotnek, Nicolaus Loranſzky de Serke, Franciſcus de Rimaneth, Joannes de Feled Gomorienſis: Franciſcus Gyulaffi de Kaſſa, Stephanus de Rechk, Borſodienſis: Petrus Thurzo de Bethlemfalva, Ladislaus de Fenchal, Aba-Ujvarienſis: Chriſtophorus de Pan, Georgius de Chap, Zemplinienſis: Matthæus de Szinye, Sebaſtianus de Segne, de Saros: Dominicus Dobo de Ruska, Nicolaus Zerbite de Ungh: Ladislaus Jakſi de Naſzon, Blaſius de Namen, Martinus de Darocz, de Beregh: Georgius de Upbely, Nicolaus de Beken, de Ugocha: Joannes Gorzoros, Joſephus Butray Marmaroſienſis: Bartholomæus de Chachol, Georgius de Gachal, Joſephus Sepeſſy Szatmarienſis: Nicolaus de Sarmaſágh, Thomas de Boith, Zolnok medioeris: Hieronymus de Illosva, de Kraſzne: Melchior de Parlágh, Clemens Derſi, de Pethey, de Zabolcs: Sebaſtienus, & Petrus Abrahamffi de Gherla, Ladislaus de Ladan, de Bekes: Ladislaus Veſs de Gyula, Philippus de Baroetne, Joſephus de Veſen, Zolnok exterioris: Bernardus de Lopos de Varaskezö, Andreas Horvath de Zarand: Antonius Derſi de Petry ſimiliter Zarand: Bartholomæus Pathoczy de Ketskemeth, Petrus de Ravaſzt, Nicolaus Akbs de Keſzi, Stephanus Klöstr de Ivánhaza, Orodienſis: Ladislaus de Thelegd, Georgius Mako de Makosfalva, Lucas de Kuthás Chanadienſis: Ladislaus de Gyarmat Themeſienſis, Bartholomæus de Koray, de Tarantal, Michaël de Kenderes, Franciſcus Zolthay, Bachienſis: Andreas Perea, Joſephus de Doroſzló de Bodrogh, Georgius de Doch, Georgius Peſztiny de Marsonos, Stephanus de Sinunhaza, Chongradienſis: Nicolaus de Zalatnach, Sigismundus Kaczky de Poſega, & Michael Petrovicz de Orbaz Comitatuum prædicti regni Nobiles, &c.

„ que conatus, curam, ſolertiam, omne denique ſtudium, & induſtriam ad ſa- 1505.
„ lutem, & uſum ipſius patriæ, ac gentis ſuæ referre, quoque ipſa ſalva ſit,
„ & incolumis, præſentia pariter, & impendentia exactius, vigilantiusqne tue-
„ ri, & uuiverſa diſcrimina, in quæ illa ex incuria, & deſidia conſervatorum
„ ejusdem facile iucidere poſſet, ita propalſare, ut in tuto, & tranquillo collo-
„ cata, & ſtabilis ex omni parte eſſe videatur. Sane igitur nos in animo noſtro
„ ſæpius revolventes, gravem illam, & prope exitioſam hujus incliti regni Hun-
„ gariæ deſolationem, atque indigentiam, in quibus illud idem hoc tempore
„ enormiter admodum jacere quisque facile cognoſcere poteſt, volentes more
„ optimorum regnicolarum, & patriæ uoſtræ amatorum, & couſervatorum
„ ejusdem deſolationi, atque extremæ ruinæ ejusdem maturius conſulere, plu-
„ res hinc inde dietas, magnos etiam, & inexplicabiles labores, fatigia, & ex-
„ penſas in ea ipſa re hucusque fecimus. Et licet aliqua ſint per hæc tempora
„ multis, & variis curis, & laboribus reformata, & rectificata, tamen unum
„ hoc præcipuum comperimus, per quod hoc ipſum regnum noſtrum vehemen-
„ ter dilaceratum, debilitatumque: & ad hanc turpem deſolationem, & in
„ omnibus ſuis membris deformitatem exſtitit redactum: quod videlicet hoc
„ ipſum regnum ſæpenumero ab alienigenis, & forenſibus Dominis, & Regibus
„ exſtitit gubernatum, quorum temporibus, ſi præterita commemorare lice-
„ ret, aut opus eſſet, facile appareret regnum hoc nunquam majus periculum,
„ & deſolationem ſubiiſſe, quam tunc, cum ſub forenſi Domino, & non ſui
„ linguagii fuit tentum, & gubernatum. Hi etenim forenſes privatis rebus
„ eorum intenti, priusquam mores, & conſuetudines hujus Scythicæ gentis,
„ quæ ſicuti regnum hoc cum maxima ſanguinis ſui effuſione, & fratrum ſuo-
„ rum ingenti cæde acquiſivit, ita ferro, & armis, modo quoque tutari ſolet,
„ didiciſſent, ſemper ocio potius; & quieti, quam armis incubuerunt, quo fa-
„ ctum eſt, ut Rama, Servia, Gallicia, Lodomeria, Bulgaria, Dalmatiaque,
„ & alia quam plurima fortalitia per eorum incuriam ab hoc regno ſint abalie-
„ nata, adeo, ut dilaceratis extremitatibus, verendum nobis ſit, ne hoſtiles
„ impetus jam ad interiora etiam ſe convertant, quæ minime acta fore arbitra-
„ mur, ſi hæc gens Hungarica natalis ſoli dulcedine illecta, non de exteris na-
„ tionibus, ſed de gente ſua quempiam regem idoneum pro ſe elegiſſet. Nam
„ ut ſereniſſimorum regum Andreæ II. patris, ut puta Belæ regis IV., ac Lu-
„ dovici, ac Mathiæ, aliorumque Divorum Hungariæ regum acta, præclara-
„ que geſta, quibus hanc gentem Scythicam non ſolum claram, magnificamque
„ nomine, & gloria reddiderunt, verum famam ipſius per orbem univerſum
„ terrarum longe, lateque diffuſam ad æthera usque tranſtulerunt, brevitatis
„ ratione prætereamus, nullus eorum, qui de ſtirpe Hungaricæ nationis ad re-
„ gale faſtigium ſublimatus fuiſſe dignoſcitur, diſpendium, ſed potius augmen-
„ tum, & utilitatem huic regno attulit.

„ E contra vero: qui ex externa natione inducti exſtiterunt, non ſolum
„ huic regno periculo fuere, verum etiam, ut hoſtes interdum ſæviſſimi intra
„ viſcera regni crudeliter graſſati, probro maximo gentem hanc affecerunt.
„ Huic igitur, & tanto malo, noſtroque omnium diſpendio volentes jam tan-
„ dem occurrere, ne, ſi modernum gratioſiſſimum Dominum noſtrum Wla-
„ dislaum regem Hungariæ, & Bohemiæ &c. qui nos in omni gratia, & liber-
„ tate non modo gratioſe rexit, & conſervavit, ſed plures libertates noſtras re-
„ formavit, ab hac luce absque hæredibus maſculinis decedere contingat, nos,
„ & hoc regnum in majori diſcrimine permaneat; & ne quisquam forenſium
„ Principum regnum iſtud ſibi violenter uſurpet, nosque in ſervitutem perpe-
„ tuam redigat, maxime etiam, & præcipue ea ratione inducti, quod per to-
„ tum orbem nulla dignoſcitur natio, ſeu gens, quæ non de gente, & ſanguine,
„ atque natione ſua regem, & Dominum ſibi eligat: ne igitur hoc regnum
„ quod antemurale, clypeusque Chriſtianitatis exſtitit, & magna ſua, ſuorum-

1505. „ que cæde ſemper Chriſtianitatem ipſam defendit, minus, & quodammodo
„ infelicius eſſe videatur, ſanximus, & unanimiter omnes a minore ad maximum,
„ & a maximo ad minorem ſtatuimus, & ordinavimus, quod amodo deinceps,
„ quotiescunque, & quandocunque hoc regnum Principe, & Rege orbabitur,
„ nullique hæredes maſculini de jure, atque conſuetudine ejusdem regni ſucce-
„ dere debentes, ſuperſtites remanſerint, ex tunc de cetero in perpetuum nul-
„ lum penitus exterarum nationum, cujuscunque linguagii exiſtat, in Regem
„ noſtrum eligemus, ſed tantummodo Hungarum ad hoc officium regiminis
„ aptum, & idoneum parili voto, & unanimi conſenſu, ac voluntate in campo
„ duntaxat Rákos, & non alibi pro Domino, & Rege noſtro aſſumemus, eli-
„ gereque, & aſſumere, & acceptare debeamus. Quoniam autem nonnulli
„ Principes, & Reges vicini, qui ad hoc regnum pro ſe vindicandum, quotidie
„ anhelant, qui poſt obitum præfati ſereniſſimi Domini noſtri Regis, ſi quidem
„ absque hæredibus maſculis, quod Deus avertat, decederet, vel etiam eo ad-
„ huc in humanis agente hoc regnum, vel partes, vel membra ſuis armis im-
„ petere, aut aggredi, ipſumque, & nos omnes forſitan, vi, & armis ſubja-
„ gare ſibi conarentur; ne igitur in tali caſu hoc ipſum regnum, partesque
„ ejusdem, & maxime fratres, & amici noſtri in confinibus exiſtentes, per eos-
„ dem hoc regnum præter noſtram unanimem electionem, & contra hujusmo-
„ di ſtatutum noſtrum, ſeu etiam alias qualitercunque occupare, & ipſis appro-
„ priare volentes, opprimantur, promiſimus, & juravimus in noſtris, ac hæ-
„ redum, & ſucceſſorum noſtrorum nominibus, & in perſonis, omnes ſtipu-
„ lata manu, nos Prælati ad conſcientiæ noſtræ puritatem, nos vero Barones,
„ Proceres, & Nobiles præfati ad fidem noſtram Chriſtianam, atque honorem,
„ & humanitatem noſtram, quod in tali caſu nullus alterum derelinquet; ſed
„ alter alteri ſecundum limitationem ſuperinde factam, cum gentibus ſuis juxta
„ contenta generalis decreti noſtri conſervare debentes, & dum opus fuerit,
„ majori etiam potentia, qua poterit, ſemper, & quidem in tempore fideliter
„ ſuccurrere. Imo ſi neceſſarium fuerit totum hoc regnum, & conſequenter
„ nos omnes per ſingula capita inſurgere, talique hoſti occurrere, & pro ipſa
„ patria noſtra ad mortem usque decertare teneamur, nec interim ullo pacto ceſ-
„ ſare debeamus, donec, & quousque nos a tali hoſte in libertatem vendicabi-
„ mus, & regnum hoc ab illius impetitione, ſeu infeſtatione, Dei auxilio libera-
„ bimus, & in tranquillitatem priorem reponemus. Si qui vero noſtrum con-
„ trarium præmiſſorum facere præſumerent, tales perpetui infideles regni ha-
„ beantur: quibus neque Majeſtas regia de novo conſtituta, & nec totum ipſum
„ regnum gratiam facere poſſit, ſed jugo perpetuæ ſervitutis, & ruſticitatis
„ ſubjecti reatus ipſorum pœnam luant ſine fine. Harum noſtrarum, quas nos
„ Prælati, & Barones impreſſione ſigillorum noſtrorum ſub veris annulis noſtris,
„ nos vero Nobiles, & Proceres præfati ſigillis prælibatorum Dominorum Eme-
„ rici de Perén Comitis, & Palatini, ac Comitis Petri Judicis Curiæ Regiæ, &
„ Vayvodæ Tranſilvani autenticis communiri fecimus, vigore, & teſtimonio
„ litterarum mediante. Datum in campo Rakos prædicto, die decimo quinto
„ congregationis noſtræ generalis antedictæ, anno Domini MDV.

Quod edictum poſtea per regni provincias vulgatum eſt.

Id edictum haud multo poſt ſolutum conventum ex ordinum decreto per ſingulas regni provincias vulgatum eſt, cujus conſilii auctorem Stephanum Verböczium, virum præter inſignem jurisperitiam eloquentiæ laude florentem, ſed immodice factioſum, fuiſſe comperio, qui, ſi Iſtvanffyo credimus, Joanni Zapolyano Comiti Scepuſienſi, cum nuptiis Annæ nondum bimulæ tyrannidem affectanti, viam ad regnum ſenſim complanare voluerit. Quod quam vere dicatur, prorſus non conjicio: Joanni enim præter patrias fortunas, nomenque nihil omnino cauſæ fuit, cur nullo adhuc Magiſtratu, neque pro publico commodo patrata, inſignis, in Gereborum, ac Laurentii Ujlakii, quorum illi Mathiæ Corvino ſanguine proximi, hic Bosniæ regis filius fuere, contentionem, ac

regni

regni ſpem venire potuerit. Neque ei poſtea Wladiſlous ampliſſimas provinciarum præfecturas crediđiſſet, ſi affectati regni ſuſpicio locum, aut veri ſpeciem apud regem obtinuiſſet. Credo ex rebus ſub Ludovico geſtis ſuſpicioni huic cauſam oblatam eſſe: ſed de his poſtea viderimus. Quo loco detegendus mihi eorum, qui de rebus Auſtriacis ſcripſere, inſignis error eſt: qui Stephanum Palatinum Joannis Scepuſienſis patrem in vivis tum adhuc egiſſe, cum ordines edictum de legendo domeſtico rege condiderunt, ſibi perſuadent, Annamque regis filiam, Joanni deſponderi poſtulaſſe, Wlodiſlao ob infirmam valetudinem pene conſentiente, cum tamen compertum ſit, Stephanum multo ante rebus humanis exemtum fuiſſe, quam Wladiſlaus Annam Gandalenſem connubio ſibi junxiſſet.

Id Wladiſlaus ſolita deſidia tacitus concoquit.

Niſi me conjectura prorſus fallit, ſatis liquet, ordines illo in primis ſpectaſſe, uti Maximilianum ſucceſſionis jure excluderent, & pacta conventa, quæ Mathiæ cum Friderico III. & Wladiſlao cum Maximiliano interceſſerant, penitus irrita declararent. *Quæ cum ad Wladiſlaum*, ut Iſtvanffius ſcribit, (r) *per ſecretos, fideleſque homines perlata eſſent, tantum abfuit, ut mtns ſeditionum obviam iret, exemplo in auctores ſtatuto, ut ne verbum quidem paulo ſeverius proloqueretur, id duntaxat diceret, Deo optimo maximo ſe, ac ſalutem ſuam, & ſuorum curæ fore. Quam ob rem etiam ab iis, qui ei favebant, tam præcipitis ſeu ignaviæ ſeu cunctationis nomine contemtui habebatur. Et niſi regina, virilis animi, induſtriæque mulier, rerum domeſticarum, & aulæ munia, curamque ſuſcepiſſet, procul dubio in iis etiam, quæ ad quotidiani victus neceſſitudines pertinent, acciſis per incuriam, & inertiam ejus, tributorum, & vectigalium reditibus, aut ab rapaciſſimis, & perditiſſimis præfatis, procuratoribuſque in privatos uſus ſubreptis defectus quam plurimos conſequi neceſſum fuiſſet.*

Rex in anni exitu legatione a rege Galliarum excolitur

Ceterum rex in anni exitu ſplendida legatione a Ludovico Galliarum rege officii cauſa excultus eſt, miſſo Heliano Vercellenſi, qui Oratoris prærogativa apud Wladiſlaum fungeretur; ſuoque, ac conjugis nomine non modo recens initam ſecum amicitiam firmaret, ſed ſtudium, & operam, quacunque in re illius uſus eſſet, liberaliter polliceretur. Habuit rex Ludovico gratiam, ac gaudium, quod ſibi ex ea legatione obortum eſſet, per litteras in hæc verba explicuit: (s) *Chriſtianiſſimo, ac excellentiſſimo Principi & Domino, Domino Ludovico, Dei gratia Francorum, Siciliæ, Jeruſalem Regi, Duci Mediolani, & Januæ, Domino affini, & conſanguineo noſtra chariſſimo, Wladiſlaus eadem gratia Hungariæ, & Bohemiæ &c. Rex ſalutem, & felicium ſucceſſuum incrementa. Pergratæ mihi litteræ Majeſtatis veſtræ exſtitere, quæ ſuum in nos amorem, ſingularem ſuam benevolentiam multo verborum cumulo, multis, & lucidis argumentis teſtabantur. Quippe magno deſiderio cognoſcendi noſtram, & illuſtriſſimæ Dominæ Reginæ, conſortis noſtræ chariſſimæ bonam valetudinem, incolumitatem, ceterorumque ſucceſſuum, pro noſtro ulteriori ſtabilimento conditiones, eam teneri ſane ex iiſdem animadvertimus; quandoquidem non vulgaribus, non domeſticis rumoribus contenta, ad cognoſcenda hæc omnia vel peculiarem ſuum nuncium, pro tanto locorum intervallo, placuit eidem ad nos uſque miſiſſe; de cujus tanti animi erga nos, & dictam illuſtriſſimam Dominam Reginam, noſtram conſortem teſtificatione, atque declaratione uberrimas, meritaſque eidem habemus gratias, relaturi officioſis noſtris muneribus, dum uſus evenerit. Nos contra ſuam; & Chriſtianiſſimæ Dominæ Reginæ, conſortis ſuæ chariſſimæ aptimam valetudinem, tranquillum, pacatumque ſtatum regnorum ſuorum, & ceterâ omnis felicitatis argumenta, æquis auribus ab eodem nuncio ſuo accepimus: id, quod non modo gratiſſimum nobis accidit, verum etiam ſummæ voluptati nobis fuit, cum in ſalute, ac ſecundis rebus Majeſtatum veſtrarum perinde, ac noſtra peculiari, pro jure ſanguinis pulcherrime conquieſcamus. De oblationibus autem facultatum ſuarum, æquas item eidem habemus gratias, & eas quanti fecerimus, faciamuſque quotidie, vel hoc ipſo judice Majeſtati veſtræ cognitum eſſe poterit, quod pro illa animi fiducia, quam in ea gerimus, nacta tempore æque illis, ac noſtris libere utemur. Quam viciſſim rogamus, vel noſtris, quantulæcunque illæ ſint,*

(r) Hiſt. Hung. Lib. IV. (s) Ex Cod. MS. rerum ſub Wladiſlao geſtarum.

1505. *veluti ſuis, quæ omnia æque ſua ſunt, ac noſtra ingenue utatur: quandoquidem nihil tale in poteſtate noſtra collocatum eſt, quod non eidem ſit pro ejus arbitrio commune ſemper futurum. In quo plane exiſtimet non rem tam ſibi neceſſariam, quam nobis gratiſſimam facturam. Quam optamus bene, fauſteque, ac feliciter ſemper valere. Datum Budæ XXIII. Novembris MDV.*

In eandem ſententiam ad regis conjugem ſcribit.

Eodem fere argumento, & officii ſignificatione ad Annam Ludovici conjugem reſcripſit, niſi quod in cauſa palatinalium, quos uxor ſibi ex Gallia in Hungariam adduxerat, nonnullis elevat, quæ ſibi ceteroquin, aut conjugi ſuæ, parum æquam calumniam conflare poterant. (t) *Wladiſlaus Dei gratia Hungariæ, & Bohemiæ &c. Rex. Chriſtianiſſimæ, ac illuſtriſſimæ Principi, & Dominæ, Dominæ Annæ, eadem gratia Reginæ Francorum, & Duci Britanniæ conſanguineæ noſtræ Chariſſimæ ſalutem, & felices ad vota ſucceſſus. Quantam ex litteris Majeſtatis veſtræ omni demonſtratione amoris, & benevolentiæ acceperimus conſolationem, qua voluptate illis perlectis una cum illuſtriſſima Domina Regina conſorte noſtra chariſſima effecti ſimus, non facile putamus verbis poſſe perſtringere, quandoquidem tantam magnitudinem amoris præſeferunt, ut ſupra dici, ſcribique nihil queat. Nam Majeſtas veſtra vagis, & externis rumoribus minime contenta de ſtatu, de incolumitate, de bona valetudine noſtra, ac dictæ Dominæ illuſtriſſimæ Reginæ noſtræ conſortis vel per nuncium proprium certior reddi voluit, qua in re ſincerum ſuum in nos animum plane certe teſtata eſt, cui ob id habemus, agimusque uberes gratias. Nos contra de Majeſtatum veſtrarum optima valetudine, ac ceteris earum felicibus ſucceſſibus ab eodem nuncio ſuo non ceſſamus quamprimum certiores fieri, & avidiſſimo animo ab eodem omnia cognoſcere: quo certe non mediocriter etiam delectati ſumus, ſecunda omnia iſthinc intelligere potuiſſe. Cauſas autem, & tam munificentiſſimas oblationes ſuas, quas veſtra Majeſtas pro ſuo liberali inſtituto nobis fecit, tanto, tamque grato accepimus animo, quanto conjunctio mutui ſanguinis merito expoſtulabat; in quo nos nullo unquam tempore dubitavimus, & ſuis facultatibus perinde, ac noſtris peculiaribus, nacto uſu libentiſſime utemur, utque noſtris quoque pro ſui animi arbitrio utatur, eam unice rogamus. Nam non modo Majeſtatibus veſtris, quibus nexu iſto jam ex Dei clementia jungimur, verum etiam univerſæ nationi Gallicæ non mediocriter, ut par eſt, certe afficimur. Hunc fervorem ſuſceptæ noſtræ charitatis in eam gentem ſane teſtari poterunt aulici dictæ illuſtriſſimæ Reginæ, noſtræ conſortis, quos omnes favore regio, atque munificentia proſecuti ſumus, uti vel deinceps facturi ſumus, & præſertim magnifico Domino de Mylad, cum ejus Domina conjuge, qui ob eorum in nos, & dictam illuſtriſſimam Dominam Reginam, noſtram conſortem, fidem, ſedulitatem, & omne obſequendi ſtudium, atque munus, chariſſimi utrique noſtrum habentur, quos etiam ſingulari noſtra gratia ob id proſequemur, & quos, tametſi non ignoremus, Majeſtati etiam veſtræ chariſſimas exiſtere, tamen ut vel noſtri intuitu, eosdem majori cumulo charitatis, & gratiæ amplecti velit, eandem iterum, atque iterum rogamus: ſi quid enim cumuli additum ſenſerimus, ad ſingularem ſuam erga nos oſtenſam hactenus benevolentiam accedere certe putabimus. Quod Tyberia puella remeare potius ad ſuos, quam hic apud nos agere conſtituerit, occaſionem pro reditu non arbitramur hic ſibi præſtitam eſſe. Quandoquidem & nos, & illuſtriſſima Domina Regina, conjux noſtra, præcipua ſemper benevolentia, ac favore eandem, & ſui, & præſertim intuitu Majeſtatis veſtræ proſecuti ſumus; & jam inſtitueramus etiam, ipſam pro conditione generis, atque ætatis ſuæ honeſto fœdere matrimoniali cohoneſtare, ut Majeſtatem veſtram & ex litteris illuſtriſſimæ Dominæ Reginæ noſtræ charæ conjugis, & oratione, verbisque hujus ſui nuncii, quem pro ejus ſatisfactione exſpectationis, ad eandem tempeſtive remittendum putavimus, apertius, uberiusque cogituram non dubitamus. Quam pro augmento, atque amplitudine felicis ſui ſtatus optamus bene, feliciſſimeque ſemper valere.*

Datum Budæ XXIII. Novembris MDV.

(t) Ibidem.

LIBER

LIBER V.

Novus belli a Maximiliano metus per mutua inter liberos, & nepotes connubia tollitur.

Dum hunc in modum officiis, ac humanitate Wladiſlaus cum Ludovico certat, Maximilianus Romanorum Rex bellum eminus oſtentabat, quod ex Regis inertia, graviſſima illi ſuſpicio ingeſta eſſet, ne non Wladiſlao aut conſcio, aut non invito regni Optimates edictum, per quod ab jure ſucceſſionis excludebatur, cujusque fama ad illius quoque aures perlata fuit, condidiſſent. Quare nuncios ultro, citroque miſſos, qui rei cauſas explorarent, componerentque, memoriæ eſt proditum: quorum ſtudio, quod Regina rurſus uterum ferret, ordinum deſtinationi, qua Cæſarem ab regni poſſeſſione arcere volebant, obviam itum eſt. Wladiſlaus enim, ut ſuſpicionem animo Imperatoris penitus eximeret, facile aſſenſus eſt, ut inter hujus nepotem Ferdinandum, Archiducem Auſtriæ, & Annam filiam, aut ſi hæc decederet, illam, quam Regina enixura eſſet, matrimonium conflaretur: (*a*) ſin autem filium ederet, hic Mariam Cæſaris neptem, anno priore natam, connubio ſibi jungeret. (*b*) Litteræ pactionum ab Cæſare Neoſtadii, ab Rege Budæ XIII. & VI. calendas Apriles ſignatæ ſuot: quibus alteras poſtridie Wladiſlaus adjecit, per quas Maximilianum orabat, ut, ſi ſe mortem cum vita commutare contingeret, non ſolum Annæ filiæ, ſed illius etiam, quam uxor paritura eſſet, prolis tutelam accipere ne gravaretur. (*c*)

Sed rurſus inducto in Hungariam exercitu inſtauratur.

Rebus ita conſtitutis, tametſi amicitia inter Cæſarem, & Wladiſlaum redintegrata eſſet, hærebat tamen animo, & curas Maximiliani vehementer augebat, ne, quod ordines per regni provincias edictum vulgarunt, juri, quod ſibi ex pactis conventis in Hungariam mutua partium conſenſione aſſertum erat, olim obeſſet, ac ſpebus ſuis ingentia, nec niſi bello amovenda obſtacula opponeret. Itaque ex Tirolenſibus, ad quos vere proximo acceſſerat, redux, vi, ar-

(*a*) Exſtant, ut Cl. KOLLAR. in Auct. Diplom. ad URSINI VELII Hiſt. de bello Pannonico memorat, in Tabular. Sacrat. Aug. Domus itteræ *Maximiliani Romanorum Regis de futuro matrimonio inter nepotem ſuum Ferdinandum Archiducem Auſtriæ, & Wladiſlai Hungariæ, & Bohemiæ Regis filiam Annam, aut, ipſa decedente, alteram filiam ex Regina Hungariæ tunc gravida fortaſſe naſcituram. Datum in nova civitate die 20. Martii anno 1506.*

(*b*) *Ejusdem litteræ de futuro matrimonio inter neptem ſuam Mariam, & Wladiſlai Hungariæ, & Bohemiæ Regis filium ex Regina uxore ipſius tunc gravida fortaſſe procreandum. Datum in nova civitate die 20. Martii, anno 1505.* Utrumque deinde matrimonium aliis litteris complexus eſt, eadem die, & anno. Exſtant ibidem *litteræ reciprocæ Wladiſlai Hungariæ, & Bohemiæ Regis de futuro matrimonio inter filium ſuum ex Regina uxore fortaſſe procreandum, & Maximiliani Romanorum Regis neptem Mariam. Dat. Budæ 27. Martii, anno 1505.* Item aliæ ejusdem litteræ de utroque matrimonio, eadem die, & anno, uti & Annæ Reginæ ſuo arbitrio idem confirmantis.

(*c*) Exſtant ibibem *litteræ Wladiſlai Hungariæ, & Bohemiæ Regis ad Maximilianum Imp. quibus in caſum mortis ſuæ, filiam ſuam Annam, & prolem ex Regina gravida naſcituram tutelæ, & protectioni ipſius Imp. commendat. Datum Budæ die 28. Martii, anno 1506.*

1506. armisque parandum ratus, quod æquitate ſe impetraturum deſperabat, exercitum Hungariæ infudit, & ad Poſonium, ut conſilio locum, ac ſpacium daret, conſtitit, populationem in mediterranea late circumferens. (*d*) Adventus Cæſaris armati, ut præter exſpectationem omnibus fuit, ita, quod imparatus Rex cum ordinibus a milite eſſet, pleroſque percellebat, minime ignaros, quid Maximilianus bellum eminus oſtentans, ſibi vellet. Objectæ ad ſpeciem magis, quam ad vim propulſandam copiæ ſunt. Itaque fuere non pauci, qui conſcio Rege Cæſarem vim parare putabant, ut Optimates ad confirmanda vetera pacta ſuis ingratiis cogerentur. Certe haud multo poſt, quam vim vi propulſandi ſpes nulla fuiſſet, Wladislaus Legatos ad Cæſarem decrevit, qui initis fœderibus armatum pacarent. Lecti ſunt Gregorius de Frangepanibus, Metropolita Colocenſis, Georgius Quinque-Eccleſienſis Epiſcopus, tum Petrus Comes Sancti Georgii, Vayvoda Tranſilvaniæ, ac Moyſes Buzlay Curiæ Regiæ Præfectus, quibus poteſtas facta agendi cum Cæſare, ac fides per litteras Regis conciliata. Earum hæc ſententia eſt: (*e*)

Itaque Legati cum litteris mittuntur, qui cum Maximiliano,

„ Nos Wladislaus Dei gratia Rex Hungariæ, & Bohemiæ &c. recogno-
„ ſcimus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit univerſis. Quod nos
„ de fide, & fidelitate, ac rerum gerendarum experientia fidelium noſtrorum,
„ reverendorum in Chriſto patrum, Dominorum, Gregorii Archiepiſcopi Colo-
„ cenſis, & Georgii Epiſcopi Quinque-Eccleſienſis Eccleſiarum, Cancellarii
„ noſtri, nec non ſpectabilis, & magnificorum Petri Comitis de Sancto Geor-
„ gio, & de Bozyn, Judicis Curiæ noſtræ, ac Vayvodæ Tranſilvanienſis, &
„ Moyſis Buzlay, ſupremi Magiſtri Curiæ noſtræ, oratorum, & conſiliariorum
„ noſtrorum ad plenum confiſi, eisdem plenum mandatum, ac plenam, &
„ omnimodam facultatem, & poteſtatem noſtram in eo dandam duximus, &
„ concedendam, ut ipſi nomine, & in perſona noſtra, ac totius regni no-
„ ſtri Hungariæ, ſive cum ſereniſſimo Principe, & Domino, Domino Maximi-
„ liano, Romanorum Rege &c. fratre, & conſanguineo noſtro chariſſimo, ſive
„ cum Oratoribus ejusdem, per ſuam Majeſtatem ad id deputandis, ad oppidum
„ Owar, vel alibi, ubi de partium voluntate opus erit, convenire, ac ſuper
„ rebus, & negotiis neceſſariis, juxta noſtram, & ejusdem regni noſtri com-
„ miſſionem, & informationem cum eisdem loqui, tractare, diſponere, & con-
„ cludere poſſint, & valeant, quæ ad ea negotia deducenda, neceſſaria viſa
„ fuerint: etiam ſi talia fuerint, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quam
„ præſentibus eſt expreſſum, & quæ nos ipſi facere poſſemus, aut deberemus,
„ ſi perſonaliter intereſſemus: promittentes in verbo noſtro regio, & bona fide
„ mediante, nos omnia, & ſingula, quæcunque per dictos Oratores noſtros in
„ hujusmodi conventu acta, tractata, diſpoſita, & concluſa fuerint, rata, &
„ grata habere, ac firmiter, & inviolabiliter velle obſervare, atque cum uni-
„ verſo hoc regno noſtro, & cunctis ſubditis noſtris ejusdem regni noſtri, cu-
„ juscunque ſtatus, & conditionis fuerint, firmiter facere obſervare, litteris
„ etiam, & privilegiis noſtris ea omnia roborabimus, & confirmabimus, quin
„ etiam litteras, & litteraria inſtrumenta, ſi quæ in finalem concluſionem, &
„ perfectionem hujus modi negotiorum per eos tractandorum, quibuscunque
„ datæ fuerint, litteris, & ſigillis noſtris redimere, & nos pro illis ſatisfacere
„ volumus, imo damus, & concedimus harum noſtrarum ſecreto ſigillo noſtro
„ impendenti, chirographo noſtro conſignatarum vigore, & teſtimonio litte-
„ rum mediante. Datum in civitate noſtra Alba regali, in feſto nativitatis

„ beati

(*d*) Noſtri, quod ſciam, Scriptores de hoc bello, ac confectis poſtea fœderibus, ſilent. Meminit illius Gerardus de Roo Lib. XII. exſtantque apud Cl. LINCK in Annal. Claravall. litteræ Abbatis Zwetlenſis, quibus *ſcribit Joanni Weidacher allodiarum magiſtro in caſtris Regis moranti, ut agat monaſterii nomine apud Regem Romanorum, quatenus acceptis quatuor equis in curru ad arma parato contentus eſſe velit. Datum Viennæ anno 1506. feria III. ante corporis Chriſti,* quæ incidit in IX. Junii.

(*e*) Auctar. Diplom. Cl. KOLLARII.

„ beati Joannis Baptiſtæ, anno Domini MDVI. regnorum noſtrorum, Hunga-
„ gariæ &c. anno ſexto decimo, Bohemiæ vero trigeſimo ſexto.

Sed cum metus eſſet, Cæſarem ob vulgatum nuper ab regni ordinibus edictum, ab fœderis tractatione alienum fore, niſi Optimates fidem qnoque darent, Oratores, quidquid Regis juſſu acturi eſſent, ſuo, & regni totius nomine itidem acturos, placuit, ut Proceres quoque datis ſuo nomine litteris omnem fraudis ſuſpicionem ab Legatis amolirentur. Itaque plerique, qui haud ita dudum de exauctorando olim Maximiliano egerant, partim præſentis periculi metu, partim Regis auctoritate inducti, publicas fidei litteras, quibus Regiis Legatis cavent, in hæc verba dedere: (*f*)

Non regis ſolum, ſed regni etiam nomine tranſigant.

„ Nos Thomas miſeratione Divina tituli ſancti Martini in montibus ſa-
„ croſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Strigonienſis, ſummus, &
„ Secretarius Cancellarius Regius &c. ac Sigismundus Thurzo Varadienſis, Fran-
„ ciſcus Jaurienſis, Nicolaus de Chák Chanadienſis Eccleſiarum Epiſcopi, nec
„ non Bartholomæus Prior Auranæ: Item Emericus de Perén perpetuus Comes
„ Abauivarienſis, & regni Hungariæ Palatinus, Joannes de Zapolya, ſimiliter
„ perpetuus Comes terræ Scepuſienſis, Joſa de Som Comes Themeſienſis, ac
„ partium regni Hungariæ inferiorum Capitaneus generalis, Blaſius de Raska
„ Tavernicorum regalium Magiſter, Benedictus de Bathján Theſaurarius regius,
„ Joannes Deſpotus Raſciæ, Georgius de Bathor Agazonum regalium Magiſter,
„ & Comes Sunighienſis, Michael de Palocz Pincernarum regalium Magiſter,
„ Joannes Podmaniczky Cubiculariorum Regiorum Magiſter, Michael Ország
„ de Guth, Stephanus de Rozgony, Joannes Dragffi de Belthök, Emericus
„ Deeſi Dapiferorum regalium Magiſter, Stephanus de Thelegd, Georgius Mo-
„ re Banus caſtri Nandoralbenſis, Georgius de Streſemlye Banus de Zrebernic,
„ Joannes Dánffi de Bolondoch, Emericus Thebrec de Ennying, Emericus, &
„ Martinus Czobor, Franciscus Beriszlo de Graborya, alter Franciscus Balaſſa
„ de Gyarmath, Prælati, & Barones, ac Nobiles, & Proceres totius hujus re-
„ gni Hungariæ, nunc apud Majeſtatem Regiam in civitate Alba regali conſti-
„ tuti, totum regnum Hungariæ repræſentantes, recognoſcimus tenore præ-
„ ſentium, ſignificantes, quibus expedit, univerſis, quod nos de fide, & inte-
„ gritate, rerumque gerendarum experientia reverendorum in Chriſto patrum,
„ Dominorum Gregorii Archiepiſcopi Colocenſis, & Georgii Epiſcopi Quin-
„ que-Eccleſienſis Eccleſiarum, Cancellarii Regii, nec non ſpectabilis, & ma-
„ gnificorum, Petri Comitis de Sancto Georgio, & de Bozyn, judicis curiæ
„ regiæ, ac Vayvodæ Tranſilvanienſis, & Moyſis Buzlay ſupremi Magiſtri Curiæ
„ regiæ &c. Oratorum, & conſiliariorum ſereniſſimi, & excellentiſſimi Princi-
„ pis, & Domini, Domini Wladislai Hungariæ, & Bohemiæ Regis &c. Domini
„ noſtri gratioſiſſimi, Dominorum ſcilicet, & amicorum, ac fratrum noſtrorum
„ honorandorum ad plenum confiſi, eisdem penes litteras, & mandatum ejus-
„ dem Domini noſtri Regis, ipſis per ſuam Majeſtatem datum, nos quoque ple-
„ num mandatum noſtrum, plenamque, & omnimodam facultatem, & aucto-
„ ritatem noſtram in eo dandam duximus, & concedendam, ut ipſi nomine,
„ & in perſona noſtra, ac totius regni hujus Hungariæ, ſive cum ſereniſſimo,
„ & excellentiſſimo Principe, & Domino, Domino Maximiliano Romanorum
„ Rege &c. ſive cum Oratoribus ejusdem per ſuam Majeſtatem ad id deputandis,
„ ad oppidum Owár, vel alibi, ubi de partium voluntate opus erit, convenire,
„ ac ſuper rebus, & negotiis neceſſariis juxta noſtram informationem, cum eis-
„ dem loqui. tractare, diſponere, & concludere, ac generaliter omnia, & ſin-
„ gula in eisdem rebus facere, diſponere, & concludere poſſint, & valeant,
„ quæ ad ea negotia deducenda, neceſſaria viſa fuerint, etiam ſi talia fuerint,
„ quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quam præſentibus eſt expreſſum, &
„ quæ nos ipſi facere poſſemus, aut deberemus, ſi perſonaliter intereſſemus:
„ promittentes in verbo noſtro, & bona fide mediante, nos omnia, & ſingula,

(*f*) Ibidem.

1506.

„ quæcunque per dictos Oratores dicti Domini noſtri Regis in hujuſmodi con-
„ ventu acta, tractata, diſpoſita, & concluſa fuerint, rata, & grata habere, ac
„ firmiter, & inviolabiliter velle obſervare, atque cum omnibus, quorum no-
„ ſtra interfuerit, cujuſcunque ſtatus, & conditionis exiſtant. ſimiliter facere
„ obſervari: litteris etiam, & privilegiis noſtris ea omnia roborabimus, & con-
„ firmabimus, quin etiam litteras, & litteralia inſtrumenta, ſi quæ in finalem
„ concluſionem, & perfectionem hujuſmodi negotiorum per eos tractandorum,
„ quibuſcunque datæ fuerint, litteris, & ſigillis noſtris redimere, & nos pro
„ illis ſatisfacere volumus, imo damus, & concedimus, harum noſtrarum ſi-
„ gillis noſtris propriis conſignatum, vigore, & teſtimonio litterarum mediante.
„ Datum in civitate Alba regali in feſto nativitatis beati Joannis Baptiſtæ anno
„ Domini MDVI.

Interim Regina Ludovicum filium enixa e partus doloribus moritur.

Dum Legati cum his mandatis Viennam ad Maximilianum abeunt, Regina partui proxima, Wladiſlaum non minus, quam regni ordines exſpectatione tenuit, Rege, ut filium eniteretur, optante, Proceribus contra, ne ſubdititio partu, inviſus regno hæres daretur, metuentibus. Fama enim, an potius calumnia, incerto auctore, manavit, Reginam, ſi rurſus filiam procrearet, puerum magno ſtudio conquiſitum, ſuppoſituram eſſe. Ea res exitio poſtea Reginæ fuit. Etenim *ingentis ſpiritus ;emina* (ut Brutus ſcribit) *& in ſexu imbecillo præſeferens virilem animum, ubi menſibus exactis, ſenſit adeſſe pariendi tempus, fiduciæ ſimul oſtentandæ gratia, ſimul eorum calumnias refutandi, quos infenſo animo exſpectare partus eventum non ignorabat, e Principibus unum advocandum curavit, quem, ſi virilis ſexus partus ederetur, intelligeret multo id ceteris iniquiore animo laturum. Ita eo præſente, & quidem minime invito, qui fuerit, non traditur: non deſunt quidem, qui fuiſſe Joannem Scepuſium ſuſpicentur, qui poſtea cum Ferdinando ab Hungaris Rex creatus de regno armis diſceptavit, quam calumniam Joannis probum, ac moderatum ingenium rejicit, cui præſertim regnum ambienti, minime expediebat, tam fœda rei invidia apud ſuos laborare,*

Hujus cauſa.

Ludovicum (calendis Julii) *peperit, qui poſt patrem regnavit. Quæ Reginæ importuna verius, quam neceſſaria oſtentatio, aliis, ut fit, ſuper alios doloribus utero exorientibus, illi rerum mortalium ultima fuit, non ſine magna eorum invidia, per quos præſentes minus, quam erat æquum, licuit obſtetricibus in extremo diſcrimine laborantem curare, cum virorum conſpectum veritæ minus ſoluta animo inſtituta munera obire auderent.* (g) Reginam publico funere elatam, Albæque conditam tanto magis Wladiſlaus luxit, quanto minus ſibi, defuncta conjuge, ad capeſſendam rempublicam præſidii eſſe vidit, quæ, dum vivebat, ut erat virili ingenio, & Regis dignitatem adverſus immodicam Procerum cupiditatem egregie tuebatur, & factioſorum molitiones in ipſo ortu conſtanter, fortiterque præfocavit.

Ludovico cutis per fomenta inducitur.

Narrant hoc loco periti homines rerum Hungaricarum dignam rem, quæ in tam auguſta regia animadverſa, poſteritati tradatur, raro inter homines exemplo, natum Ludovicum nudatum cute, novæ rei admiratione, & triſtis, ac funeſti ominis, cunctis, qui aderant, ſtupeſcentibus. Inde accitos medicos, ægre admotis fomentis, delinimentisque multis, cutem puero longa die obducere potuiſſe, neque ferenti apertum cœlum nudo corpore, quod cutis præſidium nullum muniret, & remedia omnia, ut leniſſima etiam eſſent, cum ad contactum membra trepidantia horrerent, ubi applicarentur, detrectanti. Equidem a nonnullis audivi, poſt longam diſceptationem, in ſue media per ſpinam ſecta, atque exenterata, infantem, quoad beſtiæ calor inciperet deferveſcere, medicos impoſitum habuiſſe, mox in aliam, quæ ad hunc uſum cæſa præſta eſſet, & exinde in aliam eodem ordine immiſſum, donec manans ſuperne cruor, ut in puſtulis fere animadvertimus, ſenſim in tenuem pelliculam coaleſcere, atque inducere cutem incepit. Rem Hungaros execratos, quæ haud longe a portento, & miraculo abeſſet, parum ſecundis patriæ auſpiciis natum puerum, aliquando ſuis exitia regem futurum, minime malos vates ominatos. Hæc Brutus. (h)

Legati confirmatis

Verum id utcunque fuerit: Ludovici ortus haud parum ad accelerandum pacis negotium, quod Legati Viennæ curabant, attulit: quod nato puero cui ab patris obitu jus ad regnum eſſet, nihil ad immutandum ex veteribus pactis Maxi-

(g) Lib. I. Hiſt. MS. rerum Hungaricarum. (h) Ibidem.

Maximilianus haberet. Cui cum præterea neceſſarium Romam, pro capienda **1506.**
imperii corona, iter eſſet, facile fœdus in has conditiones percuſſum eſt: copiæ *Maximi-*
ſine ullo maleficio utrinque in ſtationes reducerentur, & pax perpetua eſſet. *liano ju-*
Jus, quod Cæſari in Hungariam ex pactis cum Rege conventis olim conceſſum *ribus in*
erat, firmum, ac certum maneret. Tabulæ mutuo conſenſu firmatæ in hunc *Hunga-*
modum habent. (i) *riam:*

„ Maximilianus Divina favente clementia Romanorum Rex ſemper Augu- *Fœdus in*
„ ſtus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux *hæc ca-*
„ Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes Palatinus &c. Et nos Gregorius Archie- *pita i-*
„ piſcopus Colocenſis, Georgius Epiſcopus Quinque-Eccleſienſis, ſereniſſimi *eunt.*
„ Principis, Domini Wladislai Regis Hungariæ, & Bohemiæ, Domini noſtri gra-
„ tioſiſſimi Cancellarius, Petrus Comes de ſancto Georgio, & in Posyng, Ju-
„ dex curiæ ejusdem, & Vayvoda Tranſilvanienſis, & Moyſes Buzlay ſupre-
„ mus Magiſter curiæ ſuæ, Oratores, & Ambaſſiatores, Procuratores, ſeu De-
„ putati in negotiis infraſcriptis, a præfato Domino noſtro gratioſiſſimo Wladis-
„ lao Rege &c. & ſtatibus regni Hungariæ, pleno, & ſufficienti mandato, ac
„ litteris deſuper confectis, & ſigillatis, ac per nos exhibitis, productis, atque
„ præſentatis, ſuffulti, recognoſcimus pro nobis, & hæredibus, ac ſucceſſori-
„ bus noſtris, & nos ſupra nominati Oratores deputati pro nobis ipſis, & præ-
„ fatis mandatariis, & conſtituentibus noſtris, & eorum, & noſtris hæredibus,
„ ac ſucceſſoribus, ac notum facimus tenore præſentium univerſis, quod cum
„ proximis ſuperioribus diebus inter nos, Maximilianum Romanorum Regem &c.
„ ex una, & ſupra nominatos, ſereniſſimum Wladislaum, Regem, Dominum
„ noſtrum, & ſtatus regni Hungariæ ex altera partibus, nonnullæ differentiæ,
„ ſeu controverſiæ ortæ, & ex illis deinde apertæ irruptiones, incurſiones, &
„ bella utrinque ſecuta fuerint, nosque ſupra dicti Oratores, ſeu Procuratores
„ deputati, propter hoc a ſereniſſimo Domino noſtro, Rege Wladislao, & ſtati-
„ bus regni Hungariæ pro concordia, & unione præfatarum differentiarum tra-
„ ctanda, & concludenda, ad prædictam Cæſaream Majeſtatem miſſi fuerimus.
„ Idcirco pro beneficio, & conſervatione regnorum, provinciarum, & ſubdito-
„ rum utriusque partis, & evitanda effuſione Chriſtiani ſanguinis, & ut com-
„ munibus Chriſtianæ religionis, & Catholicæ fidei hoſtibus, immaniſſimis Tur-
„ cis, continuis oppugnatoribus, & invaſoribus præfati regni Hungariæ, eo
„ animoſius reſiſtatur, pro exſtinguendis, & ſopiendis ſupra dictis differentiis,
„ infra ſcriptos articulos, capitulationes, unionem, pacem, atque concordiam
„ inivimus, tractavimus, fecimus, & concluſimus, ſicut de articulo in articu-
„ lum, in hunc, qui ſequitur, modum expreſſum eſt.

„ Et primo; quod utraque pars exercitum, & gentes armorum, quæ
„ propter hoc utrinque congregatæ ſunt, nunc, & quanto citius fieri poſſit,
„ revocet, & committat, atque diſponat, quod illæ ſine damno alterius, nec
„ non dominiorum, ac ſubditorum ſuorum ad propria revertantur, omnisque
„ hoſtilitas ab utraque parte ceſſet: & quod omnes inimicitiæ, rixæ, diſcordiæ,
„ ſeu diſſenſiones, violentiæ, ac injuriæ, ſive per homicidia, prædas, captivi-
„ tates, incendia, ſeu incurſiones, aut alia quavis via, ſeu vi bellica intentatæ,
„ ſeu perpetratæ, quæ ex hujusmodi differentiis ortis ſubſequutæ fuerunt, in-
„ ter præfatas utrasque partes, dominia, ſubditos, habitatores, ſtipendiarios,
„ ac miniſtros, nec non omnes, & ſingulos, qui alterutri partium in hoc præ-
„ ſenti bello adhæſerunt, aut in his conjunctæ, vel de adhæſione ſuſpectæ fue-
„ runt, vel eſſe voluerunt, aut neutralitatem ſervandam acceptaverunt, & ſpe-
„ cialiter Comitem Joannem de Frangepanibus, Dominum Bryne, Comitem
„ Juanum de Corbavia, & Comitem Joannem de Caniſa, ac civitates Poſonii,
„ & Sopronii, ac illarum ſubditos, & habitatores, nec non omnes alios, qui
„ vel nobis adhæſerunt, vel neutralitatem promiſerunt, & ſervaverunt, ſeu alio

(i) Ex eodem Auctar. Diplom. Cl. Kollarii.

1506. ,, quocunque modo ſe nobis conjunxerunt, quantum præſentem adhæſionem,
,, & neutralitatem concernit, exſtinctæ, ſopitæ, & remiſſæ, caſſatæ, abolitæ,
,, & ex omni parte oblitæ eſſe, & permanere; neque in poſterum maligne, vel
,, in detrimentum ipſorum ab aliquo commemorari, ſeu moveri, tam judiciali-
,, ter, quam alia quacunque via, nullo penitus modo, aut forma poſſint, aut
,, debeant: quia imo bona immobilia, ſic etiam mobilia, quæ exſtant illis abla-
,, ta, out aliis donata, reſtituantur: nec non omnes captivi maſculi, feminæ, &
,, pueri ex utraque parte, libere, & ſine exactione alicujus taleæ nondum ſolu-
,, tæ, aut quacunque alia moleſtia, ſeu illatione dimittantur; neque quidquam
,, ab eis requiri, aut peti quovis modo poſſit, aut debeat. Et quod a modo in
,, poſterum inter nos, præfatum Maximilianum Romanorum Regem, tamquam
,, Archiducem Auſtriæ, hæredesque, & ſucceſſores noſtros, & noſtrum Orato-
,, rum mandatarios, ſeu conſtituentes, præfatum videlicet Regem, & Dominum
,, noſtrum Wladislaum, & noſmet, & omnes ſtatus tam Eccleſiaſticos, quam
,, ſeculares regni Hungariæ, nec non omnes noſtros, & ſuos hæredes, & ſuc-
,, ceſſores, regna, dominia, & ſubditos utriusque, firma, ſecura, ſtabilis, &
,, perfecta pax, unio, atque concordia ſit, & maneat, atque obſervetur: ſitque
,, inter nos, regnaque, & ſubditos noſtros utrinque ſincerus amor, & amicitia,
,, bonaque vicinitas, & inter ſubditos, & adhærentes noſtros, dum modo tales
,, non fuerint contra Reges, & regna eorum, mutuum, & liberum commer-
,, cium, & converſatio, ſalvis ſemper teloniis, & vectigalibus regnorum, ex
,, commerciis, utrinque fieri, & exerceri ſine impedimento, aut contradictione
,, cujuscunque, debeat, atque poſſit, dolo, & fraude ſemotis.

,, Reſervamus tamen nos Rex Maximilianus nobis, & hæredibus noſtris,
,, expreſſe omnia, & ſingula hæreditaria, & alia quæcunque jura, quæ ad re-
,, gnum Hungariæ, & pertinentia hucusque habuimus, & in præſentiarum ha-
,, bemus, quibus hanc concordiam, ſive capitulationem nullatenus volumus
,, derogare. Item, quod hujusmodi concordia, & tractatus, perpetuis futu-
,, ris temporibus inviolabiliter conſervetur, ſique aliæ differentiæ fuerint, vel
,, poſtea acciderint, in brevi, ant cum tempore, quæ in præſenti tractatu com-
,, memoratæ, aut deciſæ minime eſſent, hujusmodi differentiæ per nos Maximi-
,, lianum Regem, cum ex urbe Romana, ad quam propediem pro coronatione
,, noſtra Imperiali, Deo favente, proficiſci intendimus, iterum ad hæc dominia
,, noſtra Auſtralia hæreditaria reverſi fuerimus, aut alias ad præfatum fratrem
,, noſtrum, Regem Hungariæ pervenerimus, utriusque conſiliariorum noſtrorum
,, conſilio accedente, pro ratione, & æquitate componantur, & concordentur,
,, ſine dolo, ſalva ſemper remanente, uti præfertur, hac pace. Si vero aliquæ
,, minutæ differentiæ inter ſubditos amborum Regum orirentur, illæ per miſſio-
,, nes Oratorum utrinque, prout ab antiquo obſervatum eſt, terminentur, &
,, concordentur. Et nos ſupra dicti Oratores, Ambaſſiatoras, & Deputati,
,, per præſentes vigore mandati noſtri pleni, & ſufficientis, in vera fide noſtra
,, nos obligamus, & promittimus, quod a ſupra dicto Domino noſtro Wladis-
,, lao Rege Hungariæ, a quo mandatum habemus, hujus præſentis tractatus,
,, & concordiæ, ſufficientes, & neceſſarias litteras ratificationis, ac conſenſus,
,, infra terminum unius menſis, proxime venturum, expediri, & ad manus
,, Capitanei in Hamburga, vel Locumtenentis ſui, dari, & aſſignari facere veli-
,, mus, & debeamus: & nos Maximilianus Romanorum Rex pro nobis, & ſuc-
,, ceſſoribus, ac hæredibus noſtris, in verbo noſtro Regio, & ſub bona fide,
,, nosque præfati Oratores, & Deputati, vigore prædicti mandati pro præfatos
,, mandatariis, & conſtituentibus, & in perſonas ipſorum, & pro nobis ipſis,
,, quantum nos concernit, ſupra nominatum tractatum, & concordiam, arti-
,, culosque illos, quos de communi, ac pari voluntate, atque conſenſu in per-
,, ſonas ambarum partium conjunctim confecimus, neutri partium præjudican-
,, tes, firmiter, ſub bona fide obſervare promittimus. In quorum fidem, & te-
,, ſtimonium duplices litteras ejusdem tenoris, manibusque noſtris propriis ſub-

ſcri-

„ ſcriptas fieri, ſigillisque, tam noſtri Maximiliani Romanorum Regis, quam
„ ſingulorum noſtrorum Oratorum appendi, & communiri fecimus. Datum
„ in civitate Viennenſi die Dominica, decima nona menſis Julii, anno Domi-
„ ni MDVI.

Wladislaus ab Legatorum reditu, ad Senatum referri juſſis, quæ Viennæ
acta fuiſſent, fœdus ratum habens, litteris, ut conventum erat, in hæc verba *Quæ Rex ab Legatorum reditu confirmat.*
confirmavit: (k) *Wladislaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, &c. Rex, nec non*
Sileſiæ, & Lucemburgenſis Dux, Marchioque Moraviæ, & Luſatiæ &c. ad perpetuam
rei memoriam. Notum facimus tenore præſentium univerſis, quod cum nuper reverendi
in Chriſto patres, Domini, Gregorius Archiepiſcopus Colocenſis, & Georgius Epiſcopus
Quinque-Eccleſienſis Eccleſiarum, Cancellarius noſter, nec non ſpectabilis, ac magnifici,
Petrus Comes de ſancto Georgio & de Bozyn, Judex Curiæ noſtræ, & Vayvoda Tran-
ſilvanienſis, & Moyſes Buzlay, ſupremus Magiſter curiæ noſtræ, Oratores, & Conſiliarii
noſtri cum ſereniſſimo Principe, & Domino, Domino Maximiliano, Romanorum, ac Hun-
gariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rege, Archiduce Auſtriæ, Duce Burgundiæ, Brabantiæ
&c. Comite Palatino &c. fratre, & conſanguineo noſtro chariſſimo, in vim mandati, quod
ipſis tradidimus, tam nomine, & in perſona noſtra, quam totius regni noſtri Hungariæ,
ſuper quibusdam differentiis, & controverſiis, inter ſerenitatem ſuam, & ipſius domi-
atque provincias ex una, & nos, ac ſtatus regni noſtri Hungariæ, & pertinentiarum ſua-
rum ex altera partibus, exortis, & ſubſecutis, quasdam capitulationes, pacem, unionem,
atque concordiam invenerint, tractaverint, atque demum, Deo adjuvante, concluſerint, &
litteris, atque ſigillis ſuis, vice, & nomine noſtro, ac totius regni firmaverint, prout lit-
teris hujusmodi tractatuum deſuper confectis, & ſigillis, ac manu propria ipſorum munitis,
& roboratis aperte continetur. Tum fœderis tabulas, ut ſupra a nobis relatæ ſunt,
litteris inſerens, hunc in modum confirmat. *Nos attendentes, & diligenter conſi-*
derantes, quod præfati Oratores, & conſiliarii noſtri, voluntatem, & mentem noſtram in
prædictis omnibus, & ſingulis, fideliter, & legaliter executi ſunt, nosque, quæcunque
circa prædicta per eos acta, geſta, facta, & concluſa ſunt, rata, grata, firma,
& accepta habuerimus, & habeamus, omnia, & ſingula per prædictos Oratores, & con-
ſiliarios noſtros, cum prænominato ſereniſſimo fratre, & conſanguineo noſtro, Rege Romano-
rum, tractata, & concluſa, omnesque promiſſiones, & obligationes, per eosdem tam no-
mine, & perſona noſtra, quam totius regni noſtri Hungariæ prædicti factas, & facta,
omnesque articulos, puncta, & clauſulas, in præfatis litteris inſertis, & contentis, noſtro,
ac ſtatuum regni Hungariæ, ut præfertur, nomine approbavimus, ratificavimus, confirma-
vimus, & de novo fecimus, & concluſimus, ac corroboravimus, & præſentium per teno-
rem approbamus, ratificamus, confirmamus, de novo facimus, concludimus, & corrobora-
mus, promittentes in verbo noſtro regio, & bona fide noſtra pro nobis, hæredibus, & ſuc-
ceſſoribus noſtris, ac toto regno noſtro Hungariæ, quod ea omnia, & ſingula, ſine fraude,
& dolo tenebimus, & obſervabimus, ipſique hæredes, & ſucceſſores noſtri tenebunt, &
obſervabunt. In quorum omnium fidem, & teſtimonium præmiſſorum præſentes litteras manu
noſtra ſubſcriptas fieri, ſigillique noſtri fecimus appenſione muniri. Datum Budæ in die
Beatæ Mariæ de nive, quinta menſis Auguſti, anno Domini MDVI. regnorum noſtrorum
Hungariæ &c. ſexto decimo, Bohemiæ vero triceſimo ſexto. Hunc in modum ſuc-
ceſſionis jura, quæ paulo ante, decreto ordinum, Maximiliano abrogata ſunt,
eidem non modo Regis, ſed plerorumque etiam Procerum, qui edictum de ex-
auctorandis exteris Regibus condiderant, mira conſenſione rurſus confirmata
fuere.

Maximilianus ab confirmato fœdere, Cuspinianum Viennenſis urbis Præ-
fectum, juris prudentia, ac bonarum litterarum ſtudio inſignem, Budam miſit, *Mortuo Alexandro Poloniæ Regi Sigismundus Wladislai*
partim, ut Regi de nato recens filio gratularetur, partim, ut ex immaturo Regi-
næ obitu mœrore confectum erigeret. Sed altius dolor animo inſederat, quam
ut aliquam ſolatii partem ſibi aſpergi pateretur, præſertim, quod ad recens
vulnus, nova ex morte Alexandri fratris, qui, cum ad Lithuaniam inviſit,
XIX. Auguſti obierat, doloris materia accederet. Subrogatus eſt defuncto to-

tius

(k) Ibidem.

1506. tius Senatus aſſenſu Sigismundus, magnus Lithuaniæ, Glogoviæ, Oppaviæque Dux, & ſummus utriusque Sileſiæ Præfectus, qua dignitate ab Wladislao ornatus erat. Mitigatus ex parte dolor eſt, cum miſſo ex Polonia Legato, de fratris electione rex certior redderetur: quem viciſſim legatione excolendum ratus Wladislaus, Stephanum Telegdinum ærario præfectum, ad cohoneſtandam ſuo nomine fratris inaugurationem, in Poloniam miſerat, addito mandato, ut transactis apud Sigismundum rebus, in Moldaviam contendens, Bogdanum provinciæ illius regulum, quem novas res moliri rumor ferebat, in fide confirmaret.

frater ſubrogatur.

Cuſpiniano ab Cæſare ſubmiſſo, Joannes olim Epiſcopus Varadienſis ſocius additus.

Abhinc curæ rurſum cum Cuſpiniano reſumtæ ſunt, quem ab Cæſare ſolandi Regis cauſa miſſum narravimus, qui præter commune in Venetos fœdus, Oratores quoque ad Maximilianum mitti flagitavit, ut, quæ de mutuo affinitatis vinculo clam prius conſtituiſſent, aperte firmarent, dubiaque, quæ obicem aliquando factura eſſent, initis utrinque conſiliis illuſtrarent. De fœdere in Venetos ſanciendo, quod ſtipulata illis cum Rege amicitia intercederet, nihil hoc quidem anno decretum comperio: nuptiarum contra utrinque pactiones, ut prius ratas habuit, ita deinceps quoque firmari æquanimiter paſſus eſt. Itaque Joannem Epiſcopum olim Varadienſem, & Mathiæ regi quondam charum, qui relictis reipublicæ curis, aulæque moleſtiis, ad Monachos Divi Franciſci transierat, a privata vita tantisper abſtractum, Conſtantiam, quo Cæſar comitia ſuis edixerat, proficiſci juſſit, ac cum Maximiliano de conditionibus conflandæ utrinque affinitatis diligenter tranſigere. Cujus opera quem eventum habuerit, ad annum ſequentem narraturi ſumus.

An. Chr. **1507.**

Abhinc Rex, ob mortem conjugis luctu ſqualens, rempublicam negligit.

Sigismundo rerum apud Polonos potito, novus Sileſiæ Præfectus, Joannes Thurzo Wratislavienſium Epiſcopus, ab Rege datus eſt; qui provinciam vicaria poteſtate crearet. Atque id unum fere eſt, quod Wladislaus maximam anni partem regni cauſa patraverit. Dolore enim ex conjugis obitu immodice excruciatus a republica abſtinebat, adeo, ut, *cum ſe hominum conſpectui, abjecta ſpe ſalutis, ſubduxiſſet, obfirmatum animum adverſus omne ſolatii genus, a regni procuratione, & ſui cura averterit, nullius rei minus memor, non nominis, non ſalutis, non exiſtimationis, quam ſe Regem eſſe, tot gentibus, populisque imperantem. Neque vero ulla cauſa tam mollis, ac fracti animi poterat ſubeſſe, quæ non eo indigna haberetur, qui imperaret Hungaris, fortiſſimæ genti, atque omnium malorum patienti, quæ in hominum vitam invehat fortuna, aut caſus: utrumque vero reprehendendum, ſive mollitia animi movebatur, ex ejus jactura, quam amaverat, ſive animi conſcientia, quod eam amiſerat, cujus virtute, & conſilio fretus regio muneri, tanto graviori ſuis viribus non ſuccumbebat. Utrum quidem turpius eſſet in procuratione regni, & virum eundem, & Regem feminæ conſilio indigere, an victo mollitie animo non habere præſcriptum lugendi modum, quam amabat, vix poterat dijudicari, ut cetera abeſſent, uno hoc nomine parum dignus regno, quod id deſperaret, ſine tam inſigni nota infamiæ ſe recte poſſe adminiſtrare. Neque enim etiamſi ſua ſponte mollis plus æquo deſiderio mortuæ angeretur, veriorem luctus cauſam in uxoris amiſſione, quam in dedecore domeſtico habebat.* (*l*)

Bohemorum tamen Legatorum adhortationibus,

Ita annus fere ab conjugis exceſſu abiit, cum Legati ex Bohemia, Sileſia, ac Moravia Budam venere. Idem omnibus ſtudium, & cura fuit, ut Regem, quo languente rem item publicam ægrotare neceſſe erat, ex immodico luctu, ac mœrore, ad priſtinam vitæ conſuetudinem revocarent. Collato itaque cum Hungaris conſilio, Senatum ſibi ab eo dari petierunt, quod de rebus, quas ex Bohemia attuliſſent, coram tractare, & tranſigere vellent. Obſurduit tamen ad omnia Wladislaus, neque, nondum evoluto, quod luctui præſtitutum erat, tempore, quidquam, quod dolorem interciperet, ad ſe afferri patiebatur. Tum vero, tam ſegnem, atque infamem moram Legatis porro non ferentibus, ut, quod parum liberaliter negaverat, ab invito extorquerent, communi ſenſu Thomam, Strigonienſem Archiepiſcopum, virum non modo gravem, ſed cui ob magnam apud Regem gratiam, & auctoritatem aditus ſemper patebat, ſubmiſerunt,

(*l*) Brutus in Hiſt. MS. rer. Hung. Lib. I.

1507.

ſerunt, ut omnium nomine tot regnorum cauſam apud Wladiſlaum ageret, nolentemque, ex luctu, & ſqualore, quacunque poſſet arte, extraheret. *Qui gnarus tractandi ingenium torpentis inteſtino malo, a religione exorſus, collocatum illum, inquit, Dei immortalis providentia in regio ſolio, ut cum virtute, & conſtantia tam excelſa loco digna, tum moderato, & juſta imperio populos regeret: quod ita præſtare poſſet, ſi ipſe regi ſe a ratione, & mentis conſilio pateretur, quæ quidem ita obtineret in homine principatum, ut ubi eam perturbationum humanarum quaſi procella obrui pateretur, animantem in hominis forma, ab hominis ingenio degenerantem, quod prodigii, ac portenti ſimile eſſet, repræſentaret. Quod ſi in privato turpe eſſet, quanto habendum in Rege turpius, cujus ſapientia, ut corpus anima, maximæ civitates, regna nobiliſſima, atque imperia reguntur? Hungaros, Bohemos, Sileſios, Moravos integrum jam annum, duo maxima unius imperio ſubjecta regna, quaſi exſanguia corpora, quæ regimen vitæ amiſiſſent, caput, rectoremque deſiderare. Quæ offenſia per ſe gravis, ut multo gravior videretur, efficere ſuorum in ſe inſignia ſtudia, quorum Bohemi volentes, & ſcientes, ſibi eum Regem adoleſcentem e Polonorum regia adſciviſſent: e Bohemarum regia Hungari, & quidem nobiliſſimis competitoribus præteritis, Maximiliano Romanorum Rege, cujus Fridericus Pater Chriſtiani Imperii ſummam poteſtatem obtinuiſſet, Fratre Alberto, Joanne Corvino, Mathiæ Regis Patris meritis in rempublicam tantis ſubnixo. Neque vero ſuis aliam eſſe cauſam tamdiu tolerandi tantum incommodum, quam animorum conſtantiam quamdam incredibilem eo colendo, ornando, in dies majoribus, atque illuſtrioribus honorum incrementis augenda. Nam & tunc ſe ad illum ablegatum omnium nomine, quicunque cenſerentur tum in Hungariæ, tum in Bohemiæ regno, qui lætum illi nuncium afferret, quod illi felix, fauſtumque eſſet, liberis ejus., gentibus, populiſque omnibus, qui illius Imperio parerent, ingenti approbatione Ludovicum filium, infantem, Regem appellatum, qui honos raro unquam in terris Regi viventi habitus eſſet, propediemque adea fore, ubi finito diro, ferali, & funeſto luctu animum induceret, ſe ſuis reſtituere, & capeſſere rempublicam, ut decoratum Regiis inſignibus filium, in ulnis nutricis videret, Regia pompa, & populi celebri ſpectaculo geſtantis. Fructum illum maximum eo die ante actæ vitæ retuliſſe, cui eſſet datum, valetudine incolumi, vegetis, atque integris viribus tum corporis, tum animi, ut ſpes eſſet, diuturnam patri hanc voluptatem futuram, videre filium in regia ſede collocatum, quem libera Principum, & populorum ſuffragia, ubi veterum mare, atque inſtituto ſtari oporteret, certum efficerent regni ſucceſſorem. Ita Wladiſlaum, quæ Regum paucorum felicitas eſſet, viſurum antea Regem filium, quam ulla aut indole Regii animi, aut ſignificatione virtutis, quæ digna eſſet ſummo in terris honore, regnum promereri potuerit. Argumento eſſe, quam inſignis ſuorum in ſe charitas, quam omnium ordinum propenſa volantas eſſet, apud quos perſpecta Regis patris juſtitia, lenis, ac clemens animus, filia vix in lucem ſuſcepto, pro prærogativa ad regnum haberetur. Indignam rem videri, duo regna obtinentem, imperantem tot populis, nationibus, gentibus, tamdiu ceſſare gravi, ac letali ſomno ſopitum: expergiſceretur aliquando, memor, quantum eſſet onus, regnare, Regi etiam vigilantiſſimo, acerrimo, fortiſſimo, neu ſuis, qui ſolliciti de illius ſalute hoc unum ſupplicibus votis flagitarent, diutius, quam illius virtus, & conſtantia requireret, eſſet in mora.* (*m*)

Et Thomæ Bakaeſii perſuaſione victus,

His cauſis, & ſpe in primis inaugurandi filii permotus rex, poſito luctu, & mœrore, poſtridie purpuratum, lautum, attonſumque ſe ſuis ſpectandum præbuit: quæ lætitiæ ſignificatio, mirum, ut non ſolum ſtudia Procerum, ſed plebis etiam erexerit, poſcentium, ut, quando id unum regi ſolando remedium eſſet, nihil moræ in coronando filio traheretur. Itaque ad IV. idus Martius ordines decreto ad coronationis ſolennia evocati, magno numero, & clientela familiarium ſtipati, Albam regiam confluxere: ubi cum ſacris ex more patratis, Perénius Palatinus ad populum rogationem tuliſſet, vellent, juberentne, Ludovicum regem optari, & corona inſigniri, atque is ſe velle, ac jubere, confuſis præ lætitia vocibus conclamaſſet, Thomas Cardinalis tenerum nondum bimuli infantis caput diademate cingens, Regem Hungariæ omnium nomine ſaluta-

In publicum prodiens Albam pro coronatione filii concedit.

(*m*) Brutus loco laudato: eſtque hæc oratio una ex minimis, ex qua lector facile conjecturam ad alias faciet.

1507.

lutavit; (*n*) palam Deum precatus, ut id puero, regnoque fauſtum, ac felix eſſet. Wladislaus in filii loco jusjurandum de ſervanda ordinibus immunitate, tum ampliandis regni finibus pro gentis ritu præſtitit, & gratiam pro ſingulari in ſe, ac Ludovicum ſtudio, optimatibus habuit. Addidit magnum ad inaugurationis decorem ornamentum Ludovicus Helianus Vercellenſis, Ludovici Galliarum Regis Legatus, qui, ut erat eloquentiæ laude inſignis, elegantem ex ſuperiore loco ad ordines, populumque orationem habuit, in qua *Ludovicum puerum e tot clariſſimorum, & fortiſſimorum Regum ſanguine, & progenie ortum, qui præter proprium Galliæ regnum, in Syria, Palæſtina, Hieroſolymis, Sicilia, Neapoli, denique in Pannonia ſuperioribus ſeculis regnaſſent, ab majorum ſuorum virtutibus, & rebus præclare geſtis minime degeneraturum commemoravit. Et utinam Deus optimus, maximus votis ejus ſingulari pietate ſuſceptis benigne annuiſſet: verum erat in fatis, ut Chriſtiana reſpublica inſignem hoc Rege cladem a barbaris acciperet, & nos una cum eo periremus.* (*o*) Cujus deſiderio ſerius poſtea nuſnos aureos, qui inaugurationis, ex qua tot ſibi ſpes Regni ordiues præfixerant, memoriam referrent, cuſos eſſe comperio; in quibus Regis pueri corouati, & culcitræ inſidentis effigies, cum hac epigraphe viſitur. (*p*)

Ubi de Ludovici laudibus Orator Gallicus ſermonem habet.

BUDA. POTENS. ET. PANNONII. GENS. MARTIA. REGNI.

QUOD. FUIT. ESSET. SI. VIVERET. ISTE. PUER.

Rex inſtituendis prolibus operam locat.

Wladislaus filium regni couſortem nactus, alacriore aliquanto, quam prius, animo rempublicam capeſſivit, Budamque redux, ante curam inſtituendis liberis adhibuit, ut aliquam ordinibus, quorum in ſe, ac filio ornando ſtudia mirifice eluxiſſent, gratiam referret. Ludovico ad ſeparatam aulam cum peculiaribus miniſtris traducto, Stephanum Iſtvanffium, virum natu jam grandem, & qui ſub Mathia Rege pacis, bellique ſtudiis cum laude floruit, atque illius Iſtvanffii, qui poſtea res Hungaricas nitido ſtilo complexus eſt, neceſſarium præfecit, ſumma rerum penes Bornemiſzam, quem Rex præ ceteris ferebat, remaneute. Fuitque pueri inſtitutio ad gentis uormam aliquamdiu caſtigata, quoad Georgius, Brandeburgicus Marchio, decoctis, quas cum Joaonis Corvini vidua acceperat, ampliſſimis fortunis, in aulam receptus, auctoritate ſua, ac moribus præclariſſimum pueri ingenium ad exoticam mollitiem traduxiſſet, maluiſſetque jam grandiuſculum inter feminarum miniſteria latere, quam virorum, quos illi pater deſignarat, coutubernio frui.

Et cum Sigismundo fratre fœdus init.

Per idem tempus Legati ab Sigismundo Poloniæ Rege, Epiſcopus Poznanienſis, & Chriſtophorus Zidlovicius, regni Cancellarius, Budam venere, partim ut Wladislao ob coronatum recens filium gratularentur, partim ut vetera fœdera utrinque inſtaurarent, mutuoque auxilio alter alterius periculo caveret. Præter variam enim, ambiguamque Bogdani in Moldavia fidem, quam Turcis claudeſtino fœdere obſtrinxiſſe ferebatur, non leve etiam ab Helinskio, qui Lithuaniæ inhiabat, diſcrimen metuendum erat. Quare Wladislao, qui abhinc, quam luctum poſuiſſet, regni curas incredibili ſtudio complecti videbatur, minime invito arbitri utrinque conſtituti ſunt, quorum judicio fœdus conflaretur, tempori, ac utriusque regno opportuuum: quod brevi poſt mutuo partium conſenſu in hæc capita ſancitum eſt. Utrique Regi, ac regno perpetua eſſet amicitia, & armorum coutra quemvis hoſtem ſocietas: ſi in Turcos bellum decerni oporteret, id petitis a Poutifice, ceteriſque Principibus, ſubſidiis, mutuo conſilio, & viribus gerendum ſuſciperetur. De Moldavia cautum, ut ea provincia,

Fœderis conditiones.

quam-

(*n*) Annus coronationis ex DUBRAVIO eruitur, qui biennio poſt, quam Ludovicus corona apud Hungaros inſignitus eſt, eundem apud Bohemos anno 1509. coronatum memorat.

(*a*) ISTVANFFII Hiſt. Lib. IV. qui itidem affirmat, eam orationem ſuo tempore extitiſſe, qua ſi potiri potuiſſem, libenter cum lectore communicaſſem.

(*p*) BALBIN. Epit. rer. Bohem. Lib. V. Cap. XI.

quamdiu ſuperſtites ab utroque Rege liberi eſſent, penes Hungaros maneret, dareturque opera, ne, ſi utrique nulli hæredes eſſent, propterea quidquam diſſidiorum inter utramque gentem oriretur. Bogdanus Moldaviæ Vayvoda, ſi barbari Hungariam, aut Poloniam infeſtarent, vim comparato milite propulſaret, eodemque ſtudio, cum Turci Moldaviam aggrederentur, laboranti utercumque ſuccurreret: ſin Vayvoda novas res in Polonum moliretur, in rebellium numero eſſet. Tum, ubi bellum in barbaros ſuſceptum ex ſententia caderet, partæ armis provinciæ ad illum attinerent, cujus antea fuiſſent: ſi quæ autem novæ in ditionem redigantur, ex æquo diviſio fieret, de quarum limitibus ex arbitrorum judicio ſtatueretur. Ad extremum neutri, imprudente alio, fœdus cum quocunque conciliandi poteſtas eſſet. Signatæ ſunt tabulæ feria VI. ante feſtum ſanctiſſimæ Trinitatis MDVII. (*q*)

Joanne Varadienſi a Cæſare reverſo,

Interea Joannes, quem contrahendæ affinitatis cauſa ad Cæſarem Conſtantiam profectum narravimus, rebus ex animi ſententia confectis, rediit, geminumque connubium, Maximiliani conſenſu firmatum, ſignificavit: quorum alterum inter Annam Regis filiam, & Carolum Principem Hiſpaniarum, aut Ferdinandum Caroli fratrem, Philippi Hiſpaniarum Regis liberos, ad quem Auſtria cum Tiroli olim devolveretur: alterum inter Ludovicum nuper natum, coronatumque, & Catharinam Philippi poſtumam, aut ſi hæc ante nubiles annos decederet, inter Mariam hujus ſororem, natu priorem, conflaretur. Rex Cæſaris voluntatem haud difficulter ratam habuit, publicisque poſtea litteris in hunc tenorem firmavit: (*r*)

Pacta de futuro matrimonia confirmat.

„ Nos Wladislaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, „ Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque Rex, Marchio „ Moraviæ, Dux Sleſiæ, & Lucemburgenſis, ac Marchio Luſatiæ &c. Notum „ facimus tenore præſentium univerſis, & ſingulis, cujuscunque præeminen„ tiæ, ſtatus, dignitatis, conditionisque fuerint, ad quos præſentes noſtræ lit„ teræ pervenerint: quod cum Regiæ dignitatis culmen ad hoc nobis a Deo „ optimo, maximo conceſſum noſcamus, ut Chriſtianæ reipublicæ dignitati, „ conſervationi, & augmento proſpicere debeamus, eorumque potiſſimum re„ gnorum, quorum ſceptra, ac faſces Divina diſpoſitione ſuſcepimus, cumque „ etiam a longo jam tempore id apud nos inſtituerimus cum glorioſiſſimo, ac „ invictiſſimo Principe, Domino Maximiliano Romanorum Cæſare ſemper Au„ guſto, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæque Rege, Archiduce Auſtriæ, Duce „ Burgundiæ, Brabantiæ &c. Palatino &c. Fratre, & conſanguineo noſtro cha„ riſſimo, pro defenſanda orthodoxa religione noſtra, contra communes omnium „ hoſtes immaniſſimos Turcos, ſinceram amicitiam, benevolentiam, ac fra„ ternam unionem contrahere, eamque indiſſolubili vinculo tenaciter, ac fir„ miſſime ſervare, propter quod etiam ſuperioribus temporibus complures tra„ ctatus, & confœderationes inter nos, & regna noſtra interceſſere ne hujus„ modi amicitiam, & fraternam benevolentiam inter nos quavis occaſione, aut „ malignorum, ſeditioſorumque hominum prava, & iniqua ſuggeſtione, quovis „ modo interrumpi, aut imminui contingat, ab hisque potiſſimum, qui Chri„ ſtianæ reipublicæ, ac ſacroſancti Romani Imperii dignitatem labefactare conten„ dunt: idcirco pro ſolido, & firmiſſimo vinculo hujusmodi noſtræ mutuæ be„ nevolentiæ, etiam inter poſteros noſtros, perpetuo, ac illibate ſervandæ, & „ ſtabilimento omnium tractatuum, inter nos, & regna noſtra, alias, & ſæpe„ numero concluſorum, nec non defenſione, & protectione non ſolum utrius„ que noſtrorum regnorum, & dominiorum, ſed, ut præmiſſum eſt, ſacro„ ſanctæ in primis Chriſtianæ religionis noſtræ decrevimus, his, & aliis inſuper „ multis rationabilibus ex cauſis animum noſtrum jure moventibus, per vin-

(*q*) Diplomatar. MS. Polon. apud Cl. SOMMERSBERG Tom. II. Et Jodocus Ludovicus Decius, Sigismundi Regis Poloniæ Secretarius, in Opuſculo de temporibus Sigismundi, edito Cracoviæ anno MDXXI. menſe Decembri.

(*r*) Ex Auctar. Diplom. Doctiſs. KOLLARII.

1507. „ culum ſtrictioris, & arctioris, quo potuimus, affinitatis nos invicem colli-
„ gare, & confœderare, & ob eam rem pro oſtendenda hujusmodi noſtra vera
„ fraterna, & ſincera voluntate, matura deliberatione præhabita, ex certa ſcien-
„ tia, nomine, & vice noſtra, & illuſtriſſimorum Principum, Domini Ludo-
„ vici primogeniti noſtri, ac Dominæ Annæ filiæ noſtræ, quorum pro jure pa-
„ terno ſingularem curam, & ſolicitudinem non immerito gerimus, duplex
„ matrimonium ſive ſponſalia: primo videlicet inter illuſtriſſimum Dominum
„ Carolum, Archiducem Auſtriæ, Principem Hiſpaniarum, ac utriusque Sici-
„ liæ, & Hieruſalem, Dncem Burgundiæ, Brabantiæ, &c. conſanguineum no-
„ ſtrum chariſſimum, ſeu Fratrem ejus Dominum Ferdinandum, vel alterum
„ eorum, qui in Archidncatu Auſtriæ, & Comitatu Tirolis, cum Principati-
„ bus, & provinciis eis adhærentibus ſuccedet, ſeu ſucceſſor depntabitur, ne-
„ potes præmemorati invictiſſimi Domini Maximiliani Romanorum Regis &c. ex
„ una: & præmemoratam illuſtriſſimam Dominam Annam, filiam noſtram cha-
„ riſſimam ex altera partibus. Et ſecundo inter illuſtriſſimum Dominum Ludo-
„ vicum primogenitum noſtrum ex una; & illuſtriſſimam Dominam Cathari-
„ nam, poſtumam quondam ſereniſſimi Principis, Domini Philippi, felicis re-
„ cordationis Regis, quondam Caſtellæ, Legionis, & Granatæ, Archiducis
„ Anſtriæ, &c., aut, ſi illa ante annos nubiles ex humanis decederet, inter Ma-
„ riam ſororem ejus, penultimo genitam filiam præfati ſereniſſimi Domini Regis
„ Philippi, neptes præmemorati invictiſſimi Domini Maximiliani Romanorum
„ Regis &c. ex altera partibus, amicabiliter, & fraterne concordavimus, ap-
„ punctavimns, eoncluſimns, & in verbo noſtro Regio exequendum, & firmi-
„ ter obſervandum promiſimns, præfataque matrimonia, & utrumque eorum,
„ præſentium per tenorem ex nunc prout ex tunc, & ex tuuc prout ex nunc con-
„ cordamus, appnnctamus, concludimus, atqne promittimus, nec non ean-
„ dem filiam noſtram, chariſſimam Dominam Annam illuſtriſſimo Domino Ca-
„ rolo ſen Fratri ejns, Domino Ferdinando, ſen alteri ex eis, qui in Archidu-
„ catu Anſtriæ, ac Comitatn Tirolis, cum Principatibus, ac provinciis ejus
„ adhærentibus ſuccedet, ſeu ſncceſſor deputabitur, uomine, vice, & in per-
„ ſona præmemoratæ filiæ noſtræ, in ſponſam legitimam, & ſimiliter ſupra-
„ dictum illuſtriſſimum Ludovicum primogenitum noſtrum ſnpradictæ Cathari-
„ uæ, vel ea ante annos nubiles deficiente, jam dictæ Dominæ Mariæ, ſorori
„ ejus, penultimo genitæ nomine, & vice præmemorati Ludovici primogeniti
„ in ſponſum, & maritum legitimum, ritu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ damus,
„ tradimus, atque ſpondemus: ita, quod præfatus illuſtriſſimus Dominus Ar-
„ chidux Carolus, vel Frater ejus Ferdinandus, ſeu alter eorum, qui, ut di-
„ ctum eſt, in Archiducatu Auſtriæ, & Comitatu Tirolis, cum Principatibus,
„ & provinciis eis adhærentibus ſuccedet, ſen ſucceſſor deputabitur, & ſupra-
„ dicta filia noſtra, Domina Anna, nec non jam dictus illuſtriſſimus Ludovicus,
„ primogenitus noſter, & prænominata Domina Catharina, poſtuma ſereniſſimi
„ qnondam Principis, Domini Philippi Regis Caſtellæ, Legionis, atque Gra-
„ natæ &c. vel illa ante annos nubiles decedente, ſoror ejns, penultimo genita,
„ Domina Maria nepotes, & neptes præmemorati invictiſſimi Domini Maximi-
„ liani Romanorum Regis &c. nunc, & in poſterum vero, & irrefragabili vin-
„ culo ſponſaliorum, & futuri matrimonii, invicem adſtricti, & colligati ſint,
„ & eſſe debeant, atque permaneant. Et nos ntrinque præmemoratos nepo-
„ tes, & neptes invictiſſimi Romanorum Regis, ac liberos noſtros nemini ulte-
„ rius locare, ſeu deſponſare, neque in aliqnam aliam locationem, ſeu deſpon-
„ ſationem, ſen matrimonium ab eis contrahendum, conſentire, ſed omnes li-
„ beros, nepotes, atqne neptes, ſuper hujnsmodi matrimoniis contrahendis
„ usqne ad annos nubiles invicem præſtolari, & deinde, cum fuerint in ætate,
„ per mutuum conſenſnm confirmari, & per ſe ipſos per verba de præſenti
„ contrahere, ac Sacramentum matrimonii, atqne conjugii conſummare, & com-
„ plere facere, & interea regie, & ſplendide, ſicut parentes, ac propinquos
„ naturali inclinatione decet, educare, & inſtituere: Et ſimiliter etiam ſuper
dote,

„ dote, dotalitio, atque donario & reliquis, quæ iuvicem præſtari, & exhibe- *1507.*
„ ri debebunt, quemadmodum inter proles regias utrinque obſervatum, &
„ conſuetum eſt, fraterne, & amicabiliter inter nos, vel nobis, vel eltero no-
„ ſtro deficientibus, inter eos, qui liberorum, ac nepotum noſtrorum curam,
„ vel tutelam habebunt, ſen de jure habere debebunt, vel ipſosmet liberos, &
„ nepotes noſtros, ſi in ea ætate fuerint, convenire, concordare: &, neque
„ ob hujusmodi coucordiam, ſen diſcordiem dotis, dotalitii, ſive donarü, ne-
„ que ob aliam quamvis cauſam hujusmodi matrimonia prætermitti, ſeu inter-
„ rumpi pati, ita tameu, cum, nt dictum eſt, matrimoninm filiæ noſtræ cum
„ altero ex nepotibus præmemorati invictiſſimi Domini Maxim.liani Romanorum
„ Regis &c. conſummari, & perfici debebit cum eo, qui in Archiducatu Au-
„ ſtriæ, ae Comitatu Tirolis cum principatibus, ac provinciis, eis edhæren-
„ tibus ſuccedet, vel ſucceſſor depntabitur, quamprimum determinetum fuerit,
„ quis hujusmodi ſncceſſor eſſe debebit, ex tunc præmemoratus invictiſſimus
„ Romanorum Rex, Frater noſter chariſſimus, litteras ſuas renovare, ſponſum-
„ que ipſum nobis expreſſe nóminare debeat, ſitque obligatus. Et pro majori
„ omnium iſtorum tractatuum, & concluſorum firmitate, ne quid interveniat,
„ quod hanc rem turbare, & impedire poſſit, debebit inſuper apnd sereniſſi-
„ mum Principem Dominum Ferdinandum Arragonum, & utriusque Siciliæ,
„ & Hieruſalem Regem, avum maternum prædictorum nepotum ſnorum omnem
„ debitam, & accuratam diligentiam adhibere, nt quentum ad ipſum pertinet,
„ ad bujusmodi matrimonia ſimiliter conſenniet, illaque per litteras ſuas ſpecia-
„ les ratificet, atque confirmet. Et nihilominus, ſi quam difficultatem præfa-
„ tus Rex Arragonum in præſtando hujusmodi conſenſu interponeret, vel forte,
„ quod abſit, interea vitam cum morte commntaret, præmemorata tamen ma-
„ trimonia nihilominus in ſuo robore permaneant, atque ita, prout præmiſſum
„ eſt, plane procedant. Ad quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum ob-
„ ſervatiouem nos, & præfatos liberos noſtros obligamus, & obligatos eſſe vo-
„ lumus, dolo, & fraude, ac ſiniſtra quavis machinatione procul ſemotis. In
„ quorum quidem omnium fidem, & teſtimonium nos, ſupranominatus Wla-
„ dislaus Hungariæ, & Bohemiæ Rex &c. præſentes litteras fieri, & manus no-
„ ſtræ ſubſcriptione, ac ſecreti noſtri annularis ob majorem fidem, & firmitatem,
„ (ſigilli) appenſione juſſimns communiri. Datum Budæ die Veneris XII. men-
„ ſis Novembris, anuo Chriſti MDVII. regnorum autem noſtrorum Hungariæ
„ &c. decimo octavo, Bohemiæ vero triceſimo ſeptimo. „

Qnem poſtea eventum res habuerit, & pacta conventa inſtaurata fuerint, alias, cum nos rerum ordo monuerit, memorabimus: ſatisque liquet, Joanni Zapolyano omnem nuptierum, ſi ed has aliquando cum Anna conſlandas aſpiraverat, ſpem penitus præciſam fuiſſe: tameſi, nt Iſtvanffyus perhibet, & nos ex eo referemns, ſemel, iterumque deinceps non obſcura affectati connubii indicia præberet.

Confirmatis ed hunc modum nuptiarum fœderibus, clandeſtinæ Bogdani Moldavorum Vayvodæ molitiones, quæ jam anno priore non improbabiles Regi de mutato animo ſuſpiciones ingeſſerant, hoc anno in apertum erupere. Homo barbarus, & ſupra, quam credi poſſit, ſanguinarius, parum memor fœderum, quibus Wladislao, & Sigismundo Regibus ſolenui pactione illigatus erat, inita clam cum Turcis amicitia, bellum in Polonos parabat, ſive pœnitentia ducere-tur, quod nuptiarum ſpe ampliſſimos agros Polonis reddiderat, ſeu vindictæ potius ſtudio flagraret, quod ſe a nobiliſſimo matrimonio excludi non obſcure intelligebat. Wladislaus, qui de Bogdani conſiliis ex Polonia, & Tranſilvania crebros nuncios ecceperat, ex pactorum fide ad ferendas Fratri ſuppetias obſtrictus, omiſſo, quem ad diem Joanni Beptiſtæ ſacrum edixerat, conventu, maximos per regnum delectus haberi juſſit, præſertim, quod ex Sirmio per litteras edoctus eſſet, barbaros confecto ingenti epparatu irruptionem procul dubio in Hungariam parare. Milite ſub [illegible] diſtributo partam Joſepho Somio Temeſienſi

An. Chr. 1508.

Bellum in Moldavos, & Turcos parat.

1508. ſienſi Comiti adverſus Bogdanum credidit, partem ipſe Rex in barbaros ducere conſilium habebat, quæ res portenti inſtar Hungaris erat, magna cum lætitia videntibus, Regem excuſſo veterno belli ſtudia aliquando amplexum eſſe. Res tamen omnis intra deſtinationem conſtitit. Nam Bogdanus, vicino ad Barczam amnem Somio, nihil moliri auſus perfidiam vaferrimo artificio diſſimulabat: barbari autem cognito regis apparatu pacati ſeſe intra ditiones ſuas continuere, ne primi induciarum fidem violaſſe viderentur. Ita bellum metu magis, quam periculo abſolutum fuit.

Rurſum Cuſpinianus a Cæſare adeſt

Sub hæc tempora Cuſpinianus rurſum ab Maximiliano adfuit, partim officii, partim rerum tractandarum cauſa, ſimulque litteras, quibus illi propterea fides haberetur, ab Cæſare in hanc ſententiam tulit: (*s*) *Sereniſſime Princeps, conſanguinee, & Frater noſter chariſſime! Salutem cum incremento noſtri fraterni mutui amoris. Arbitrati fueramus, ſicuti nobis relatum fuerat, ſerenitatem veſtram ad Feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ proxime decurſum celebraturam conventum totius regni ſui, ad quem volebamus deſtinare Oratores noſtros, ad tractandum cum ea multa prius incepta, bonum, gloriam, & dignitatem ſuam, & totius coronæ illius concernentia. Sed cum id ob novos motus importunos Turcorum, qui jam contigerunt, ſit interruptum, & ipſa in perſona propria pro magnitudine animi ſui ſuſcipere voluerit expeditionem contra Turcos, nihilominus volumus ad eam deſtinare honorabilem Joannem Cuſpinianum, Doctorem, Conſiliarium, & Oratorem noſtrum, fidelem, dilectum; ut eam pro nobis viſitet, bonam valetudinem, & proſperos ſucceſſus ſuos, & communium ſereniſſimorum filiorum noſtrorum chariſſimorum intelligat, & noſtros referat, & ſibi nonnulla exponat, ac ſecum contractet, prout ab eodem Oratore noſtro intelliget, cui indubiam fidem præſtabit, ſicuti nos ipſi loqueremur cum ſerenitate veſtra, quam omnipotens incolumem cum perenni gloria longæve una cum ſereniſſimis liberis chariſſimis conſervet.*

Fœderis in Venetos feriundi cauſa.

Nullum mihi dubium eſt, belli cauſa, quod in Venetos Cæſar decreverat, Cuſpinianum ad Regem miſſum eſſe, quem alias quoque ad fœderis, quod cum Julio Pontifice & Ludovico Rege Francorum adverſum Venetos inivit, communionem invitarat. Wladislaus ne nihil prorſus Maximiliani precibus deferret, fœderi per Oratores ſuos, Petrum Beriſzloum, & Ambroſium Sarkanum Poſonienſem præfectum acceſſit; advocatoque Paſchalico, qui Venetorum nomine diu apud ſe Legati munere fungebatur, diſerte edixit: ſe niſi Veneti tota Dalmatia, quæ ex veteribus pactis, jureque ad Hungaros attineret, ſponte decederent, inita cum Cæſare armorum ſocietate, vi, belloque repetiturum eſſe. Hæc palam Legato ab Rege dicta, quem tamen Principes ex Senatu Hungarico viri, clam bono animo eſſe jubebant, citra ambages teſtati, Regem bellum quidem Venetis denunciaſſe, minime tamen illaturum, quod ſumma difficultate apparatus, & ærarii inopia laboraret. Quod eventu poſtea firmatum eſt, ſive re ipſa tantum Regi virium in promtu non erat, ut, quod minatus eſt, arma ipſo opere inferret, ſeu quod, conciliatis Tridentini Epiſcopi opera inter Cæſarem, ac Venetos induciis, belli ſtudium ſuopte diſſipatum eſt.

Ob Beatricis dotem Legatum cum litteris Romam mittit.

Haud minor dehinc cura Wladiſlao Romæ confecta a Beatrice eſt, quæ ſi minus, ut de vetula par eſt credere, nuptias defuncta Anna Regina appetiit, negotium profecto dotis nomine apud Pontificem Regi faceſſere minime deſinebat. Monitus propterea ab Julio Wladiſlaus, Oratores, qui toties obortam moleſtiam penitus confectam darent, Papamque officii cauſa legatione excolerent, in urbem deſtinavit, cum ob diditam repente famam de bello ſibi a barbaris inferendo, Oratores ex itinere revocavit, ac in eorum loco litteras ad Julium miſit, quibus & novi belli metum cum Bogdani molitionibus ſignificaverat, & ſumtus ad propulſandos Turcos præberi orabat. Reſpondit ad ſingula

Ad quas cum Pon-

litterarum capita Pontifex in hanc ſententiam. (*t*) *Wladiſlao Hungariæ, & Bohemiæ Regi illuſtri. Chariſſime in Chriſto fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Etſi*

in

(*s*) Ex Codice MS. rerum ſub Wladiſlao geſtarum.

(*t*) RAYNALD. in Annal. Eccleſ. ad hunc annum.

 An. Cbr.

in dies expectabamus Oratores ſuæ ſerenitatis, qui nobis, & hinc ſanctæ ſedi obedientiam
debitam deferrent, & aliquid certe, ac definite pro concordia in cauſa dotali claræ memo- 1508.
riæ Beatricis quondam Reginæ Hungariæ afferrent, non moleſte tamen tulimus, Oratores *tifex re-*
ipſos a tua Majeſtate retardatos fuiſſe, ut eorum opera, ſic enim ſcribis, foris in rebus *ſpondes,*
bellicis, & domi in conſultationibus uti poſſis. Proh dolor! quando ita accidit, ut Vayvoda
Tranſilvanus (u) is conſtitutus ſit, qui omnia ad nutum perfidiſſimi tyranni Turcorum ſit
adminiſtraturus, & fideles Valachi proprias ſedes relinquere, & in alias migrare coacti
fuerunt, ut loca illa prius inhoſpita, ipſi tyranno Turcorum propagare tyrannidem quærenti
magis pervia ſint. Cum inſuper gravis moles belli aliunde Majeſtati tuæ & chariſſimo in
Chriſto filio noſtro Sigismundo Poloniæ Regi illuſtri, fratri tuo germano, ut litteræ ejus
ad te, & tuæ ad nos teſtantur, immineat, equidem Oratorum ipſorum adventum nullius
commodi noſtri, ſed tui honoris cauſa expectabamus, ut, cum reliqui omnes Chriſtiani Reges,
& Principes, etiam loca remotiſſima colentes, huic pietatis officio cumulate ſatisfeciſſent,
tu unus videris ceſſaſſe, in quem ipſa ſancta Apoſtolica ſedes fuiſſet liberaliſſima - - -
Tacitæ huic reprehenſioni ſubdit; ſe cogendi ex indulgentiis auri duas partes in
uſum ſacri belli tribuere, tertiam vero inſtaurandæ Divi Petri Baſilicæ ſervatam
velle. *Datum Romæ die XXVII. Septembris MDVIII. Pontificatus anno quinta.*

Lis de dote, quæ abhinc, quam Beatrix Hungaria exceſſit, nondum
penitus ſecundum pacta conventa ei præbita fuit, morte illius exſtincta eſt: quæ, *Beatricis*
dum cauſa ultro citroque per nuncios, litterasque agitur, in inſula Ænaria *mors liti*
extremum diem clauſit, poſtquam ruinæ domus ſuæ, quæ ſupra centum annos *finem im-*
ſteterat, aliquamdiu ſupervixiſſet. *ponit.*

In Bohemia interim Picardorum virus tacite per primi etiam ordinis vi-
ros latius ſerpens, ita ſimultates, ac partium ſtudia fovebat, ut correpta eo- *An. Chr.*
dem malo reſpublica teterrimorum hominum furore in apertum diſcrimen rue-
ret, neque procul abeſſet, quin Rex conjuratorum inſidiis, qui per illius abſen- 1509.
tiam animos ſumebant, dignitate exueretur. Perincommodum Wladiſlao id ac- *Rex ad*
cidit, certas jam rationes ſecum ineunti, quibus filium Bohemis quoque regem *conven-*
daret, ne ei, ſi ſe rebus humanis prius eximi contingeret, quidquam negotii *tum a*
in adeundo regno olim conficeretur. Quare datis ad Bohemiæ ordines litteris *Bohemis*
mandaverat, ut ad præſtitutum diem conventum haberent, ſe Legatos ex Hun- *cogen-*
garia miſſurum, qui de regni negotiis interea cognoſcerent, quoad ipſe curis *dum Le-*
liber, Pragam veniens per ſeſe de rebus conſtitueret. Simul Joanni Epiſcopo *gatos de-*
olim Varadienſi, quem relicto pedo inſtitutum Divi Franciſci ſecutum narravi- *cernit.*
mus, eam legationem obire mandat, addito collega Stanislao Thurzone Epi-
ſcopo Olomucenſi. Joannes, tametſi ſibi, Deoque privatus vacaret, reipubli-
cæ tamen cauſa, quæ cum Divina jungeretur, nihil negandum Regi ratus, iti-
neri ſe confeſtim accinxit, & ſumto Olomucii Legationis, ac itineris ſocio, opi-
nione celerius, ne quod ad capienda nova conſilia Bohemis ſpacium, tempusque
relinqueret, Pragam pervenit. Ibi præter ſpem frequentem Principum conven-
tum reperiens, concitis in præſtitutum locum, brevi, & accurata oratione Re-
gia mandata expoſuit, docuitque, quo crimine adverſum Regem ſeſe obſtrin-
xiſſent, qui quanto majore eos hactenus clementia rexiſſet, tanto minus com-
meritus fuerit, ut deſpicatui ejus dignitatem haberent. Grande facinus eſſe
rempublicam cum Rege commiſiſſe, neque ulla ſatis pœna eluendum: præbuiſſe
eos, & cauſam, & vires, ut in ſe graviſſima animadverſione pro merito utere-
tur, temperare tamen ſibi ab ſeveritate malle, quod ſpe non dubia duceretur,
oblitos ſui inſtituti, diſſimulatione, & indulgentia flecti poſſe. Quæ ſi fruſtra
eſſet, uſurum ſe ſua auctoritate, & exemplum juſtitiæ daturum, cujus memo-
ria ad poſteros tranſiret. Neque putarent omnino clandeſtinas machinationes ab
Rege ignorari: eſſe illi in urbe, & regno ſpeculatores; quorum indiciis occul-
tiſſima comperiſſet: hæc ſibi ab Rege clam credita paucorum dierum uſu, quos

(u) Opinor legi oportere: Tranſalpinus.

1509. in urbe duceret, pro compertis habere, affirmabat: nec neſcire ſe exſtare litteras, quas in ſceleratorum cœtu adverſus rempublicam condidiſſent; exploratum ſibi eſſe, quo loco, a quibus ſcriptæ, & quorum nominibus ſignatæ eſſent, quin adeo in conventu penes quosdam latere; ſimul hæc dixit, proferri in medium litteras jubet, ni facerent, ſe ultimi ſupplicii denunciatione per Regis auctoritatem uſurum, comminatus eſt. Bohemi & dicentis gravitate, & auctoritate regis perculſi, veritique, ne, ſi inficiando, aut tergiverſando rem producerent, cauſam per ſe malam pertinacia ſua penitus affligerent, litteras, ut erant multorum ſignis obſignatæ, Joanni tradunt, exſpectatione defixi, quo res denique evaſura eſſet. Ille paucis commonitos, ut in fide deinceps conſtantes manerent, adhortatus eſt, operamque ſe daturum, ut, quidquid adverſus rempublicam commiſiſſent, id illis per Regis clementiam impune eſſet: ſimul pollicitus, ſe, quo honori omnium conſuleret, nec quidquam apud alios propterea conflaret invidiæ, rem clam omnibus habiturum. Quo dicto litteras non inſpectis inſcriptionibus, non revulſis ſignis, ut erant ſibi porrectæ, concerptas, laceratasque, ne colligi fruſta, legique a quoquam poſſent, magno omnium, acerbiora timentium, gaudio in partes diſſipavit. Ad hunc modum unius viri prudentia fortitudini animi conjuncta regnum præſentiſſimo diſcrimine exemtum eſt. (x)

Quorum ſtudio cum turbæ compoſitæ eſſent Pragam pro coronando filio contendit.

Wladislaus cognito Legatorum virtute ſedatas in Bohemia turbas eſſe, adductis ſecum Anna, & Ludovico puero, in quibus Princeps profectionis cauſa fuit, ſplendidiſſimo comitatu Pragam contendit, quod filium Hungarici regni prærogativa ſubnixum, Bohemiæ quoque inſignibus, quo omnis novandarum rerum occaſio tolleretur, ornare conſtitutum haberet. Adſuit ad cohoneſtandam pompam e Germania Fridericus Brandeburgicus cum uxore Sophia, Wladislai ſorore, magna Principum virorum corona ſtipatus, qui partim rerum novitate, partim officii cauſa confluxerant. Itaque cum dies coronationi præſtitutus ad V. idus Martias illuxiſſet, omniaque ducendæ pompæ diligenter comparata eſſent, Fridericus Marchio Ludovicum triennem infantulum ulnis geſtans, Stanislao Olomucenſi Epiſcopo diademate redimendum obtulit, qui factis ex ritu Eccleſiæ ſacris, magno populi plauſu puerum Bohemiæ Regem appellavit, non tenente lachrimas patre, quas gaudii magnitudo expreſſerat, quod videret filium id ætatis duorum nobiliſſimorum regnorum inſignibus ornari.

Annæ lacrimæ in coronatione fratris.

Ferunt Annam ſororem, cum Fratrem coronam auream geſtare vidiſſet, puellari incenſam animo, & honoris æmulatione ductam in lacrimas erupiſſe, Regique interroganti, quæ fletus cauſa eſſet, ita reſpondiſſe, ut adſtantibus quidem riſum, patri ſimul admirationem injiceret: ſibi vero plorandi materiam jure præberi, quæ fratre natu major, abjecta, contemtaque abjiceretur, cum is nullo ſuo merito, ſemel, atque iterum eo honore frueretur. Rex puellari reſponſo mire delectatus, ubi Sacra finem acceperant, Annæ itidem coronam imponi juſſit. Ea res tum minus animadverſa, illi, ut eventus poſtea docuit, in regni omen verterat, quæ ab fratris obitu, utroque regno potita, mater multorum Regum, ac Cæſarum effecta eſt.

Coronationis tempore turbæ, ac cædes inter Hungaros ac Bohemos ortæ.

Secundum coronationis pompam, Principes convivio in regia accepti ſunt, re nulla prætermiſſa, quæ ſive ad declarandam regiæ magnificentiæ ſignificationem, ſeu ad exhilarandos accumbentium animos quidquam facere videretur. Sed publicam lætitiam ortus ab fœdo initio Bohemos inter, ac Hungaros tumultus intercepit. (y) *Bohemus e plebe homo nefarius atque impurus, tum quæſtus genere, quo nihil execrabilius eſt, tum vitæ turpidine infamis, qui in ea urbis regione, quam novam civitatem appellant, lenoniam exercebat, tumultus initium fecit. Is cum quereretur domo ſe ab Hungaris per vim pulſum, quod eos accipere hoſpitio recuſaſſet, quiritando,*

(x) Deſcribit hæc fuſiſſima narratione Brutus in Hiſtoria MS. rer. Hungar. Lib. I.

(y) Brutus loco laudato: eſtque in ea cum Iſtvanffyo opinione, ut eam cædem primis coronationis diebus eveniſſe putet; cum Bohemici ſcriptores eam 20. Maji accidiſſe teſtentur.

tando, implorandoque popularium fidem, cuncta geſtu, clamore, tumultuque impleverat. Mox accurrentes hinc Hungari, hinc Bohemi auxilio ſuis, cum, ut ſit, conviciis, & contumelioſis verbis, incenſis animis, ſe ad vim paraſſent, eductis utrinque gladiis in ſpeciem juſtæ pugnæ conſerunt manus. - - - - - Inde cum ſuperante multitudine Bohemorum, qui undique accurrentes auxilio pro ſuis cum alienis pugnabant, infeſta omnia Hungaris eſſent, nullaque auxilii ſpes oſtenderetur, non virtute, aut robore animorum, ſed numero obruti, quo inferiores habebantur, fuga ſaluti conſulere coguntur e ſuis nonnullis amiſſis, ſauciis multis. Neque tutior receptus a fuga, hoſpitia petentibus fuit: certior enim, & ob id immanior cædes edita in incluſos, cum ab hoſpitibus nequidquam violatam hoſpitii religionem querentes, ac Dei immortalis fidem implorantes tonti mox ſceleris futuri ultoris, in barbarum morem trucidarentur. Auxit Bohemorum ſcelus, cædem Hungarorum ſequuta præda: cum ejus avidis materia luculenta abjecta ad inflammandos animos faces addidiſſet: plurima veſtis ſuffulta precioſis pellibus, argenti facti, atque infecti magna vis, equorum ornatus, quem aurum, gemmæ, lapilli vario artificio diſtinguebant, quæ omnia, ut eſt ejus gentis mos ad augendam ejus diei celebritatem certatim quisque in pompæ, & magnificentiæ æmulationem protulerat. Interea cum pervaſiſſet rumor in veterem civitatem, & quisque ad ea, quæ acceperat, plura & graviora addendo auxiſſet, per ſpeciem tuendi ſuos incenſi, alii prædæ cupiditate, odio Hungarorum alii, in novam armati advolant, nullo diſcrimine, ut in vi capta urbe armati hoſtes, obvios quosque, nobiles homines præſertim, qui inter ceteros veſtitu, atque ornatu equorum conſpiciebantur, concidunt, fruſtra a furentibus odio deprecantes tam indignam cædem, cum hinc aviditas prædæ, hinc odii magnitudo aures precibus occluſiſſet. Unum Stephanum Bathorem adoleſcentem, cujus erat ob familiæ nobilitatem, & domeſticas opes, inſignis ſplendor, callidum conſilium ab imminenti exitio vindicavit: cum precioſa quæque Bohemis objeciſſet, uti ab intentis prædæ locus ad effugium relinqueretur. Quæ omnia per ſe fœda, atque indigna, ut nihil præterea accederet, auxit poſt ſedatum tumultum de ſontibus ſumtum ſupplicium, quos magiſtratus, comprehendendos curaverat, lætiſſimamque urbis faciem multo tetrius, immaniusque fœdavit. Ut enim quisque conſpectior ſceleris magnitudine habebatur, atque inter capita ſeditionis fuiſſe arguebatur, ita atrocioribus ſuppliciis ſceleris convictus admiſſum luit. Non faces, non ignes, non ſecures, non forcipes iis urendis, excarnificandisque, non alia fœdiora ſupplicia ſatis ſufficere viſa de ſceleratis pœnas ſumentibus: cum usque eo magiſtratus ſeveritas deſcendiſſet, ut vivis nonnullis mandarent diripiendam cutim, ad inferendum improbis terrorem excogitato mortis genere teterrimo, atque mitioribus ingeniis inuſitato.

Sedato Pragæ tumultu nuncius Regi ex Hungaria, & Polonia affertur, Bogdanum Moldaviæ regulum rupto ſine cauſa fœdere, Ruſſiam, ac Podoliam magno exercitu ingreſſum flamma, & cædibus omnia explere, ac conſimili apparatu irruptionem in Tranſilvaniam meditari. Quæ ut minime grata Regi accidere, ita extemplo ad Thomam Cardinalem, & Palatinum, quibus per abſentiam regni curam credidit, mandata miſerat, uti viderent, ne quid periculi ab fœdifrago immineret, juberentque provinciæ Præfectos diligenter excubare, ut obſeptis aditibus hoſtem a maleficio arcerent. Tameſi ea cura fere ſupervacanea fuiſſe videri poſſit, quod Bogdano plus negotii cum Sigismundo obortum eſt, quam ut in Tranſilvaniam poſſet irrumpere. Rex enim cum comperiſſet Moldavos ad Leopolim usque vaſtationem intuliſſe, rapto celeriter exercitu hoſtem ad ſua ſe recipientem, in Moldavia conſequutus, omnem late provinciam viginti dies igni, ferroque populatus eſt, tum nactus ad Tyram amnem Moldavos pugnam minime detrectantes, acerrimo prælio profligat. Captivorum ingens numerus confectus, præcipue Optimatum, quos Boerones vulgus vocat, ex quibus Sigismundi juſſu quinquaginta decollati fuere, quod totidem Polonos ſecuri Bogdanus olim percuſſiſſet. Hinc ad ambiendam precario pacem compulſus Legatos ad caſtra Regis miſerat, quorum opera inutilis prorſus futura erat, niſi commodum ab Wladiſlao Oſvaldus Korlatkövius, & Barlumus Bornemiſza Oratores adfuiſſent, qui, cum vererentur, ne Vayvoda pro verſatili ſuo ingenio deſperatis rebus Turcos in ſuppetias accerſeret, fœdus utrinque inſtaurarunt. Credibile eſt iisdem, quibus olim conditionibus ſancitum eſſe,

Rex, oborto a Moldavis periculo, mandata ad regni vicarios mittit.

niſi

1509. niſi, quod Bogdani conflatum cum Regis ſorore connubium, ut Cromerus memorat, redditis pactionum litteris, reſciſſum fuiſſe mihi perſuadeam. (z)

Tum ad recuperandam Dalmatiam ſtudia confert.

Per idem tempus bellum in Venetos recruduit, fortuna fœderatis tam ſecunda, ut illi, omnibus pene ditionibus exuti, ad extremum diſcrimen adducti viderentur. Ea re Maximilianus, & Galliæ Rex, qui in ſancitis cum Julio Pontifice fœderibus Principatum tenebant, utendum rati, Wladislaum miſſis Pragam Legatis, orare non deſinebant, uti coacto in Sclavonia, & Croatia milite, Dalmatiam peteret, veteraque regni jura, quæ olim penes Reges Hungariæ fuiſſent, vindicatum iret: nusquam alias tam opportunum tempus oblatum iri, quo concluſis in arctum Venetis, pulcherrimam, & ſitu ipſo Hungariæ commodiſſimam regionem recuperare queat, modo tempori ſervire, &, quod illi daretur, conſilio uti vellet. Utile conſilium fuit, ſi aut Rex pares ad id exequendum animos attuliſſet, aut illos, quibus mandata provincia fuit, ſibi conſentientes habuiſſet. Itaque Wladislaus cum ipſa fœderatorum amicitia, tum rei feliciter gerendæ occaſione adductus, facile in Maximiliani ſententiam concedens, litteras ad Georgium de Caniſa, & Joannem Cunſth, Croatiæ, Sclavoniæque Banos dederat, adjectis mandatis; primo quovis tempore Budam, quo Martinum Czoborium præmiſiſſet, ſeſe conferrent, ut concitis regni Proceribus, collatisque conſiliis, etiam, atque etiam viderent, ne belli ex ſententia adminiſtrandi opportunitatem ſibi elabi paterentur, ac, quidquid in eum uſum eſſet, citra moram, ac diligenter conſtituerent: ſe eorum, qui naviter operam ſuam eatenus locarent, rationem omnino habiturum. Mandata in hunc modum habent: (*a*) *Wladislaus Dei gratia Rex Hungariæ, & Bohemiæ &c. Magnifici, fideles, nobis dilecti. Pro re certiſſima tenemus, aperte jam vobis conſtare, præſentem ſummi Pontificis, principumque Chriſtianorum, & omnium potentatuum Italiæ expeditionem, atque arma adverſus Venetos, dominiaque ipſorum ſuſcepta, eosdemque principes animum ipſorum jam ad effectum etiam prope deduxiſſe. Arbitramur etiam non ignorare vos, Majeſtatem chriſtianiſſimi Regis Franciæ, conſanguinei, & confœderati noſtri chariſſimi, Oratorem ſuum in his rebus jam pridem ad nos miſiſſe, quo quidem apud nos hic agente, ſupervenit hoc quatriduo denuo, & jam tertio Orator ſereniſſimi, & excellentiſſimi Principis, Domini Maximiliani, Romanorum Imperatoris, conſanguinei item noſtri chariſſimi, qui & ab ſanctiſſimo Domino noſtro litteras nobis attulit, qui denique cum præfato Oratore chriſtianiſſimi Regis Franciæ, poſt multa verba nobis, & regnis noſtris ſalutaria, multumque conducibilia, & profutura ſubjunxit: nihil jam reſtare apud manus Venetorum, quod non ab eis recuperatum, abſtractumque, per ſanctiſſimum Dominum noſtrum, & ipſos Principes fuerit, præter Dalmatiam ad jus noſtrum, & ſacræ coronæ noſtræ Hungariæ pertinentem, & ultra hoc urbem ipſam ſolam Venetiarum, de illisque tamen ſe ambigere, quod hucusque factum fuerit. Unde hortati ſumus per eosdem Principes, & in primis ipſum ſanctiſſimum Dominum noſtrum, ne nos quoque in recuperandis juribus noſtris, ab eisdem Venetis, nobis deſimus. Miſimus itaque feſtinantiſſime ad vos, & alios Dominos fideles noſtras, hunc fidelem noſtrum, egregium Martinum Czobor, Cubicularium noſtrum, & Comitem Comitatus de Bodrog, plene a nobis in omnibus, quæ nomine noſtro vobis, & eisdem aliis Dominis, in præſenti negotio referenda ſunt, informatum, commiſimusque illi, ut has noſtras prius, quam ipſe Budam attinget, ob rei majorem utilitatem, vobis dies, noctes præmittat. Rogamus igitur vos pro Deo ipſo, ut conſiderata tanta, tamque optima occaſione recuperandorum jurium noſtrorum, & ſacræ coronæ noſtræ, qua major, faciliorque nunquam antea præſtita fuerit, nec deinceps præſtari poterit, velitis ſtatim, viſis præſentibus, Budam ipſam accedere, iſthicque cum præfatis aliis Dominis, quibus, ut illuc accedant, ſimiliter injunximus, convenire, auditisque, & intellectis hujusmodi intimatis noſtris, maturius, quo fieri poterit, colloqui, & tractare, & ita pari conſilio his rebus, deque proviſione, & expeditione citiſſima rerum ipſarum proſpicere, quatenus bonum, & optatum finem, Deo optimo largiente, hujus modique veſtris prudentiſſimis conſiliis, circa recuperationem dictorum jurium ipſius ſacræ coronæ noſtræ habere, & conſequi poſſimus. Ob quod nos una cum ſereniſſimis liberis noſtris perpetuo - - vobis obligabimur. Datum*

Præ-

(z) Jodocus Decius de temporibus Sigismundi. (*a*) Ex Analect. MS. Cl. Kollarii.

Pragæ feria quinta proxima ante feſtum ſanctæ Margarethæ Virginis, & Martyris, anno Domini MDIX. **1509.**

Dubium non eſt, nusquam alias tam commodam recuperandæ Dalmatiæ occaſionem, abhinc, quam per turbas domeſticas a nobis ad Venetos traducta eſt, Regi oblatam fuiſſe, potuiſſeque aliquod operæ precium referri, ſi Wladislao, optime ad eam rem animato, volentique errorem Mathiæ corrigere, Proceres, quibus id mandaverat, operam, & ſtudium ſuum conjunxiſſent. Qui, ſive gravius, quam ærarii publici rationes ferrent, id bellum exiſtimabant ſive non de nihilo metuerent, Regem, ut inconſtantis erat animi, a propoſito, præſertim ſi eventus conſilio non reſponderet, facile avocatum iri, ab armis Dalmatiæ inferendis omnino abſtinendum putabant. Certe nullas hoc quidem, ac reliquis annis molitiones, quæ Venetos reſpicerent, a noſtris factas eſſe conſtat. Qua in re, ſi conjecturæ locus ſit, & ex præteritis, tum futuris rebus non improbabile judicium poſſit conſtitui, Thomam Cardinalem præcipuas partes habuiſſe opinor: qui cum Venetorum in primis opera Cardinalium numero haud ita pridem adlectus, & ſumma deinceps, cum Romam petiit, pompa, ac incredibili voluntatis ſignificatione ab eis acceptus eſſet, nullo negotio ceteros Optimates pro ſua, qua per abſentiam Regis uſus eſt, auctoritate, a belli apparatu, ad pacis ſtudia traduxerit.

Verum irrito prorſus conatu.

Rex, conſtitutis in Bohemia rebus, cum in Hungariam per Moraviæ provinciam reditum parat, iter Cremſirium divertit ad Stanislaum Olomucenſem Epiſcopum, cui præ ceteris ejus ordinis viris propter ſummam prudentiæ, & virtutis exiſtimationem plurimum tribuebat. Hic ei crebris ex Hungaria litteris nunciatur, regnum peſtilentiæ lue, ſive ex cœli inclementia, ſeu aliunde invecta laborare, iterque minus tutum fore, quod ea parte, qua neceſſaria via erat, malum multo acerrime graſſaretur. Mali metu territus, magisque liberis ſuis, quam ſibi metuens, iis in Moravia aut Pragæ relictis proficiſci in Hungariam conſtitutam habebat, cum Joannes Zapolyus Trenchinio cum ducentorum equitum comitatu profectus Regem Cremſirii adiit, externa ſpecie officii ſignificationem teſtatus, re autem ipſa, ut divitiarum oſtentatione, opumque copia fultus, Regis voluntatem de collocanda ſibi filia tacite exploraret. Itaque cum comperiſſet Wladislaum ſine liberis in regnum proficiſci velle, veritus, ne ſpe ſua excideret, cum ſuo, cum ceterorum Optimatum nomine Regem aggreſſus orabat, ne liberos, quibus nihil charius in vita haberet, exterorum fidei crederet, in Hungaria natis exoticam auram fatalem futuram: ſatis moræ in Bohemia tractum eſſe, Hungaris etiam ſeſe indulgeret, apud quos jam palam expoſtulantium voces audirentur, ſordere Wladislao Hungariæ regnum, ſolis fere Bohemis addicto: de peſtilentia conſulto rumores ab hominibus non reipublicæ minus, quam Regi iniquis ſeri, quo eum ab regno averterent. *Hæc Principes libere, hæc populum queri, & quidem, ut non diſſimulent, ni quam primum maturet redire, ſe illum in Regiam urbem, quam adeo vilem habeat, niſi coactos vi, atque armis haud recepturos. Hoc quidem ſe utrum Regis cauſa, an ſuorum ſerat iniquiore animo, haud ſecum ſtatuere poſſe: ut enim cetera abſint, cauſam quæri, cur Regi minus conveniat cum ſuis, tum iis, qui pareant, turpe eſſe, tum haud ſatis decorum Regi, cum quidem non ſæpius in populis, quam in Rectoribus regnorum diſſidii culpa, cauſaque conſiſtat: certe quod diſſimulari haud poſſit, Hungaros, quo ſanctius ſemper coluerint Regium nomen, eo contumelioſius ſibi eſſe cenſere, tamquam de ſua fide in dubium venerint ſe a Rege contemni. - - - Sunt, qui hoc loco nimiam in Scepuſio animi fiduciam reprehendant, & ſuperbam ſui oſtentationem; parum illius gloriæ faventes moderationem animi majorem certe, atque æquitatem requirant. Etſi enim multa in Wladislao deſiderabantur, quæ quis vellet conſpici in Rege, aderant nonnulla, quæ abeſſe a Rege ſatius exiſtimaret: at erant omnia in perſona, quam gerebat, verenda, ſummum Regni jus, Imperii Majeſtas, Regius honos, ſupremum in terris humanarum rerum faſtigium, quo cum Wladislaus eſſet maxime Stephani patris gratia, & ſuffragatione provectus, haud conſentaneum videbatur,*

In Hungariam rediturus, Cremſirii metu peſtis ſubſiſtit.

Procerum ac Joannis Scepuſii propterea querela.

1509. *batur, filii conſtantiam in tuendo patris inſtituto deſiderari, qui regni Palatinus, & Regii Ærarii Præfectus potentia, atque auctoritate ſemper omnibus in Hungaria antecelluiſſet.* (*b*)

Wladiſlaus Pragam redit.

Scriptores domeſtici pene omnes perhibent Regem non tam Joannis auctoritate, quam minis permotum, in Hungariam cum liberis rediiſſe; quo tempore Bajazetis Legato, qui commodum Budam venerit, triennes inducias conceſſerit, cum triennium prioribus pactis præſtitum jam effluxiſſet. Sed hæc haud ſatis ex fide hiſtorica narrantur, quod inducias ex Regiis litteris in ſeptennium cum Bajazete ſancitas a nobis commonſtratum ſit, & Bohemici ſcriptores, quibus eorum annorum diplomata mire conſentiunt, Regem non prius, quam exacto apud Bohemos anno in Hungariam reverſum eſſe paſſim affirment.

An. Chr. 1510.

Et dato Saxoniæ ac Bavariæ Ducibus feudo

Nam in annum quidem inſequentem ad XI. calendas Februarias Regem Pragæ moratum eſſe, extra dubium eſt, cum ab eo Ludovicum Palatinum Rheni, Bavariæ, & Georgium Saxoniæ Duces, feudum accepiſſe, eorum temporum ſcriptores prodiderint. Tam diuturna ab regno abſentia haud paucas in Hungaria turbas conciverat, quæ nou tam a malo domeſtico, quam Wladiſlai facilitate ortum habuere. Nam ut potentior quisque auctoritate, & opum affluentia fuit, ita magis pro ſuo ingenio dignitatem Regis deſpicatui habere, & in ejus proventus per ſummam injuriam involare, nihil penſi habebat, qnod plerique ita uſu comperiſſent, ſe, quamquam repetundarum convincerentur, per Wladiſlai inertiam magis, quam clementiam, impune abituros. Qnæ res cum per ſeſe fœda, tum iis etiam nominibus execrabilis erat, quod occaſionem rapaciſſimis hominibus præberet, ut nobiliſſimos viros, per quorum invidiam omnem ab ſe criminis ſuſpicionem amolirentur, calumniis objicerent, fidemque eorum apud regem elevarent. Id Benedicto Bothyanio Regio per id tempus Quæſtori pene exitium conflavit, qnem poſtquam Wladiſlaus ex eorum hominum, cum quibus illi dignitatis æmulatio interceſſerat, parum fidis iadiciis comprehendi per Palatinum juſſiſſet, atque hic ſive ob nobilitatem generis, ſeu quod innocentiam ejus comperiſſet, virum ſumma ceteroquin fide in omni republica verſatum liberalius haberet, arctius concludi, & dato judicio quæſtionibus ſubjici imperavit. Exſtant ea de re litteræ dignæ memoratu, ex quibus pronum conjicere ſit, Regem nequaquam ita deſidem in vindicanda ſua auctoritate, ac jure fuiſſe, ut eum fere noſtri ſcriptores paſſim expingunt. Litterarum, quas ad Palatinum propterea dederat, hic tenor eſt: (*c*)

Quæſtorem Ærarii peculatus inſimulatum cuſtodiæ mandari jubet.

„ Spectabilis, & magnifice, fidelis, uobis ſincere dilecte! agimus vobis „ meritas gratias, quod mandato noſtro propter regnorum uoſtrorum utilitatem, „ detinendo fidelem noſtrum Benedictum una cum ſno vices gerente ſatisfecerit: propter quod tempore ſuo etiam referemus; admoneatque juſſu, & im„ perio noſtro, ut caſtra noſtra, quæ libere ad manus ipſius tradideramus, nobis „ remittat, & reſtituat, quoniam ſi ad ulteriores expenſas ſuperfluas nos coegerit, ſciat pro certo, quod ſuper eum, usque ad minimum requirere facie„ mus, taliterque cum eodem agemus, ut & aliis in perpetuum exemplar „ cedet, ne abutatur gratia noſtra, neve imperium noſtrum contemnat, quia „ profecto, quod hucusque ſæpe toleravimus, jam amplius non tolerabimus, „ neque voluntatem noſtram firmam impedire, aut retardare conetur. Quod „ ſi quid poſtea gravius, & ſeverius in eum ſtatuere cogemur, culpa erit ſua. „ Si reſtituerit, bene quidem: ſin minus, faciat continuo præfata caſtra noſtra „ obſidere, expugnare, & ad manus fidelis uoſtri, moderni Domini Theſaurarii (*d*) tradere. Scripſimus ad uonnullos vicinos, fideles noſtros, ut in „ ejusmodi negotio veſtræ fidelitati, & præfato noſtro Theſaurario omni auxilio

(*b*) Brutus loco laudato.

(*c*) Ex Codice MS. rerum ſub Wladiſlao geſtarum.

(*d*) Erat is Franciſcus Electus Epiſcopus Vacienſis, ut ex ejusdem Regis litteris ad Joannem de Homona in eadem cauſa ſcriptis patet. Niſi forte ſcribæ imperitia *Vacienſis* in loco *Varadienſis* irrepſit: nam in Decreto anni 1514. legitur Franciſcus de Peréa Electus Varadienſis.

„ lio oportuno, & neceſſariu advolare, & aſſiſtere debeant; & ſi ſui caſtellani
„ fecerint in caſtris noſtris reſtituendis difficultatem, priusquam patiamur, quod
„ quilibet ſubditorum noſtrorum ſe nobis quacunque de cauſa opponere audeat,
„ voluimus, ut eorum bona auctoritate noſtra fidelitati veſtræ præſentibus plene
„ conceſſa, occupare, illisque omnem timorem incutere faciat, cogatque omni-
„ no ad reſtitutionem præfatorum caſtrorum noſtrorum; compellatque, ut quod
„ jam noſtro juſſu inchoavit, etiam pro perpetua gratia noſtra plura ad finem
„ deducat. Et de his, ne in hoc reluctetur, ſcripſimus etiam ad præfatum Be-
„ nedictum, alias Theſaurarium noſtrum, quem intelleximus, ut nimium laxe,
„ & libere veſtra fidelitas detinere faciat, quod certe noſtro judicio rebus præ-
„ ſentibus non conducit, ſerveturque ſub majori, & arctiori cura, & cuſtodia,
„ ſitque ſeorſum ab ſuo Vice-Theſaurario, nec pateat unicuique ad eos ingreſ-
„ ſus, ſed paucis, & certis ad hoc deputatis: alii ingredi, & cum eidem
„ colloqui volentes, paſſim non admittantur, & qui admiſſi fuerint, habeant
„ licentiam ab fidelitate veſtra, ſintque bene excuſſi, ne aliquid inferant, - - -
„ & ſemper coram deputatis cuſtodibus, ipſis audientibus, eum alloquantur,
„ cogatturque ad reſtitutionem præfatorum caſtrorum noſtrorum, & ad debitam
„ rationem ſuæ adminiſtrationis reddendam, una cum ſuo Vice-Theſaurario.
„ Cum hæc feceritis, poſtea ſignificabitis, quid cum eisdem ſit agendum, & fi-
„ delitas veſtra in prædictis ſecus nulla ratione faciat, ut his expeditis poſſimus,
„ & cogitatione, & effectu ipſo ad alia progredi, quæ rebus regnorum noſtro-
„ rum propter proventuum diſſipationem valde neceſſaria ſunt. Bene, & feli-
„ citer valeat fidelitas veſtra, quæ hæc negotia cum pleno effectu quam citiſſime
„ commendata habeat. Ex Praga. „ Quem finem cauſa acceperit, nusquam comperi: credibile eſt, quod haud multo poſt Benedictum variis Magiſtratuum honoribus ornatum conſtet, comperta viri innocentia eorum, ad quos cauſa delata eſt, judicio abſolutum fuiſſe: tametſi invidiæ onus, quæ ex aliorum criminationibus ortum habuit, ne Rex erraſſe videretur, aliquamdiu, ut ſit, ferendum illi eſſet.

In Hungariam reverſus Legatos a fratre accipit, viciſſimque ad eum mittit.

His mandatis ad ſitos miſſis, Rex Cutnam ad Comitia, quæ in diem XIII. Februarii indixerat, cum liberis profectus eſt, rebusque iſthic ex ſententia conſtitutis, in Hungariam reverſus Budam circiter finem menſis tenuit. Hic eum Joannes de Lasko regni Cancellarius, & Nicolaus Firlejus Lublinenſis Palatinus ab Sigismundo miſſi, haud multo poſt, ex Bohemia quam veniſſet, ſalutarunt, ut regis ſui nomine armorum ſocietatem, ac commune in Turcos fœdus inirent. Julius enim Pontifex, cum plerosque Chriſtianos Principes conciliata inter eos pace ab inteſtinis armis revocaſſet, Jacobum Piſonem primum, cum Achillem de Graſſis in Poloniam miſerat, qui Sigismundum cum Wladislao contra barbaros ſociarent. Id cum Polonis periculi plenum videretur, nihilque inconſulto Wladislao vellent conſtituere, Legatos, ut memoravimus, in Hungariam miſere, indictoque Petricoviam conventu rem omnem ad Senatum referre decreverant.

Qui oblatum a Julio commune in Turcos fœdus recuſandum cenſent.

Variæ iſthic, & in utramvis partem ambiguæ erant ſententiæ, donec Olomucenſis Epiſcopus, & Præpoſitus Albenſis Wladislai nomine Comitiis affuiſſent, quorum conſilio minime ex utriusque regni uſu fore judicatum eſt, ſi bellum in barbaros decerneretur, cum quibus Poloni recens inducias pepigiſſent, & Hungari fœdere alioquin illigati eſſent. Incertum eſſe belli exitum, & ſociorum auxilia, quæ pollicerentur, magis longinqua, quam ut uſui eſſe poſſint. Si fortuna faveret, id unum commodi relatum iri, quod ſociorum laudibus, & encomiis celebrandi eſſent, ſin contra, præſentiſſimum utriusque regni damnum certiſſimum fore, Pontificis autem, ac ceterorum Chriſtianorum Principum auxilia aut nulla, aut ſera, quæ terrarum longinquitas per ſeſe inutilia redderet: id uſu priorum annorum magis cognitum haberi, quam ut in dubium a quoquam vocari poſſit. Itaque Julio ampliſſimæ gratiæ habitæ, dataque ſpe, ſi elapſo induciarum tempore fœdus conflare vellent, ſe ſocios fœderis futuros, Legati muneribus exculti cum magna honoris ſignific.tione dimiſſi ſunt.

1510.

Rex tamen Cameracenſi fœderi in Venetos iſto ſocius accedit.

Ut difficilem ſe in obmovendo Turcis bello Pontifici Rex præbuerat, ita facile Cameracenſi fœderi ſocius acceſſit, quod Maximilianus Cæſar, cum Julio Papa, & Franciæ, Arragoniæque Regibus contra Venetos conflavit. Cum enim Oratores ſuos ad Cæſarem tum officii, tum firmandæ affinitatis cauſa Conſtantiam miſiſſet, ii, acceptis ab rege mandatis, agente in primis Maximiliano, fœdus adverſum Venetos ſuo nomioe confirmarunt, polliciti, daturos ſe operam, ut id Wladislaus ſuo etiam judicio ratum haberet; quemadmodum publicum fœderis inſtrumentum, quod in Auguſto Tabulario Viennæ aſſervari comperi, perſpicuam fidem facit. (*e*)

An. Chr. **1511.**

Recrudeſcente peſtilentia in Sileſiam abit.

Sub hæc cum in autumni exitu rurſum peſtilentia Budam corripuiſſet, Wladislaus cum liberis Poſonium primum, poſtea Hunobrodam Moraviæ oppidum fuga ſe periculo ſubduxit, ac ineunte anno IV. calendas Februarias Wratislaviam tenuit. Cum hic ab Sileſiæ Principibus clientelæ, ac beneficiarii juris nomioe ſacramentum vellet exigere, neque enim ex quo tempore Sigismundus frater ſolium in Polonia conſcenderat, id factum eſt, ingens inter Hungaros, ac Bohemos diſceptatio oboritur. Hi Sileſiam inde ab veterum temporum memoria Bohemiæ provinciam fuiſſe contendebant; itaque Regi eo nomine fidem ab Sileſiis dari oportere: ſi quid ambiguum in jure eſſet, facile cooſtitutis arbitris dirimi poſſe, præſertim quod utrumque regnum, inter quæ lis intercederet, uni capiti pareret. Hungari contra pacta, quæ Mathias cum Wladislao Olomucii inierat, oggerebant, quibus cautum eſſet, ut mortuo Mathia ſine liberis, Bohemi Hungariæ certam pecuniæ ſummam, quæ iisdem pactis comprehenderetur, bona fide penderent: id cum hactenus factum non eſſet, merito Provinciam Hungariæ juribus obnoxiam videri: non commiſſuros ſe, ut in vindicandis regni juribus ignaviæ notam apud poſteros incurrant. Si Rex auctoritati ſuæ tantum non tribueret, ut litem ex æquitatis cauſa dirimat, ſeſe totius regni nomine intercedere, neque paſſuros, uti nobiliſſima provincia, quæ partim armis aſſerta eſſet, partim mutuo Principum conſenſu acceſſiſſet Hungariæ, per ſummam injuriam ab regno avellatur. Ea juris, & verborum altercatio Regem in ſententia ita ancipitem reddiderat, ut, cum quid ſtatuendum eſſet, haud ſatis exactum haberet, rem cum aliquo ſui contemtu in aliud tempus differri oporteret.

Joannis Scepuſii ſoror Sigismundo Poloniæ Regi deſponſatur.

Interea Hedvigis Stephani Scepuſienſis vidua, cum ob præclarus animi virtutes, tum ob affinitatem, qua Poloniæ Regibus propinqua erat, laudatiſſima mulier, cum Caſimiro Fratre Teſſinenſium Duce de collocanda Sigismuodo filla Barbara privato primum conſilio egit, tum regem conveniens orabat, ut, ſin minus Fratri de ducenda Barbara auctor eſſe vellet, invitus oe eſſet, ſi Sigismundus animum ad eas nuptias appelleret. Wladislaus re cum familiaribus deliberata, & propter inſignem virginis formam, pudoremque, & quod defunctæ conjugis judicio digna haberetur, quæ per fratris thorum ad Regiæ Majeſtatis faſtigium efferretur, facile in Hedvigis ſe traduci ſententiam paſſus eſt, miſitque propterea Michaëlem Hanelum Budenſem Archipresbyterum, virum ſpectatæ prudentiæ, ut una cum Caſimiro, qui eodem tempore Cracoviam ob eam cauſam profectus erat, de nuptiis cum fratre tranſigeret. Redierat tum ex Lithuania Sigismundus, cum Oratores nuptiarum cauſa Cracoviam venere, auditisque Legatis nullo negotio fratris conſilio acquievit, quod abſtracto ab Anna Meklenburgenſis Ducis filia, quam prius ambiverat, animo, novis amoribus facile pateret. Res primum clam omnibus habita eſt, donec in anni exitu in vulgus didita miros animorum motus conciviſſet, quibusdam regis deſtinationem maximis præconiis extollentibus, aliis contra, ut fit, vituperantibos, quod id matrimonium infra dignitatem Regiam poſitum, parum auſpicata fortuna ineundum, regnoque fatale futurum eſſet; & ut quisque affectus negotio erat, ita ſententiam, conſilia tempori accommodans, promebat, Sigismundo, qui ſibi, non regno conjugem legere conſtitutum habebat, a propoſito minime dimoto.

Quis

(*e*) Ex Analect. MSS. Cl. Kollarii.

Quis Wladiſlao, ut Fratrem ad eas nuptias permoveret, anctor fuerit,
a nemine proditum reperio: neque ſatis exactum eſt, an id ex reipublicæ com- **1511.**
modo Regem feciſſe exiſtimandum ſit, qui, ſi veritati conſentanea ſunt, quæ *Ejus ma-*
eornm temporum ſcriptores in litteras retulere, Joanni Zapolyio, animum ad *trimonii*
Regiam dignitatem & nuptias aſpirandi hoc affinitatis vinculo magis adjeciſſe, *auctor*
qnam ademiſſe videri poſſit. Mirum eſt, nec fortaſſis improbabile Bruti de ea *creditur*
re judicium. *Ingens quidem* (inquit) *aut tarditas, aut ſtupor in ea re tanta oſcitantis* *Wladiſ-*
Wladislai, aut virtus, & magnitudo animi, ſi verum eſt, nobiles inter illum ſimultates, *laus*
& Scepuſium interceſſiſſe, qui potuerit ſoluto animo curis omnibus, quem juſtus dolor, atque *fuiſſe.*
inde ſuſceptum odium, & iracundia par commoveret, deligere ex inimica domo, & quidem,
ut etiam Regia affinitas abeſſet, plus æquo per ſe potenti, quam apud Regem Fratrem
regni honore augeret. Nam ſi minus ſenſit, regnandi cupiditate elatum hominem, per Fra-
tris Regis affinitatem altius evehi, quam facile ad majora contendens dejici poſſet, deſide-
randa in illo prudentia, & vis conſilii fuit; quæ etiamſi minus a natura adeſſet, pruden-
tium hominum tamen illi conſilium non deerat, ne rem temere committeret, cujus eſſet futu-
rum, ut paulo poſt nullo cum uſu, & compendio, falſum opinione ſua pœniteret: ſin, cum
hoc non ignoraret, animum tamen habuit in poteſtate, & Fratri maluit conſulere, quam
privatis inimicitiis indulgere, magnæ in eo virtutis, & plane regiæ indicium fuit. (*f*)
Id mihi animum fere inducit, ut opiner, Joannem Scepuſium longe tum qui-
dem ab affectata tyrannide abſuiſſe, neque, ſi nuptias Annæ exambiit, alia de
cauſa ambiiſſe, quam ut Maximilianum, ejusque hæredes, ex illorum conſilio,
qui regni jura ad eum traducta impatienter ferebant, ſpe ſucceſſionis ab Ludo-
vici obitu excluderet: tametſi poſtea, cum rerum, & temporum habitus locum
præbuit, non prorſus nulla eum captati regni indicia dediſſe, in comperto ſit,
ut ſuo loco exequemur.

Utcunque id tamen fuerit; Barbara initio ſequentis anni in Poloniam ad-
ducta, Sigismundo in manus convenerat, ac corona ex gentis ritu redimita, *An. Chr.*
VI. idus Februarias magna omnium lætitiæ ſignificatione Regina Poloniæ ſaluta- **1512.**
ta eſt. Quis pompæ ſplendor fuerit, quive apparatus, juvat ex Jodoco Decio,
qui Sigismundo Regi ab ſecretis conſiliis erat, depromere. (*g*) *Fuere* (ſcribit) *Sponſa*
ad Barbaram Regiam ſponſam Legati deſignati, Joannes Lubrantius Poznanienſis Epiſco- *Craco-*
pus, Chriſtophorus Sidlovicius, Caſtellanus Sandomirenſis, Lucas de Gorca, Poznanien- *viam*
ſis, & majoris Poloniæ Capitaneus. Hi ſplendido ornatu Poloniam egreſſi, per Sileſiam, *magno*
Moraviamque Trenchinium venere: nova ſuſcepta ſponſa in Poloniam iter diverterunt. Hanc *ſplendo-*
Hedvigis genitrix, Joannes Frater, Caſimirus Dux Teſſinenſis avunculus, usque Craco- *re addu-*
viam octingentis equis comitati fuere. Confecto itaque itinere quinta Februarii apud Mo- *citur.*
ravicum pagum nocturna habuit: ſummo dehinc mane feria ſexta . . . Sigismundus inſtru-
ctiſſimis copiis comitatus, ſponſæ novæ vehiculo vectus, quod nives maximæ, & intenſum
frigus eſſet, obviam egreſſus eſt. Comitati fuere Sigismundum plerique ex advenis Le-
gatis, atque Oratoribus: inter hos Joannes Staphileus, Auditor Rotæ, Legatus Apoſtoli-
cus, vir excellentis ingenii, atque doctrinæ, qui mecum poſtea familiariter ſæpius multa
commentabatur: Eliſabeth virgo, Sigismundi ſoror, ſuo quoque vehiculo vecta; Anna Dux,
tutrix Mazoviæ, aliæ item Magnatum honeſtæ, illuſtresque feminæ. Fuere tunc tentoria
apud Lobſovium ad Septentrionem fixa, terra item rubro panno conſtrata: hoc in loco Rex
ſponſam novam exſpectabat. Paulo poſt, quam illuc perventum eſſet, Georgium Bregen-
ſem Ducem ad Regias nuptias evocatum, ſeptuaginta equitibus, armis undique ſplendenti-
bus comitatum, Rex hilari vultu excepit. Tandem in multam diem Regia ſponſa curru,
ab Wladislao Hungariæ Rege ad hoc miſſo, ad Regem vecta fuit: dumque illa ex curru
in terram proſiliret, per pannum ad hoc ſtratum Regi obviam venit. Excepta fuit vulgari
primum Oratione per Joannem Laskeum Archipræſulem Gneſnenſem: hac expleta Joannes
Staphileus Apoſtolicus Legatus eleganti latina oratione huic matrimonio votis omnibus feli-
citatem, beatumque eventum precatus eſt: Rex, exceptam ſponſam vehiculo aſſumſit, atque
inde in urbem Cracovienſem deducta eſt. Patrum Gymnaſii Cracovienſium collegium apud

(*f*) Hiſt. MS. rerum Hungar. Lib. II. (*g*) De temporibus Sigismundi.

1512. *Cſeopardiam, Barbaram ſponſam Regiam breviuſcula oratione excepit, Senatus, populusque Cracovienſis omni veneratione, ac honore hunc ingreſſum honeſtavit. In arcem, quæ urbi imminet, inclinato jam die ſponſa pervenit, atque ibidem per Mathiam Drevitium, Epiſcopum Premislienſem excepta, hincque in aulam ad hæc decoratam introducta, poſtridie Dominico in Septuageſima, quæ VIII. Februarà erat, majorum more in Divi Wenceslai æde Barbara virgo in Reginam Poloniæ coronata fuit. Munus conſecrationis Joannes Laskeus Archiepiſcopus Gneſnenſis exequutus eſt. Adſuere his ceremoniis Bernardinus Archiepiſcopus Leopolienſis, Joannes Lubrantius Poſnanienſis, Eraſmus Vitellius Plocenſis, Lucas Varmienſis, Mathias Drevitius Premislienſis, Nicolaus Coscieletius Chelmenſis, Joannes Amicinus Laodicenus, Cracovienſis Suffraganeus, Epiſcopi. Præterea Abbates, de more vetuſto his rebus adeſſe ſolti, fuere; item ad hujus coronationis majeſtatem ampliandam ſummi Pontificis Legatus, Joannes Staphileus juris peritus vir inſignis. Wladislai Hungariæ, & Bohemiæ Regis Legati, Joannes Thurzo Wratislavienſis Epiſcopus, & Ambroſius Sarkanus Hungarus collega: Jobus Epiſcopus Pomezanienſis, Ordinis Sanctæ Mariæ domus Theutonicorum, cum collega ex Pruſſiis: Georgius Dux Bregenſis, Bartholomæus Dux Sileſiæ, Anna Dux Mazoviæ cum filio, Dux relicta Ratiboriæ. Horum quoque Legati huc coronationi interfuere; Thomæ Cardinalis Archiepiſcopi Strigonienſis, Patriarchæ Conſtantinopolitani duo: Georgii Quinque-Eccleſienſis duo, Archiepiſcopi Colocenſis unus, Epiſcopi Varadienſis duo, Epiſcopi Olomucenſis duo, Georgii Ducis Saxoniæ Joannes de Schonberg unus, Friderici Marchionis Brandeburgenſis duo, Decanus de Anſpachio, & Philippus de Feltſch miles, Palatini Hungariæ duo, Palatini Daciæ unus, & plerique alii. Sacris rite peractis, conviviis tempora ſolita data fuere, hincque ſuis diebus haſtarum ludi militiæ exercitia, choreæ, & id genus lætitiæ fuit. . . . Lætitia autem omnium applauſu expleta, ſummi Pontificis, Regum, atque Principum Legati, & Oratores ſummis honoribus venerati, muneribus dotati ſunt, & dimiſſi. Barbaræ mater Hedvigis, Joannes Frater, & Caſimirus avunculus cum Wladislao filio ſpeciali humanitate, atque liberalitate longius adſervati, tandem ad propria rediere. - - -* Hactenus nuptiarum pompa: quam cum Wladislaus, ac plerique Hungariæ Optimates per Legatos miſſis muneribus excoluerint, haud ſcio, num Iſtvanfyus ſatis ſibi conſtet, cum Joannem Scepuſium ad ceteram animi arrogantiam, qua Regis filiam ambierat, recenti ſororis matrimonio, ceu irritamento quodam ad ſpem novarum rerum erectum ſcribit, quando credibile eſt, nec Regem, nec ceteros Optimates, quos parum ſtudioſos Joanni fuiſſe memorat, id unquam facturos fuiſſe, ſi tam ambitioſum illi animum, & dominationis flagrantem compertum habuiſſent. Niſi me omnia fallunt, aut egregium ſimulandi, diſſimulandive artificem Zapolyium fuiſſe oportuit, aut Regem mire conniventem, qui ſuo, ac liberorum ſuorum periculo, Joanni viam ad affectandam tyrannidem complanarit.

Obortis inter Turcos diſſenſionibus,

Dum hæc in Hungaria, ac Polonia geruntur, magnumque ad pacem inter utramque gentem conſtabiliendam momentum allatura videbantur, ingens ab oriente malum exortum eſt, quo ne Hungaria quoque velut contagione quadam corriperetur, metus erat. Selimus enim, poſtquam Bajazetes morbis, ac ſenio gravatus Adrianopolim Byzantio valetudinis inſtaurandæ cauſa profectus eſſet, tempore uſus, prætorianas Legiones, ac purpuratos largitione, & ingentibus promiſſis corruptos facile perſuaſerat, patrem curandæ reipublicæ ineptum dedita opera ocium Adrianopoli quærere, abjectaque regni cura id unum molliri, ut bellicoſa gens, quæ armis a prima ætate cum laude conſueſſet, ad mollitiem traducta non modo deinceps nihil præclarum in hoſtem patraret, ſed ea etiam, quæ ſumtuoſiſſimis bellis parta eſſent, cum ignominia amitteret. Satis eum id prodere, cum Achomatem ſuopte ingenio hebetem, ac inter feminarum miniſteria, ganeasque verſatum, imperio admovere pararet, quod cum toti nationi in primis turpe futurum, tum apud exteros populos ingentis dedecoris nota cariturum vix eſſet: ſenem, ſin minus vita, quæ inutilis eſſet, privari, certe de imperio deturbari oportere, ſi modo regno, ſuisque conſultum vellent: eſſe ſibi Corcuthum fratrem, qui præ Achomate dignitati par, regnoque magis idoneus videretur, in eorum arbitrio fore, utrum hunc præ illo malint legere, ſe, quod illi conſtituiſſent, ſua etiam ſuffragatione probaturum eſſe.

Præ-

An. Chr 1512.

Prætoriani, Janiczaros dicunt, penes quos vetere inſtituto deligendi Regis non tam jus, quam mos fuit & largitionibus jam multo ante occupati, & exporreſta dicentis indole allecti, præteritis fratribus Selimum Sultanum proclamant, imperiumque de induſtria recuſantem capeſſere jubent, ceteris, qui parere tergiverſarentur, pro hoſte declaratis. Bajazetes, ubi, quid filius moliretur, comperiſſet, Didymotichum, alii Hamandatum vocant, natale ſolum ſponte conceſſit, ut amiſſa per ſuorum conjurationem dignitate vitam tueretur; quam tamen haud multo poſt, medico ingentibus promiſſis emto per venenum ſublatus amiſit. Abhinc Selimus comparato per patris theſaurum ingenti exercitu in Achomatem, & Corcuthum fratres, qui conflatis quoque ex Aſia copiis pro ſumma imperii decertare conſtitutum habebant, movit, atque accerrimo bello implicitus fuit.

Bakacſius ad conquirenda ſubſidia Romam proficiſcitur.

Hæc ut in Thracia fiebant, ita dubia primum fama, tum certis nunciis ad Wladislaum afferebantur, neque nullam prorſus rei in barbaros ex ſententia gerendæ occaſionem præbebant, ſi aut Rex belli, quam pacis cupidior fuiſſet, aut ſpes affulſiſſet non improbabilis, auxilia, obmoto in Turcos bello, ab ceteris Chriſtianis affutura. Verum cum & hi ortis inter ſe novis ſemper ſimultatibus diſſiderent, & Wladislaus ocium curis anteponeret, Thomas Cardinalis Strigonienſis veritus, ne ſi Selimus fratres bello vinceret, aut initis fœderibus ſibi conciliaret, omnem belli molem in Hungariam transferat, de tempeſtivis remediis, quibus ingruenti periculo caveretur, unus omnium nomine ſollicitus, Romam proficiſci, tum peragratis Principum aulis, ſubſidia conquirere decreverat, Regique, quid apud animum ſuum ſtatuiſſet, privatim convento declaravit. Venia ab Wladislao, cujus conſiliorum non ſolum auctor, ſed moderator etiam eſſet, facile impetrata, rebusque ad iter neceſſariis magno ſumtu comparatis, cum ingenti equitum, ac familiarium caterva viam in urbem auſpicatus eſt: (*b*) ut adeo obtrectatoribus locum ſuſpicandi præberet, ſe nequaquam auxiliorum gratia iter Romam adornara, ſed ut divitiarum oſtentatione, & largitionibus ſummam in terris dignitatem conſequeretur, qui non ignoraret, Alexandrum Julii deceſſorem iisdem artibus feliciter in Pontificiam ſedem evectum fuiſſe.

A Venetis Lauretum, tum Romam venit.

In Venetorum ditionem delatus, quod magna apud hos viri optime de eorum republica meriti, auctoritas eſſet, ex Senatus decreto ſplendide admodum, lauteque, cum per continentem iter faceret, habitus eſt, triremisque rebus omnibus apprime inſtructa petenti oblata, qua Anconam primum, tum ad ædem Divæ virginis Lauretanæ veheretur. Hic religioni, ſacrisque illo usque, quoad ceteri ex comitatu, qui terreſtri itinere profecti ſunt, conveniſſent, diligenter vacans, urbem verſus contendit. Appropinquanti Julius Matthæum Langum Gurcenſem, & Anagninium Cardinales honoris cauſa obviam miſit, a quibus poſtquam ad Vaticanam aulam deductus fuiſſet, ſalutato Julio, in aula Pontificia ultra annum fere verſatus eſt, eo in rebus omnibus ſplendore, & munificentia, ut Romanis Proceribus, aularum illecebras ſectari ſolitis, communi judicio æquaretur.

An. Chr. 1513.

Ubi Julio mortuo ſpes illi ad Pontifi-

In urbe cum moratur, & captatis eorum ſtudiis, qui gratia apud Pontificem valebant, auxilia contra barbaros ſollicitat, Julius in commune adverſus Turcos bellum ceteroquin non male animatus, cum ipſo jam ſenio gravis, tum laboribus fractus extremum diem obiit. Cardinales, poſtquam defuncto parentarunt, conclavibus de more incluſi Senatum habuere, in quo Thomæ quoque Strigonienſi non poſtremus locus obtigit, fuitque, ut inter populares ejus tum fama obtinebat, non parva illi ſpes eluctandi ad ſupremam dignitatem oborta,

(*b*) Timon Iſtvanfyum ſecutus, hæc ad annum 1513. affigit, non tamen recte. Exſtat enim Epiſtola illius Roma ad Capitulum Zagrabienſe anno 1512. ſcripta, in qua titulo Patriarchæ Conſtantinopolitani utitur, ut habet reverendiſſimus, ac doctiſſimus Kerczelich in Hiſt. Zagrab. pag. 208.

1513.

catum facta.

orta, niſi Joannes Medicæns nondum quadragenarins jnniorum Cardinalium ſuffragatione ſummus Pontifex declaratns eſſet. Sumto dein Leonis nomine triceſima poſt declarationem die ſingulari ſplendore, ac magnificentia coronatus, pompam ejus celebritatis Thoma cohoneſtante, ſpem de ſe orbi Chriſtiano præbuerat, barbaros, ſi modo Chriſtianis Principibus coveniret, ſio minus ex Europa deturbandi, certe ita redigendi ad incitas, ut partis contenti, oulla illos aliena invadendi deinceps cupido inceſſeret.

Oborto rurſus a Turcis metu, Rex ſemel atque iterum Legatos ad Selimum mittit.

Ea ſpes, ſi eventu firmata fuiſſet, Hungariæ in primis, nt tum res habebant, perutilis futura erat, cui Selimi ingeninm faſtu plenum non levem metum afferebat. Cum enim ſuapte natura, & victis prælio fratribus recenti victoria ferox eſſet, ad hæc militem ocii impatientem, & agendis prædis aſſuetum haberet, veritus, ne ſibi, captato ocio, domeſticas turbas conſciſceret, bellnm in Hungariam transferre meditabatur. Wladislaus, cum & ærarium, ex quo ſtipendia militi præberet, exhauſtum, neque ab aliis rebus ad bellum neceſſariis rite comparatus eſſet, quod unum poterat, Joanni Scepuſio Tranſilvaniæ Præfecto in mandatis dedit, nt quanto poſſet numero, militem conflaret, acerque in Turcorum motus excubaret, ne, ſi periculnm ingrueret, quidquam in mora eſſet, quo minus copiæ hoſti opponerentur. Simol Felicem Petancium Segnienſem ad Selimnm legarat, qui inducias, aut pacem conciliaret: fuitqne viri induſtria haud infelix, quod non multo poſt redux, barbarum ab ineunda amicitia minime abhorrere nunciaret. Hac induciarum ſpe Rex mirum in modum recreatus, Joaonem Zolthajum eadem legatiooe perfungi voluit, nt, quod alter feliciter ceperat, ad finem addnceret, cum Joannes Zopolya immodico armorum ſtudio ductus rem prope in diſcrimen præcipitavit. Sua enim anctoritate, minimeqne exſpectatis ex Hungaria mandatis, militem, quem ex Tranſilvanis collegerat, transmiſſn Danubio ad caſtrum Zezinum in Turcorum ditiones promovit. Cum id barbaris non de nihilo ſuſpicionem ingereret, parum bona fide ſecum agi, Wladislaus confeſtim, ut militem retraheret, Joanni mandavit, ac Martinum Czoborium Oratorem ad Selimum miſit, qui illins animum, ſi, nt metus erat, vindictam propterea pararet, prudentia ſua placare niteretur. Rem ita actam eſſe, Andreas Præpoſitus Chasmenſis Strigonio in Croatiam ſcribens in hæc verba familiari ſuo ſignificavit: (*i*) *Narrant Vayvodam Tranſilvanum XIX. millia armatorum prope caſtrum Zezin in terras Turcorum transmiſiſſe. Vetabat Rex datis ad eum litteris, ne tranſiret, quia tamen major gentium pars jam transmiſſa erat, iter continuavit. Cauſam prohibitionis Rex dabat, quod fœdus, & treuga jam cum Turco facta eſſent. Poſt exitum ab Imperatore Turcorum Felicis Segnienſis, Joannes Zolthay, bonus, & ſatis perſpicax juvenis, qui ad eundem miſſus cum litteris fuerat, octavo jam ab hinc die reverſus, longe diverſa de ſtatu, & conditionibus Imperatoris narrat, quam Felix diſſeruerat. Nudius tertius Martinus Czobor rurſus ingreſſus eſt, creditur treugis confectis integre huc rediturus.*

Tum Romam Oratorem legat, opem imploratum.

Sed cnm magnopere incertum plerisque videretur, bellumne, an pacem Czoborius ab Selimo relaturus eſſet, Wladislaus ſpem omnem in Leone hujus nominis X. recens electo Poutifice collocans, Martinum Colocenſis Eccleſiæ Cantorem, virum gnavum, & induſtrium Romam proficiſci joſſit, qui & Thomæ in ſollicitandis auxiliis adjutor eſſet, ac per ſeſe Papam obteſtaretor, oe ſe, ac regnnm barbarorum furori deſtitnere vellet. Adjecerat prolixam ad Leonem epiſtolam, quam Brntus elegans ceteroquin rerum Hnngaricarum ſcriptor in hanc ſententiam ſuis verbis contulit: (*k*) „ Wladislaum enixe Pontificem ora-
„ re pro Chriſti religione ſanctiſſima, cui moderandæ Pontifex præeſſet, proque
„ ea virtutis, & ſapientiæ opinione, quam jam inde a prima ſoa adoleſcentia
„ apud gentes, nationesque omnes de ſe concitaſſet, aliqnando, qood ſuperio-
„ res Pontifices neglexiſſent, ſerio ſuſcipere Hungarnrum cauſam induceret ani-
„ mum, cum qua eſſet coojuncta communis multarum gentium, & populorum
ſalus,

(*i*) Reverendiſs. Kercselich Hiſt. Zagrab. pag. 211. (*k*) Hiſt. MS. Lib. II.

„ ſalus; atque adeo, ſi eorum præclara merita, atque illuſtria in Chriſtianam 1513.
„ rempublicam multa exſtarent, quorum Romanos Pontifices oblivisci minime
„ æquum eſſet, qui Hungaros Chriſtianæ reipublicæ propugnatores fortiſſimos,
„ præclare de Chriſtianæ reipublicæ ſalute meritos, quorum monomenta gloriæ
„ illuſtria in omnium gentium annalibus, de Turca hoſte inſignibus partis vi-
„ ctoriis, conſignata exſtarent, ſæpe verbis ampliſſimis, ac decretis honorifi-
„ centiſſimis appellaſſent. Tanto vero illum majore cum gloria iis affuturum,
„ quanto majore cum dedecore Chriſtiani nominis eſſent a nonnullis proditi,
„ illuſi, derelicti, qui cupiditatibus ſuis magis inſervire, quam ſacroſancti mu-
„ neris; quo fungerentur, habere rationem maluiſſent. Bellum ſua ſponte ho-
„ neſtiſſimum, & glorioſiſſimum, meliore reipublicæ ſtatu, & ab omni belli
„ clade integris viribus, adverſus immanem hoſtem ſuſceptum, efficere ratio-
„ nem communium temporum neceſſarium, non ſuſcipiendum illud quidem
„ pro Chriſtiani imperii finibus propagandis, ſed, quod ultimi diſcriminis eſſet,
„ pro tuendis aris, & focis, Dei immortalis ſanctiſſimis delubris, conjugum,
„ & liberorum ſalute, quibus ſervitutem indigniſſimam, certam peſtem, atque
„ exitium, immanis barbarus nondum expleta dominandi cupiditate, per tot
„ cædibus hauſtum ſuorum ſanguinem, minaretur. Unam hanc Hungaros
„ expeditionem reliquam manere, in qua aut una cum libertate, victi in acie,
„ caderent, aut eam ipſam a ſervitutis jugo duriſſimo, Leone Pontifice ſacram
„ poteſtatem gerente, vindicarent. In eo uno conſilio verti communem omnium
„ ſalutem, Chriſtiani imperii decus, populorum omnium, & gentium ſecurita-
„ tem, quibus per Hungarorum excidium, Turcarum arma imminerent, ut per
„ contemtum mortis, ſervitutis metu ſuperato, quæ non ferenda liberis homini-
„ bus minime omnium ferenda Hungaris eſſet, infeſtiſſimis barbarorum hoſtibus,
„ ſtatuerent ſibi pro clade a ſuorum capitibus arcenda, pro patria pugnandum,
„ pro Chriſti religione, quam caſte colerent, cujus templis auguſtiſſimis teter-
„ rimus hoſtis, quacunque longe, lateque protuliſſet imperii fines, ad ultimas
„ usque gentes eſſet funeſtas faces ſubjecturus. Longe eos falli, qui in eo cre-
„ derent Hungarorum modo ſalutem verti, quod periculo propiores, exorienti
„ incendio principes objicerentur. Hoc enim eſſe Regibus exteris ſtatuendum,
„ in neglecta Hungarorum ſalute, Chriſtianæ reipublicæ univerſæ ſalutem pro-
„ di, quod qui non videret, plane eſſe expers omnis ſenſus videretur. Eſſe
„ enim Hungariam quaſi Chriſtiani imperii terminum, finemque circumſcri-
„ ptum, quem, ſi per Regum diſcordias hoſti præpotenti liceat tranſcendere,
„ quin, ubi viſum ſit, finitimas provincias Turcorum arma populentur, nemo
„ ſit prohibiturus. Quemadmodum vero in eadem navi, cum naufragium im-
„ penderet, non prora, non latera, non puppis, non ulla ejus pars ita expers
„ periculi eſſet, ut navi aut fluctibus obruta, aut ſcopulis illiſa, ſperandum
„ eſſet, ejus unius jactura, partem ullam incolumem fore, ita in eadem Chri-
„ ſti navi, ad cujus gubernacula Leo Pontifex maximus, Gubernator acceſſiſſet,
„ ſive illa rectum in portum curſum teneret, ſive fluctibus jactata obrueretur,
„ quod Deus omen averteret, unam omnium ſalutem, unum omnium diſcri-
„ men agi. Peti quidem primos a Turca Hungaros, quibus non vicinitas
„ modo obeſſet, unde hoſti oriretur occaſio major, ſed gloriæ etiam æmulatio,
„ atque imperii: primos Hungaros futuros, quorum urantur agri, exſcindan-
„ tur urbes, templa incendantur, conjuges, virgines, filiæ, liberi in ſervitu-
„ tem rapiantur: primos, quorum fortunam homines deplorent, lugeant fa-
„ tum, peſtis, atque exitii, eadem ſibi ominantes mala, miſereantur, quæ
„ mala neceſſe eſſet illis eo graviora accidere, quo inexſpectata magis, ac minus
„ proviſa imprudentes, imparatosque opprimerent, facta illis a Chriſtianis Regi-
„ bus ſpe auxiliorum ingentium. Nihil hoc verius: ſed ita eſſe tamen Hunga-
„ ros primos, ut continentem belli flammam, ubi prima conflagrarint, niſi
„ proxima corripienti ſumma ope occurratur, intelligant, magna cum populo-
„ rum ruina, & ſtrage, longe, lateque Europam omnem depopulaturam. Per
„ Hungarorum ruinam, ſi hoc modo ſinerent nomini Chriſtiano iniqua fata,

1513. „ petitum iri Germanum, Italum, Gallum, Hiſpanum, & haud meliore fato futurum Britanuum, quamquam illum a ceteris alio orbe diviſum: qui omnes non pro ſua victoria inter ſe concurrerent armati, ſed quod vix veriſimile eſſet, eos non videre, pro victoria communis hoſtis, in omnium perniciem incumbentis, quam quidem illi victoriam, per mutuas cædes viribus fractis, multo ſua ſpe efficerent faciliorem. Unum poſtulare Wladislaum, poſtulareque adeo Sigismundum Regem fratrem, cujus pietas, & religio par, cauſa eadem eſſet, flagitare eodem conſenſu populos, gentesque omnes, quæ in Chriſtiano orbe continerentur, quo enim non perveniſſe longe, lateque jactati, nunquam ſuſcepti belli famam, ut, quæ poteſtas uni mandata eſſet, Chriſti rempublicam moderandi, tuendi pacem, ocium, ea ut multis populis, gentibus, nationibus ſalutaris eſſet. Id futurum, ubi Chriſti Pontifex operam daret, finiendo bella, pacem firmando, fœdera inter Reges ſanciendo, ut ad ſuſcipiendum tam neceſſarium bellum, id, quod dignum ſummi Pontificis pietate, & ſapientia eſſet, converterent animos. Neque vero Leoni Pontifici tam honeſtum ad poſteritatem futurum, capeſſere rempublicam, per Alexandri, & Julii Pontificatum tumultu bellorum quaſſatam, quam turpe, pati a Chriſtiani imperii moderatore, fovendis, tuendisque ſuis, in rerum omnium ultimo diſcrimine agentibus, pietatis officium requiri. Potuiſſe Julium, depravato animo falſæ gloriæ titulo Reges exteros concitare ad arma, atque adeo non ad pellendos Turcas hoſtes, non ad tuendos reipublicæ fines, ſed ad opprimendos Chriſtianos populos; ad gerenda immania bella, effundendum innocentium ſanguinem, Europam univerſam ferro, ignique vaſtandam: deſperaturum Leonem omnium mortalium ſummo conſenſu divinam inter homines poteſtatem adeptum, in eum hoſtem convertere Regum arma, qui unus bello victus propter immenſas opes, multos ſimul Reges maximos, ac potentiſſimos, vera, ac ſolida gloria, fama, nomine, magni ıdine imperii eſſet expleturus? Neque honeſte, neque tuto inter eos bella geri, quibus unus communis hoſtis, æque potens, ac infeſtus, cavendus pariter omnibus, metuendusque eſſet: utervis enim eorum caderet, quo in diſcrimine neceſſe eſſet eos verſari, qui infeſtis ſignis armati concurrerent, eum ſno exitio efficere communem hoſtem, ad victorem opprimendum validiorem. Non a Julio Venetos fractos armis Gallorum, non armis Helvetiorum Gallos, ſed anctas Turcis vires, hoſtis potentiſſimi corroboratam ſpem, delendi Chriſtiani imperii, cui uni agendæ rei jam diu immani cupiditate inhiaret. Si veræ gloriæ æmulatio incitaret Leonis animum, ſi cujus virtutis decus voluerit in tam ſpecioſo nomine apparere, eam ſibi amplectendam animo putaret, quanto majore cum gloria Urbanum illum ſecundum, cujus illuſtre nomen per tot ſecula vigeret, Pontificem eundem vere maximum, optimum, ſanctiſſimum, quam Julium ſecundum Pontificem, Chriſtianæ reipublicæ everſorem verius (ignoſcendum libera oratione de en Pontifice agentibus, qui ſecus de ſe noluerit agi) æmulaturum? Hunc ſimul cum Pontificatu vita functum, triſtem ſui memoriam poſteris reliquiſſe: illum, a cujus Pontificatu quingenteſimus jam annus, & ſeptuageſimus quintus numeraretur, in omnium ore eſſe, prædicari, efferri laudibus, vocibus, ſcriptis doctorum hominum celebrari. Per hunc vere Chriſtı Pontificem, auctorem tantum, excitatos univerſos Europæ Principes ad liberandum terrarum orbem a barbarorum ſervitute, atque ad propagandam Chriſtianam rempublicam coiſſe, cujus in præpotenti urbe ſedem, & domicilium barbara gens, atque immanis armis invaſiſſet; uno animo, eodem conſenſu belli Duces clariſſimos, fortiſſimum militem ex Italia, Germania, Gallia, ultima Britannia, relictis patriis ſedibus, cum una eſſet omnibus patria, ubicunque coleretur Chriſti nomen, in tam longinquam expeditionem profectos: eodem animorum ardore ſuſcepiſſe grave, difficile, arduum bellum, geſſiſſe pari cum pietatis, & fortitudinis laude, potitos clariſſima victoria, in ſacroſanctæ urbis mœnibus, atque auguſtiſſimi templi penetralibus victricia ſigna fixiſſe: inde perfeciſſe arma circumferendo, ut cujus eſſent ſedes cœleſtes orbes, ſummo, ac

cel-

1513.

„ celſiſſimo mundi vertice, is in terris ubique gentium victor CHRISTUS re-
„ gnaret. Eandem eſſe cauſam Pontifici Leoni, quæ Urbano fuiſſet, vires, quæ
„ illam tuerentur, majores: ut minime dubitare oporteret, quin eſſet penes
„ eos victoria futura, in quibus pro optima cauſa gerentibus bellum, cum vi-
„ ribus, quæ eſſent prævalidæ, eſſet junctum pietatis ſtudium par; ſive mari res
„ eſſet gerenda, paratam eſſe a Venetis inſtructiſſimam claſſem, qui non eſſent
„ a Majorum perenni gloria diſceſſuri, quorum ſemper eximium ſtudium in
„ tuenda majeſtate Chriſtiani nominis fuiſſet: paratam a Ligure, Hiſpano, Gal-
„ lo, atque eo quidem vincere magna cum gloria Chriſti hoſtes aſſueto: ſive
„ terra eſſet concurrendum, affuturum militem veteranum, multis clarum vi-
„ ctoriis, multis duratum, & corroboratum malis, belli Duces, qui rei mili-
„ taris ſcientia, maximorum bellorum uſu, clariſſima virtutis inſignia ade-
„ pti, digni eſſent, qui cum veterum laude conjungerentur. Accingeret ſe
„ tanto moliendo operi, cui perficiendo, unum illum vere Pontificem maximum,
„ ætate opibus florentem, fungentem auguſtiſſimo, atque ampliſſimo in terris
„ munere, Dei immortalis, atque hominum conſenſus deſtinaſſet; Pontifica-
„ tus præmium nullum aut majus, aut uberius, quam inde partam gloriam
„ apud gentes omnes, quæ Chriſti religionem ſanctiſſimam venerarentur, per-
„ cepturum; atque adeo etiam ſi ſuis magna regna, atque imperia conciliaret,
„ quibus potiri in altiſſimum dignitatis locum eveherentur. Alterum eſſe Wla-
„ diſlai poſtulatum, in quo uno ne longiore oratione opus eſſet, &, qui concede-
„ ret, Pontifex, &, qui impetraret, Rex pietatis laude eſſet certaturus: ut
„ per Pontificem liceret, ex Sacerdotum, & Pontificum cenſu, luſtrato regno,
„ ſacram pecuniam cogere, qua uteretur ad bellum, cum in magnis ærarii
„ anguſtiis, quæ ex Regiis vectigalibus perciperetur, aut nulla, aut perexigua
„ haberetur: laborari ære alieno, ubique anguſta fide, & propter impendentis
„ belli metum minus ab exteris Hungariæ regnum frequentari, ex qua una re
„ uberior proventus - - conſtaret - - -. Hanc ſummam Regis poſtulatorum
„ eſſe, quæ, minime dubitaret, quin æquiſſima Pontifici ſapientiſſimo videren-
„ tur. Itaque volentem, & prudentem ſe illam orationis partem miſſam fa-
„ cere, quæ tota precibus, atque adhortationibus conſtaret, quam quidem
„ tanti Pontificis tum pietas, tum ſapientia minime neceſſariam redderet.

Hæc Brutus: quæ eam ob cauſam prolixius forte, quam par erat, exprimere mihi libuit, ut, quo animo in Pontifices ſcriptor nondum vulgatus ferretur, compertum omnibus eſſet, in quos, & hujus ordinis viros, etſi cum laude in republica verſati eſſent, virulentus, ac ſæpe etiam per occaſionem vi, & ingratiis ad propoſitum adſcitam parum prudenter, & importune dicax eſſe ſolet, nullo annalium fructu, maximo ſuo damno, quod fidem etiam in iis, quæ veritati conſentanea ſunt, ſuſpicioni aliorum prudens, volensque objicit. Quare magnopere vereor, ut Regis epiſtolam ſincero ſatis animo reddiderit, quem Venetiis oriundum conſtet, itaque ob commotum in hos ab Julio bellum, partium ſtudio incenſum, iniquiore in iſtum animo fuiſſe, quam æquitatis ratio pateretur. Neque, ſi recte conjicio, credibile eſt, Regem, quem ſumma ſemper in Pontifices obſervantia fuiſſe proditum eſt, id temporis, cum maxime Leonis opera egeret, in hujus deceſſorem tam parum pie, imprudenterque invectum eſſe, ut auxiliis, quorum cauſa litteræ ſcriptæ erant, potiretur. Sed hæc indicaſſe ſatis eſt, quo ii, qui eum in lucem educere aliquando conſtitutum habent, ſuo merito caſtigare norint, neque ſtili nitore, ac elegantia ſe ita abripi ſinant, ut hujus gratia veritati vim fieri patiantur.

Judicium de Bruto rerum Hungaricarum ſcriptore.

Adjecerat Rex alias quoque litteras per Oratorem ad Thomam Cardinalem deferendas, quibus de ærarii anguſtiis, ac, quæ ſe circumſtarent, periculis queritur, mandatque, uti largitionem pecuniæ, quam Pontifex ex decumis cogi imperaverat, ſibique pollicitus erat, urgere ne omitteret, neque nihil, quo reipublicæ citra ſubditorum onus ſuccurri poſſet, de ſuo vellet adji-

Eandem ob cauſam Rex ad Thomam Cardi-

1513. adjicere. (*l*) *Wladiſlaus Hungariæ, & Bohemiæ Rex, reverendiſſimo in Chriſto Patri, Domino Thomæ, tituli Sancti Martini in montibus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytera Cardinali Strigonienſi, ac Patriarchæ Conſtantinopolitana, ſummo & Secretario Cancellario noſtra, amica, & campatri (m) noſtra chariſſimo ſalutem, & amoris noſtri incrementum. Quam varia, & difficilia negotia nobir in præſentiarum undique immineant, quotque neceſſitatibus iſtud regnum noſtrum Hungariæ ob proventuum noſtrorum diſſipationem, & penuriam prematur, putamus paternitati veſtræ reverendiſſimæ luce clarius conſtare, ob quæ coacti fuimus afficium Theſaurarii, ne annia in apertum periculam nobis inuentibus præcipitarentur, ab priori auferre, & in manus bujus moderni aſſignare, ſperantes, quæ ſua eſt fides, & integritas, quod nobis, regniſque noſtris utiliter, & fideliter ſerviet. Sed quaniam nullos penitus proventus in manibus babet, idcirca rogamus, & requirimus paternitatem veſtram reverendiſſimam, cooperetur anni ſtudio, ut taxa promiſſa, quæ jam inſtat, nobis annina contribuatur, &, ut melius rebus neceſſariis providere, caſtrorumque noſtrorum finitimorum periculis citius conſulere valeamus, faciat etiam de ſuis bonis extradare, ne in tanto, aſſiduoque periculo verſari eagamur. Bene, & feliciter valeat paternitas veſtra reverendiſſima.* Quo ſatis, opinor, Bruti, cujus ſupra meminimas, dicacitas refellitur. Nam ſi Rex Cardinalem juri ſuo obnoxium, ot, quæ promiſſa erant, ſubſidia ſallicitaret, obteſtatur, minime cenſendus eſt, cum Pontifice, a quo ſubſidia flagitarat, minis, & conviciis agere voluiſſe

[margin: ...nalem Romam ſcribit.]

[margin: Reſpondet Pontifex, ac ſubſidium Regi pollicetur.]

Leo ut litteras Wladiſlai accepit, & ex Strigonienſi Archiepiſcapo, quo in loco res Hungariæ eſſent, intellexerat, habito Cardinalium Senatu, & auditis ſententiis, Regem, qua poſſet, ope juvandum ſtatuit, datiſque litteris, ac in propoſito conſtans eſſet, Majorum exemplis hortatur, pollicitus ſe, cum primum per euras, quæ ſibi cum recens adita dignitate aliæ ex aliis naſcerentur, integrum eſſet, operam daturum, ut eum non modo conſilio, ac re adjutum iret, ſed commune etiam in barbaros bellum, conflatis Principum Chriſtianorum viribus, decerneretur. Litteræ in hæc verba conſignatæ ſont: (*n*)

Wladiſlao Hungariæ, Bohemiæque Regi Illuſtri:

„ Lectis tuis ad me, fratreſque meos Cardinales, litteris, quæ qua in „ diſcrimine tuum Pannoniæ regnum, ob Turcarum apparatum, verſaretur, „ ſignificabant, & Martino Colocenſis Eccleſiæ cuſtode, internuncia tua audito, „ ſtatim una omnes tota re diligenter, atque amanter cogitata ſtatuimus, ut „ nihil eorum, quæ ad tuam ditionem tuendam, communeſque Chriſtiani no„ minis hoſtes hoc tempore a tuis finibus repellendos, eſſe uſui poſſent, a „ nobis prætermitteretur. Exiſtimabamus enim, & pro tua Majarumque no„ rum in Romanos Pontifices obſervantia, & pro gentium, quæ tua in imperio „ ſunt, fortitudine, bellandique uſu prope aſſiduo, quatidianoque cum Tor„ cis, ſi quo incammodo tuum iſtud regnum, tuique populi afficerentur, id „ omne hujus certe reipubliæ, noſtrumque ſingolorum incommadam plane „ futurum. Itaque quod primum petiiſti de tributi auxilio, quantum quidem „ rerum præſentium ſtatus, atque hæc tempora tulerunt, tibi id permiſimus, „ iis ut opibus ad te levandum, bellumque adminiſtrandum uti paſſis. Deinde „ quod nos rogas, ut ſedandis Chriſtianorum Regum, & Principom inter ſe „ diſſidentium animis, atque ad commune bellum contra Turcas incitandis, „ curam, & ſtudium adhibeamus, in eo dies, ac noctes cogitationes meas „ plane conſumſi. Mitto autem nunc quidem ad illos ea de cauſa internuncios „ meos, Epiſcopos, viros auctoritate, experientia, doctrinaque præſtantes, „ qui eorum controverſias companant, ipſoſque concilient. Quos quidem „ ſingulos tam diu hortari, urgereque per eaſdem internuncias non deſiſtam, „ quoad res ad eum, quem volumus, exitum perducatur. Id ſibi confieri

per

(*l*) Ex Cod. MS. rerum ſub Wladiſlao geſtarum.

(*m*) Id ex baptiſmo Annæ, aut Ludovici ortum habuerit.

(*n*) Ex Romanis MSS. R. P. Gabrielis Hevenessii e S. J.

,, per illos minus commode poterit, aliquot, ex meis fratribus Eccleſiæ Ro-
,, manæ Cardinalibus, legabo, qui ad illos propere ſe conferant, remque con-
,, ficiant. Qua confecta, fœdereque a Regibus inito, tributum ipſum per
,, univerſum Chriſtianum orbem edictis ampliſſimis promulgabo: ſacerdotibus-
,, que, cum ſanctiſſimis, tum eloquentia clariſſimis mandabo, ut omnes homines
,, ad id non minus pium, quam neceſſarium bellum accendant, ut celerrime
,, periclitanti ſane, totque jam damna, tot porro calamitates perpeſſæ Chriſtianæ
,, reipublicæ, tuoque in primis regno, optime de ea merito, ſuccurratur.
,, Quod quidem certe bellum hoc ſi tempore a nobis ſuſciperetur, irritos co-
,, natus noſtros omnes, atque inanes ipſa tempora facerent. Quis enim pecu-
,, niam, quis militem remotiſſimis a ſe gentibus tribuat, qui pro patria, pro
,, liberis, pro ſalute ſua, arma domi tractare cogatur? neque Principes ſane
,, ipſi, etiamſi populi ſui velint, in præſenti rerum perturbatione militem egre-
,, di, pecuniam erogari, arma, opesque ullas exportari ſuis e finibus patian-
,, tur. Nos vero ipſi per nos movere, aggredique tantam rem fortaſſe poſſu-
,, mus, ſuſtinere, atque perficere non poſſumus. Quæ cum ita ſint, confido
,, tamen & pacem eam, quam omnes votis omnibus concupimus, Chriſtianos
,, inter Principes mature poſſe confici, & tua incommoda de quibus ad nos
,, ſcripſiſti, vel cum fœnore celerrime reponi. Deus enim optimus, maximus,
,, qui ob eximium rerum optimarum eventum, præclarosque exitus interdum
,, malum ſinit aliquod non maximum exiſtere, iſtos tuos labores, eum Turca-
,, rum apparatum, ad conciliandos Chriſtianorum Regum animos, quaſi meli-
,, tionem quamdam adhibet, quæ infectas odiis, maliſque cupiditatibus ob-
,, ſtructas eorum mentes, ad eam, quam volumus, coitionem, conſenſumque
,, attrahat, impiaque illorum adhuc arma, ad mutuam tandem aliquando pie-
,, tatem, communemque tum utilitatem, tum etiam dignitatem convertantur.
,, Quamobrem fili quidem chariſſime! atque optatiſſime! erit tuæ fidei, atque
,, prudentiæ in Domino, atque ejus viribus confidere; neque enim a militum
,, robore, & numero, aut ab apparatu ullo bellico, ſed a Dei virtute, ſed a
,, Domini nutu, de tuis, atque noſtris hoſtibus tibi victoria eſt exſpectanda.
,, Recordare quæ is quondam facinora, quas res, quamque magnas per Ge-
,, deonis, per Jephtæ, Jonathæ, Davidis, per Judæ Machabæi manus confe-
,, cerit: quarum rerum memoriam antiquæ litteræ ſempiternam eſſe voluerunt.
,, Quæ profecto omnia maximam tibi ſpem afferre debent, eodem a Domino
,, nihil omnino tuis conatibus in tempore defuturum. Atque ut aliena, vetu-
,, ſtiſſimaque prætereantur, ea repete, quæ ipſo tuo in regno Dominus apud
,, Taurunum oppidum paucos ante noſtram ætatem annos per Joannem Capi-
,, ſtranum confecit, plebejum prope hominem, quem ad maximas tractandas
,, res ſuæ porro voluntatis, & interpretem eſſe voluit, & adminiſtrum. Noſtra
,, vero ætate Rhodii perexiguo militum numero gloriabundum jamjam, ac pro-
,, pe victorem Turcarum exercitum numeroſiſſimum, inſtructiſſimumque fu-
,, gaverunt. Non eſt nunc alia, quam olim fuerit, Dei, Dominique noſtri
,, dextera: neque tu Wladislae fili, Joanne Vayvoda, qui una cum Capiſtrano
,, Turcas ſuperavit, es inferior. Id ex eo intelligi poteſt, quod dum hæc ipſa,
,, quæ ſupra ſcripta ſunt, cogitationes noſtras exhauriunt, exercitasque habent,
,, tuæque nos res maxime commovent, allatum ad nos eſt, tuorum militum
,, puſilla ſatis manu, multa millia Turcarum militum, quæ Illyricum vaſtabant,
,, cæſa ad unum interiiſſe. (o) Ita, qui tibi ſemel adfuit Deus, confidere pro-
,, fecto debes, eum tibi poſthac, rite præſertim, atque ſuppliciter precanti,
,, non defuturum; cujus ego in litteris Vicarium gerens, fratresque mei Car-
,, dinales, ut ad id redeam, quod initio dixi, nihil eorum, quæ ad tui, qui

(o) De eo prælio, nemo, quod ſciam, ex noſtris memorat, præter Tuberonem, qui ad Valdanum amnem procurſionem potius, quam bellum fuiſſe ſcribit, reorque per famam rem exauctam fuiſſe.

1513. „ nobis es chariſſimus, regnorumque tuorum, quæ profecto totius reipublicæ „ Chriſtianæ, quaſi valli quidam, & muri ſane ſolidi contra illorum impetum „ ſemper fuere, propugnationem, & defenſionem attineat, omittemus. Creaveramus autem jam ante, quam tuas litteras accepiſſemus, rumore tantum „ ejus rei audito, qui ad nos incertis auctoribus, & privatorum litteris afferebatur, utpote tuis de rebus etiam ad primas ejusmodi voces plane ſollicitii, „ Thomam Cardinalem Strigonienſem, qui Legatum noſtrum tuis in regnis „ ageret: cujus tu prudentiam, diligentiam, fidelitatem erga te, plurimis, „ maximisque in rebus optime omnium cognoviſti, ut iis, quæ nunciabantur, „ de imminenti regnis tuis periculo, obviam celeriter iretur. Is tametſi jam „ ſe ad iter explicabat per ſeſe, mandavi tamen ei, acceptis tuis litteris, ut id „ etiam diligentius, maturiusque contenderet: in quo quidem ita nobis morem „ gerit, ut nihil illo fieri poſſit ardentius. Ex eo plenius meam in te, tuasque „ res paternam voluntatem, & ſtudioſiſſimum bene conſulendi Chriſtianæ reipublicæ animum cognoſces: pro qua tuenda, atque in ea, in qua oportebat, „ pace, tranquillitateque reſtituenda, neque operæ, neque vigiliis, neque laboribus parcam, libentiſſimeque in ea cura, & adminiſtratione vitam poſuero. „ Vale. Datum nonis Septembris MDXIII. anno primo Romæ.

Bruti maligmum de Papæ litteris judicium.

Sic litteræ Pontificis ad Regem habebant, non modo amoris, ac officiorum plenæ, ſed cum aliquo etiam, ut tum rerum, ac fortunarum anguſtiæ patiebantur, ſubſidio, ac ſpe majoris deinceps obtinendi conjunctæ: quarum ſententiam cum Brutus lucubrationibus ſuis, neque tamen integra ſatis fide, inſeruiſſet, ita ſubjungit. (p) *In hanc ſententiam ſcriptæ litteræ, quæ adhuc in Leonis monumentis leguntur, neque Regi gratæ acciderunt, & querelas Hungarorum auxerunt, quorum afflictæ res per tot annos, quot regnabat Wladislaus, ut præſentem expoſcebant opem, ſic prolixis pollicitationibus oſtentatam, quam deſponſam verius, quo præter ſpem eluſis acerbior fruſtratio eſſet, rejiciebant, multa addentes, quæ juſtus animi dolor, & longa patientia malorum ſuggerebat, quibus ſanandis præter magnificam verborum pompam, nihil ſibi ſubſidii poſitum in Romanorum Pontificum auctoritate querebantur. Non grandibus, & phaleratis verbis* (q) *duci viros fortes, quibus inter urbanas delicias diffluerent Romani Sacerdotes, ſed quæ gerendo bello, & hoſti potentiſſimo propulſando eſſent, armis, telis, tormentis, exercitibus, claſſibus, in primis quibus ſumtum tolerarent, pro communi ſalute Chriſtianæ reipublicæ Hungari arma gerentes.* Hæc rurſum Brutus: qui, cum Pontifex integros exercitus, claſſemque noſtris ſubſidio non miſerit, qua iſthinc ratione ad luxum Sacerdotum Romanorum orationem detorſerit, non video; quaſi tam parvo compendio hæc, & ab uno comparari poſſint. Et venire in mentem oportuerat, ſummos Eccleſiæ Antiſtites ingentem ſæpe auri facti, infectique vim in Hungariam miſiſſe, quæ magno ſemper ad arcendum periculum uſui erat. Alexandrum certa in triennium ſtipendia Wladislao decreviſſe, miſiſſeque Venetias, in recenti omnium erat memoria, & ab Leone, ut deinceps narrabitur, haud temnenda in Illyricum auxilia cum bellico apparatu miſſa eſſe in comperto eſt: quæ ſi ignoravit Brutus, haud ſatis rite ſapientis viri partes implevit, cum de re ſibi minime cognita tam definite pronunciaret: ſin contra, fidei publicæ auctoramento ad obtrectandum parum religioſe uſus eſt.

Pontifex, conciliatis Principum Chriſtianorum

Ceterum Leo Pontifex quamquam nihil hoc quidem anno ſubſidii in Hungariam mittere potuerit, quod ob recens aditam dignitatem rationes haud ſatis in numerato haberet, tamen in conciliandis Regum animis non parum operæ collocaverat, quo ſopitis inter ſe diſſidiis communem Chriſtianæ reipublicæ cauſam adverſus Turcos, regnumque Hungariæ, quod iſtorum furori ante alios patebat, adjutum irent. Id ſe regis gratia in primis agere per litteras, quas in

anni

(p) Hiſt. MS. Lib. II.

(q) Si quis tamen litteras Pontificis cum Bruti narratione contendat, magis hunc, quam illum phaleras ſectari intelliget.

An. Chr. **1513.**

animis, auxilii ſpem Regi facit.

anni exitu ad Hungariam miſerat, prolixe ſignificavit, Regemque hortatus eſt, ut ſuum eatenus ſtudium conjungere ne gravetur. (r)

Wladislao Hungariæ, Bohemiæque Regi illuſtri.

„ Scripſimus & Maximiliano Romanorum Imperatori deſignato, & Fer-
„ dinando Hiſpaniarum Regi, & Henrico Regi Britanniæ diligentiſſime. Qui
„ quidem Reges nonnullis cum Regibus, & Principibus Chriſtianis bellum ge-
„ runt, eosque pro noſtri muneris officio, ac propenſa in rem Chriſtianam pu-
„ blicam voluntate hortati ſumus, ut ab armis inter ſe exercendis, quæ ſane
„ diutins, quam oportebat, tractata, vibrataque viguerunt, ad pacis aliquando
„ tandem ſtudia convarterentur. Nam præterquam quod plurima ſemper cum
„ bellis mala, calamitatesque conjunctæ ſunt, id etiam plane timemus, ne con-
„ tritis reipublicæ Chriſtianæ per ejusmodi odia, contentionesque nervis, ac
„ lacertis, totoque corpore debilitato, validiſſimi hoſtes noſtri perpetui, Turcæ
„ nos adoriantur, atque opprimant, qui Ducem audaciſſimum, Selimum Re-
„ gem nacti, tractare arma, parare exercitus, claſſem conficere dicuntur, ut
„ nos diſſentientes, labefactatosque peſſumdent, ſeque noſtris cervicibus im-
„ ponant. Ad hæc acceſſerunt perpetuæ fratrum noſtrorum Eccleſiæ Romanæ
„ Cardinalium, idem prope verentium, & reſpicientium jam ab initio noſtri
„ Pontificatus agi cœptæ poſtulationes: qui ſane diligenter non ſolum ſecreto,
„ aut ſeparatim, ſed etiam publice, atque frequentes ſæpenumero nos admo-
„ nuerunt, curaremus, ne ulterius Chriſtiani inter ſe populi concurrerent.
„ Certi etiam Reges, atque Principes per litteras, ac per internuncios, ut eam
„ curam, cogitationemque ſuſcipere, pacemque inter diſſidentes conficere vellem,
„ multis me precibus rogaverunt: quos quidem commune periculum ſollicitat,
„ quique magnopere, ne hoſtibus noſtris lætitiæ ſimus, atque ludibrio perti-
„ meſcunt. Quas ob res omnes, cum ad eos Reges, quos ſupra commemo-
„ ravi, diligenter ſcriptas litteras dederim, te etiam & monere, & hortari vo-
„ lui, ut iisdem Regibus ipſe quoque in eam ſententiam ſcriberes, hominesque
„ tuos mitteres, qui eos ad pacis ſtudia cogitanda, ſuſcipiendaque hortarentur.
„ Quod tu quidem certe facere eo diligentius debebis, quo periculo es proxi-
„ mior, teque ipſi Turcæ his temporibus primum omnium ex Chriſtianis
„ Principibus delegerunt, in quem invaderent, quemque debilitare, ac prote-
„ rere conarentur. Id ut facias, non ſolum, quia tua intereſt, ſed etiam, quia
„ omnium, & quod maxime in eo rei Chriſtianæ dignitas, majeſtasque defen-
„ ditur, abs te etiam, atque etiam peto. Datum Romæ III. calendas Jannarii
„ MDXIII. anno primo.

Qua in re, utrum Rex Pontifici morem geſſerit, nihil, quod compertum ſit, auſim prounnciare, tametſi eum ad Maximiliannm Cæſarem, & Galliarum Regem, cum ob neceſſitudinis vinculum, tum initam fœderibus amicitiam hac de cauſa Legatos miſiſſe vero ſit ſimillimum.

An. Chr. **1514.**

Cardinale domum reverſo de ſcribendis cruce ſignatis conſultatur.

Interea Thomas Cardinalis poſtquam Legatus a latere conſtitutus fuiſſet, poteſtatemque ab Leone accepiſſet, univerſorum criminum üs, qui in barbaros ſub ſigna confluerent, veniam tribuendi, ſalutato in autumni exitu Pontifice Budam initio ſequentis anni tenuit, Regique, expoſitis Romani itineris rationibus, quam auxiliorum ſpem ex Italia afferret, diligenter declaravit. Rex, qui ex Thomæ fere arbitrio rempublicam adminiſtrabat, facile paſſus eſt, ut convocato Optimatum concilio, Legationis ſuæ exitum, & quas Roma attuliſſet ſubſidiorum ſpes, in medium proponeret, tum, quod plerisque factu optimum videretur, communi ſuffragatione conſtituerent. Cardinalis concitis ad præſtitutum diem in aulam Regiam Proceribus, breviter cauſam, cur Regis juſſu vocati eſſent, aperuit: Selimum nondum profligato penitus cum fratribus bello, copias in Aſiam adverſus Perſas trajeciſſe;

(r) Ex MS. Heveneſſianis.

1514. reliquiſſe Europam præſidio vacuam, induciarum fide fretum, quas in triennium nuper pepigiſſet. Adeſſe tempus peropportunum, quo, ſi barbari exemplo fidem uon ſervari oportere putarent, vetera recuperari, aut, ſi religioni ſibi ducerent, inducias violare, propulſari iuſtantia pericula poſſint. Ad militem, qui ſtipendiis aleretur, & quem Proceres ſuo delectu ſub ſignis haberent, adjiciendos cruce ſignatos, pro quibus conciendis ampliſſimam ab Leone poteſtatem accepiſſet, ſimul diplomata, quæ iu eum finem Roma attulit, legi imperabat. Tum commendato cruce ſignatorum uſu, ſi Dux illis præficeretur, cujus ſtudio diſciplinam militarem combiberent, Regis nomine ſingulos hortatus eſt, ne, quod animo feutirent, libere in medium expromere vererentur.

Variæ conſulentium ſententiæ. Fuere variæ conſulentium, & diſtractæ in partes ſententiæ. Nam qui ocio, ac avaritiæ dediti regnum in prædæ loco habebant, mira aſſentatione Cardinalis laudare ſtudium, orareque, ut quamprimum per Regem ei integrum eſſet, Pontificis edictum vulgaret, quo confluentibus ad ſigna populis exercitus conflari poſſit, cujus ope ſin minus in barbaros uti, certe propulſare a patria periculum liceret. Qui coutra reipublicæ felicitatem ex eventu metiebantur, nihil temere audendum contra enm hoſtem differebant, qui, ſi Aſiatico bello ſe explicuerit, adverſus collectitiam agreſtium manum, rubuſtiſſimas veteranorum legiones, & immenſum equitatum, tamquam ad certam & paratam victoriam reducturus eſſet: itaque belli cauſam, quæ ad Cæſarem perinde, & Sigiſmundum, Regis fœderatos, attineret, minime præcipitandam videri, ue, ſi res minus ex ſententia poſtea caderet, invidia cum damnorum rationibus penes ſolos Huugaros reſideret. Ita varia inter ſe upinione certantibus, utrum pax eligenda, an bellum deceruendum eſſet. Stephanus Telegdius ærario præfectus, magnamque prudentiæ laudem ex Polonica legatione

In primis Telegdii diſſuadentis, conſequutus, cum ſententiam rogaretur, *niſi apud nos* (reſpondit) *qui rerum Hungaricarum conditionem perturbatiſſimam non ſolum perſpicue cernunt, ſed etiam ſummo cum dolore ſuo, & rerum, fortunarumque jactura, vitæque periculo experiuntur, verba mihi facienda eſſent, malorum noſtrorum ſeriem, & cauſas longiore oratione proſequerer: nunc, quando vobis omnia adeo cognita ſunt, ut ægerrime tolerentur, paucis ad ea, quæ modo inter conſultandum dicta, propoſitaque fuere, quæ ſentiam, eloqui non dubitabo. Et ut brevibus abſolvam, multa me dehortantur, quin votum, ſuffragiumque meum veſtræ deliberationi de conſcribendo hoc genere militum adjiciam. Equidem ſi indultum iſtud Pontificium, uti veſtrum majori parti placere animadverto, publicatum fuerit, conventuros ad edictum haud paucos homines facile conceſſero: ſed quos, & quales? egentiſſimos quoſque, capitalia auſos, & qui ob ſcelera domo pulſi, vagi, obærati, lenones, fori incolæ, ignominia, exilioque notati, quibus nulla niſi in facinoribus, & flagitiis ſpes reliqua ſit. Agreſtium quoque, & agricolarum ſatis magnam manum brevi temporis ſpacio in caſtra venturam inficias non ivero: ſed qui aut laboris fugiendi, aut privatas injurias ulciſcendi cauſa, aut impunitate ſcelerum, & vitandi ſupplicii metu, & munimento nomina dent. Quos ſi nobilitas ſibi debitos labores, ſuorumque agrorum culturam, & alia, quæ per illos perfici ſolent, omiſiſſe conqueretur, idque extremæ noxæ, damnoque ſibi futurum objiciet, aut, ceu fugitivos repetat, atque, uti ſolet, neceſſarios, & propinquos eorum domi vinculis, carcere, catenis conſtrictos coerceat, libet enim hæc omnia recenſere, quamquam acerba avaritiæ, & impotentis noſtri dominatus exempla, tum vero putabitisne plebem inconditam, & colluviem tumultuariam, eamque armatam in officio poſſe contineri? an minime in nobilitatem impetum facturam? & ſuos ab injuria vindicaturam? an protervos, furore, & rabie percitos juſſis veſtris, aut quorumcunque Ducum imperiis obedientes fore creditis? an negabitis ceteris diverſarum gentium commilitonibus, quos e Polonia, Moravia, viciniſque regnis, & provinciis nomina daturos credibile eſt, futuros auctores, ut vel levi de cauſa illatam, ſic illi nominabunt, contumeliam ulciſcantur, & ferrum, in hoſtium perniciem deſtinatum, in nos ipſos convertant, atque illud noſtro, & conjugum, fratrum, liberorumque, & neceſſariorum noſtrorum cruore, cædeque commaculent. Utinam falſus ſim vates, atque hæc dira omnia, quæ horrens refero, Deus immortalis a cervicibus noſtris longe ſubmoveat: ſed tamen, quin evenire poſſint, pro incredibili rerum humanarum inconſtantia haud facile quis abnuerit. Quid igitur faciendum exiſtimas?*

dicet

dicet quiſpiam ex vobis: ego profecto Pontificium indultum, aut ſilentio in præſens tegendum conſulerem, aut ita promulgandum, ut non eis, qui arma in Turcas ſumſerint, ſed qui aurum, argentum, pecuniam, & quæ in eam converti poſſint, in ſtipendia militum contribuerint, noxarum expiatio, æternæque ſalutis felicitas promittatur. Si enim in manus furioſorum, & perditorum hominum arma ultra dederimus, ad eorum, quæ ſupra retuli, malorum exempla in nos exercenda, ſimul licentiam, & impunitatem concedemus, & nos ipſi rempublicam ſceleſtiſſimis prædonibus dilacerandam, & evertendam trademus. Quod ſi nihil horum ab iis nunc extimeſcendum ſit, non tamen video, cur nondum expleto induciarum, quas cum Turcis triennales habemus, tempore, & rebus, diſceſſa hoſtium in Aſiam, non nihil tranquillis, tali exercitu valde opus ſit, cum, ſi pecuniæ contribuantur, magis illæ tum ad belli uſus, tum pacis ſubſidia conducant. Interea nobis etiam ipſis ſumma ope adnitendum eſt, ne, uti hactenus, neglecta republica, privatim ad avaritiæ ſordes, & habendi libidinem usque adeo temere ruamus, ſed ad graviſſima imminentium periculorum a cervicibus noſtris propulſanda mala, quidquid habemus, quidquid poſſidemus, ad tutandam dulciſſimam patriam, tamquam boni, & reipublicæ amantes cives promtiſſimis animis conferamus, & optimo Regi noſtro, quem hic præſentem cernimus, auctores ſimus, ex aliis ſuorum regnorum, & provinciarum reditibus idem benevole præſtandi, ne hoſtis acerrimus, & inſenſiſſimus transmarino bello confecto ſeſe explicet, & nos imparatos obruat. Quod etiam ut pro veſtra, & patriæ permanſione, pro aris, & focis ab interitu vindicandis faciatis, etiam, atque etiam vos hortor, & obſecro. Atque hæc quidem mea eſt ſententia, id tamen, quod tu Rex optime, vosque omnes faciendum deliberaveritis, Deum optimum, maximum fortunare cupio. (s)

Cum hæc conſtanti animo dixiſſet, neque ad ea Rex taciturnus, & in humum proſpectans quidquam proloqueretur, ceteri, qui cum Cardinali ſentiebant, Regis ſilentio in ſuam partem uſi, ut edictum Pontificis vulgaretur, Wladislao non invito, victaque ſuffragiis meliori parte, auctores fuere. Quam rem etſi Cardinalem animo minime in regnum male affecto molitum fuiſſe, cum teſtata toties in patriam charitas, tum ſpectata ejus virtus ſuadeant, effugere tamen poſtea, quam res peſſimo eventu intercepta eſt, ſcriptorum obtrectationem, præcipue Tuberonis non potuit, exiſtimantis Thomam ingentem pecuniæ vim, quam ad captandam Pontificiam ſedem Romæ inſanis largitionibus decoxerat, turpi Sacrorum nundinatione eatenus ſarcire voluiſſe.

Vicit tamen contra ſentientium opinio.

Cardinalis die, quæ ab conſultatione altera fuit, templum Divi Sigismundi cum magna familiarium caterva ingreſſus, atque ad aram operatus, bullam Pontificiam ſolenni verborum forma pro concione promulgat, idemque per omnia, quæ Budæ, ac Peſti erant, templa fieri jubet. Quem morem cum ceteri quoque Epiſcopi per ſuas provincias tenent, brevi ingens in variis locis hominum numerus confluxit, arma in barbaros, & ſacrum bellum certatim expoſcentium. Et cum iſtorum exemplo agreſtes quoque laborum tædio, & ſpe prædarum capti concurrerent, veritus Thomas, ne incondita multitudo capite deſtituta aut rurſum dilaberetur, aut turbas conciret, de deſignando Duce cogitationem ſuſceperat. Obtulit ſe illi forte fortuna Georgius cognomento Doſa, apud Siculos in Tranſilvania ex Dalvoco oppido ortus, militiæ non prorſus expers, & qui per idem tempus fortitudinis ſuæ præmium laturus Budam ad Regem venerat. Cum enim haud ita pridem non exigua Turcorum equitum manus, Semendria prædandi ſtudio egreſſa, in Belgradenſem agrum incurreret, arcique Præfectus Doſam, qui alæ equitum Belgradi præerat, ad diſſipandum hoſtem emiſiſſet, is Alim Epiratam hoſtium ductorem, ad ſingulare certamen provocantem, impigreque occurrentem transacta per parmam, & pectus haſta ex equo præcipitem egit, humique fuſum obtruncavit. Quo facinore omnis ea barbarorum colluvies fugata, & præda recuperata eſt. Hujus igitur cauſa præmium, cum ab Rege petiiſſet, atque is eum non modo in equeſtrem ordinem, torque aureo, ac purpura ornatum recepiſſet, ſed latifundiis quoque inter Bel-

(s) Istvanffy Hiſt. Lib. V.

1514. gradum, & Temeſum ſitis donaſſet; idoneus Cardinali viſus eſt, quem belli ſacri ductorem conſtitueret. Itaque factis in eadem Divi Sigiſmundi æde ſacris, vexillum album, cruce purpurea ornatum, quod Romæ in eum uſum comparaverat, Georgio ab ara porrexit, ejusque veſtem ſimili crucis forma inſigniens Ducem ſacri belli declaravit, data poteſtate, ut, quos armis idoneos reperiſſet, eodem ſigno ſacræ militiæ auctoraret.

Cujus fama plures exciti ad Peſtum caſtra locant.

Didita per regnum fama, Georgium, qui edito uuper in Torcam facinore inclaruiſſet, Ducem conſtitutum, ut bello barbaros peteret, major, quam antea, ad cruce ſignatorum caſtra, in Peſtano agro ſita, hominum facta concurſatio eſt, ut adeo intra menſis unius ſpacium quadraginta millia confluxiſſe proditum ſit, præter illos, qui ad Varadinum, Albam, & Colocam nou temnendo numero coivere: quibus ſe haud pauci ex minorum Sacerdotum ordine adjunxerant, ſive eodem belli ſtudio incenſi, ſeu ut vulgum in propoſito retinerent, quos inter Laurentium ex oppido Czegledio, Doſæ familiariter cognitum, ac maximum inteſtini, quod poſtea ſequutum eſt, belli auctorem fuiſſe noſtri perhibenr. Georgius, ut Cardinalis de ſe judicium omnibus probaret, affloentem in dies populum ſub ſigna, & ordines cogere, tirones caſtrenſibus laboribus exercere, armis, ac telis inſtruere, Tribunos, ac Legionum Præfectos dare, & cetero apparatu bellico, quem Rex ex urbibus in caſtra comportari joſſerat, ita nti, ut conſtituto, qui ab ſe primas in bello teneret, Legato Gregorio fratre, juſtam exercitus ſpeciem, cujus ope præclarum aliquid in hoſtem patrari poſſet, intueutibus præberet.

In his tumultus primum, poſtea aperta in nobilitatem ſeditio oborta, ruſticum bellum conflavit.

Comparatis ita rebus, cum ſpes profligaudi barbaros, atque in hoſticum irrumpendi omnes teneret, uihil propius erat, quam ut, ex qua re ſubſidium ſperabatur, extremum regno diſcrimeu confectum fuerit. Dum enim coloni vulgata belli fama exciti, deſertis agris, ad ſacram militiam confluerent, & Domini pleroſque retraherent, ac in refractarios paulo durioribus, qoam par erat, pœnis animadverterent, ingens propterea in caſtris cruce ſignatorum tumultus obortus eſt, faces iratis ſubjiciente eodem, quem ſupra memoravimus, Laurentio, ſive impatienter ferebat pulcherrimam, ut putabat, deſtinationem, nobilium audacia intercipi, ſeu infenſo ceteroquin in illos eſſet animo. Itaque Georgius & hujus conſilio, & qnotidianis militum querelis, ſuos indigna quævis pati jactantium, tnm depravato per ſeſe ingenio, atqoe ad cogendas rapinas prouo, tametſi frater contra ſentiret, converſis in nobilitatem armis, factoque in ſuburbanas Budæ, ac Peſtini uobilium domos impetu, obvios quosque exquiſitis tormentis excrucians, ſæviendi in reliquos ſuis poteſtatem fecit. Inde quo facilior eſſet commeatus ratio, diviſis bifariam copiis, Laurentio, ut Bachiam, Barnabæ, ut Agriam, ad colligendos, qui iſthic erant, cruce ſignatos, contenderent, mandata dedit; ipſe cum duobus validis agminibus Szegedinnm profectus eſt, per iter Nobiles quoscunque comprehenderat, fœdis, ac teterrimis cædibus excruciaverat, matronas nobiliſſimas, virginesque ſuis proſtituens, tum obvia quævis igni, & flamma corrumpens, rapinis, & populatione omnia quaquaverſum replebat, ut collucentia longe, lateque incendia Budæ e mœnibus conſpicerentur.

In rebelles Joannes primum Scepuſius,

Quæ cum ad regem, & Thomam Cardinalem quotidianis uunciis afferuntur, ita mentes omnium conſternatio ceperat, ut nec conſilium tempori, ac rebus opportunum accommodare, nec malo remedium opponere ſcirent. Et quamquam confeſtim publicato edicto vetarent, ne quis poſtea cruce ſignaretur, videbant tamen ſeditioſorum furorem comprimi non poſſe, niſi vis adhiberetur. Itaque viſum nonnullis auxilia ab Maximiliano Cæſare, aut Sigiſmundo Polono peti oportere, interea, cum hæc adeſſent, dandam Palatino provinciam, ut videret, ne quid reſpublica detrimenti caperet. Sed Joanes Bornemisza, cui Rex Ludovicum educandum crediderat, vir promti conſilii, & temperatæ in omnem caſum prudentiæ, cum videret ſera exterorum fore auxilia, & Palatini operam, quod pedibns captus eſſet, prorſus inutilem futuram, omnemque rei bene gerendæ occaſionem in celeritate ſitam eſſe, repudiatis aliorum con-

ſiliis,

filiis, auctor Regi erat, ut, quoniam ſeditioſi, adornata Szegedinum profectione, bellum viderentur in Tranſilvaniam velle traducere, nuncii ad Joannem Scepuſium, provinciæ Præfectum, extemplo mitterentur, ut conflato ex Siculis, Hungaris, Saxonibus, & Thracibus exercitu, nefariorum hominum conatibus obviam iret. Se vero, tametſi ſenio jam fractus eſſet, nullum reipublicæ cauſa periculum ſubterfugiturum, quin adeo rapta ſecum, quæ adeſſet, Prætorianorum legione, ceteriſque ſtipendiariis, niſi Rex aliter juberet, reliquam colluviem, quæ in transdanubiano agro caſtra locaſſet, prius diſſipaturum eſſe, quam ab ſociis ſubſidia laborantibus mitterentur.

Viſus eſt pleriſque ad tempus, & rei periculum appoſite loqui: itaque Joannes celerrimis uunciis per diverticula, ne ab hoſte interciperentur, miſſis edocetur, quo loco res eſſent, utque citra moram collecto exercitu ſeditioſorum turbam aut opprimeret, aut diſſiparet, mandata mittuntur. Simul datæ ad Bohemos litteræ, quibus ſtipendiarios ex præſidiis, & arcibus detractos celerrime in Hungariam mittere jubebantur, quorum uſus, ſi Joanni Scepuſio res infeliciter caderet, haud poſtremus eſſet. Bornemiszæ data poteſtas, ut cum Prætorianis proxima hoſtium caſtra invaderet, ac fortuna pro loci, ac temporis habitu uteretur. Confluxerat ingens Nobilium numerus partim armorum, partim vindictæ in plebem refractariam ſtudio: inter quos Franciſcus Bathianius, & Ladislaus Moræus juvenes cubiculo Regio aſſueti, prima militiæ rudimenta poſuere. Bornemisza, poſtquam juſtum pene exercitum ſub ſigna coegiſſet, ac Paolum Tomoræum, qui poſtea ex Mohacſiana clade inclaruit, Legatum ſibi eſſe juſſiſſet, trajecto ad Peſtum Danubio in hoſtem movit.

Tum Joannes Boraemisza proficiſci juſſus.

Summa rerum apud perduelles, quos infra Peſtum in transdanubiano agro caſtra locaſſe memoratum eſt, penes Ambroſium Salereſium erat, civem olim Peſtanum, virum ut minime turbulentum, ita præter nomen Ducis, quod illi Doſa Szegedinum profecturus tribuerat, militiæ prorſus expertem. Ille ubi, quid Regii molirentur, comperiſſet, agreſtium equitum partem ſpeculatum obviam mittit, in quos Tomoræus, qui primam aciem ex levi equitatu conflatam ducebat, forte fortuna invectus, omnes, multis cæſis, captiſque, nullo pene negotio fudit: tum fugientes perſequutus, cum videret Ambroſium explicatis ſignis, ſtructiſque in morem militarem ordinibus appropinquare, conſtitit, quoad Bornemisza haud multo poſt reliquum ducens exercitum adveniſſet. Hic ut erat miui, & facili ingenio, prius, quam prælio decerneret, efferorum animos pertentare, experirique maluit, an ullis perſuaſionibus ad obedientiam revocari poſſent. Igitur miſſis præconibus denuuciari ſeditioſis juſſit, quicunque Ambroſii partes deſeruiſſet, id ei impune cum præteritorum venia futurum: qui vero oblatam gratiam recuſarent, illos poſtea nullam ſaluis ſpem habituros eſſe. Qua denunciatione cum multi converſo animorum ſtudio, deſertis ſeditioſorum caſtris, ad Regios ſe recepiſſent, paulumque poſt ex paucorum velitatione juſtum prælium obortum eſſet, Bornemisza hoſtium cornibus gravem equitatum circumfundens, ignaros militiæ exiguo temporis ſpacio facile profligans magnam eorum partem, præſertim peditum, delevit. Ambroſius in pugnæ principio, cum fortuna procul dubio Regiorum eſſet, cum paucis fuga ſe ſubducens ad Doſam contendit.

Hic rem in Peſtano agro ſtrenne in ſeditioſos agit.

Bornemisza caſtris potitus, & parta victoria Budam triumphanti ſimilis reverſus, eos, qui ſe oblata veniæ ſpe ante prælium dediderant, Magiſtratibus deſtituit, ut ex jure, & æquo decernerent, eſſetne data impiis fides ſervanda, an ab his, qui patriam tot calamitatibus affeciſſent, Nobilium ſanguis paribus ſuppliciis repetendus. Patres dato judicio in ueutram partem vehementiores ita couſtituerunt, ut in ſeditionis auctores, & aliquos, qui maleficiis inſigniores fuiſſent, animadverteretur, ne fallendo publicam fidem cauſam violandi gentium juris darent, paucorum tamen exemplo terrerent reliquos, plures autem ſervareut, quos alieno potius exemplo, quam ſuo ingenio peccaſſe conſtaret, neve ſublata ſpe veniæ efferatos jam multis inmanibus factis, aliorum animos in ea deſperatione ſalutis ad majora ſcelera accenderent. Hæc ſententia cum me-

Ex quibus non nulli ſupplicio affecti.

1514. dia eſſet, omnium conſenſioue probata eſt. Itaque octo fere ex deditiriis ſecuri percuſſi, quinque ſudibus infixi pœnas dedere.

Res ad Agriam & Varadinum proſpera fortuna contra factioſos geritur.

Partæ recens victoriæ ſama cum per Regni provincias pervaſiſſet, ingentem Nobilium numerum concivit, qui, cum agreſtes iu plura agmina diviſi eadem ſævitia, igne, ferroque omnia popularentur, inter ſeſe cooru, prope ad internecionem gentis ſecunda aliquot prælia fecerunt. Primum ab militibus Hippolyti Eſtenſis, quos ex Agrienſibus decumis abſens aluerat, ad Nagylacum vicum feliciter dimicatum; mox in ſubjectis Agriæ campis aliquanto majoribus viribus, & pleniore victoria. Eadem fortuna Franciſcus Perénius, Palatini filius, ac Epiſcopus Varadienſis deſignatus, non improſpere uſus eſt. Cum enim ingens agreſtium colluvies ad Varadiuum urbem eodem latrocinantium ſtudio ducta, finitimos agros popularetur, Perénius, conjunctis cum Emerico Cibaco, atque aliis, qui iſthic habebant Nobiles, copiis, nihil tale metuentes ex improviſo aggreſſus, inſigni clade affectos ita d.ſperſit, ut pars deſperata ſalute ad Georgii caſtra ſeſe proriperet, pars nullum domi locum profugio reperiens, in Polonia, ac remotioribus provinciis latebras quærere cogeretur.

Doſa ſeditioſorum Dux fœdiſſimis ſupplicis in nobiles graſſatus,

Interea Georgius, quem Szegedinum profectionem adornaſſe diximus, cum cives defenſionem parare intellexiſſet, evitato oppido, Chanadinum iter divertit, facileque, quod mœnibus uudatum eſſet, cepit, ſuiſque diripiendum dedit. Loci Epiſcopus Joannes Cſakius nobili, ac pervetuſta familia ortus, ubi ſe ad primam adventantis hoſtis famam iu arcem recepiſſet, & obſidionem aliquamdiu toleraſſet, ne quid facta deditione indignum efferati homines in ſe committerent, concubia nocte lembum conſcendens, trajecto Maruſio amne in proximos moutes elabi nitebatur, cum viarum errore deceptus in agreſtes, quorum manus effugere ſtudebat, infelix incidit; a quibus cum ad Georgium adductus eſſet, homo immanis, & ſanguinarius, virum ſacrum ſtola, ac infula ludibrii cauſa ornatum, verberibus primum, ac variis cruciatibus torqueri, tum, ut nihil ad ſceleris immanitatem deeſſet, ſude per inguen adacta crudelem in modum interfici juſſit. Sed hæc ad eam barbariem, qua in Stephanum Telegdium uſus eſt, utcunque tolerabilia videri poſſunt; in quem, quod eum ſententiam in Senatu contra cruce ſignatos dixiſſe non neſciret, omne irarum, odii, ac vindictæ genus effuderat. Captum enim forte fortuna, cum domnm proficiſci parabat parum decoro mortis genere, quodque non ſolum oculi, ſed & aures proborum averſentur, afficiendum curavit, dum fune per teſtes & penem ducto in præaltam furcam ſuſpenſum, ſagittis tam diu peti juſſiſſet, quoad vulnerum dolore, & frequentia animam miſerrimum in modum exhalaret. Vir cum ob dignitatem, tum ſplendorem generis ea calamitate omnino indignus.

Temeſam proficiſcitur,

Cum hunc in modum nefarius victor, quacunque ibat, omnia immanius, quam Turci ſolent, populatur, atque ſuorum damna, quæ ex Legatorum imperitia accepiſſet, alia ex aliis intelligit, veritus, ne ab Regiis undique coortis ad conferendum prælium cogeretur, cujus exitus ob imperitam multitudinem ſibi periculi plenus eſſet, trajecto Tibiſco, Temeſam urbem oppugnare conſtitutum habebat, ut ea occupata bellum nullo periculo in hiemem trahere poſſet; qua elapſa, non deſperabat reddita urbe pacem ſe ab Rege obtinere, aut, ſi eam hic abnueret, tradito Turcis oppido iſtorum clientelæ ſe cum ſuis dedere. Ita animo comparatus, edictaque ſuis profectione, ad Tibiſcum magnis itineribus contendit, quem cum propter aquarum multitudinem vado fruſtra tentaret, ex conquiſitis per finitimos vicos ligneis dolis, quæ commiſſis inter ſe tignis ac trabibus, catenarum ope compaginaverat, pontem ex ſuo ingenio tanta operis firmitudine tabulis inſternit, ut non modo impedimenta exercitus, ſed tormenta quoque ænea facile pateretur. Trajectis citra maleficium copiis recta Temeſam profectus, urbem obſidione cinxit.

Urbemque obſidione cingit.

Præerat urbi Stephanus Bathorius, vir ad ceteram militaris ſcientiæ laudem impiger, & expediti in omnem eventum conſilii, qui, cum Georgium omnia ex artis ritu ad obſidendam urbem moliri videret, adductis in mœnia colubrinis, operas hoſtiles arcere, & facta crebro eruptione, quidquid ſubſtru-

ctionum

ctionum inſano labore agreſtes perfeciſſent, eorumque ſatagebat. Cum ita mutuis dimicationibus aliquamdiu certatum eſſet, atque Georgius parum ſe, cum propter loci iniquitatem, ac ſuorum imperitiam, tum propter propugnatorum virtutem, profecturum intelligeret, conſilium cepit invadendi ea parte oppidi, qua Temeſo amne, unde urbi nomen, muniebatur, quod iſthic muri, oppoſitu fluminis, minus alti, nec tam arduo aſcenſu, facilem, expeditamque obſidionem facturi viderentur. Ergo commutato conſilio ſuos in idoneum locum traduxit, conductisque operis foſſas molitus eſt, quibus fluvium paulo ſupra urbem defixis in vado ſublicis, aggeſtisque cratibus obſtructum magna ex parte alioſum averteret. Res præſentiſſimi erat periculi, niſi obſeſſorum induſtria, & provincialium fides obſeſſæ urbi ſalutem attuliſſent. Emti enim magnis pollicitationibus, atque pecuniis ejus regionis agricolæ, qui in ſeditioſorum caſtris rerum vendendarum cauſa verſabantur, nocte ſilente aggerem transgreſſi, effractis ſumma celeritate obicibus, qui amnem a priore vado repellebant, omnem aquarum molem veteri alveo reddiderunt.

Joannes Scepuſius laborantibus ſubſidio venit.

Defunctus hoc periculo Bathorius, ne quidquam, quod ad urbis ſalutem attineret, omiſiſſe videretur, clam nuncios ad Joannem Scepuſium in Tranſilvaniam mittit, in quem locum res ab agreſtibus, & Georgio adducta eſſet, ſignificat, orat, ut poſitis partium ſtudiis, neque enim levis utrique cum dignitatis, tum virtutis æmulatio prius interceſſerat, ſibi, ſuiſque laborantibus ſubſidio veniret; ſe minime in cauſa futurum, ſi urbs per ſeditioſorum pertinaciam fracta, deditionem facere cogeretur. Joannes, & Regis mandato jam antea accitus, & urbis periculo commotus, cum juſto numero exercitum ex Siculis, ac Tranſilvanis conflaſſet, omnique apparatu bellico inſtruxiſſet, acceleratis, quantum per cœli æſtum licuit, itineribus obſeſſæ urbi ſuppetias properavit, datis ad ceteros Duces mandatis, ut cum iis, quas ſcripſerant, copiis ad ferream portam ſibi præſtolentur. Is anguſtus admodum provinciæ, qua Hungariam reſpicit, aditus eſt, quem Joannes Hunyiades memorabili Turcorum clade quondam nobilitavit. Huc cum ventum eſt, & copiæ, quæ diverſis itineribus proficiſcebantur, cum Joannis exercitu conſociatæ eſſent, ad plana, & patentia loca Alpium radicibus ſubjecta ſenſim delabi, ac menſe Julio in Uticenſem campum, haud procul a perduellibus, caſtra transferri cœpta ſunt.

Initoque cum ſeditioſis prælio, vincit captis pleriſque anteſignanis.

Georgius, qui ſe interea Regem ab ſuis appellari paſſus eſt, quamquam ceteroquin impavidus, Vayvodæ adventu incredibili metu conſternatus erat, ſive hujus fortunam, ac virtutem metueret, ſeu exæſtuante ſcelerum conſcientia nullum ſalubrem exitum maleſanis conſiliis ſuis jam reliquum eſſe intelligeret. *Igitur ut vidit inſtare fatale prælium, quo haud dubie ſupremis conatibus ſibi agendum pro ſalute, aut egregie cadendum judicabat, circumeundo exercitum capere arma milites jubet, & in æquum locum deducit. Inde advocata concione breviſſime docet, quæ ſupplicia, & cruciatus eos maneant, qui ab ſuo Rege defecerint, & Nobilibus tot calamitates intulerint, niſi unum omnes ſentiant, & deſperata ſalutis conditione, forti animo prælii fortunam periclitentur. Nihil jam commeatus, nihil ſpei, nihil denique conſilii in caſtris ſupereſſe, præter unam virtutem, & audaciam, qua freti ſi obſtinate in animum inducant, aut egregie, aut in veſtigio moriendum, commeatus abunde, tutos receptus, amicas gentes, & ex uſu victoriæ ſalutem, opes, gloriam invenirent. Ex adverſo Vayvoda nulla magis ad milites cohortatione uſus, quam ut inermes, ſceleratosque latrones deſpicerent, neque alicujus negotii futuram victoriam arbitrarentur, qui multos annos bellando, pugnandoque cum Turcis, & Valachis, fortiſſimarum gentium victores diſceſſiſſent, prius exercitum admovit, immiſſiſque levis armaturæ equitibus, qui expedientes arma hoſtes injecta trepidatione turbarent, aciem direxit, extenſis ab cornibus, quantum maxime poterat, equitum alis, ut a fronte ſimul, & a lateribus imperitam multitudinem adoriretur. Georgius ut intrepida re infracto animo, quidquid roboris in exercitu erat, in fronte collocat, ceteros, quibus parum fidebat, in ſubſidiis, & in poſtremo agmine agere jubet, & citato equo ad primos advehitur. Ibi continuo & propoſitum pugnæ ſignum, & acriter utrinque procurſum: ſtetere aliquantulum utraque acies incerta victoria; ſed cum Vayvodani virtute, armorum uſu, & belli cauſa longe*

1514. *ſuperiores eſſent, circumfuſo equitatu primos, qui pervicaci audacia aliquandiu conſervatis ordinibus reſtiterant, protriverunt: mox alios primorum cæde territos acri impetu loco pulſos in fugam verterunt. Georgius cum fratre, quibus ut parceretur, Vayvoda juſſerat, vivus capitur, alii fœdiſſima fuga toto campo ſparſi ab equitatu paſſim interficiuntur. Magna tamen pars eorum, cum projectis ad terram armis flentes ſalutem peterent, conſervati fuerunt.* (1) Capti cum fratre Georgii laus penes Petrum Petrovitium turmæ præfectum fuit, Joanni Scepuſio ſanguinis neceſſitudine conjunctum. Laurentius Presbyter, qui dextræ ſeditioſorum alæ præerat, pernici uſus equo verſus Danubium, & Bachiam oppidum, ubi ſocios eſſe ſciverat, felici fuga evaſit.

Pari fortuna Jacobus Banffyus ad Bachiam rebelles profligat.

Quo in loco cum Antonium longum bellum reparare intellexiſſet, ipſe quoque collectis ex fuga ſociis ſeſe Antonio adjunxit, & in agro Colocenſi prædas exercebat, armorum metu ita late, longeque propagato, ut non exſtinctum ſervile bellum, ſed novum ab nuperno prælio recruduiſſe videretur. Id cum ad Joannem Vayvodam, res ad Temeſam ab prælio reparantem allatum eſſet, Jacobum Banffyum ſuum in exercitu Legatum cum maxima equitatus parte in hoſtem ire jubet: qui oſtendendæ adverſus perduelles virtutis cupidiſſimus, ita dies, noctesque iter acceleravit, ut paucos poſt dies Bachiam tenens, haud procul Apathio oppido, ad quod Antonius caſtra habuerat, ſua itidem ignaro hoſte defixerit: ubi indulta parumper militi quiete, ſeditioſos ex improviſo aggreſſus, difficillimo prælio manus conſeruit. Agreſtes enim rem ad extremum veniſſe conſpicati, magis temere, quam fortiter, deſperataque ſalute dimicantes, ambiguam pugnam in alteram horam extraxerant, quoad Antonius equo glande trajecto vivus in Banffii poteſtatem veniſſet. Tum vero effuſiſſima fuga oborta, in qua haud pauciores, quam ipſo prælio occubuiſſe proditum fuit. Antonius Budam adductus, ſeditionis pœnam in quatuor partes vivus, ſpiranſque ſectus, tulit: Laurentius Presbyter, quem ſocii cruento vultu ex pugna evaſiſſe viderant, quonam locorum delatus ſit, nusquam poſtea ſciri potuit. Sunt, qui ſibi ipſi manus conſciviſſe, alii in Danubium, ut debitam ſceleribus pœnam effugeret, ſeſe præcipitem egiſſe exiſtiment; quorum utrum verius ſit, in ambiguo eſt.

Immane ſupplicium ex Doſa, & complicibus ſumtum.

Re ad hunc modum contra agreſtes patrata, Joannes Scepuſius, quo ceteri pœnarum immanitate a ſeditionis crimine deinceps abſterrerentur, quoſcunque nuperno prælio ceperat, excruciandos carnificibus præbuit. Ac ex Gregorio quidem Georgii fratre, quod ingratiis caſtra ſequutus eſſet, capitis ſupplicium duntaxat ſumtum eſt; in Doſam vero belli totius, ac omnium calamitatum auctorem, barbaro, & ante memoriam eorum temporum inaudito more, animadverſum fuit. Cum enim tyrannidem manifeſte affectaſſet, in ferreo primum ſolio collocatus, tum corona, & ſceptro igne candentibus per ludibrium ornatus eſt: ita conſidentem novem ex familiaribus, quindecim dierum inedia macerati, ſalutare juſſi ſunt, mandatumque, ut novi Regis artus, qui ignito ferro tacti, intolerabilem grave olentemque nidorem halabant, ederent, glutirentque. Tres e veſtigio, quod ab humana eſca abhorrerent, cæſi, ceteri, qui juſſa fecerant, ut exemplo eſſent poſteris, ſervati ſunt. Georgius inter hæc, cum candenti ferro ureretur, mira conſtantia neque gemitum edere, neque in miſerabili mortis genere quidquam horreſcere, id tantum, dum ſuis carnibus alii veſcerentur, ingeminare, quod catulos caninos in ſua viſcera educaſſet: ad extremum laniatis omnibus membris, cum diutius graviſſimos dolores vel immani ſpiritu tolerare nequiret, æſtuantem inter ignes animam efflavit. Exſtincto hac miſerabili laniena ſeditionis auctore, ceteri earum partium per regnum in plures manus ſparſi, cognita ſuorum fortuna, ſuas quisque domos, detractis crucibus, abierunt. Tametſi ab hac peſte, *Cruczonum*, fatale poſtea Hungariæ, nomen ad poſteros manaret. Hic exitus belli

(1) Paulus Jovius Hiſt. ſui temporis Lib. XIII.

belli ruſtici erat, quod ab ſordida paucorum nobilium avoritia, & immodica dominandi libidine (ſi modo Tuberoni (*u*) fides ſit) ortum hobuit, & quadraginta, aut, ut aliis placet, ſeptuaginta millium cæde terminatum eſt, majori utique clade abſolvendum, niſi in priocipio, quarto enim menſe debellatum eſt, confeſtim obviam itum eſſet, quod nihil mediocre in ſecundo fortuna apud plebem eſſe ſolet.

A profligato ſervili bello, aliud pene in Cardinalem exortum.

A profligato ſervili bello, parum aberat, quin domeſticum, multoque gravius priore oriretur. *Tot enim, tantisque ſucceſſibus clata nobilitas cum adhuc arma retineret, in Cardinalem prope bellum convertit: auctorem enim eum tantorum malorum, calamitatumque fuiſſe dictitabant. Nec abſtinebant a probris, & contumeliis, quod is ſumma avaritia, intoleranda ſuperbia, atque ambitione regni opes afflictaſſet, & Regem vix mente integra, & ſenectæ vitiis affectum perverſis conſultationibus in ea pericula conjiceret, unde ſibi cum excidio provincialium, ingentia auri, argentique pondera, & quam latiſſimas fines paret: ceſſiſſe avaritiæ, atque libidini ejus Strigonium nobiliſſimam urbem* (*x*) *profano jure abolito, & brevi quoque ceſſuram Budam, atque univerſam Pannoniam, niſi ſemel temeritati, atque avaritiæ ſuſpectiſſimi hominis occurratur. Toomas conſenſum, atque judicium id totius nobilitatis exiſtimans, ne auctoritatem ſuam, atque ſalutem temere fortunæ caſibus objectaret, plures dies Strigonii mænibus ſe continuit. Inde per litteras atque legationes apud Regem bis diluendis, quæ nobiles objicerent, docuit, nihil minus ſibi ſeni ditiſſimo, & majoribus ſacerdotiis inſigni convenire, quam dolum, avaritiam, aut libidinem proferendæ potentiæ, quæ tanta eſſet, quantum ipſe ex humili fortuna* (*y*) *ad ſummos honores evectus nunquam deſideraſſet. Exſtare fidei, atque virtutis ſuæ monumenta, nec ſibi pro beneficiis contumeliam, ignominiamque reddendam: quod pra dignitate Pannonii imperii, & commodo reipublicæ Chriſtianæ id ſumma fide, & ſincera, piaque voluntate tentandum, agendumque exiſtimaverit, quod poſtea, fatis ita jubentibus, corruptiſſimi omnium mortalium ſumma impietate, atque perfidia perturbaſſent.*

Niſi Bohemorum auxiliorum ope id periculum ab ſe amolitus eſſet.

Dum hæc utrinque jactarentur, Bohemi jam pridem in auxilium adverſus agreſtes cruciferas ab Wladislao acciti ſupervenere, virtute & genere armorum Germanis, atque Hungaris pares. Ii Duce Bartholomæo profeſſi ſe tutaturos regiam dignitatem, & vindicaturos armis, quæ Rex fraude, & furto Procerum amiſiſſet, cum omnium animos in ſe convertiſſent, inteſtini belli initia ſuſtulerunt, maxime, quod Wladislaum cum Strigonienſi conſentire, & favere illius cauſæ, neque paſſurum, ut ille Procerum armis oppugnaretur, apparebat. Nobis autem perſuaſum eſt, Bohemos, poſtquam cruciferorum nomen interierat, domo jam excitos, pecunia Cardinalis in Pannoniam perveniſſe, ea de cauſa, ut Nobilium ferociam, qui inſolentiores ſpiritus ſumſerant, reprimeret, & dignitatem ſuam certiſſimis præſidiis adverſus eorum invidiam tueretur. (*z*) Hæc ex Jovio hiſtoriam ſui temporis ſcribente ad faciendam fidem afferre viſum eſt, quod apud neminem noſtrorum litteris conſignata repererim.

Ex relata victoria, ingens Joanni laus,

Joanni Scepuſio ingens ab conſerto pugna non modo apud nobilitatem, quam ab exitio vindicavit, ſed apud Proceres qnoque, qui Regem ob deſidiam deſpicatui habebant, laus parta eſt. Fuereque haud pouci, qui aperte vociferarentur, Wladislaum ocio, ac mollitie diffluentem intra privatos parietes retrudendum, & ſummam rei Joanni, qui armorum ſtudio ex gentis indole deditus,

(*u*) Hiſt. ſui temporis Lib. X. Istvanffius contra cauſas belli ſervilis in hæc verba expreſſit. Hiſt. Lib. V. *Interea cum agreſtes catervatim ad caſtra quotidie properarent, & neglectis omnibus, non niſi grandævos ſenes, ac mulierum & parvulorum gregem, aut infirmiſſimum quemque domi relinquere viderentur, coacta nobilitas obviam ire in eos, quos aut domi reperire, aut ex caſtris redeuntes deprehendere poterant, crudeliter ſævire cœpit, eo fine, ut ad priſtinæ conditionis ſervilia miniſteria redigerentur. - - -*

(*x*) Connivendum hic extero ſcriptori eſt, qui Hungaros ita ignaros fuiſſe putet, ut neſcierint, aliam Strigonii partem jam olim Archiepiſcopis, aliam contra Regibus paruiſſe, ut hodie in uſu eſt. Alia caſtri ratio fuit: ſed hæc ad propoſitum non attinet.

(*y*) Hæc ex communi vulgi opinione refert: alioquin, ut alias ex Hiſt. Zagrab. Cl. Kerchelichii monui, Thomas nobili ac pervetuſto genere ortus eſt.

(*z*) Hiſt. ſui temporis Lib. XIII.

1514.

Regi contra grave diſcrimen comparatum.

regno dignior videretur, committendam eſſe. Uni illi in acceptis referri oportere, quod viverent, quod ſubeundam apud ſubditos ſervitutem ab ſuis cervicibus propulſaſſet: daturum in barbaros, ſi res cum illis eſſet, paria fortitudinis argumenta, qui nuper uno prælio formidabile bellum profligaſſet. Hæc cum paſſim auctoribus Stephano Verbôczio regni Prætore, & Michaele Zobio Joannis familiaribus, neque iſto invito jactarentur, neque Thomas cum Joanne Bornemisza, paucisque aliis ex Senatorio ordine, ita neſcirent, tametſi, qua pollebant auctoritate, Regiam dignitatem fortiter tuerentur, veriti tamen, ne res ſenſim ad vim ſpectaret, de ſopienda malevolorum obtrectatione, quæ in ſeditionem cum tempore erumperet, conſilia ac ſtudia conferebant. Acuebat diligentiam atrociſſimus per eos dies eventus, qui niſi numen pro Regis vita excubaſſet, fatalis regno futurus erat. Cum enim ad Comitia in menſem Octobrem indicta paſſim ex provinciis per id tempus confluerent, & Rex ad ſummum diei crepuſculum Sacris intereſſet, ſceleſtiſſimi, ſed incerti homines in cubiculum Regium, rati Regem iſthic eſſe duobus ſclopetis craſſiores pro more glandes plumbeas immiſere: ſcelus fractis ingenti fragore vitreis feneſtris patuit, omnesque, ac regem in primis ſalutis ſuæ incertum attonitos habuit. Itaque cum immaniſſimi facinoris ſuſpicio in Vayvodanos, ſed incertis nixa fundamentis, conjiceretur, Rex de ſalute liberorum ſollicitus, cum Thoma Cardinali, & Bornemisza, quorum fidei plurimum tribuebat, diligenter egit, qua ratione periculo caveretur. Illi breviter conſulebant, Regem, niſi paucorum, qui licentia abrepti dignitatem Regiam contemnerent, ſupplicio, clementiæ ſeveritatem anteponeret, haud facile diſcrimen evaſurum: quod ſi id ab ſe, qui graviſſimis etiam criminibus pro ingenii ſui facilitate ignoſcendum alias putaſſet, impetrare non poſſet, certe daret operam, ut liberis ſuis amicos parare ſtudeat, quorum ope ſibi regni poſſeſſionem ſtabilirat, illis tutum in futura vita præſidium pararet: ageret cum Maximiliano Cæſare, & quam cum eo per mutua connubia affinitatem inire cœperat, ad exitum adduceret, ita neceſſitudine cum potentiſſimo Cæſare illigato auxilia, ſi opus eſſet, minime defutura. Neque nihil in Sigismundo fratre præſidii collocandum eſſe, quem, etſi Scepuſii ſororem ſibi connubio junxerit, ſpes tamen ſit, omnia fratris cauſa periclitaturum, ut, quod reliquum eſſet vitæ tempus, in tranquillo ocio frueretur.

Itaque deliberanti de ratione vitandi periculi

Commodum Cuſpinianus a Cæſare adfuit, cum quo de Poſonienſi conventu tranſigis.

Ita conſulentibus commodum Cuſpinianus ab Maximiliano miſſus intervenerat, qui eandem ob cauſam mandata ab Cæſare afferebat, firmandæ arctiori vinculo affinitatis cupidiſſimo. Petebat autem Maximiliani nomine, certum colloquio locum deſignari, in quem rex cum Cæſare convenirent, remque connubii cauſa hucusque adductam, per ſeſe penitus transfigerent. Haud multo poſt Cuſpiniani adventum a Sigismundo quoque fratre Chriſtophorus Sidlovicius Sendomiriæ Præfectus Legati nomine adfuit, qui partim Regi de profligato Ruſtico bello gratularetur, partim nobiliſſimæ victoriæ, quam Sigismundus hoc anno ex Moschis retulit, nuncium afferret. Magna Regi ex utraque legatione ſalutis ſpes affulſit: itaque, cum fratrem Maximiliano conciliare prius vellet, quam de colloquio quidquam ſtatueretur, collatis cum Cuſpiniano & Sidlovicio conſiliis, nullo negotio impetravit, ut uterque fidem in ſe reciperet, Cæſari cum Sigismundo facile conventurum, atque præterea mandata etiam afferre, ut fratri, ne ad condictum colloquio locum venire gravaretur, etiam, atque etiam auctor eſſet: idem Poloniæ Legatus Regis ſui nomine polliceri, ut adeo omnium animi præcipue Wladislai in pulcherrimam pacis ſpem erigerentur. Re ſic confecta, placuit, uti Reges ad Februarii finem venturi anni, Poſonium coirent, ibi, quid Cæſari videretur exſpectaturos: locum, & tempus, quo deinceps convenirent, in Maximiliani arbitrio futurum. Cuſpinianus haud diu Budæ moratus, Æniponturn ad Cæſarem properavit, & legationis eventum cum ſpe conciliandi Sigismundi Poloniæ Regis, paucis declaravit. Cæſari omnia probari viſa præter tempus: Itaque Cuſpiniano imperavit, Regibus ſignificaret, gratum ſibi futurum, ſi colloquium in quadrageſimam protraherent: ſe tractandis imperii cauſis magnopere occupari, quæ ubi finiſſet, ad præſtitutum tempus Viennæ

Au-

Auſtriæ affuturum, & de iis, quæ ad conventum attinerent, in propinquo actu- rum. Id cum Wladislao quoque probaretur, Ladislaum Sternbergium Bohemiæ Cancellarium ad fratrem in Poloniam legarat, qui Regi, ut conventui intereſſe ne gravetur, auctor eſſet: cujus voluntatem ubi cum ſuis ſtudiis mirifice con- gruere intellexiſſet, omnia, quæ futuro colloquio neceſſaria erant, comparari juſ- ſit: quod qua pompa, & magnificentia celebratum, & quo eventu abſolutum ſit, ad annum ſeqoentem memorabitur.

Pontifex petita ab Rege ſtipendia ſe proxime miſſurum Thomæ Cardinali ſignificat.

Hæc inter Pontifex rerum, quæ in Hungaria geſtæ eſſent, ignarus, & pacem inter Gallos, Anglosque conciliaverat, & Wladislao ſtipeodia in militem eroganda deſtinarat, quibus aut in bellum, ſi id in Turcos obmoveret, uti poſſet, aut ad tuendas a barbarorum incurſionibus ditiones convertere. Rex eoim, cum ad vulgatum a Thoma Pontificis edictom tantam cruce ſignatorum, ut narratum eſt, copiam confluere vidiſſet, futuri imprudens, litteras ad Pon- tificem ex Cardinalis conſilio miſerat, quibus ſignificabat, ad debellandos barba- ros, quando intra breve temporis ſpacium ex ſola Hungaria ingens bominum vis confluxiſſet, nulla alia re præter ſtipendium ſibi opus eſſe, quod ut pro ſuo in rem Chriſtianam ſtudio ne negaret, etiam. atque etiam orabat. Eo nuncio Poutifex mire lætus ad Thomam Cardinalem, & Wladislaum litteras dedit, qui- bus, quid animo Hungariæ cauſa deſtinaſſet, explicat. Priores ita habent: (*a*) *Thomæ Cardinali Strigonienſi exemplum litterarum, quas Wladislao Regi ſcribimus, erit cum bis litteris. Ex eo mentem erga illum meam plane perſpicies, quom tu etiam meis ad illum verbis deferes, explicabisque ſingula, & accuratius, & prolixius. Ac te quidem ſcire volo, nos nihil aliud ſingulis pene boris cogitare, atque proſpicere, quam ut pacem inter omnes Chriſtianos Principes conficiamus, eique rei neque ſtudio, neque diligentia, ne- que robore, neque certe ardore animi, contentioneque deerimus. Et quoniam in eo id, quod volebamus, a Galliæ, atque Britanniæ Regibus jam conſecuti auctore Domino ſumus, ceterorum etiam Regum, & Principum controverſias placandi, & terminandi, animosque conſociandi, confido eundem mihi Dominum vires, & facultatem ſubminiſtraturum. Ac fieri profecto poterit, ut ad id auctoritas, atque prudentia Regis Poloniæ, Wladislai Regis fratris mihi magno uſui ſit futura. Quod cum erit, ſtatim te faciam per litteras certiorem, ut navare in eo tu quoque operam mihi tuam poſſis. Atque ea quidem, de qua loquor, pax, & concordia Deum optimum, maximum oro, & quæſo, ut ſuum ad exitum nobis viventibus perducatur, ut reliqua, quæ reſtant, multo quidem, meo judicio, opinioneque re majora, contra ejus nominis hoſtes perpetuos communi omnium conſenſu, & voluntate aliquando moliamur. Sed & hæc, & alia, quæ in eundem ſermonem conjeci, quem qui- dem proxime habui cum Franciſco Marſupino procuratore tuo, homine in primis diligente, ipſe ad te perſcribet, cui mandavi, ut tibi ſalutem adſcriberet. Datum Romæ XI. calen- das Octobres, anno ſecundo.*

Idem ad Regem perſcribit.

Ad Regem paulo apertius ſcribit, & ſtipendia, ſive in Turcos bellum gerere, ſeu ſua potius tueri mallet, liberaliter, neque parca manu ſe ſubmini- ſtraturum pollicetur. (*b*) *Dedi*, inquit, *proximis diebus ad te litteras, quibus te de pace a Ludovico Rege Gallorum, & Henrico Rege Britanniæ, me auctore, nuper ini- ta, certiorem feci. Poſtea vero, ut ex litteris Thomæ Cardinalis Strigonienſis, & Fran- ciſci Marſupini, ejusdem Cardinalis internuncii ſermone intellexi, te plurimis, maximisque bellorum ſumtibus jam prope exhauſtum, ad tuenda iſtius regni vicina Turcis oppida, atque a ſociis deſtitutum tuis tantummodo opibus, & præſidiis idoneum hoc tempore non eſſe. Ita- que rogare, obſecrareque nos, ut, quoniam cum oppidorum illorum conſervatione, tui etiam prope univerſi regni ſalus, incolumitasque conjuncta eſt, velimus tantum noſtræ opis tibi ſub- miniſtrari, ut ea tueri, atque defendere poſſis, ne Chriſtianæ reipublicæ hoſtes, captis expugnatisque iis, vires, lacertosque confirment, atque augeant, quibus cum libuerit, in reliquas tui regni partes, atque adeo in robur, & pectus ipſum audacter utantur. Habere autem te loca, & ditionem multis hominum millibus ad bellum aptiſſimorum refertiſſimam; ut, ſi tibi ſtipendium ad eos alendos ſuppeditatum ſit, validiſſimum contra Turcos exercitum* co-

(*a*) Ex iisdem MSS. (*b*) Ex iisdem MSS.

1514. *cogere, atque conficere facile poſſis: itaque ſtatuamus, utrum regnum illud per ſeſe firmiſſimum, & populoſiſſimum, gentibus inimiciſſimis projicere ad ſervitutem, & ludibrium velimus, an pro re, facultatibusque noſtris dare operam, ne hoſtes eo noſtri potiantur. Quas ad tuas poſtulationes tibi reſpondeo. Primum quidem pra mea in te, tuosque populos, regnum iſtud omne, magnæ mihi curæ eſſe; deinde verſare me noctes, atque dies animo, non tuam moda ſalutem, & incolumitatem, quæ mihi chariſſima eſt, ſed etiam de amplitudine tua, deque gloria ſæpiſſime cogitare; quoque te pacto juvem, curamque adhibeam, ut in bello, quod tibi a Turcis nunquam non imminet, adminiſtrando, ipſe te poſſis apud Deum quidem primum, deinde apud omnes homines commendare, quam maximis, quamque pulcherrimis virtutis, atque gloriæ monumentis. Quam ob rem, ſi ipſum exercitum conficere, atque in Turcas impetum facere ſtatueris, bellumque ſic adminiſtrare, ut illuſtris aliqua ad illos impreſſio, expugnatioque oppidorum conſequatur, quinquies decies mille numum aureorum me ad id eragaturum, daturumque tibi ſpondeo, atque recipio: ſin vero id tantummodo conſilii ſuſcipies, ut tuta ab hoſtibus reddere tua illa propinqua Turcis appida, de quibus ſcribis, tibi ſatis futurum putes, bis decies mille numum aureorum tibi præſto ut ſint, cum me commoneſeceris, curabo. Itaque excita, exſuſcitaque te Wladiſlae fili, ad præclaras actiones animi magnitudine, atque conſtantia ſuſcipiendas, exemploque majorum tuorum maximorum, atque ampliſſimorum Regum tibi propoſito, & cum ad tui regni, populorumque tuorum, & gentium, tum ad Chriſtianæ reipublicæ non ſolum propugnationem, ſed etiam amplificationem para. Quod cum feceris, ſtatutum habeas velim, meas fortunas, apesque omnes fore in tua poteſtate, a Deo autem optimo, maximo cujus cauſæ patrocinium, hoc quidem tempore unus omnium maxime ſuſcipies, ſecundi tibi, tuorumque conatuum exitus, eventusque ſunt exſpectandi. Quibus de rebus omnibus multo ſum latius, atque uberius cum Marſupino locutus, eique mandavi, ut tibi ſingula perſcriberet. Vale igitur, nosque dilige. Datum Romæ XI. calendas Octobres, anno ſecundo.* Wladislaus tam liberali Pontificis animo ita uti conſtituit, ut bellum quidem in Turcos minime decernendum putaret, quod ea auri ſumma, quam Leo offerebat, haud ſatis videretur ad id, præſertim ſi diuturnum eſſet, longius ducendum, neque tutum ſatis eſſet, ſine ſociorum ſubſidiis barbaros irritare: ſatis ad regni defenſionem collatum iri exiſtimans, ſi, quæ in Illyrico Turcis finitima oppida ſunt, præſidio militari, & novis operibus communirentur, quod ea parte hoſtis in Chriſtianorum ditiones ad agendas prædas procurrere, fere in more haberet. Itaque Petro Berislovo Croatiæ Præfecto in mandatis dedit, ut qua parte iſthic maxime laboraretur, Leoni perſcriberet, acceptamque auri ſummam in reipublicæ uſum ita converteret, ne quid regno periculi ab finitimo hoſte conflaretur.

An. Chr. 1515.

Conventus Poſonienſis ob Cæſaris curas prorogatur.

His ad hunc modum curatis, cum Rex animo in futurum colloquium, quo potentiſſimi Europæ Principes coituri eſſent, animo intentus, atque ſollicitus etiam multa ſecum volveret, adfuit Budæ Vitus Fürſtius a Matthæo Longio Cardinali Gurcenſi miſſus, qui rationes proximi conventus univerſe cum Rege diſpeſceret, donec communi poſtea judicio, quæ ſingulatim conſtituenda eſſent, videretur. Legationis hæc ſumma fuit: Maximilianum graviſſimis curis diſtractum, ad finem Februarii Poſonium venire, ut condictum erat, non poſſe, tum propter formidabilem Helvetiorum inconſtantiam, tum propter Ludovici, qui calendis Januariis obiiſſet, Galliarum Regis mortem: neque nihil in cauſa eſſe Carolum Archiducem Auſtriæ, ac Burgundiæ, nepotem ſuum, quem ex tutela emancipaſſet: ubi ſeſe his negotiis explicuiſſet, non commiſſurum, ut Reges ejus deſiderio diutius tenerentur: interea ſe ſancti Angeli Cardinalem Gurcenſem miſſurum eſſe, qui ſuo nomine cum Regibus transigeret. Adjecit Legatus, Cardinalem viceſima tertia Februarii Viennam ingreſſum, Neoſtadii conventum ex Auſtriis & Stiriis coegiſſe, quo, ut ſperabat, intra breve tempus abſoluto, Poſonium venturus eſſet, ſi Rex illo venire non gravetur, idque ut faceret, vehementer oratum velle. Wladislaus, cui nihil colloquio illo gratius erat, tametſi nonnulli ex Proceribus ei auctores eſſent, ne prius, quam Cæſarem Viennam tenere comperiſſet, digrederetur, aut Budæ locum colloquio ſtatueret, facile

tamen

tamen Legato aſſenſus eſt, præſertim, quod fratrem Sigismundum III. nonas Martias Cracovia cum ingenti Comitatu moviſſe per litteras certior redditus fuiſſet.

Rex feudum Oppavienſis Ducatus Teſſinenſi Duci confert

Prius Buda, quam moveret, præfecturam Ducatus Oppavienſis, quem ab Joanne Corvino, inagnám auri ſummam pactus olim redemerat, ac utriusque Sileſiæ Caſimiro Teſſinenſium Duci contulit, tum Sigismundi fratris gratia, cui ſoror Caſimiri locata erat, tum quod ceteroquin de ſe, ac Hungaria non male meritus fuiſſet. Ne id tamen regno fraudi aliquando eſſet, omnem, quam cum ea præfectura acceperat, poteſtatem, certis conditionibus jurejurando firmatis, circumſcribere placuit, quas Rex ad faciendam fidem publicis litteris in hæc verba vulgavit: (c)

Confirmatis prius jurejurando conditionibus.

„ Nos Wladislaus Hungariæ, Bohemiæque Rex &c. memoriæ commen-
„ damus tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit, univerſis. Quod
„ nos ad inſtantem, & humillimam ſupplicationem fidelium noſtrorum, uni-
„ verſorum Dominorum Prælatorum, & Baronum, ac Procerum prædicti re-
„ gni noſtri Hungariæ, noſtræ propterea factam Majeſtati, cum igitur ex eo,
„ tum vero receuſitis, & in animo noſtro ſæpe revolutis illis cumulatiſſimis,
„ & multiplicibus fidelibus ſervitiis, & gratuitis meritis, fidelis noſtri, nobis
„ ſincere dilecti, illuſtris Caſimiri Ducis Teſſinenſis, utriusque Sileſiæ, &
„ Ducatus noſtri Oppaviæ Capitanei generalis, quæ idem a toto fere regiminis
„ noſtri officio per hunc usque diem Majeſtati noſtræ, ſacræque coronæ, &
„ huic regno noſtro cum ſumma ſemper fide, & fidelitatis perſeverantia exhi-
„ buit, & impendit, confiſi etiam ad plenum de ſincera ejus erga nos, noſtram-
„ que ſacram coronam, & hoc regnum noſtrum fide, atque fidelitate, offi-
„ cium prædicti Ducatus noſtri Oppaviæ, quem hactenus fidelis noſter, egre-
„ gius Emericus Czobor, noſtro durante beneplacito, a nobis pro officio te-
„ nuit, eidem Caſimiro Duci, ſimiliter durante beneplacito noſtro dandum
„ duximus, & conferendum a nobis, conditionibus infraſcriptis.

„ In primis, quod præfatus Dux Caſimirus pro ſe, & Wenceslao filio
„ ſuo, cunctisque hæredibus, & poſteritatibus ſuis, ad Deum vivum creato-
„ rem cœli, & terræ, ac Beatam Mariam Genitricem Dei ſanctiſſimam, &
„ omnes Sanctos, atque ad fidem, hoborem, & humanitatem ſuam coram
„ Majeſtate noſtra oretenus juravit, quod prædictum Ducatum Oppaviæ ſimul
„ cum caſtris, civitatibus, & omnibus pertinentiis, ac aliis quibusvis bonis ejus-
„ dem, nobis, & ſereniſſimo Domino Ludovico Regi, filio noſtro chariſſimo,
„ atque huic regno Hungariæ, & ſacræ ejus coronæ, non tamquam externus,
„ ſed tamquam unus ex Dominis Hungaris, & Baronibus, modo præmiſſo,
„ durante noſtro beneplacito tenebit, ita, ut dum, & quandocunque vel nos,
„ vel præfatus Dominus Rex Ludovicus, aut ejusdem ſucceſſores Reges Hun-
„ gariæ, vel nobis utrisque Majeſtatibus, quod Deus longe avertat, interim
„ decedentibus, hoc regnum noſtrum Hungariæ, Ducatum prædictum ab eo-
„ dem Caſimiro Duce, vel hæredibus, aut ſucceſſoribus ſuis repetierimus, vel
„ repetierint, illum præter omnem occaſionem, difficultatemque, & reniten-
„ tiam aliqualem, libere nobis, vel ipſi Domino Ludovico Regi, huicque regno
„ Hungariæ remittere teneatur, dictique hæredes ſui teneantur, & ſimul aſtri-
„ cti. Ceterum quod præfatum Ducatum ab hoc regno Hungariæ nunquam
„ cogitabit, neque ſtudebit alienare, ſed dabit operam, & omnino, totisque
„ viribus curabit - - quod idem Ducatus penes nos, & hoc regnum, adquod
„ proprie pertinet, ſemper permaneat. Præterea quod idem Dominus Dux
„ Caſimirus nulla via mundi procurabit ſibi, vel ſuis Ducatum ipſum uſurpare,
„ aut præter noſtram, & ſucceſſorum noſtrorum Regum Hungariæ, hujusque
„ regni voluntatem, apud ſe retinere: deinde, quod ipſum Ducatum nec ra-

(c) Ex Diplomatar. Bohemo-Sileſiaco apud Cl. SOMMERSBERG Tom. I. Scriptor. rer. Sileſiacarum.

1515. „ tioue ſalarii, nec aliorum, quorumcunque debitorum ſuorum, nec etiam
„ quacunque alia ex cauſa, quæ evenire qualitercunque poſſet, ſibi, aut ſuis
„ inſcribi faciet, ſed liberum ut accipiet, tenebitur repetitum libere reſti-
„ tuere.

„ Interea autem temporis, quo illum tenebit, colonos, & alios ſubditos
„ ejusdem Ducatus inſolitis exactionibus, vel abuſivis aliis ſolutionibus non
„ gravabit, neque dabit occaſionem, neque etiam permittet, ut ipſe Ducatus
„ tempore officii ſui, vel a ſuis, vel alienis deſoletur: itemque, quod ſi con-
„ tinget aliquando, ex hoc regno per noſtram Majeſtatem, vel noſtros ſuc-
„ ceſſores, aut per hoc regnum, exercitum, aut copias aliquas quocunque
„ mitti, illis præfatus Dominus Dux Caſimirus per Ducatum ipſum omnem
„ aditum dare, illumque Ducatum patefacere, & illas copias ad caſtra, & per-
„ tinentia ejusdem Ducatus, prout neceſſitas expoſtulaverit, vel a nobis, ſuc-
„ ceſſoribus noſtris, & hoc regno requiſitus fuerit, intromittere, & liberum
„ tranſitum ipſis ſemper dare, & cum eodem toto Ducatu, nobis, ac præfato
„ Domino Ludovico Regi, ejusdemque ſucceſſoribus, ac huic regno Hungariæ
„ ſemper adhærere teneatur. Item, quod caſtellanos, & Præfectos, quos in
„ caſtris, & pertinentiis ipſius Ducatus reliquerit, & collocaverit, ad hoc
„ jurare ſemper faciet, quod illa caſtra, atque Ducatum nobis, & præfato
„ Domino Ludovico Regi, ſucceſſoribusque ſuis Regibus Huugariæ, & huic
„ ipſi regno Hungariæ fideliter conſervabunt. Nec ipſe Caſimirus Dux, aut
„ ſui hæredes aliquem officialem collocabunt, niſi cum ſcitu, & voluntate
„ noſtra, ſucceſſorumque noſtrorum Regum Hungariæ, & hujus regni, hoc
„ etiam adjecto: quod ſi contigeret præfatum Ducatum per aliquos hoſtes
„ obſideri, vel vi, vel potentia, ita, ut illum ab ipſo Domino Duce, vel hæ-
„ redibus ſuis vellent auferre, & idem Dominus Dux, aut hæredes ſui ma-
„ jeſtatem noſtram, aut ſucceſſores noſtros pro auxilio requiſiverint, nos in
„ tali caſu dignabimur eidem cum hoc regno, quo commodius fieri poterit,
„ auxilium præſtare, & emittere, & eundem juvare: illo tamen pacto, &
„ conditione expreſſe declarata, quod ſi divioo voleote judicio, cui nulla hu-
„ mana reſiſtere valet potentia, præfatum Caſimirum Ducem ex hac vita de-
„ cedere contigerit, ex tunc memoratus Wenceslaus, filius ejusdem Ducis,
„ infra unum menſem poſt diem obitus ejusdem Domini genitoris ſui ad
„ noſtram Majeſtatem, vel præfatum Dominum Ludovicum Regem, & Domi-
„ nos hujus regni Hungariæ perſonaliter accedere, & ſi nos, ac dictus Do-
„ minus Rex Ludovicus, hocque regnum Hungariæ, officialatum dicti Du-
„ catus, in manibus ejusdem relinquere, & dimittere voluerimus, ex tunc
„ præmiſſas conditiones in omnibus punctis, clauſulis, & articulis coram no-
„ ſtra Majeſtate, Dominoque Ludovico Rege, ac Dominis hojus regni Hun-
„ gariæ, jurejurando, ac ſub obligamine honoris, & humanitatis ſoæ, ſimili
„ modo acceptare, roborare, & invocare debeat, & teneatur: demumque,
„ quod prælibatus Dominus Dux Caſimirus efficiat, quod penes ſe etiam ſpe-
„ ctabiles, & magnifici Domini, Emericus de Perén, Comes perpetuos Comi-
„ tatus Abaujuarienſis, dicti regni noſtri Huugariæ Palatinus, & Judex Cuma-
„ norum noſtrorum, ac Petrus Comes de Sancto Georgio, & de Bozyn, Ju-
„ dex Curiæ noſtræ, nec non Joannes de Zapolya Comes perpetuus terræ Sce-
„ puſienſis, Vayvoda noſter Tranſilvanus, ac Comes Siculorum noſtrorum, ac
„ Generalis Capitaneus noſtræ Majeſtatis, cum Germano fratre ſoo, Georgio,
„ de prædicto Zapolya, ſimiliter Comite perpetuo ejusdem terræ Scepuſienſis,
„ in prædictas conditiones, nobis, & huic regno per litteras ſigillis ipſorum
„ conſignatas jurent, & promittant, quod idem ſcilicet Dux Caſimirus, ac
„ hæredes, & officiales ſui, ejusmodi conditiones fideliter, & inviolabiliter ob-
„ ſervabunt, & hoc iu eum finem, ut ſicuti hujusmodi officii collatio eſt ex-
„ pers, & vacua omni ſuſpicione mali futuri, ita univerſis Dominis, & regnico-
„ lis hujus regni noſtri Hungariæ magis grata eſſe poſſit, & accepta. Ad quas
„ quidem conditioues, & omnia, quæ in eis contenta ſuut, memoratus

Do-

„ Dominus Dux Caſimirus, viva voce corporaliter coram noſtra Majeſtate jura-
„ vit, & promiſit, imo & mediantibus litteris, ſuo chirographo proprio, &
„ ſigillo authentico ſuo, aſſignatis, quod videlicet in conſervatione, & reſti-
„ tutione prædicti Ducatus ſiue omni dolo, fraude, & calumnia fideliter, ut
„ bonum, & conſtantem Ducem decet, ſeſe obſervare, & ad hæc omnia etiam
„ præfatum filium ſuum Wenceslaum, cunctosque hæredes, & poſteritates ſuas
„ obligabit, ut jurare, & compromittere debeant, & teneantur. Ita damus,
„ & conferimus harum noſtrarum, quibus ſecretum ſigillum noſtrum, quo
„ ut Rex Hungariæ utimur, & appenſum, vigore, & teſtimonio litterarum me-
„ diante. Datum Budæ in feſto Epiphaniarum Domini, anno ejusdem MDXV.
„ regnorum noſtrorum Hungariæ &c. XXV. Bohemiæ vero XLV. „

Rex Poſonium profectus ab Legatis Cæſareis ſalutatur.

Abhinc comparatis ad conventum rebus omnibus, cum de induſtria modicis itineribus proficiſceretur, Poſonium XVIII. Martii cum Ludovico, & Anna tenuit. Comitati Regem fuere præter Archiepiſcopum Colocenſem de Frangepanibus, nam Strigonienſis ſerius poſtea venerat, Georgius Epiſcopus Quinque-Eccleſienſis, regni Cancellarius, Thurſo Olomucenſis, Vacienſis, Jaurinenſis Antiſtites: ex profano ordine: præter Georgium Marchionem Brandeburgicum, Carolum Ducem Munſterbergenſem, exteros, præcipui ex domeſticis Proceribus, Joannes Caniſaius, Joannes Bornemisza, Podmaniczkius, Ambroſius Sarkanyius, Paulus Deakius regni Quæſtor, Országius, ac Petrus Erdődius, qui incredibili fide, & conſtantia Regis dignitatem contra omnes æmulorum conatus tuebantur. Gurcenſis, ubi Regem Poſonium veniſſe comperit, Legatos Marquardum Steinium, Præpoſitum Bambergenſem, Joannem Mraxium, Cuſpinianum, & Wolffgangum Hemerleum Cæſaris Secretarium miſerat, qui & officii cauſa Regem, ac liberos ejus ſalutarent, & quem ſibi diem Rex præſtitueret, quo Poſonii Wladislao congrederetur, referrent.

Regi Poloniæ cum ſuis obviam fit.

Acceptis comiter Legatis nihil de die viſum eſt conſtituere, donec Sigismundus, qui facto per Sileſiam, ac Moraviam itinere, Tirnaviam urbem jam attigerat, Poſonium quoque veniret. Miſſi continuo obviam ſunt, qui venientem deducerent, Georgius Quinque-Eccleſienſis Epiſcopus, & Georgius Marchio Brandeburgenſis, utriusque Regis ex Sophia ſorore nepos. (*d*) *Cum is mille fere paſſus abeſſet* (ut memorat Ricardus Bartolinus, qui rebus plerisque interfuit, ac poſtea de conventu Hodeporicon conſcripſerat) *Rex Wladislaus, Ludovicusque, pater, & filius, eſſeda, ut venientem exciperent, vecti ſunt extra urbem. Pater, qui jam ſenio confectus eſt, in curuli ſella permanſit, filius equum aſcendit, priorque obviam ſeſe obtulit. Sed antequam alter alterum alloqueretur, aberant adhuc longe, ex equis deſilierunt, multisque paſſibus, pedibus profecti ſunt, cocuntes tam arcte ſeſe invicem complecti videbantur, ut maximam omnibus pietatem palam præſeferrent. Inde ad ſeniorem Regem junctim perrexere. Is ſilicernius admodum ex geſtatoria ſella, quam inſidebat, fratrem ad ſe cum filio adventantem exſpectabat. Cum adfuit, Dii boni! qui amplexus, quæ gaudia fuerunt, quæ lacrimæ, non ſeni modo, verum & omnibus, qui aderant, exciderunt. Nemo enim homo, qui trium potentiſſimorum Regum præſentia non obſtupeſceret, tamque arctis complexibus fratrum pietatem animo complectens, non lacrimoretur. Urbem autem ingreſſi ſic ferantur. Rex ſenior eſſedo vectus eſt, frater, & filius Reges ante equis vehebantur, habitus diverſiſſimi erant. Sarmatæ enim, Moſci, Rutheni, Myſii, Lithuani, ſuis quisque paludamentis ornatus, aut anteibant, aut ſequebantur, alii penaculis ingentibus, alii infulis vinarii quaſi inſtar, comti procedebant. Equorum Scythicorum, quique ex Moeſia adveheuntur, vis ingens: qui precioſe phalerati, margaritisque referti, ſaltabundi ducebantur, major tamen ornatus iis in pectoralibus cernebatur, quæ vel aurea erant, vel argentea: item focalia, quæ ſecundum aures utrinque per maxillas ad faucium ima circumducebantur, mira, medius fidius, arte concinnata, equites mille, & quingentos fuiſſe tradunt.* Fuere præterea in eo comitatu, teſte Cuſpi-

(*d*) In Hodeporico ſuo Tom. II. Script. rer. Germ. FREHERI.

1515. niano, qui pompæ itidem ſpectator aderat, captivi Turci, & Tartari, ex feliciter confectis prælüs in triumphum ducti, *cum multis tibicinibus, qui tubas amplas ſonoras, & a noſtris diſſonas, non ſine horrore ſtridentes, ut in magno æſtu ſolent veſpæ, & crabrones, inſlabant. Erat & Turcus quidam cum Tibia, qui nobis inauditam harmoniam, & auribus noſtris inacceptam edebat, cum puero tympanum ambabus violenter manibus percutiente - - -. Erat ſecum magna nobilitas, qui partim in equis anteibant deaurati, & torquibus aureis redimiti, partim peditibus ipſum cingebant, equo inſidentem, & veſte purpurea amictum: Vayvoda Valachiæ; Dominus Nicolaus Virla Palatinus Sandomirienſis, Nicolaus Palatinus Vilnenſis, Palatinus Lublienſis, Andreas Cancellarius Sidloviczky, Nicolaus Palatinus Margburgenſis, Theſaurarius, Andreas Coſtiliczky, Dominus Lucas Capitaneus Poloniæ, Dominus Raphael, & multi alii inſignes, & viri egregii utriusque ordinis: comitabantur vero illum tres Epiſcopi: Mathias Wladislavienſis, trium Regum, Alberti, Alexandri, & Sigiſmundi olim Cancellarius, Joannes Bosnaienſis, & Petrus Premislienſis, cum Præpoſitis, Secretariis, & aliis Prælatis. Durabat hic ingreſſus ab octava, usque ad primam horam: nam ſumma mane ingrediebantur currus, qui feruntur fuiſſe pene quingenti, in quibus quandoque quatuor nivei equi, quandoque rubei, quandoque alterius coloris, nunc ſex, nunc octo in eodem curru vehebantur, immixtæ erant & bigæ, licet paucæ erant.* (e)

Hunc mox Gurcenſis Cardinalis conſequitur magna pompa acceptus.

Hæc vigeſima quarta Martii evenerant. Poſtridie Legati ad Gurcenſem Cardinalem Viennam remiſſi, qui eum, ſi venire vellet, Regum nomine invitarent. Ille non diu moratus, cum ſplendidiſſima clientum, ac familiarium caterva ſecundo Danubio Hamburgum, id in Auſtria proximum euntibus in Hungariam oppidum eſt, prætervectus, V. Calendas Apriles Poſonium venit. *Cui omnis multituda obviam egreſſa ripam Danubii ita adimplevit, ut eques vix ſubſiſtere poſſet. Inceſſit ipſe in habitu Cardinalium, quem Archiepiſcopus Colocenſis, Gregorius Comes de Frangepanibus, regni Hungariæ Cancellarius, in latere Regis Ludovici, obviam Cardinali nomine patris, & patrui miſſi, benigna, & pulchra oratione ſuſcepit. Ipſe vero Cardinalis humaniſſime reſpondit. Aderant hic utriusque Regis Proceres, & conſiliarii, Epiſcopi, & Nobiles, ac ſumma cum honore ipſum quam honorificentiſſime, usque ad hoſpitium conduxerunt, cum ingenti tubarum ſonitu, ac plauſu.* (f)

Ac poſtea Cardinalis Strigonienſis.

Thomas Cardinalis Strigonienſis, ſive de induſtria ob aliquam dignitatis æmulationem, ſeu itineris cauſa, poſtridie in urbem venit. *Cui & Dominus Cardinalis Gurcenſis cum omni curia ſua, ducabat autem electam nobilitatem Auſtriæ, & Stiriæ, & utriusque Regis Proceres occurrebat. Ipſe ſexingentos habuit equos, demtis curribus: magnæ undique factæ ſunt ceremoniæ, quandoquidem major pars omnis ætatis humanæ in iis conteritur. Occurrebat & clerus cum pueris, & reliquiæ Sanctorum deferebantur obviam, tamquam Metropolitano.* (g)

Gurcenſis ſalutato Rege,

Altero ab adventu die, Gurcenſis, ne quid officiorum Cæſaris nomine omitteret, *ad viſendum Wladislaum Pannoniæ Regem, qui podagricus - - - in lectica jacebat, - - cum omnibus aulicis, qui & torquibus aureis, & veſtimentorum ornatu elegantiſſimi erant, proficiſcitur: quocum ſine arbitris cum aliquamdiu fuiſſet, nobis etiam aditus* (ut rurſum Bartolinus ſcribit) *ut tantum Principem videremus, conceſſus fuit. Facies venerabilis ultra modum eſt, rubicunda paululum, tantaque in eo gravitas, ut, ſi tantum virum minime noſceres, regiam in eo Majeſtatem omnino arbitrareris. Ut ſatis ſpectando ſumus exhilarati, diſceſſimus. Gurcenſis ad Annam Reginam Wladislai filiam, in Regia enim domo morabatur, conceſſit: puella eſt annorum fere tredecim, flos ipſe eximiæ pulchritudinis. Gurcenſis cum paulo longius cum filia, quam cum patre, quis enim diem anna longiorem non aptaſſet, moram traxiſſet, domuitionem tandem capeſſimus. Perendie Sarmatiæ Regem adiit, qui, ut Gurcenſis adventum intellexit, ad Regiæ fores proceſſit, venientemque, humana, ut eſt, vultu, gravique excepit. Inde in aula publice Cæſareæ literæ recitatæ ſunt: Epiſcopus Premislienſis Vice-Cancellarius legit; nomina quoque Legatorum, qui una cum Gurcenſi erant, recitata: Marquardus Præpoſitus Bambergenſis, Wil-*

(e) Cuspinianus in Diario de congreſſu Maximiliani I. & trium Regum Hungariæ, Bohemiæ, & Poloniæ.

(f) Idem ibidem.

(g) Idem ibidem.

Wilhelmus de Rogendorff, Laurentius Saurer, Gabriel Foſt, Maraſca, Cuſpinianus: bis peractis, tempus, ut ſecretius loquerentur, deſtinaverunt. (b)

Rem, cujus cauſa venerat, coacto ſenatu proponit.

Peracto mutuæ ſalutationis officio, placuit rem, cujus cauſa conventus indictus eſſet, ordiri. Viſum eſt ab ſacris initium capere. Itaque Thomas Cardinalis poſtridie Palmarum miſſam de ſpiritu ſancto dixit; ab cujus fine admonita eſt plebs per ſuffraganeum Strigonienſem, ut devotiſſime pro concordia Cæſaris, & Regum, Deo ſupplicarent, lingua Latina, Hungarica, Bohemica, & Alemannica, pronunciatæ ſunt interim indulgentiæ plenariæ. (i) Abhinc conſultationes in ea, quam Wladislaus colebat, domo, diligenter cœptæ: ad quas, cum in principio promiſcue adeundi copia eſſet facta omnibus, qui ex Procerum ordine fuiſſent, plerisque viſum eſt, *rem eſſe moroſam, in tanta multitudine* per tot ſuffragia eſſe conſulendum: redigunt itaque ad *minorem numerum*, ut Cuſpinianus refert, *ſingulorum Regum conſiliarios: & Dominus Cardinalis Gurcenſis accipit ſecum Conſiliarios Cæſaris, Dominum Janum Mraxi, Laurentium Saurer, Vice-Dominum Auſtriæ; Cuſpinianum Doctorem, & Gabrielem Vogt, Secretarium Cæſaris: nomine vero Regis Hungariæ, erat Cardinalis Strigonienſis, Archi-Epiſcopus Colocenſis, Epiſcopus Quinque-Eccleſienſis: Rex autem Poloniæ miſit, Petrum Epiſcopum Premislienſem, Chriſtophorum Sidloviczky Cancellarium, & Palatinum Vilnenſem Nicolaum. Hi, quoties articuli propoſiti fuerunt, referebant ad reges, ſed plene concordari non poterant, licet plerosque dies conſumerent, & conſilium in tertiam usque horam poſt meridiem ſæpius protraherent. - - - Concluſerunt interim quædam eſſe renuncianda Cæſari; & ideo data, & accepta ſalute cum ſumma reverentia, poſt exhibita munera Regia, Cardinalis Gurcenſis Poſonium relinquit.* (k) Sed prius urbem, quam ſalutis Regibus deſereret, *VI. idus Aprilis, cum Dominicæ reſurrectionis dies illuxiſſet, ad ſacrum profecti ſunt. Wladislaum Regem ſella vectum, frater, & filius, Sarmatiæ, & Bohemiæ Reges, & Anna Regina pone ſequebantur: Gurcenſis propter ſellam incedebat. Intra templum ita conſederunt: Wladislaus primus ſedebat, ſecundus Sigismundo Regi, tertius Annæ Reginæ, quartus Ludovico Regi locus datus; longoque intervallo Prælati ordinatim conſiſtebant: e regione Gurcenſi, Georgio Duci Brandeburgenſi, Archiepiſcopo Colocenſi, Epiſcopis Quinque-Eccleſienſi, Acerrano, Vacienſi, & plerisque aliis locus ſignatus eſt. Pulcherrimum profecto tot Regum ſimul, tot Principum, Ducum, Procerum, ac magnorum virorum tum ſpectaculum, tum pompa, cultusque perecelebris videbatur. Quæ ſi mihi* (Bartolini rurſum verba ſunt) *relata aliunde fuiſſent, minime ædepol crediſſem, tamen majora fuerunt, quam ut a me ſcribi poſſint. Peractis Sacris viri nobiles ex aulicis noſtris, a tribus regibus aurati, ut ajunt, equites creati ſunt, Joannes Schenk Curiæ Præfectus, Joannes Langus, Gurcenſis frater, ſimulque duo, Epiſcopi Salczburgenſis affines.* (l)

Et Viennam redit.

Inde Nuncios ad Cæſarem Auguſtam Vindelicorum mittit.

Cardinalis, muneribus, ut dictum eſt, ab utroque Rege donatus, Viennam contendit, atque iſthinc Rogendorffium cum Saurero Auguſtam Vindelicorum ad Cæſarem properare juſſit, qui, quid Poſonii transactum eſſet, & in quo res hæreret, ex ordine referrent, ſique novis mandatis opus eſſet, iis ab Maximiliano acceptis reditum maturarent. Fama enim percrebuerat, Carolum Archiducem Auſtriæ, Ferdinandi fratrem, volentibus ita Belgis, Galliarum Regis filiam connubio ſibi juncturum; quod ſi eventu firmaretur, rerum in conventu agendarum rationes haud modice conturbari opportebat. Cum igitur nova Gurcenſis ab Cæſare mandata Viennæ exſpectat, Poſonium pridie calendas Majas ſubito, & atroci incendio correptum magnam partem conflagravit: Wladislai hoſpitium ſuorum incuria, magno rerum, quæ ſubduci flammis non poterant, damno exuſtum, quod a plerisque ominis inſtar, conventum infeliciter Regi caſurum, in vulgo acceptum, obtrectationibus locum præbuit. Sigismundi ædes Polonorum virtute ſervata eſt, qui cum civibus ſubſidio etiam veniſſent, ægre ſuffocato per biduum incendio, quod reliquum urbis erat, intactum ab igne ſervarunt. Reges ad arcem, quæ colli urbem cominus deſpicienti impoſita eſt, confugere.

Poſonii incendium ægre ſopitum.

(*b*) In ſuo Hodeporico.
(*i*) Cuspinianus loco laudato.
(*k*) Idem ibid.
(*l*) Idem ibid.

1515.

Gurcenſis acceptis a Cæſare mandatis Poſonium revertitur.

Hæc inter reverſis ab Cæſare Legatis, nihil morandum ratus Gurcenſis, rurſum ſecundo Dannbio quinto idus Majas Poſonium appulit, ut, quæ de mutuo utrinque matrimonio, ac fœderibus conficieodis infecta fuiſſent, cum Regibus tranſigeret, *ſeptem hinc diebus ardue diſputatum, & tractatum eſt de ſingulis, & mature omnia deliberata ſunt, in articulos redacta, & ſcripta, ac ultro, citroque penſitata. Nunc enim conſiliarii utriusque Regis in hoſpitio Cardinalis tractaverunt, & conſultarunt, nunc vero Cardinalis Regem Poloniæ adiit, & ſecretius quædam, amotis arbitris, tractavit; nunc viciſſim Dominum Cardinalem de ſuis negotiis ſollicitant, nulla quies, nullum ocium, omnia labore plena erant. Vigeſima Maji mane a ſeptima hora usque in primam poſt meridiem uterque Rex, cum duobus Cardinalibus, & Conſiliariis deliberarunt, & deliberatis omnibus, in præſentia Conſiliariorum Cæſaris, & amborum Regum articulos legi fecerunt, qui fuerant ipſorum manibus ſubſcripti, & ſigillis muniti, cum omni favore, & plauſu.* (*m*) Porro fœderis tabulæ ad ineundum utrinque matrimonium confectæ ita habebant. (*n*)

Et cum Wladiſlao de mutuo utrinque matrimonio in hac capita tranſigit.

„ Nos Wladislaus Dei gratia Rex Hungariæ, & Bohemiæ &c. Et nos
„ Matthæus miſeratione divina Sancti Angeli Diaconus Cardinalis Gurcenſis,
„ Coadjutor Salzburgenſis, ſacratiſſimi Principis, & Domini, Domini Maximiliani
„ Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, in Italia locum tenens generalis,
„ & ad infra ſcripta mandatarius, & procurator ſpecialis, recognoſcimus, &
„ tenore præſentium profitemur. Quod nos volentes utilitati, ſtabilimento,
„ & propugnationi reipublicæ Chriſtianæ, quam infideles hoſtes opprimere,
„ labefactareque undique moliuntur, conſulere: ad laudem in primis Omni-
„ potentis Dei, deinde pro ſecuro, quieto, ac pacifico ſtatu regnorum, pro-
„ vinciarumque noſtrarum, ultra conjunctionem, & vinculum veteris amicitiæ,
„ & fraternitatis noſtræ ad novam quamdam inviolabilem, & indiſſolubilem
„ concordiam. atque unionem devenimus, ſecundum articulos infra ſcriptos,
„ eum, qui ſequitur, tenorem continentes. In primis, quod in conventu
„ ſacratiſſimi Cæſaris, & ſereniſſimorum Hungariæ, Bohemiæque, ac Poloniæ
„ Regum, contrahantur ſponſalia in utroque matrimonio per verba de futuro inter
„ liberos Cæſaris, & Regis Hungariæ inſequendo tenorem litterarum, alias ema-
„ natarum, cum ſolennitatibus convenientibus, ſicut videbitur, & ſint partes
„ ad mutuam, ſeu reciprocam obſervantiam illorum contractuom, ſub certa
„ pœna, ſicut concordabitur, adſtrictæ, & Cæſar promittat illa ſponſalia no-
„ mine, & vice Domini Ferdinandi, nepotis ſui cum Domina Anna, ſub pro-
„ miſſione competenti, & ſufficienti; quod idem Ferdinandus in ſpacio unius
„ anni proximi, a die contractus ſponſaliorum perſonaliter, vel per ſufficien-
„ tem procuratorem, hanc promiſſionem ſuæ Cæſareæ Majeſtatis ratificabit,
„ & contrahet per verba de præſenti, quod Cæſar promittat, quod ſi in præ-
„ fato termino non ſequatur hæc ratificatio, quod ex tunc ipſamet Majeſtas ſua
„ contrahet nomine proprio per verba de præſenti cum præfata Domina Anna:
„ ſereniſſimi Cæſar & Rex Hungariæ, & Bohemiæ in ſpacio prædicti unius
„ anni inter ſe concordabunt, de tempore conſummationis matrimoni præfati
„ per copulam. Quod Domina Anna in conventu Cæſaris, & Regum, rebus
„ iſtis omnibus concluſis, & perfectis, conſignetur ad manus Cæſaris edu-
„ canda, & nutrienda in Auſtria, una cum filia Cæſaris, Domina Maria usque ad
„ matrimonii conſummationem. Cæſar obliget ſe, quod ſi contractos prædictus
„ in prædicto tempore effectum non ſortiretur, quod pro pœna ſolvatur, illu-
„ ſtriſſimæ Dominæ Annæ, ac ſereniſſimo Domino Wladislao Hungariæ, &
„ Bohemiæ Regi, ejusque illuſtriſſimo filio, Domino Ludovico, ſive Hungariæ,
„ & Bohemiæ regnis ſumma trecentorum millium florenorum Hungaricalium,
„ & pro ſecuritate illius pecuniæ, Cæſar nunc in conventu in præſentia am-
„ borum Regum, vel deputatorum ſuorum conſignet, & impignoret, fere
„ omnia ſua jocalia patrimonialia, quæ ſecundum juſtam æſtimationem aſcen-

dunt

(*m*) Cuspinianus in Diariò. (*n*) Ex Tabul. Auguſt. Domus.

„ duut ad valorem unius millionis auri, & deponet illa apud provinciales Au- 1515.
„ ſtriæ, & quod iidem provinciales Auſtriæ, apud quos illa jocalia deponen-
„ tur, dent prædictæ Dominæ Annæ, ac ſereniſſimis Regibus, ac regnis præ-
„ dictis, deſuper ſufficientes, & convenientes litteratorias cautiones, & obli-
„ gationes; ſub illa tamen conditione, & ea lege, quod eadem jocalia per Cæ-
„ ſarem, aut ſuos hæredes, contra prædictam ſummam trecentorum millium
„ florenorum Hungaricalium redimi poſſint: & etiam, quod ſequuto contractu
„ per verba de præſenti ceſſet, & caſſata ſit præſens obligatio, & pœna; hoc
„ expreſſe declarato, quod ad inviolabilem obſervationem hujus obligationis,
„ Prælati, Comites, Barones, liberi Domini, Nobiles, civitates, omnesque
„ ſtatus, & ordines provinciæ Auſtriæ, ſub fidei, honorisque eorum obliga-
„ tione, & ſolutione, ejuscemodi ſummæ prædictorum trecentorum millium
„ florenorum Hungaricalium, in forma Cameræ Apoſtolicæ, quæ hic pro ſuffi-
„ cienter expreſſa, & declarata intelligatur, & aliis cenſuris Eccleſiaſticis, ſe
„ arctiſſime juramento etiam præſtito adſtringant: & quod Cæſar omnes præ-
„ dictos ſtatus, & ordines in hoc caſu duntaxat ab omni obligamine ſubjectionis,
„ fidelitatis, & obedientiæ, ſibi, & hæredibus ſuis debitæ abſolvat, & liberos
„ eſſe, & fore ad obſervandam præſcriptam obligationem in omnibus ejus pun-
„ ctis, & articulis pronunciet: & quod iidem Provinciales non poſſint ſolutio-
„ nem hujusmodi trecentorum millium florenorum Hungaricalium ultra bien-
„ nium differre, ſed expleto biennio, mox infra unum menſem vel ſummam
„ præſcriptorum trecentorum millium florenorum Hungaricalium, vel ipſa jo-
„ calia integre, & absque omni diminutione, manibus præfatæ illuſtriſſimæ
„ Dominæ Annæ, & ſereniſſimorum Hungariæ, & Bohemiæ Regum, regnorum-
„ que ſuorum præfatorum, vel aliorum per prædictas Majeſtates, & earum
„ regna ad hoc ſpecialiter deputandorum, in arce Poſonienſi tradere, & conſi-
„ gnare debeant, & teneantur, omni dolo, fraude, & quavis machinatione
„ ſiniſtra procul ſemotis; ſub conditione tamen redimendi; ita, ut qui vel pe-
„ cunias, vel jocalia in hoc caſu ad arcem Poſonienſem perferent, ſive fuerint
„ pedites, ſive equites, numerum ducentarium non excedant. Item moriente
„ ſponſo, ſive is ſponſus fuerit Dominus Ferdinandus, ſive Cæſar, poſt con-
„ tractum matrimonium per verba de præſenti, ante copulam, ſeu conſumma-
„ tionem matrimonii ſolventur Dominæ Annæ centum millia florenorum Hun-
„ garicalium in ſpacio unius anni, tunc proxime futuri, aut ſi ſolutio iſta in
„ præfato tempore non fieret, conſignentur præfatæ Dominæ Annæ certa joca-
„ lia Cæſaris, valoris centum millium florenorum Hungaricalium, juſto, & ve-
„ ro precio æſtimata, cum conditione tamen redimendi, & hoc litteris ſufficien-
„ tibus, atque opportunis illorum, apud quos jocalia Cæſaris deponentur, ca-
„ veatur, ita videlicet, ut ad obſervationem hujus articuli, & ſolutionem ſum-
„ mæ prædictorum centum millium florenorum Hungaricalium iidem Provin-
„ ciales Auſtriæ apud nos talia jocalia Cæſaris, ut præmiſſum eſt, deponentur,
„ ſint per omnia obligati, ut ſuperius latius declaratum eſt in articulo, in quo
„ facta eſt mentio de trecentis millibus florenis Hungaricalibus in caſu repudii,
„ hoc tamen adjecto, ut in hujusmodi caſu, quo ante copulam, vel conſumma-
„ tionem matrimonii ſponſum decedere contingeret, iidem Provinciales ipſam
„ Dominam Annam cum omni honeſtate, ſalvis perſonis, & omnibus rebus
„ ipſius Dominæ Annæ, & omnium ſuorum ad regna paterna, Poſonium vide-
„ licet, vel Znoymam pro arbitrio prædictarum Majeſtatum reducere debeant,
„ & teneantur, prædicta tamen ſumma eidem prius plene, & realiter in arce
„ prædicta Poſonienſi modo præmiſſo perſoluta. Item quod Dominæ Annæ
„ ducenta millia ducatorum loco dotis inſcribentur, hæc tamen dos tempore
„ conſummationis matrimonii non perſolvatur, ſed differatur illius ſolutio ad
„ illud tempus, quo Dominus Rex Ludovicus cum Domina Maria conſumma-
„ bit, quo facto, dos dotem compenſabit, & utraque hoc pacto tolletur, ita,
„ ut nec regnum Hungariæ, Bohemiæque, nec dominium Auſtriæ ſummam
„ hujusmodi ducentorum millium florenorum perſolvere debebit, nihilominus

1515. „ tamen donatio propter uuptias, ſeu contrados ambabus ſponſabus, utrinque
„ ad vitam earum aſſignetur, & aſſecuretur, hoc pacto, nt reditus annui vi-
„ ginti millium, vel viginti quinque millium florenorum Hungaricalium, loco
„ donationis propter nuptias conſignentur ſuper bonis convenientibus, & ante
„ hac in hujusmodi donationc propter nuptias aſſignari ſolitis: quæ bona ex
„ nunc nominentur, hoc eſt, caſtra, civitatesque, & alia bona, ex quibus
„ hujusmodi ſumma annui reditus, in juſtis, & ordinariis proventibus pro-
„ venire poſſit. Simili modo in matrimouio Regis Ludovici, & Dominæ Ma-
„ riæ circa dotem, & donationem propter nuptias obſervetur, videlicet: Do-
„ minæ Mariæ duecnta millia ducatorum pro dote ex partc Cæſareæ Majeſtatis
„ exhibeantur, & tantum de reditibus ſuper bonis convenientibus contradotem
„ illi aſſecurcutur. Si tamen una ſponſa antc aliam moreretur antc matrimonii
„ conſummationem, nihilominus huic, quæ ſuperſtes fuerit, ſequuta copula
„ loco dotis ducenta millium ducatorum perſolvi debebunt. Item ſi contingat
„ poſt copulam ipſum maritum obirc ſine hæredibus ex una, vel altera upta-
„ rum, & relicta nxor volucrit tranſire ad vota ſecnnda, nec forct illi integrum,
„ cum hujusmodi ſtatu ſibi ordinato, quacunquc ex cauſa novo marito ſe con-
„ jungere, tunc ei perſolvatur ratione dotis ſumma præſcriptorum ducentorum
„ millium florenorum, cujus proviſione & pari nuberc, & cum dignitate vi-
„ tam agere poſſit. Item quod ſereniſſimus Rex Poloniæ per litteras ſuas in
„ meliori forma ad manutcnendum, & cum aliis clauſulis opportuois omnia ſu-
„ pra dicta approbet, & ratificet. Quos quidem articulos matura inter nos
„ deliberationc præhabita, nos prædictus Wladislaus Rex Hungariæ nomine
„ proprio pro nobis, & liberis noſtris: & uos Matthæus Cardinalis Gurcenſis
„ nomine præfatæ Cæſareæ Majeſtatis, pro eadem Majeſtatc, & nepotibus ſuis,
„ acceptavimus, approbavimus, & ratificavimus, & eosdem in omnibus eo-
„ rum punctis, nos prædictus Wladislaus Rex Hungariæ in vcrbo noſtro Regio,
„ nos vero Matthæus præfatus Cardinalis Gurcenſis ſub bona fidc, in perſona,
„ nomine Cæſareæ Majeſtatis, ſancte, & inviolabiliter obſervarc promiſimus,
„ imo acceptamus, approbamus, ratificamus, & promittimus præſentium per
„ vigorem. Qui quidem articuli, acti, concordati, proloquuti, & concluſi
„ ſunt inter nos in præſentia ſereniſſimi Principis, & Domini Sigismundi, Po-
„ loniæ Regis, & conſiliariorum Cæſareæ Majeſtatis, ac noſtrorum, hoc eſt,
„ Hungariæ, nec non Polouiæ Regnm præfatorum. In quorum fidem, & te-
„ ſtimonium, uos præfatus Wladislaus Rex Hungariæ ob chyragram manu fra-
„ ternæ Majeſtatis præfati ſereniſſimi Domini Regis Poloniæ, loco, & vice no-
„ ſtri præſentcs litteras ſubſcribi fecimus: uos vero præfatus Matthæus Cardina-
„ lis Gurcenſis propria manu ſubſcripſimus, & easdem litteras ſigillis, ac ſigne-
„ tis uoſtris conſuetis communivimus. Datum Poſonii, XX. die Maji, anno
„ Domini MDXV.

Quæ Sigismundus quoque Regis frater confirmat.

Hactenus tabnlæ: quarum vadimonium cum Sigismundus ſe receptu-
rum pollicitus eſſet, eodem dic pacta conventa, ſuo itidem nominc in hæc ver-
ba firmavit: (*o*)

„ Sigismundus Dei gratia Rex Poloniæ, magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ,
„ Pruſſiæque &c. Dominus, & hæres, tenore præſennium profitemur, & no-
„ tum facimns nniverſis. Quod inter ſereniſſimos Principes, & Dominos, Do-
„ minum Maximilianum, Divina favente clementia, Romanorum Imperatorem
„ ſemper Auguſtum &c. & Wladislaum, Hungariæ, Bohemiæque &c. Regem,
„ fratres noſtros chariſſimos, in iſto conventu Poſonienſi, prolocuta, & concluſa
„ fucruut duplicia matrimonia, utrinque inter eorum liberos, ſcilicet ſereniſſimi
„ Regis Ludoviei, cum Domina Maria, & Principis Ferdinandi cum Domina Anna,
„ ſtatim in conventu alio noſtro propediem futuro, latius expedienda, juxta
„ quosdam articulos deſuper proloeutos, & confectos, quorum tenor, ut ſequi-
tur,

(*o*) Exſtant in eodem Tabular. Auguſtæ Domus.

„ tur, eſt talis. Item quod in conventu ſacratiſſimi Cæſaris, & ſereniſſimorum
„ Hungariæ, Bohemiæque, & Poloniæ Regum, contrahantur ſponſalia in utro-
„ que matrimonio, per verba de futuro, inter liberos Cæſaris, & Regis Hun-
„ gariæ, inſequendo tenorem litterarum alias emanatarum, cum ſolennitatibus
„ convenientibus, ſicut videbitur, & ſint partes ad mutuam, ſeu reciprocam
„ obſervantiam illorum contractuum ſub certa pœna, ſicut concordabitur, ad-
„ ſtrictæ. Et Cæſar promittat illa ſponſalia nomine, & vice Domini Ferdinandi
„ nepotis ſui cum Domina Anna, ſub promiſſione competenti, & ſufficienti,
„ quod idem Ferdinandus in ſpacio unius anni proximi, a die contractus ſpon-
„ ſaliorum, perſonaliter, vel per ſufficientem procuratorem, hanc promiſſionem
„ ſuæ Cæſareæ Majeſtatis ratificabit, & contrahet per verba de præſenti. Item
„ Cæſar promittat, quod ſi in præfato termino non ſequatur hæc ratificatio,
„ quod ex tunc ipſamet Majeſtas ſua contrahet nomine proprio per verba de
„ præſenti, cum præfata Domina Anna. Sereniſſimi Cæſar, ac Rex Hungariæ,
„ & Bohemiæ in ſpacio prædicti unius anni inter ſe concordabunt de tempore
„ conſummationis matrimonii præfati per copulam. Item quod Domina Anna
„ in conventu Cæſaris, & Regum, rebus iſtis omnibus concluſis, & perfectis,
„ conſignetur ad manus Cæſaris, educanda, & nutrienda in Auſtria, una cum
„ filia Cæſaris Domina Maria usque ad matrimonii conſummationem. Cæſar
„ obliget ſe, quod, ſi contractus prædictus in prædicto tempore effectum non
„ ſortiretur, quod pro pœna ſolvatur illuſtriſſimæ Dominæ Annæ, ac ſereniſſi-
„ mo Domino Wladiſlao Hungariæ, & Bohemiæ Regi, ejusque illuſtriſſimo fi-
„ lio, Domino Ludovico, ſive Hungariæ, & Bohemiæ regnis, ſumma trecen-
„ torum millium florenorum Hungaricalium : & pro ſecuritate illius pecuniæ
„ Cæſar nunc in conventu, in præſentia amborum Regum, vel deputatorum
„ ſuorum conſignet, & impignoret fere omnia ſua jocalia patrimonialia, quæ
„ ſecundum juſtam æſtimationem aſcendant ad valorem unius millionis auri, &
„ deponet illa apud Provinciales Auſtriæ, & quod iidem Provinciales Auſtriæ,
„ apud quos illa jocalia deponentur, dent prædictæ Dominæ Annæ, ac ſereniſ-
„ ſimis Dominis Regibus, ac regnis prædictis deſuper ſufficientes, & conve-
„ nientes litteratorias cautiones, & obligationes ſub illa tamen conditione, &
„ ea lege, quod eadem jocalia per Cæſarem, aut ſuos hæredes, contra prædi-
„ ctam ſummam trecentorum millium florenorum Hungaricalium redimi poſ-
„ ſint, & etiam quod ſecuto contractu per verba de præſenti ceſſet, & caſſata
„ ſit præſens obligatio, & pœna, hoc expreſſe declarato, quod ad inviolabilem
„ obſervationem hujus obligationis, Prælati, Comites, Barones, liberi Domini,
„ Nobiles, civitates, omnesque ſtatus, & ordines provinciæ Auſtriæ, ſub fi-
„ dei, honorisque eorum obligatione, & ſolutione ejuscemodi ſummæ prædi-
„ ctorum trecentorum millium florenorum Hungaricalium, in forma cameræ
„ Apoſtolicæ, quæ hic pro ſufficienter expreſſa, & declarata intelligatur, & aliis
„ cenſuris Eccleſiaſticis, ſe arctiſſime, juramento etiam præſtito, adſtringant.
„ Et quod Cæſar omnes prædictos ſtatus, & ordines in hoc caſu duntaxat, ab
„ omni obligamine ſubjectionis, fidelitatis, & obedientiæ, ſibi, & hæredibus
„ ſuis debitæ abſolvat, & liberos eſſe, & fore ad obſervandam præſcriptam ob-
„ ligationem, in omnibus ejus punctis, & articulis pronunciet : & quod iidem
„ Provinciales non poſſint ſolutionem hujusmodi trecentorum millium floreno-
„ rum Hungaricalium ultra biennium differre, ſed expleto biennio, mox infra
„ unum menſem, vel ſummam præſcriptorum trecentorum millium florenorum
„ Hungaricalium, vel ipſa jocalia integre, & absque omni diminutione, mani-
„ bus præfatæ illuſtriſſimæ Dominæ Annæ, & ſereniſſimorum Hungariæ, &
„ Bohemiæ Regum, regnorumque ſuorum præfatorum, vel aliorum per præ-
„ dictas Majeſtates, & earum regna ad hoc ſpecialiter deputandorum, in arce
„ Poſonienſi tradere, & conſignare debeant, & teneantur, omni dolo, & frau-
„ de, & quavis machinatione ſiniſtra procul ſemotis, ſub conditione tamen re-
„ dimendi, ita, ut qui vel pecunias, vel jocalia in hoc caſu ad arcem Poſonien-
„ ſem perferent, ſive fuerint equites, ſive pedites, numerum ducentarium

1515. „ non excedant. Item moriente ſponſo, ſive is ſponſus fuerit Dominus Ferdi-
„ nandus, ſive Cæſar poſt contractum matrimonium per verba de præſenti,
„ ante copulam, ſeu conſummationem matrimonii ſolventur Dominæ Annæ
„ centum millia florenorum Hungaricalium in ſpacio unius anni, tunc proxi-
„ me futuri, aut ſi ſolutio iſta in præfato tempore non fieret, conſignentur præ-
„ fatæ Dominæ Annæ certa jocalia Cæſaris, valoris centum millium florenorum
„ Hungaricalium, juſto, & vero precio æſtimata, cum conditione tamen redi-
„ mendi, & hoc litteris ſufficientibus, atque opportunis illorum, apud quos
„ jocalia Cæſaris deponentur, caveatur, ita videlicet: ut ad obſervationem hu-
„ jus articuli, & ſolutionem ſummæ prædictorum centum millium florenorum
„ Hungaricalium iidem provinciales Auſtriæ, apud quos talia jocalia Cæſaris,
„ ut præmiſſum eſt, deponentur, ſint per omnia obligati, ut ſuperius latius
„ declaratum eſt in articulo, in quo facta eſt mentio de trecentis millibus flore-
„ norum Hungaricalium in caſu repudii, hoc tamen adjecto, ut in hujusmodi
„ caſu, quo ante copulam, vel conſummationem matrimonii ſponſum decede-
„ re contingeret, iidem Provinciales ipſam Dominam Annam cum omni hone-
„ ſtate, ſalvis perſonis, & omnibus rebus ipſius Dominæ Annæ, & omnium
„ ſuorum, ad regna paterna, Poſonium ſcilicet, vel Znoymam pro arbitrio
„ prædictarum Majeſtatum reducere debeant, & teneantur, præſcripta tamen
„ ſumma eidem prius plene, & realiter, in arce Poſonienſi prædicta, modo
„ præmiſſo perſoluta. Item, quod Dominæ Annæ ducenta millia ducatorum,
„ loco dotis inſcribentur, hæc tamen dos tempore conſummationis matrimonii
„ non perſolvatur, ſed differatur illius ſolutio ad illud tempus, quo Dominus
„ Rex Ludovicus cum Domina Maria conſummabit, quo facto dos dotem com-
„ penſabit, & utraque hoc pacto tolletur, ita, ut nec regnum Hungariæ, Bo-
„ hemiæque, nec dominium Auſtriæ ſummam hujusmodi ducentorum millium
„ florenorum perſolvere debebit, nihilominus tamen donatio propter nuptias,
„ ſeu contrados ambabus ſponſabus utrinque ad vitam earum aſſignetur, & aſ-
„ ſecuretur, hoc pacto, ut reditus annui viginti millium, vel viginti quinque
„ millium florenorum Hungaricalium, loco donationis propter nuptias conſi-
„ gnentur, ſuper bonis convenientibus, & antehac in hujusmodi donatione
„ propter nuptias aſſignari ſolitis, quæ bona ex nunc nominentur, videlicet,
„ caſtra, civitatesque, & alia bona, ex quibus hujusmodi ſumma annui redi-
„ tus, in juſtis, & ordinariis proventibus provenire poſſit Simili modo in
„ matrimonio Regis Ludovici, & Dominæ Mariæ circa dotem, & donationem
„ propter nuptias, obſervetur, videlicet Dominæ Mariæ ducenta millia duca-
„ torum pro dote ex parte Cæſareæ Majeſtatis exhibeantur, & tantum de redi-
„ tibus ſuper bonis convenientibus contra dotem illi aſſecurentur. Si tamen
„ una ſponſa ante aliam moreretur, ante matrimonii conſummationem, nihilo-
„ minus huic, quæ ſuperſtes fuerit, ſecuta copula loco dotis ducenta millia
„ ducatorum perſolvi debebunt. Item ſi contingat poſt copulam ipſum mari-
„ tum obire ſine hæredibus, ex una, vel altera nuptarum, & relicta uxor vo-
„ luerit tranſire ad vota ſecunda, nec foret illi integrum cum hujusmodi ſtatu
„ ſibi ordinato, quacunque ex cauſa novo marito ſe conjungere, tunc ei perſol-
„ vatur ratione dotis ſumma præſcriptorum ducentorum millium florenorum,
„ cujus proviſione & pari nubere, & cum dignitate vitam agere poſſit. Item,
„ quod ſereniſſimus Rex Poloniæ per litteras ſuas in meliori forma, ad manute-
„ nendum, & cum aliis clauſulis opportunis, omnia ſupradicta approbet, &
„ ratificet. Cumque omnia, ac ſingula in præſentia noſtra, atque cum ſcitu,
„ conſilio, & conſenſu noſtro ſint acta, & concluſa, ad otium, & quietem,
„ tranquillitatem, ſtabilimentum, ſecuritatem ambarum Majeſtatum prædicto-
„ rum liberorum, ac dominiorum ſuorum; idcirco omnia, & ſingula, ut ſunt
„ prolocuta, & concluſa, & in præinſertis articulis expreſſa, laudamus, ap-
„ probamus, & quantum noſtri intereſt, confirmamus, & grata, & rata a no-
„ bis nunc haberi, & ſemper habenda tenore præſentium declaramus. Promit-
„ tentes inſuper in verbo Regio, & ſub fide legalis, atque ingenui Principis,

omnia,

„ omnia, & ſingula prædicta, quantum per nos, & regnum noſtrum fieri po-
„ terit, firmiter manutenere, defendere, & exequi, neque, ut a quibuscun-
„ que aliis impediantur, infringantur, aut illis quomodolibet contraveniatur,
„ directe, vel indirecte nos permiſſuros, imo, ut ab omnibus firmiter, atque
„ inviolabiliter obſerventur, & adimpleantur, omni ſtudio, ac fide curaturos,
„ absque dolo, & fraude harum teſtimonio litterarum noſtrarum ſigilli noſtri
„ munitione roboratarum. Datum Poſonii die viceſima Maji, anno Domini
„ MDXV. regni noſtri anno nono. „

Rex perfectis nuptialibus fæderibus convivas opipare accipit.

Vulgatis incredibili omnium lætitia nuptiarum tabulis, Wladislaus, ne quid ad celebritatem deeſſet, Regias epulas apparavit. Itaque *poſtero die* (ut Bartolinus refert) *convivium in Pannonica Regia celebratum eſt: convivæ Wladislaus, Sigismundus, Ludovicus Reges, Anna Regina, Gurcenſis, fuerunt. Wladislaus in dextro thori angulo accubuit, ſecundus Reginæ paterno lateri locus datus, tertius Sarmatico Regi, quartus Ludovico, in quinto Gurcenſis diſcubuit. Diutuſque cum menſæ accubuiſſent, & ſaliare convivium fractum, & magnis de rebus ſermo habitus eſt. Tandem ad multum diem Rex Sarmatiæ, Gurcenſisque domum redierunt: ſed cum propius Gurcenſis eſſet, comitandi officio inſtantiſſime fungi velle, Rex contra renuere, ille orare, diuque cum in hac humanitatis pugna perſtitiſſent, Rex tandem vicit, mutuque ſignificavit, ut præſtites, utrique primores Gurcenſem comitarentur. Mira profecto tanti Regis in Principem obſervantia. Sed ad illud redeo, quod profecto invitus præteriiſſem: Reginæ Annæ tanto mihi pulchritudo viſa eſt, ut neque Palladem, neque Venerem ſimilem huic eſſe judicarim: multo iis formoſior eſt; quæ habitu concinnato Teutonico ſupra, quam dici poſſit, elegans videbatur. Aureum caput corollæ tres faberrimo ordine diſpoſitæ circumvallabant; uberes illi crines a cervice dependuli, ſenſimque ſinuato patagio reſidentes pauliſper ad finem conglobati - - -: Oculi in alborem proclives, ſed tam decori, ut, cum eos vel aperit, vel connivet, dubium ſit, utrum divina, an humana cenſeatur. Duo profecto ſidera, duos ſoles, adeo ſpectantium animos perſtringunt, minus fulgere crediderim. Inceſſus gravis, animoſusque, & lætabundus: os, non verba, cum loquitur, ſed ambroſiam, ac nectar, aut ſi quid dulcius eſt, profert. - - - Hanc igitur Cæſar - - velitne in uxorem accipere, an alteri nepotum dare, ſibi integrum reliquit. Sed ego per deos jurarem immortales, ſi hanc viderit, nusquam de nepotibus fiet ſermo, ſibi volet.* (p) Hæc Bartolinus: mirumque eſt, hominem Peruſinum, & qui Gurcenſi a ſacris erat, tam elegantem Hungaricarum formarum ſpectatorem fuiſſe, ut, quæ ceteri, qui rebus geſtis itidem aderant, prudentes, volentesque omiſere, unus litteris conſignarit.

Annæ decor, & pulchritudo.

Hæc inter Joannes Scepuſius in Turcos movens inſigni clade afficitur.

Interea, cum Gurcenſis pactorum cauſa ad Cæſarem properat, triſtiſſimus ex Servia nuncius Poſonium affertur, Joannem Scepuſium, accepta inſigni ab Turcis clade fuſum, fugatumque eſſe. Is contractis decem millium equitum, peditumque copiis, Cavallum arcem, quam noſtri Sarnonem vocant, atque æquali fere intervallo inter Belgradum, & Semendriam ſita eſt, obſidendam ſibi ſumſerat, quo per abſentiam Regis, ſe virtutemque ſuam, quam a profligato ruſtico bello magnam adeptus eſt, popularibus ſuis præclaro aliquo facinore commendaret. Itaque poſtquam imprudentibus Turcis militem arci admovit, adductis in collem arci propinquum tormentis, per Jacobum Banffyum Joannis Legatum arx tanto conatu quati cœpta eſt, ut, diruta mœniorum parte, barbari, quamquam fortiter defenſionem adornarent, de ea conſervanda animum pene deſponderint. In eo periculo clam nuncios ad Semendriæ Præfectum Balibegum, quem a puſilla corporis ſtatura Cucuſſum dixere, mittunt, ac, ut quam primum poſſet, laborantibus ſubſidio adeſſe properaret, magnopere orant. Cucuſſus cognito ſociorum periculo, tametſi paucas ſub ſignis copias cenſeret, eæque magnam partem ex agreſtibus conflatæ eſſent, ingenio, ac fraude uſus, certos ex Thracibus Græci ritus homines ſubornat, qui caſtra Vayvodæ ſubirent, viresque hoſtium de induſtria in immenſum efferrent, ac propediem ad invadenda Hungarorum caſtra affuturos nunciarent. Ea re metum noſtris

(p) In Hodeporico.

1515. noſtris homo barbarus ingeſſerat adeo, ut Scepuſius couvaſatis rebus ſignum receptui dare conſtitutum haberet, niſi Michael Paxius, magnæ virtutis juvenis, ne, non viſo hoſte obſidionem ſolvens indecoram nomini ſuo maculam aſpergeret, pene cum indignatione obſtitiſſet. Itaque pudore retentus tanto acrius obſidionem urget, quanto crebriores nuncii percrebuerant, hoſtem ad ſolvendam obſidionem affuturum. Balibegus, qui de noſtrorum metu certior per Thraces redditus erat, ſilente nocte ſuos proficiſci, & pedites ardentibus tædis, faculisque muniri juſſit, ut per noctis tenebras ſimul conſternationem augeret, ſimul ſpeciem juſti exercitus præberet. Neque iugenio eventus defuit. Cum enim caſtris appropinquaret, noſtri collucentibus late ignibus decepti, & conſternati, haud ſatis, quid agendum eſſet, rationis in promtu habebant: qua re animadverſa barbarus paulo ante diluculum ſuos, quos ad id ſubornarat, impetum in aggeres, quibus tormenta impoſita erant, facere jubet; partem in arcem per ſecretos tramites immittit, ut facta eruptione noſtrorum conſilia turbarent, ceteris ad latera ut divergerent, mandat, quo Vayvodanos ſuæ molitionis incertos redderet. Ii, qui aggeres aggreſſi ſunt, fuſis, fugatisque excubiis facile tormentis potiti, metum, & cladem latiſſime circumferebant. Et quamquam Paxius cum ſuis accurrens conſerto prælio, barbarisque ab aggere repulſis, tormenta recepiſſet, tamen pila ex arce in *incertum* emiſſa interfectus, fratreque Caſpare, qui laboranti ſuppetias venerat, iidem cæſo, ceteri quoque in apertam fugam conjecti ſunt, eo turpiorem, quod qui infeſtum faceret fugam, *inſtaret*que a tergo fugientibus, nemo eſſet: Balibegus enim ad id, quod conſtituerat, ſatis profectum arbitratus, arce obſidione liberata, quantumvis perculſos, ac territos Vayvodanos, diffiſus ſuorum viribus perſequi non eſt auſus, quod præter ſpem acciderat, inſigni ſua cum laude noſtrorum contra fœda ignominia, caſtris, & tormentis potitus.

Cujus fama Poſonium allata miras diſſentientium opiniones conſcivit.

Quæ cum Poſonium per nuncios allata eſſent; & Joannem quoque Scepuſium vulnere ſaucium ægre cum paucis evaſiſſe rumor ferret, *alii factum Ducis culpa dicere, alii exploratorum incuriam accuſantes, defendere, atque ut cujusque odium, ac benevolentia erat, rem culpa dignam, aut indignam facere. Sequenti die, ut cladem tegerent, levius factum vulgari: velites ſcilicet trecentos a Turcis, qui in inſidiis erant, interceptos, cæſosque. Verum, ut prior fama fuit, præſidium, quod illic tenebatur, aviditate gloriæ a Vayvoda amiſſum eſt; qui cum Regis Wladislai filiam ſibi in uxorem dari urgentiſſime efflagitaſſet, & quo minus cum Cæſare affinitas contraheretur, pro viribus obſtitiſſet, aliquid præclarum, glorioſumque moliri tentabat, ut inde ſibi Regis benevolentia, regnique favore comparato, quod optabat, facilius conſequi poſſet.* (q) Hæc rurſum Bartolinus; Poſonii, cum hæc fierent, præſens; ex quibus facile intelliges, nuptiarum ambitum, quo ſibi Annam ſociari Scepuſius flagrabat, minime inter commenta reponendum videri; eratque multorum opinio, ea de cauſa in Turcos bellum obmoviſſe, ne Regis filiam, cujus potiundi ſpe fruſtra ſeſe ducebat, alteri in manus convenire, ſuis ingratiis videre cogeretur. Quin *fuere nonnulli, qui Vayvodam dolo ceſſiſſe, exercitumque hoſti prodidiſſe ſuſpicarentur: quod cum iis jam tum occulta parando regno conſilia miſcuiſſe, & Jacobum Banffyum in illius tentorio duos præcipui nominis Turcas, ſplendide veſtitos, ac nocte intempeſta ad colloquium admiſſos paulo ante prælium conſpexiſſe dicerent. Sed cum ipſe, & nunc, & poſtea regnum adeptus, id conſtantiſſime negaſſe viſus ſit, nos in tam ancipiti, incompertaque re nihil pro certo affirmamus.* (r)

Reges comperto Cæſarem Viennæ affuturum

Reges mitigato, quo ex clade affecti erant, luctu, Cæſaris adventum incredibili deſiderio exſpectabant, quod & morarum jam eos tædium inceſſerat, & rem, nuptiarum, ac fœderis cauſa ad finem adductam cuperent. Ac quamquam crebras cum a Maximiliano, cum Gurcenſi Cardinale litteras acciperent, quibus Cæſar brevi affuturus nunciabatur, tamen impatientia iſtius conveniendi, Oratorem miſere, Hieronymum Balbum, Præpoſitum Poſonienſem, qui Ludovico

(q) In Hodeporico. (r) ISTVANFFY Lib. VI. Hiſt.

dovico Regi Præceptor datus erat, ut Tirolim peteret, ac de Cæſaris adventu certiora nunciaret. Hunc non longo intervallo Nicolaus Székelius, & Petrus Polonus, viri militares conſequi juſſi ſunt. Ex quibus cum Wladislaus, ac Sigismundus intellexiſſent, Cæſarem brevi Lincium Auſtriæ ſuperioris urbem, venturum, & hinc Viennam properaturum, obviam *Oratores ſex, ſinguli tres inſignes viros miſerunt. Rex Hungariæ Epiſcopum Quinque-Eccleſienſem, Georgium* (Szacmarium) *Ladislaum de Sternberg Bohemiæ Cancellarium, & Moyſem Buzlay, Magiſtrum Curiæ: Rex Poloniæ item tres, Epiſcopum Joannem Posnanienſem, Dominum Lucam Capitaneum regni Poloniæ, Chriſtophorum Sidlovieczky Cancellarium, qui Viennam ingreſſi ſunt, equis pene quingentis phaleratis, & more ſuo ornatis comite, & eleganter, ſexta Julii.* (s) Adjecerant Reges litteras ad Cæſarem, quibus Oratoribus ſuis fidem conciliarent, in hæc verba: (t) *Sereniſſimo, ac excellentiſſimo Principi, & Domino, Domino Maximiliano, Divina favente clementia electo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c Regi, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comiti Palatino &c. fratri, & conſanguineo noſtro chariſſimo, & honorando, Wladislaus Hungariæ, & Bohemiæ &c. Sigismundus Poloniæ &c. Dei gratia Reges, ſalutem & fraterni amoris, ac felicitatis perpetuum incrementum. Sereniſſime Princeps, & Domine frater, & conſanguinee noſter chariſſime! Poſt tam longam exſpectationem noſtram, cum cognoviſſemus veſtram Majeſtatem Viennam adveniſſe, magnitudine rerum ſimul, & fraterni amoris affectu perſuadente, mox ad eam Oratores, & Conſiliarios noſtros, reverendos in Chriſto Patres, Dominum Georgium Quinque-Eccleſienſem, Cancellarium regni Hungariæ, & Joannem Posnanienſem Epiſcopos, ac ſpectabiles, ac magnificos, Ladislaum de Sternberg, regni Bohemiæ Cancellarium, Moyſem Buzlay de Gerdellaka, Magiſtrum Curiæ, Lucam de Gorca Caſtellanum Poſnanienſem, & Capitaneum Majoris Poloniæ Generalem, & Chriſtophorum de Sidlovieczky, Caſtellanum Sandomirienſem, & regni Poloniæ Cancellarium, miſimus, qui veſtram Majeſtatem nomine noſtro viſerent, & ſalutarent, ac non nulla negotia, mutuum noſtrum congreſſum, concernentia eidem exponerent. Quapropter rogamus, dignetur veſtra Majeſtas omnibus in rebus, verbis eorundem Oratorum, æque ac noſtris fidem habere. Sacram Majeſtatem veſtram incolumem, ac felicem in longum ævum a Deo optima maximo cupimus conſervari. Datum Poſonii prima die menſis Julii, anno MDXV. regnorum noſtrorum Hungariæ XXV. Bohemiæ XXXXV. Poloniæ vero anno nono.*

Sex Oratores ex primo ordine

Cum litteris obviam miſere.

Neque Cæſar diu moratus, ſepoſitis curis, ex Tiroli Lincium divertens, ac præmiſſis hinc cum Gurcenſi, & Chriſtophoro Bambergenſi Epiſcopo, Ducibus Bavariæ, Mecleuburgico, & Wurtenbergenſi, decima Julii Viennam intempeſta nocte tenuit. Poſtridie cum Hungaris, ac Polonis Oratoribus Senatum Cæſar daret, Epiſcopus *Quinque-Eccleſienſis, expoſitis iis, qui ex multis videbantur, ex aula, orationem ſatis ornatam* (ut Bartolinus inquit) *ſed prolixiorem, quam ipſe fortaſſe locus expoſceret, orſus eſt, in qua poſt gratulationem de Cæſaris adventu Regibus jucundiſſimo, eorundemque in Cæſarem relatam benevolentiam, atque officia, cum magnifice Imperatoris laudes proſequutus fuiſſet, ad pacem, concordiamque ineundam, ac expeditionem in Turcos ſuſcipiendam, orationem convertit, medius fidius, ſatis eruditam, niſi hanc ultimam partem, quam ego in communem Regum conventum potius rejeciſſem, nimis Aſiatice, id eſt, copioſo tractaviſſet. Peracto tandem orandi munere, cum de more Gurcenſis, qui ad latus ſeſſitabat, Serentanumque, ac doctorem Motam in conſultationem Cæſar avocaſſet, Petro Motæ Hiſpano, ſed, ut illa fert gens, viro erudito, gravique reſpondendi provinciam impoſuit. Qui ut Cæſarem tædio liberaret, cum primum Oratorum adventu Cæſarem lætatum dixiſſet, laudibusque non vulgaribus orationis concinnitatem extuliſſet, amorem autem, ac benevolentiam Regum in Cæſarem etſi multo ante perſpectam, tamen & litteris reverendiſſimi Gurcenſis, & verbis teſtatam ſatis affirmavit. Pacem vero, ut contra Turcos expeditionem pro Catholica fide facerent, quod & Cæſar ſemper ab ineunte ætate optavit, oblatam ſæpius, nedum deſideratam accepiſſe. In fine cum tam*

Hic Viennæ ab Legatis ſalutatus.

(s) Cuspinianus in Diario. (t) Bartolinus in Hodeporico.

1515. *longæ exſpectationis excuſationem aſſerens Cæſarem tempori aliquando obſequi oportere, cum tantum imperium novis in dies, ſubindeque naſcentibus curis prematur, non minus eleganter, quam vere inſervuiſſet, ita feliciter anguſte reſpondis, ut Cæſari nihil gratius ipſa denſa fuerit concinnitate. His peractis Oratores prius diſceſſerunt.* (u)

Præſtitutis conventui loco & tempore,

Tum de loco, modoque conventus acriter in utramvis partem diſceptatum, quod Cæſariani Viennam, Regum contra Oratores alium quemvis in Auſtria locum, Hungariæ finitimum deſignarent: ad extremum res in hunc modum transacta: uti omnes in planicie, quæ a Trautmansdorffio inter Danubium, Leytamque amnem latiſſima porrigitur, cui ſiniſtrorſum, e regione veteris Carnuoti colliculus ſpinis conſitus, dextrorſum ſilva, quam patria lingua Duram Germani dicunt, imminet, ſimul coirent: Cæſarem iſthic pyrum defigi juſſurum, ad quam Regibus colloqui vellet: de modo, ac ordine neu ſolliciti eſſent, quando non tam honoris, quam amicitiæ cauſa is conventus decerneretur. Itaque dum Legati diu, multumque orarent, ut, cum ſalutationis officia peragenda eſſent, Cæſar pateretur Reges ex equis deſcendere, quo majori ſalutandi veneratione fungerentur, omnino, ne id facerent, vetuit, orandoque magis, quam imperando, ne id fieret, impetravit. Dies ad XVII. Calendas Auguſtas præſtitutus: pridie Cæſarem Trautmansdorffium Vienna egreſſurum: Wladislaus Leytæ pontem, Sigismundus Hamburgum peterent: inde dato mane profectioni initio ad deſignatum locum æquali fere intervallo conventuros. Ita diſceſſere Vienna Legati: quos paulum poſt ſex Oratores ab Cæſare deſignati, ut Reges viciſſim ſuo nomine ſalutarent, conſequuti Poſonium ſunt, Wilhelmus Bavariæ Dux, Caſimirus Marchio Brandeburgicus, Bremenſis, ac Labacenſis Epiſcopi, tum Wilhelmus Rogeudorffius, ac Moraſcus Bohemus, viri tum genere clariſſimi, tum rerum gerendarum adminiſtratione ſolertes: qui ſalutatis Regibus, acceptoque commeatu ad Cæſarem rediere.

Sex itidem Oratores Poſonium ad Reges mittit.

Wladislaus pridie Leitæpontum, Sigismundus Hamburgum abeunt.

Dehinc ad conventum maxima pompa, ac ſplendore celebrandum omnia apparari, utque condictum erat, Wladislaus pridie Leytæpontem, cum Ludovico, & Anna, Sigismundus Hamburgum conceſſit, Maximiliano Trautmonsdorffium profecto. Cum ſuo quisque loco agit, *nocte fere media venit Cuſpinianus ad Regem Hungariæ a Cæſare miſſus, qui dabat ordinem conveniendi, ne fieret confuſio. Juſſus eſt Rex manere in ſua lectica, nam & ipſe quoque vehebatur lectica, quam Cæſar pulchre adornatam cum optimis equis Regi donaverat pridie. Et reverſus, juſſus eſt a Cardinale Gurcenſi ire ad Regem Poloniæ, ut idem ei narraret, quem reperit in campo haud longe a tentoriis, quæ illic extenſa erant. Arbitrabantur enim nonnulli, Cæſarem, id, quod maxime recuſavis, diſputaturum de prælocutis in tentoriis, aut ſub dio. Cæſar autem arborem excelſam juſſit in planitiem latam defigi, quæ poterat ab longe conſpici; ſub hac voluit convenire Reges: & quaſi felici captata augurio ſub dio aperte voluit alloqui fratres Reges, & eos ſalutare, ac mutuis complexibus exoſculari.* (x)

Poſtridie Trautmonsdorffium progreſſi.

Hæc nocte acta: ubi illuxit, Wladislaus, ac Sigismundus eodem tempore ſuo quisque loco egreſſi, haud procul ea planicie, in quam condictum erat, & ad Carnuntum reſpicit, conſtitere; horamque Cæſarei adventus feliciſſimam ſub pellibus exſpectabant. *Cæſar itaque, cum Prucum dextra reliquiſſet, per jugum non admodum editum profectus eſt, pauloque longius progreſſis Cæſarianis pulcherrimum innumerarum, diverſarumque gentium, quæ in ſubjecta planitie vagabantur, ſpectaculum oblatum eſt. Tentoria cum propter candorem, tum quia latiſſima erant, tamquam in clivis editioribus nix eſſet, videbantur, quæ in parte fixa erant, qua paulatim inſurgit æquor, ſeſeque in juga attollit: idque ex induſtria factum puto: nam pone per dorſum, quantum jugum extenditur, turmæ velitum diſpoſitæ, melius, quam quæ in plano erant, diſcernebantur. Verum Cæſariani multo majori illis admirationi fuere: quippe, qui non parmulis tantum, ligneisque, ut earum gentium mos eſt, paludamentis ornati erant, ſed armis, equorumque dorſualibus . . capricis discoloribus præfulgentes, tamquam ad bellum ituri ſub ſignis micabant. Cæſar itaque cum ex jugo ad planum deſcenderet, ipſe dextra cum parte copiarum,*

reliqui

(u) In Hodepotico. (x) Cuspinianus in Diario.

reliqui ſiniſtra proſecti ſunt. Cum ad planiciem ventum eſſet, ordo incedentium talis fuit. Aulici omnes, qui inermes erant, præceſſere; pone ephæbi duodeni, - - - nobili genere progn ati, ſerico induti plumatili, ingentes equos, mirificeque phaleratos inſidebant; a tergo Cæſar penſili rheda vehebatur: quem Gurcenſis Cardineo inſigniter habitu ornatus vel p ſt, vel ad latus una cum Oratore Anglico, ac magnis Ducibus aſſectabatur: poſtremo cataphractorum, velitum, & ii in tres diviſi turmas, ingens numerus ſubibat. Primus ordo magnorum Ducum, ac Principum erat, qui bardatis mira varietate equis, graviter, bellicoſeque provehebantur: aliqui enim latoclavo tectos equos habebant, alii plumatili ſerico, ii argento, ii duriſſimo, nitidiſſimoque npertos ebalybe: unus tamen ceteros præſtare videbatur, qui bardas non ſerico, aurove, ſed precioſiſſimis unionibus tectas habebat, quæ quanti æſtimatæ fuerint, aliorum ſecutus judicium precii triginta millium ducatorum fuiſſe affirmarim. Hæc Cæſaris, ut Bartolinus perhibet, pompa, ac ordo fuit. (*y*)

Reges, poſtquam Maximilianum arbori tanto ſpacio, quantum tormenti jactus pertinet, appropinquare vidiſſent, ipſi quoque adverſum modico diſcreti intervallo profecti ſunt. *Hos* (Cuſpiniano teſte) *antecedebat immenſa multitudo Huszarorum, qui vexillis bipartibus, rubeo, & albo colore, præibant. Subſequebantur Moſcovitæ, ſive Moſchi cæruleo colore veſtiti cum albis longis pileis, ac arcubus armati. Tum Tartari, in quibus multi captivi, cum tubicinibus ſuis, - - - qui ſonabant horrendum. E regione ſeorſum immenſa multitudo Huſzarorum, qui Regis Hungariæ erant, pariter de more ſuo, albis, & rubeis vexillis armati: quos ſuccedebant utriusque Regis tubicines, in aera usque elangentes, more Germanico ornati, & veſtiti, cum tympanis ſonoris. Tum incedebant ornatiſſime inſtructi veſtibus, & torquibus aureis, & equis phaleratis multo argento Domini Barones ex Hungaria, & Bohemia, in quibus erat Marchio Brandeburgenſis Georgius, frater Caſimiri, habitu Huſzarorum, Dux Carolus de Munſterberg, tres fratres de Schmihan, Ambroſius Sárkány, Michael Palocz, Magiſter Cubiculariorum, Petrus Korlátkö, Franciſcus Orszäg de Guth, Banus Nadoralbenſis, & Emericus Orszäg Magiſter cubiculariorum Regis Ludovici: Joannes Pethö de Gerſe, Magiſter Curiæ ſereniſſimorum liberorum, Stephanus Perényi, Joannes Bornemisza, Moyſes Buzlay cum filio Ladislao, Magiſtro Curiæ, Ladislaus de Caniſa, Joannes Banffy de Lindva, Pincerna Regis, Joannes Dóczy Cubicularius Regis, & plerique alii Nobiles, ac Magnifici ex Hungariæ, & Bohemiæ regno; qui mihi magis de facie, quam nominibus ſunt noti, quandoquidem nomina horum vix memoria teneo, quia difficile ſcribuntur hæc nomina. Poſt hos ſequebatur Ludovicus Rex junior, aurea veſte, rubea interiexta purpura ornatus, capillis extenſis, bireto ex veluto fuſco capite tectus, pulchro, & phalerato equo inſidens; quem undique cingebant ex utroque regno Barones, & Domini, pedites incedentes ad obſequium. Comitabatur hunc Regina, ſoror ejus, Anna, aurea veſte, & pulcherrima torque mirum in modum multis gemmis, & monilibus ornata, quæ in ampliſſimo curru deaurato, ac imaginibus exornato, octo equis candidis trahebatur, quam multi etiam nobiles pedites cingebant undique, inter quos erat Marchio Georgius Brandeburgenſis, & Comes Petrus de Poſing, qui de equis deſcenderant pedites. Tum Rex Poloniæ Sigismundus, purpuratus, & ſerico pileo tectus, pulchro equo vehebatur, undique nobilioribus Proceribus amictus, qui pedites circumdabant ipſum, veſtibus, & ornamentis ſplendidi. Poſtremo Rex Hungariæ pariter, ut Cæſar, lectica ferebatur, quæ veluto rubeo nobiliſſimo erat cooperta, quemadmodum pueri, qui hanc cum equis geſtabant. Hæc nuper erat donum Regi a Cæſare, cum equis, & inſtrumentis. Aderat hic ingens Prælatorum, & Procerum caterva ex Hungaria, Archiepiſcopi, & Præſules: Cardinalis Thomas Strigonienſis, Archiepiſcopus Colocenſis Georgius, Quinque-Eccleſienſis Georgius, Ladislaus Vacienſis, Michael Bosnenſis cum Suffraganeis, Præpoſitis, & Archipresbyteris multis: ex Polonia Mathias Wladislavienſis, Joannes Poſnanienſis, Petrus Premislienſis, cum Capitaneo, Cancellario, Theſaurario, Palatinis, & Vayvodis, quos ſuperius nominavi, ſpectabilis, & elegantiſſima caterva. Undique ſtrepitus, & hinnitus equorum audiebatur, tubarum concentus, tympanorum ſonitus, ſpectaculum ſane dignum, quod omnis mirabitur poſteritas.* (z)

Maximilianum appropinquantem

(*y*) Bartolin. Lib. II. Hodeporici. (z) In Diario.

1515.

Præmiſſis Oratoribus, qui eum ſalutarent, mutua amicitia complectuntur.

Hoc comitatu ſtipati prius, quam ad deſignatum locum venirent, Vacienſem Epiſcopum, & Ambroſium Sárkányum obviam miſere, qui Cæſarem ſalutarent. At is, ut appropinquare Reges vidit, velum, quo coopertus erat, retrahi juſſit, ut palam ab omnibus videretur, ac viciſſim omnes conſpiceret. Ludovicus Rex, cum jam proximus eſſet, *ex equo Cæſarem in rheda poſt junctam dextram latine his verbis ſalutavit :* Sacratiſſime Cæſar, ego ſaluto Majeſtatem veſtram, tamquam patrem, & Dominum meum. *Secundus ſalutandi locus, ex aurea rheda, in qua ſola vehebatur, Annæ Reginæ datus eſt. Sed cum ad arborem perveniſſent, tertius Wladislaus Pannoniæ Rex ex geſtatorio, & ipſe magna Cæſarem ſalute impertiit: qui cum ſenex admodum ſit, & plurimum Cæſarem diligat, cum ſalutaret, longiuſcule lacrimatum ferunt, multisque verbis, & ornatis in commendationem tanti conventus uſum, perpetuoque hujusmodi affinitates, concordiamque duraturam precatum eſſe. Poſtremæ partes Sigismundi Sarmatiæ Regis fuerunt. Qui peracto ſalutandi officio, diutuleque detenta Cæſaris dextra his latine verbis uſus eſt :* Sereniſſime Cæſar, ſit hic conventus noſter felix, & fauſtus nobis, ſubditis noſtris, & toti reipublicæ Chriſtianæ. - - - *His finitis pauliſper alter ab altero receſſere, ut vacuus daretur locus, quo præclariſſimus quisque mutuo Imperatoris, Regumque dextras de more amplecteretur.* (*a*)

Gurcenſis tametſi ægre Wladislao perſuadet, ut Cæſarem Viennæ conveniret.

Interea Gurcenſis Cardinalis, cui Cæſar in mandatis dederat, uti Reges, ne Viennam ingredi gravarentur, perſuaſum iret, Wladislaum convenerat, etiam, atque etiam obſecrans, ut ea iu re Cæſari morem vellet gerere, quod locus ad res, quarum cauſa conveniſſent, tranſigendas peropportunus, & Maximiliano nihil acceptius futurum eſſet, quam ſi Reges pro dignitate accipere, colereque poſſet. Rex quamquam Cardinalem vera loqui intelligeret, ab ſuis tamen occupatus, reſpoudit, *purpuratos ſuos id ſummopere, tum quia non poterat ſine regni jactura, tum etiam, quia bellum cum Turcis nuper inſtabat, diſſuadere. Hoc dixit, vel quia a Cæſare rogari volebat, vel ut major fratris in Cæſarem affectio oſtenderetur, - - - vel, quod verius ſuſpicor, quorundam, qui hanc rem infectam volebant, ne ulterius Reges procederent, ſententiam fuiſſe. Itaque Gurcenſis cam rem animo volveret, & quorſum evaderet, intelligens; Regem Sarmatiæ adiit, eundemque Cæſaris nomine rogavit, ut una Viennam peteret, addito : quamquam ſereniſſimo Wladislao conſiliarii, ut quo minus Viennam cum liberis petat, pertinaciter perſuadeant, idque firmiſſime illius animo inhæreat. Cui Rex, ut eſt prudentiſſimus, utque ſuam in Cæſarem fidem penitus oſtenderet, ſic fertur reſpondiſſe : Ego ex Sarmatia relicto regno, & patrio ſolo, ut Cæſarem Auguſtiſſimum convenirem, huc profectus ſum. Quamobrem non Viennam ſolum, ſi ſua juberet Majeſtas, ſed etiam ulterius peterem, cum nunquam animum induxerim, quidpiam in nos, niſi quod bonum deceret Principem, facturum. Quod frater cum liberis, purpuratorum conſilio, ſe minime venturum dixerit, ego fratrem meum, & nepotes una mecum ducam, qui vero ſequi noluerint, ut lubet, faciant: quare reverendiſſime Princeps, Cæſari, cujus ſim ſententiæ, & ut tu plane facere conſueviſti, cumulatius referto. Talia cum dixiſſet, Gurcenſis Regem amplexus, lætiſſimum, inquit, nuncium Cæſari, qui nunquam de tua erga ſe fide veritus eſt, feram. Statimque cum fideliter omnia ab eo relata fuiſſent, ajunt Cæſarem lacrimas non continuiſſe, ac propius accedens : Sereniſſimi Reges, nihil eſt, ait, quod vereri debeatis : nam Vienna urbs noſtra eſt, in qua a me perinde, atque fratres, & amice, & regaliter excipiemini, idque vobis ſub Imperiali fide facturum pollicetur. His cum omnes aſſenſi fuiſſent, rebusque feliciter compoſitis, diſſolutus conventus eſt. Cumque Germanici cataphracti, velitesque armis nitidiſſimis fulgentes per æquor diffunderentur, Ludovicum Regem, qui adhuc puer eſt, ferunt dixiſſe; ſic vellem, ut Cæſar, pater meus etiam mihi copias compararet. Mirum profecto in puero : nam & amorem in Cæſarem addito patris nomine, oſtendit, & indolem bellicarum rerum avidam, præ ſe tulit. Nec mora conſertim omnes ad diverſa iter loca cepimus.* (*b*)

Celebre pueri Regis dictum,

Et

(*a*) Bartolinus loco laudato. (*b*) Idem ibid.

Et Cæſar quidem, ut accipiendis pro dignitate Regibus in urbe omnia tempori appararentur, Laxenburgum profectus eſt, Wladislaus, ac Sigismundus, poſtquam venatui aliquamdiu iodulſiſſent, ille Traotmonsdorffium, hic Enzesdorffium petiere: quos Cæſar altero die Schvecheti liberaliter acceptos, eodem, quo primum convenerant, apparatu Viennam induxit, tota urbe ad inſolitum ſpectaculum effuſa, ſed intercepta per ingruentem ex improviſo pluviam pompa eſt: itaque ad Divi Stephani properatum, ubi decantatis Deo laudibus, Wladislaus cum Maximiliano arcem Imperatoris, Sigismuudus eam, quæ a leporibus in vico Carinthiaco nomen habet, domum ſubiere.

Viennam Reges eadem pompa petunt.

Inde, quæ ſequebatur, dies quieti data: tum XIV. caleodas Auguſti Cæſar, cum Reges jam prius conveniſſent, accitis ad ſe omnium ordioum Principibus, medius inter Wladislaum, & Sigismundum ita dicere orſus eſt: (c) *Tam diuturnæ moræ, quam adventum meum exſpectaviſtis ſereniſſimi Reges, etſi per reverendiſſimum Gurcenſem, Oratoresque noſtros ſatis excuſatum me eſſe arbitror, tamen ut de me etiam intelligatis, curæ, quæ indies nobis, ac imperio noſtro emerſere, obſtiterunt, quo minus communi noſtro conveniendi deſiderio ſatisfecerim. Tamen nihil a me unquam prætermiſſum eſt, ut quam citius poſſemus, optatum hunc conventum noſtrum, quem Chriſtianæ reipublicæ ſaluberrimum ſperamus fore, perficeremus. Idque cum Dei optimi maximi auſpicio ex ſententia conſecuti ſimus, reliquum eſt, ut hæc noſtra affinitas, amicitiaque perpetuo ad noſtram, communemque omnium utilitatem conſervetur, ut non ſolum in Septentrione ubique pacem nos peperiſſe videamur, ſed etiam ut conjunctis viribus contra perfidos Turcas, qua de re ſatis accurate Oratores veſtri pridie diſputaverunt, expeditionem feliciter ſumamus, quam ego quantum ab ineunte ætate ſemper deſideraverim teſtis animi mei, atque voluntatis reverendiſſimus Strigonienſis erit, qui cum apud me jam vigeſimus ſecundus annus agitur, Orator eſſet, bellum contra Turcas ſuſcipiendum perſuaderet, quam avidus hujusce expeditionis ſemper fuerim, facile percipere potuit. Verum & inteſtinis, & finitimis bellis laceſſitus, quo minus, quod ſummopere optabam, exquerer obſtitit. Nam Ludovico XI. Gallorum Rege regnante, item Carola VIII., ac Ludovico XII. quæ geſta mecum bella ſint intellexiſtis: nuper autem cum ingentibus copiis Franciſcus I. Gallorum Rex in Italiam irrumpere tentet, deeſſe non poſſum, quin jure imperii ſuppetias Italis feram, qui ſemper a Majoribus noſtris & a nobis pro virili & defenſi, & aucti ſunt. Et jam Helvetiorum peditum, qui nobis fœdere juncti ſunt, duodecim millia, quos in armis eſſe mandavimus, fauces Alpium, ut Gallorum tranſitum prohibeant, occupaverunt, Ducisque Mediolani copias, noſtris, quas in Italia tam diu contra Venetos habemus conjungi juſſimus. Quamobrem ſi Galli Alpes ſuperabunt, quod non ſine parva ſuorum militum internecione facturos credimus, novis iterum bellis in Italia impeditos tranſiviſſe aliquando pœniteat. Hæc igitur etſi nos, & deſiderium noſtrum in præſentiarum impediant, tamen ſi contigerit, ut vel bello, vel pace res feliciter tranſigatur, ſperamus autem Pontificis, Regisque Catholici perſuaſione alterum omnino fore, æterna invicem pace conjuncti feliciſſimam hanc in Turcas expeditionem faciemus. Atque ne res abſentia noſtra frigeſcere quodammodo videatur, rogatos vos velim, ut aliqui ad hoc negotium tractandum, perficiendumque deputentur, ut, cum primum idonea tempora offerentur, quod & vos efflagitare videmini, & nos ſummopere cupimus, pro gloria, incrementoque nominis Chriſtiani exequamur.* In hanc ſententiam cum Cæſar dixiſſet, Strigonienſis Cardinalis Wladiſlai nomine breviter, ornateque reſpondit, Regem, qui de inferendo Turcis bello tranſigant, arbitros daturum, ſi ea prius, quorum cauſa coiviſſent, ad finem adducerentur.

Cæſar Regibus abſentiæ ſuæ rationes reddit, & de rebus, quarum cauſa convenerant, conſultat,

Hæc decima nona Julii acta ſunt. *Duobus ſequentibus diebus conſultatum eſt ſuper negotiis, pro quibus convenerant, & ſemper uſque ad horam ſecundam poſt meridiem, & longius protractum eſt conſilium.* (d) loter quæ illud fortaſſe memoria non indignum videri poſſit: Ludovicum Regem ab Maximiliano ſuum in imperio genera-

Tum Ludovicum Regem ſuum in imperio

(c) Idem ibidem.

(d) Cuspinian. in Diar.

Vicarium & ab obitu ſucceſſorem deſtinat.

Fidem ſuam edito diplomate confirmans.

neralem Vicarium, & ab obitu ſucceſſorem quoque conſtitutum eſſe. Quod ut bona ab ſe fide agi Reges exiſtimarent, edito diplomate, qoæ pollicitus erat, ſe facturum recepit, daturumque operam, ut imperii Principes, ordinesque ſibi ea io re conſentientes habeat. Diplomatis hic tenor eſt: (e)

„ Maximilianus divina favente Clementia Romanorum Imperator ſemper
„ Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex; Archi-
„ Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ,
„ Carnioliæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ & Geldriæ, Landgravius Alſatiæ,
„ Princeps Sueviæ, Palatinus in Habſpurg & Hannoviæ, Princeps, & Comes
„ Burgundiæ, Flandriæ, Tirolis, Goriciæ, Artheſiæ, Holandiæ, Selandiæ,
„ Ferret, in Kyburg, Namurci, & Zutphaniæ, Marchio S. R. I. ſuper Anaſum,
„ & Burgoviæ, Dominns Phriſiæ, Marchiæ Sclavonicæ, Mechliniæ, Portus
„ Naonis, Salinarum &c. conſiderantes immenſa Divinæ Majeſtatis in nos bene-
„ ficia, quibus præter tantorum natalium conditionem, etiam tot ampliſſimis
„ dominiis, & regnis condecoravit, ac etiam ad ſublime faſtigium humani ge-
„ neris nos evexit, ingrati omnino, & vecordes merito cenſeremur, ſi, quan-
„ tum in nobis eſt, ea omni ſolicitudine noſtra rependere non ſtuderemus, &
„ licet inſtituti noſtri ſemper ab ineunte ætate noſtra fuerit, meliorem partem
„ curſus noſtri ſervitio Omnipotentis Dei impendere, & cauſam ſanctiſſimæ
„ fidei ejus ſuſcipere, & incuria, vel malo fato ſoperiorum temporum ei ad-
„ empta viribus, & ſanguine noſtro recuperare, & illa quantum ipſe nobis
„ tribuiſſet adaugere, ſed vel in propolſandis noſtris, vel noſtrorum injuriis,
„ quæ nobis unde quaque inferuntur, vel inimico humani generis rem impe-
„ diente, nunquam hactenus hujusmodi voti noſtri compotes fieri potuimus.
„ Et cum jam in diebus noſtris proceſſerimus, & etiam varia bellorum mole
„ adhuc premimur, nec finem eorum ſub termino vitæ noſtræ nobis ſcire licet;
„ ne igitur præveniamur, & veluti deſides a ſua Clementia redarguamur, ſi
„ nos id ipſi præſtare non poterimus, ſaltem qui id pro nobis exhibeat, con-
„ ſtituamus, & piam ac providam hanc noſtram diſpoſitionem pro exhibitione
„ operum ſuſcipiat, & præſtet nobis gratiam, vel in parte id explere, & licet
„ amplam in Domino fiduciam habeamus, ſereniſſimos Principes Dominum
„ Carolum, & infantem Dominum Ferdinandum filios noſtros chariſſimos, nihil
„ unquam prætermiſſuros, ſed omnia pro exaltatione, & incremento ortho-
„ doxæ fidei acturos, & cum univerſis regnis, ac dominiis eorum vitam etiam
„ ipſam poſituros, quo tamen id per ipſos eo melius & uberius exhibeatur,
„ & tam in nos ipſos, quam in eos beneficiorum collatorum perennis reddatur
„ gratia, operæ precium duximus, ipſis ſereniſſimum Principem, Dominum
„ Ludovicum Hungariæ, & Bohemiæ Regem, Marchionem Moraviæ, Principem,
„ & Electorem, filium, & fratrem noſtrum chariſſimum pro precio in nomine
„ ſanctæ, & individuæ Trinitatis addere, quo ternario numero omnis perfectio
„ conſtituta eſſe dignoſcitur. Quem Regem ex potentiſſimo ampliſſimorum
„ ſuorum regnorum auxilio, & occaſione, & locorum oportunitate, & ex Di-
„ vina ſua indole præſagimus, huic ſanctæ rei nedum neceſſariam, ſed egregiam
„ operam præſtiturum, quod ut eo libentius ſuſcipiat, & partem laborum, &
„ onerum noſtrorum ſubeat, & omni gratia, & beneficio noſtro nobis obno-
„ xium reddere voluimus, & licet idem ſereniſſimus Ludovicus Rex nobis, &
„ eisdem ſereniſſimis filiis noſtris chariſſimis ſit arctiſſimo vinculo ſanguinis con-
„ ſtrictus, tam ex ſanguinis propinquitate, quam ex conjunctiooe, & connu-
„ bio ipſius cum ſereniſſima filia noſtra Maria, & eorumdem filiorum noſtrorum
„ ſorore dulciſſima; nihilominus viſceribus paternæ charitatis eum complecten-
„ tes, cupientesque ipſum adhuc arctiori vinculo nobis, & eisdem filiis noſtris
„ conſtringere, & in mutuo amore devincire, eos ad invicem, habita ſuper hoc
prius

(e) Ex Luning C. G. D. T. I. pag. 579.

„ prius matura deliberatione, & conſenſu sereniſſimorum Principum, ac Dominorum Wladiſlai Hungariæ, & Bohemiæ &c. Regis Patris, & Sigismundi „ Poloniæ Regis, & magni Ducis Lithuaniæ fratrum noſtrorum chariſſimorum „ motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, & de plenitudine poteſtatis noſtræ „ Cæſareæ, præfatum ſereniſſimum Regem Ludovicum in filium noſtrum arrogamus, & in familiam noſtram Auſtriæ aſcimus, & numero eorundem filiorum noſtrorum aggregamus, & tenore præſentium adſcribimus, ſine tamen „ præjudicio ſucceſſionis eorundem ſereniſſimorum Principum Domini Caroli, „ & infantis Domini Ferdinandi, ac ſororum ſuarum, filiorum, & nepotum „ noſtrorum chariſſimorum ſervato ordine, & conſuetudine clariſſimæ domus „ noſtræ Auſtriæ. Qui filii noſtri, cum in regendis, & adminiſtrandis tot ampliſſimis ipſorum regnis, & provinciis munere omnipotentis ipſis conceſſis, „ & Deo volente in expeditione contra infideles ſatis, ſuperque diſtinebuntur, „ & nos etiam ubique eſſe non poſſumus in tam amplo imperio, & ne aliqua „ pars ejus fructu neceſſariæ providentiæ noſtræ careat, confiſi de magnitudine „ animi, probitate morum, & excellenti indole ejusdem ſereniſſimi Regis Ludovici, filii jam noſtri arrogati chariſſimi ipſum in partem ſolicitudinis noſtræ „ evocatum, matura deliberatione præhabita, ex certa noſtra ſcientia, & de plenitudine noſtræ Cæſareæ poteſtatis fecimus, creavimus, & omni meliori modo, via, & forma, qua poſſumus, & debemus, tenore præſentium facimus, „ creamus, conſtituimus, & ordinamus noſtrum, & imperii ſacri Vicarium generalem vita comite, & poſt fata in eodem imperio legitimum ſucceſſorem „ noſtrum dantes, & concedentes eidem filio, & Vicario plenam, liberam, & „ amplam facultatem, qua uti conſueverunt, uti, & frui alii, qui pro tempore Vicarii generales extiterunt, poſt vero deceſſum noſtrum poteſtatem noſtram „ imperii in ipſum transferimus, & traducimus ſicuti in nos per prædeceſſores „ fuit translata, tenore præſentium requirentes ſereniſſimum Regem Bohemiæ „ arbitratorem, & reliquos venerabiles, & illuſtres tam ſæculares, quam Eccleſiaſticos Principes, Electores, conſanguineos noſtros chariſſimos, ut approbantes hujusmodi conſtitutionem, electionem, translationem, & decretum noſtrum, eundem ſereniſſimum Ludovicum filium arrogatum, & fratrem noſtrum chariſſimum, cum primum contigerit, nos coronam Imperialem adipiſci, & ſi ante ab hac luce contigerit nos migrare, poſt obitum noſtrum in Regem Romanorum, & Imperatorem eligant, & coronent, ac ſibi „ debitum fidelitatis juramentum cum omni ſubjectione, & reverentia exhibeant, „ præſtent, ac ab aliis Principibus, & ſtatibus imperii præſtari, & exhiberi, ut „ moris eſt, faciant, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscunque. Harum teſtimonio litterarum ſigilli noſtri appreſſione munitarum. Datum in civitate noſtra Vienna die viceſima menſis Julii anno Domini MDXV. „ regnorum noſtrorum Romani triceſimo, Hungariæ vero viceſimo ſexto.

„ Maximilianus manu propria.

„ Wladislaus Rex manu propria.

„ Sigismundus Rex manu propria.

„ Thomas Cardinalis Strigonienſis manu propria.

„ Mathias Cardinalis Gurcenſis manu propria.

Abhinc compatatis

Abhinc, quod jam omnia mutuis conſiliis illuſtrata eſſent, Cæſar XI. calendas Auguſti, qui dies Divæ Magdalenæ ſacer eſt, ne quid moræ interjiceret, in

1515.

omnibus, ingenti pompa ad D. Stephani profectus.

in Regum, ac Principum Senatu Annam ſibi, ut in pactis conventis decretum erat, deſpondit, ſi alteruter nepotum, aut repudium daret, aut uterque ab iis nuptiis abhorreret. *Inde, aderant enim Notarii, & teſtes, ſic eſt exorſus: quamquam ego te uxorem meam fore dixi, ſequeſtraque fide tu mihi juncta es, tamen ut vel Carolo, vel Ferdinando nepotibus nubas, ſententia eſt: Si vero neutri, tu mea uxor eſto. Quam ob rem, cum alter Caſtiliæ, Arragoniæ, Bæticæque regna habeat, alter Neapolitanum in Italia ſceptrum habiturus ſit, egoque cum Romanorum Rex, & Imperator ſim, te Annam Reginam nuncupo, ac ſaluta, aureamque his dictis coronam capiti impoſuit.* (*f*) His ita peractis, poſtquam Anna viciſſim Maximilianum precioſiſſimo ex unionibus ſerto ornaſſet, *elegantiſſimo ordine Cæſar cum Regibus Poloniæ, & Ludovico in equis, ſeniore vehente in lectica, & reginulis in curribus præcedente, & comitante Nobilium caterva inſigni, poſt nonam horam deſcendit ad templum ſancti Stephani, quod erat elegantiſſime ornatum; chorus aulæis aureis, & ſericeis contectus. In dextra ſtabant Cæſar, Rex Wladislaus, Rex Sigismundus omnes aureis veſtibus ornati: Cæſar maxima torque ex margaritis, lapidibus precioſiſſimis conſpicuus omnibus erat: in bireto monile ex adamantibus precioſiſſimum geſtabat, æſtimabatur ejus ornatus uno millione auri. Poſt Ludovicum ſtabat Orator Regis Angliæ, Orator Archiducis Caroli Auſtriæ, & Burgundiæ, Dux Wilhelmus, Marchio Caſimirus, Dux de Mechlenburg, Dux Wirtenbergenſis, Orator Ducis Ferrariæ, & dehinc inſigniores ex regnicolis Hungariæ, Bohemiæ, & Poloniæ. - - - A ſiniſtris locati erant primum Thomas Cardinalis Strigonienſis, Legatus Apoſtolicus, Cardinalis Gurcenſis, Matthæus nuncius Apoſtolicus* (*g*) magna Archiepiſcoporum, Antiſtitumque, qui ex Germania, Hungaria, Polonia, Bohemia, ac Italia affluxerant corona ſtipati. *In medio autem locus ædificatus ex tabulis erat, ubi Anna, Mariaque Reginæ conſidebant. Quod intervalli dextrorſum erat, Orator Hiſpaniæ, ac Palatinus Vilnenſis, qui templum introeunti comites extiterant, tenebant: Siniſtra Ludovicus Bavariæ Dux, & Georgius Marchio Brandeburgenſis Mariam Reginam, quam & ipſi comitati fuerant, unaque Principes viri, Comes Bernardinus de Frangepanibus, & Bornemiſza adſervabant.* (*h*) Hoc ordine cum locum cepiſſent, Viennenſis Epiſcopus concinentibus elegantiſſime ſymphoniacis ad aras operatus eſt. *Confecto Sacro Cæſar ex ſolio diſcedens, ſe ad Mauſolæum Patris Friderici, quod prope erat, ut Pontificis maximi habitum indueretur, contulit. Inde ego* (ita Bartolinus (*i*) de ſe ſcribit) *concionaturus, quamquam mihi anguſtiſſimus terminus præfixus erat, ad orandum acceſſi: ſed tantus deperditorum hominum ſtrepitus increbuit, tanta diſſonarum gentium, vocumque varietas invaluit, neque enim fabri lignarii, qui ad concinnandam pro Cæſare ſuggeſtum venerat, fragorem numeraverim, ut ne tertia quidem parte recitata, perſuadentibus etiam amicis, deſinere cogerer: - - ego nihilo minus, cum Regem Sarmatiæ attentum quodammodo viderem, tantisper ſum proſecutus, donec monſtruoſæ gentis immanitate victus, accerſitam extemporaliter concluſionem feci.* (*k*)

Annam Reginam ſi neuter nepotum vellet, ſibi deſpondet, ceteroquin alterutri jungendam.

Vix Orator inconditis obſtrepentium vocibus ab dicendo temperare ſibi coactus eſt, *cum Cæſar imperiali habitu coronaque - - - ad ſuggeſtum aſcendit: aſſidebant Wladislaus, Sigismundus, Ludovicus Reges: Wilhelmus Bavariæ Dux cum pila aurea, qua orbis imperium repræſentatur, Mareſchallus de Pappenheim cum pugione, quo juſtitiam, defenſionemque fidei intelligimus, anteſtabant. Inde mox Regina Anna ad Cæſarem deducta eſt, cumque ad publicam ſtipulationem deventum, juxta Imperatorem ſtetit; nec mora, Cæſari Maximiliano Romano Imperatori, niſi Carolus, Ferdinandusve Reges nepotes infra annum acceperint, Anna Wladislai Regis Pannoniæ filia, arrabone annulo, & Strigonienſi, qui connubialia verba fecerat, interprete nubit. Inde Ludovici Bohemiæ Regis, Wladislai Regis filii, & Mariæ Maximiliani Imperatoris neptis matrimonium etiam annulo confirmatum eſt. Quæ dum agerentur, Rex Wladislaus, cum filiam tanto matrimonio copulatam, filio vero Cæſaris neptem uxorem dari videret, præ gaudio effuſiſſime lacrimatum ferunt.* (*l*)

Tum

(*f*) Bartolinus loco laudato.
(*g*) Cuspinianus in Diario.
(*h*) Bartolinus ibidem.
(*i*) In Hodeporico.
(*k*) Integram orationem ſuo Hodeporico inſeruit.
(*l*) Cuspinianus in Diario.

1515.

Tum celebratis choreis, & ludis equeſtribus, fœdus nuptiale primum in aula vulgatur.

Tum convivationibus, choreis, ac ludis equeſtribus dies aliquot dati, ne ad tantam celebritatem ulla ſeu gaudii, ſeu humanitatis ſignificatio pro temporum more deeſſet. His perfuncti rurſum vigeſima octava Julii, *de nocte poſt cœnam hora pene ſeptima conveniunt Reges Cæſarem, jam enim de ſingulis erat concluſum, & poſtquam tribus ſellis locati erant, in quarum medio Cæſar, in latere Ludovicus, poſt duo Cardinales, dehinc ceteri Principes, & Conſiliarii reſidebant. Cæſar, ut eſt humaniſſimus, alloquutus Reges ſuaviſſimis ſermonibus, tandem juſſit Cuſpinianum pronunciare, quod decreviſſet. Cuſpinianus debita inclinatione flexus, ad latus Regum ſtans, alta voce, latina, & Germanica lingua, ut ab omnibus intelligeretur, in hanc formam proclamavit, cunctis bene audientibus.* „ De Mandato ſacratiſſimæ Cæſareæ Majeſtatis, & ſereniſſimorum Wladiſlai, & Ludovici Hungariæ, & Bohemiæ, ac Sigismundi Poloniæ Regum, notum ſit univerſis, quod ad laudem omnipotentis Dei, & glorioſæ Virginis Mariæ, & totius Curiæ cœleſtis, nec non ad incrementum, & conſervationem totius reipublicæ Chriſtianæ, ac præcipue regnorum, dominiorum, & ſubditorum ſuorum, inter ſe inierunt, contractarunt, concluſerunt, & confirmarunt veram, ſinceram, & inviolabilem, atque firmam concordiam, amicitiam, unionem, & intelligentiam confœderationis, perpetuo, & indiſſolubiliter duraturam: ad mutuam protectionem, & defenſionem contra eorum hoſtes quoscunque, & præſertim contra hoſtes infideles, & ad hoſtium ſuorum futurorum perniciem. Et quo magis hæc unio inter eos ſtabiliatur, ultra neceſſitudinem, quæ alias inter hæreditates eorum intercedit, etiam novam affinitatem, & connubium inter ſe. & nepotes, & liberos eorum contraxerunt. Quod felix, fauſtumque Majeſtatibus præfatis, regnis, & dominiis eorum ſit, Amen. (*m*)

Fœderis autem tabulæ ſerius poſtea promulgatæ.

Fœderis autem tabulæ, quæ tum quoque vulgatæ ſunt, ne quid ad rerum, quæ deinceps ſequentur, cognitionem quidquam omiſiſſe videamur, in hæc verba conſignatæ erant: (*n*)

„ Maximilianus divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, & Geldriæ, Landgravius Alſatiæ, Princeps Sueviæ, Palatinus in Habſpurg, & Hanoniæ, Princeps, & Comes Burgundiæ, Flandriæ, Tirolis, Goritiæ, Artheſiæ, Hollandiæ, Scelandæ, Ferreti, in Kyburg, Namurci, & Zuthaniæ, Marchio Sacri Romani imperii, ſuper Anaſum, & Burgovii, Dominus Friſiæ, Marchiæ Sclavoniæ, Mechliniæ, portus Naonis, & Salinarum &c. Nos Wladislaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæ Rex, Marchio Moraviæ, Dux Sleſiæ, & Lucemburgenſis, ac Marchio Luſatiæ &c. Et nos Sigismundus eadem gratia Rex Poloniæ, magnus Dux Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque &c. Dominus, & hæres, tenore præſentium recognoſcimus, & ad perpetuam rei memoriam notum facimus univerſis: quod cum ſuapte naturæ noſtræ inſtituto ea, quæ ad ornamentum, dignitatem, amplificationem, atque conſervationem regnorum, ac ſubditorum noſtrorum, quibus divina diſpenſatione ſumus præfecti, ſpectare nobis videntur, pace, concordia, atque amicitia potius, quam ullo alio ſtodio, ſive officia quærenda putaverimus, ac præſertim amicitiam, atque fraternam inter nos unionem, quamvis avita alias neceſſitudo, ſtrictaque ſanguinis conjunctio inter nos intercedat, novis, & arctioribus vincolis ſtringere, atque conſolidare cogitaverimus: quo ceteri Chriſtiani Principes exemplo noſtro invitati, facilius etiam ipſi inter ſe ad ſanctæ pacis fœdera coirent, & religio Chriſtiana propriis atque concordibus viribus, & armis aliquando ſubnixa ſibi ipſi decori,

(*m*) Cuspin. in Diario.

(*n*) Ex Tabul. Auguſtæ Domus.

1515. „ cori, conſervationi, & incremento, ſuis vero hoſtibus immaniſſimis formi-
„ dini, atque demum exitio eſſet futura; cumque ejus rei cauſa ex multis
„ nunc annis, tam ſuper ſponſalibus, quam vinculis matrimonialibus inter
„ noſtros Maximiliani Imperatoris, & Wladiſlai Regis nepotes, & liberos fir-
„ mandis alias eſſet tractatum; tandem divino annuente favore his negotiis ex-
„ tremam manum apponere voluimus, & in hoc celeberrimo atque fauſtiſſimo
„ noſtro conventu, quem Deus propitius ſua benignitate clementer indulſit,
„ ac fieri ordinavit, ultra ea, quæ ad publicam univerſalis Chriſtianæ religionis
„ utilitatem inter nos acta, & conſulta ſunt, memoratos ſponſaliorum, ac ma-
„ trimoniorum tractatus felici fine, atque concluſione duximus firmandos, at-
„ que ſanciendos. Itaque hodie ad laudem, & gloriam in primis Dei optimi,
„ maximi, & ad univerſæ religionis incrementum, nec non ad perpetuam tran-
„ quillitatem, quietem, ſtabilitatem, atque conſervationem, non tam noſtram,
„ quam nepotum, liberorum, regnorum, dominiorum, ac ſubditorum noſtro-
„ rum ad hos infra ſcriptos contractus, & tractatus devenimus.

„ Et in primis contracta, celebrata, firmata ſunt ſponſalia per verba ma-
„ trimonialia, & de præſenti, cum ſolemnitatibus, & ceremoniis, in hujusmodi
„ actibus intervenire ſolitis, & conſuetis, inter ſereniſſimam Dominam Mariam,
„ noſtri Maximiliani Imperatoris neptem, chariſſimi, & ſereniſſimi quondam
„ filii noſtri Philippi Regis Caſtellæ filiam ex una, & ſereniſſimum Dominum
„ Ludovicum Hungariæ, Bohemiæque Regem, noſtri Wladiſlai Regis filium
„ chariſſimum parte ex altera, accedente ad hoc mutuo, & expreſſo, quantum
„ per ætatem licuit, eorum conſenſu, & voluntate, proferente Rege Ludovico
„ hæc verba formalia: Ego Ludovicus accipio te Mariam in meam legitimam
„ uxorem: contra autem ipſa Domina Maria pronunciante: Ego Maria accipio
„ te Ludovicum in meum legitimum Maritum, coram reverendiſſimo in Chriſto
„ Patre Domino Thoma tituli Sancti Martini in montibus presbytero Cardinale,
„ & Archiepiſcopo Strigonienſi, Patriarcha Conſtantinopolitano, & ſedis Apo-
„ ſtolicæ de latere Legato, hujusmodi contractum per annulorum ſubarrationem,
„ & aliis neceſſariis firmante, & ſolemniſante, hac potiſſimum lege, ac fine,
„ ut ſuccedente per tempus legitima, atque idonea ætate, præfati Dominus
„ Ludovicus Rex, & Domina Maria hujusmodi matrimonium per copulam
„ carnalem, ut convenit, inter ſe conſummare debeant. Quod indubitanter in
„ futurum nos Imperator Maximilianus, & nos Wladiſlaus Rex in verbo noſtro
„ Cæſareo, & Regio promittimus.

„ Secundo nos Maximilianus hodie contractum matrimonialem cum
„ ſereniſſima Domina Anna noſtri Wladiſlai Regis filia chariſſima, per verba de
„ præſenti, & ad talem actum neceſſaria, & proferri utrinque ſolita celebravi-
„ mus, & ſolemniter in facie Eccleſiæ firmavimus, nobis Imperatore hæc for-
„ malia verba pronunciantibus: Ego Maximilianus accipio te Annam in meam
„ legitimam uxorem: & e contra ipſa Domina Anna referente: Ego Anna ac-
„ cipio te Maximilianum in meum legitimum maritum, coram ſupradicto re-
„ verendiſſimo Domino Cardinale Legato, hujusmodi contractum noſtrum ma-
„ trimonialem per annulorum ſubarrationem, & alia ad hæc requiſita, & adhi-
„ beri ſolita firmante, & ſolemniſante. Priusquam tamen nos Maximilianus
„ cum Domina Anna præfata contraheremus, coram Notariis, ac teſtibus ſpe-
„ cialiter ad hoc requiſitis, & vocatis, nos Maximilianus, & ipſa Domina Anna,
„ ſolemnem proteſtationem fecimus, & declaravimus: quod ſi alter ex nepoti-
„ bus noſtris Maximiliani, videlicet, aut illuſtriſſimus Dominus Ferdinandus
„ Archidux Auſtriæ, ſive ſereniſſimus Dominus Carolus, Dux Burgundiæ, &
„ Hiſpaniarum Princeps, dummodo is a contractu cum Domina Renata, olim
„ Ludovici Regis Franciæ filia, alias facto, liber, & immunis fieret, & oppor-
„ tuna ſanctiſſimi Domini noſtri, ac ſedis Apoſtolicæ diſpenſatio interveniret,
cum

„ cum præfata Domina Anna infra ſpacium unius anni a die præſentis con-
„ tractus proxime futuri contrahere vellet; quod iſtud de expreſſo conſenſu
„ & voluntate amborum noſtrorum fieri poſſet, & præſens contractus inter nos
„ Maximilianum Imperatorem, & ipſam Dominam Annam in iſto caſu annulla-
„ tus, & caſſatus eſſe debeat, prout in inſtrumentu proteſtationis deſuper con-
„ fecto latius continetur, & exprimitur. Debemusque, ac volumus nos Im-
„ perator Maximilianus hujusmodi contractum matrimonialem cum Domina
„ Anna, niſi alter nepotum noſtrorum in tempore præfixo, unius videlicet anni,
„ eam per verba de præſenti ducet, per copulam carnalem infra trimeſtre poſt,
„ & ſupra annum, a die præſentis contractus computandum conſummare, &
„ complere, & in hunc finem præfata Domina Aona ad manus noſtras fuit tra-
„ dita, & libere conſignata. Nos vero Wladislaus Rex, cum utraque iſta ma-
„ trimonia, non ſolum de conſenſu, & voluntate noſtra, imo ex ardentiſſimo
„ noſtro deſiderio facta ſint, ut præfatam filiam noſtram chariſſimam dote de-
„ centi, & convenienti honeſtaremus, eidem filiæ noſtræ Annæ ducenta millia
„ florenorum Hnngaricalium nomine, tenore præſentium inſcribimus, & aſſi-
„ gnamus: ita tamen, quod hujusmodi pecuniæ ſolutio neque ad præſens, ne-
„ que tempore conſummationis matrimonii fieri, ſed ad illud tempus differri
„ debet, quo chariſſimus filius noſter cum Domina Maria matrimonium per
„ copulam conſummabit, cui Dominæ Mariæ ſimiliter, ut infra patebit, ducen-
„ ta millia florenorum Hungaricalium dotis loco ſunt inſcripta. Hoc namque
„ matrimonio præfati filii noſtri cum Domina Maria per copulam conſummato,
„ hujusmodi dos utrinque compenſata, & neutra partium ad illius ſolutionem
„ alteri ubligata ſit, vel eſſe debeat. Ut autem viciſſim nos Maximilianus Im-
„ perator Dominam Annam, ut par eſt debite, atque ingeoue remuneremus,
„ loco donationis propter nuptias, ſeu contradotis, eidem Dominæ Annæ red-
„ itus viginti quinque millium ducatorum Hungaricalium ſuper certis oppi-
„ dis, caſtris, locis, ſeu territoriis noſtris, tenore præſentium aſſignamus,
„ videlicet medietatem illorum redituum in provinciis noſtris Auſtralibus infe-
„ rioribus, videlicet ſuper oppidis, & caſtris: Judenburg, Leuben, Styra,
„ Lembach, ad Sanctum Hippolytum, & Gars, una cum omnibus, ac ſingu-
„ lis ipſorum territoriis, diſtrictibus, & emolumentis. Alteram autem medie-
„ tatem in Comitatu noſtro Tyrolis, videlicet ſuper oppidis, & caſtro Impſt,
„ Kaltern, una cum officio in Altenburg, & ſuper oppido, & caſtro Ratten-
„ berg; cum omnibus eorum pertinentiis, ut ſupra adſcribimus, una cum
„ omnibus aliis, quæ vel ex privilegio, conſuetudine, aut jure provinciæ no-
„ ſtræ Auſtralis, Archiducisſis debentur pro contradote: Si autem iſtorum
„ locorum per nos aſſignatorum reditus ad præſcriptam ſummam non aſcende-
„ rent, ex aliis reditibus noſtris hujusmodi defectum, ut par eſt, ſuppleri,
„ usque ad integrum valorem ſummæ viginti quinque millium ducatorum Hun-
„ garicalium curabimus, & pari firmitate promittimus; ipſamque Dominam
„ Annam ſtatim poſt conſummationem matrimonii inter nos per copulam, in
„ poſſeſſionem ſupradictorum locorum ponemus, & introducemus. Curabi-
„ mus quoque, ut omnes officiales, ac ſubditi ſupradictorum locorum, Do-
„ minæ Annæ per nos aſſignatorum, homagia, & alia fidelitatis juramenta, ei-
„ dem Dominæ Annæ præſtare debeant, ipſaque Domina Anna de omnibus
„ iſtorum locorum officiis, ac perſonis, inſtituendis, & deſtituendis ad arbi-
„ trium ſuum diſponere poſſit, & valeat; ita videlicet, ut præfata Domina
„ Anna hujusmodi reditibus vita ſua durante uti, frui, ac gaudere, & ex illis
„ ſtatum ſuum ſuſtinere, & intertenere poſſit, ac valeat. In caſu autem, quo
„ alter ex nepotibus noſtris, Ferdinandus, aut Carolus, cum præfata Domina
„ Anna contraheret, nos una cum ſereniſſimo Principe Domino Ferdinando
„ Arragonum, utriusque Siciliæ, & Hieruſalem Rege Catholico, communium
„ nepotum noſtrorum avo, concordabimus, & providebimus, ut Domina An-
„ na pru ſupra ſcripta ſumma contradotis viginti quinque millium ducatorum

1515. „ Hungaricalium, convenienter, ac ſufficienter aſſignetur, & aſſecuretur. Cir-
„ ca vero cootractum Domini Ludovici Regis, cum Domina Maria, nos Im-
„ perator eidem Dominæ Mariæ dotis nomine ſimiliter ſummam ducentorum
„ millium florenorum Hongaricalium tenore præſentium adſcribimus, & aſſi-
„ gnamus, recompenſandam tamen ſuo tempore cum alia dote, ſicut eſt ſupe-
„ rius clare expreſſum.

„ Viciſſim vero nos Wladislaus Rex nomine chariſſimi filii noſtri Ludo-
„ vici, loco donationis propter nuptias, ſive contradotis præfatæ Dominæ Mariæ
„ reditus annuus valoris viginti quinque millium florenorum Hungaricalium
„ ſuper bonis, ac locis in regnis noſtris Hungariæ, & Bohemiæ Reginis aſſi-
„ gnari ſolitis, inſcribimus, & per tenorem præſentium aſſignamus, videlicet,
„ in regno noſtro Hungariæ Marmoriſſium, com Camera ſalium, & caſtrum
„ Huſt, cum quinque oppidis, & aliis poſſeſſionibus. Item caſtrum Zolienſe,
„ cum civitate, & univerſis pertinentiis: Civitatem Cremnicienſem, cum ca-
„ mera auri, & argenti, & ceteris quinque oppidis, & pertinentiis, caſtrum
„ veteris Bodæ una cum univerſis pertinentiis, & poſſeſſionibus. In regno
„ autem noſtru Bohemiæ, Hrades ſuper Albim fluvium, Chrudin, Duvor, &
„ Jaromyr, cum attinentiis, una cum omnibus aliis, quæ vel ex privilegio,
„ conſuetudine, aut de jure præfatorum regnorum noſtrorum Reginis debentur
„ pro contradote, quibus omnibus ipſa Domina Maria temporibus vitæ ſuæ libere
„ gaudere, uti, ac frui poſſit, ac valeat. hoc pacto, ut ſi ſupra dicta ſumma
„ in eorum reditibus ſummam præfixam, videlicet viginti quinque millium
„ florenorum Hungaricalium, non attingeret, quod de aliis reditibus noſtris
„ hunc defectum ſupplere debeamus; Si autem hanc ſummam viginti quinque
„ millium ducatorum Hungaricalium excederent, nihilominus id totum Domi-
„ næ Mariæ cedere debet; ipſamque Dominam Mariam ſtatim poſt conſumma-
„ tionem matrimonii cum filio noſtro Domino Ludovico per copulam in poſſeſ-
„ ſionem ſupradictorum locorum ponemus, & introducemos, curabimusque,
„ ut omnes officiales, ac ſubditi, præfatorom locorum, Dominæ Mariæ per
„ nos aſſignatorum homagia, & alia fidelitatis juramenta, eidem Dominæ Ma-
„ riæ præſtare debeant, ipſa quoque Domina Maria, de prædictorum locorum
„ officiis, & perſonis inſtituendis, & deſtituendis, ad arbitrium ſuum diſpone-
„ re poſſit, & debeat.

„ Hæc duo matrimonia tametſi in primis ad laudem Dei glorioſi, & ad
„ propagationem regalis ſanguinis, qualis eſſe debet finis, & intentio Sacra-
„ menti matrimonii, a nobis inſtituta, & firmata ſint, tamen ſi Deo æterno
„ placeret, ſicuti omnes mortalitati obnoxii ſumus, revocare ad ſe, quod ta-
„ men longius abeſſe velit, unum ex ſponſis, aut ſponſabus ante, aut poſt ma-
„ trimoniorum per copulam conſummationem, ita inter nos eſt coovenrum,
„ atqoe concluſum. Et in primis, in caſu, quo ſponſum, ſive maritum Do-
„ minæ Annæ, ſive nos, ſive alter nepotum noſtrorum is fuerit, ex humanis
„ ante copulam diſcedere contingeret, quod tunc præfatæ Dominæ Annæ ſum-
„ ma centum millium ducatorom in ſpacio unius anni, tunc proxime futuri
„ perſolvatur, aot jocalia tanti valoris ſecundum veram æſtimationem centum
„ millium florenorum Hungaricalium, quæ apud Provinciales noſtros inferioris
„ Aoſtriæ deponere debemus, in eventum noo ſolutionis ſupradictæ ſummæ
„ centum millium florenorum Hungaricalium tradantur; cum conditione tamen,
„ nos, aut hæredes noſtros, de Domina Anna, aot hæredibus ſuis, hujusmodi
„ jocalia cum ſumma memorata centum millium ducatorum Hungaricalium re-
„ dimere poſſe. Pro qua re Prælati, Comites, Barones, Nobiles, civitates,
„ omnesque ſtatus, & ordines provinciæ Auſtriæ ſufficienter, ſub fide, atque
„ honore ſuo, & ſub hypotheca omnium bonorum ſuorum, mobilium, &
„ immobilium ſe ubligabunt: quod in ſupraſcripto caſu ſummam centum mil-

lium

„ lium ducatorum Hungaricalium, abſque omni diminutione, aut jocalia ipſa
„ a nobis apud eos deponenda, manibus præfatæ Dominæ Annæ, aut sereniſ-
„ ſimorum Regum Hungariæ, & Bohemiæ, ſive aliorum, quos ſerenitates ſuæ,
„ aut regna ipſa ad hoc deputabunt, in arce Poſonienſi tradent, & conſigna-
„ bunt, omni dolo, & fraude, ac quavis machinatione ſiniſtra procul remotis.
„ Quod ut faciant, illis tenore præſentium præcipimus, injungimus, & man-
„ damus, ipſosque ab omni obligatione ſubjectionis, fidelitatis, & obedientiæ,
„ quibus nobis, & hæredibus noſtris ſunt adſtricti, ad hunc duntaxat effectum
„ abſolvimus, & liberos fore circa executionem ſupradictorum expreſſe pronun-
„ ciamus, & ex nunc declaramus, hi autem, qui hujusmodi pecuniam, ſive
„ jocalia in ſupradicto caſu ad arcem Poſonienſem perferent, numerum du-
„ centorum, ſive pedites, ſive equites fuerint, excedere non debebunt. Simi-
„ liter moriente ante conſummatiouem matrimonii per copulam ſponſo, præ-
„ fatæ Dominæ Annæ, quicunque is fuerit, iidem provinciales noſtri, ipſam
„ Dominam Annam cum omni honeſtate, ſalvis perſonis, & omnibus rebus
„ ſuis, & omnium ſuorum ad omnem ejus, atque ſereniſſimorum Regum Hun-
„ gariæ voluntatem, & arbitrium, ad regna paterna, Poſonium videlicet, aut
„ Znoymam reducere debent, & tenentur. In caſu vero, quod unam ex
„ ſponſabus ante matrimonii conſummationem per copulam, mortem obire con-
„ tingeret, nihilominus alteri ſponſæ, quæ ſuperſtes erit, dos ſuperius expreſ-
„ ſa ducentorum millium ducatorum perſolvatur: Similiter, ſi unus ex mari-
„ tis poſt matrimonii conſummationem fatis concederet, & uxor relicta ad ſe-
„ cunda vota tranſire vellet, eidem relictæ ſumma illa ducentorum millium du-
„ catorum perſolvi, & ipſa relicta ſtatui, & reditibus pro contradote ſibi aſſi-
„ gnatis cedere debet: interim vero, & quamdiu ſolutio iſta dotis ducentorum
„ millium ducatorum non fit, reditus annuos, & ſtatum ſuſtinere, & perci-
„ pere poterit, ac debet.

„ Quæ omnia ſupra dicta inter nos Maximilianum, noſtrosque nepotes,
„ ac noſtros Wladislai filium, & filiam contracta, firmata, & concluſa, poſtquam
„ matura deliberatione præhabita a nobis ſancita ſint, Procerum utriusque imperii,
„ ac regnorum noſtrorum accedente conſilio, grata, rata, ac firma habemus,
„ eaque omnia in fide, ac verbis noſtris Regiis obſervare, exequi, & adimplere
„ pro nobis, nepotibus, liberis, & hæredibus, atque ſucceſſoribus noſtris,
„ neque illis quoquomodo contravenire, directe, vel indirecte ex quacunque
„ cauſa, occaſione, ſive colore, dolo, & fraude penitus excluſis tenore præſen-
„ tium promittimus, & nos obligamus: Nos vero Sigismundus Poloniæ Rex,
„ poſtquam hæc omnia ſupra dicta, nedum in præſentia noſtra, ſed & cum
„ ſcitu, voluntate, atque conſenſu noſtro, ſancita, atque firmata ſunt, nosque
„ ut ſic fierent, omni opera & ſtudio laboraverimus, rati non tam præfatis
„ Majeſtatibus ſacratiſſimi Cæſaris, & fratris noſtri Hungariæ, Bohemiæque
„ Regibus, regnis, & eorum liberis, ſed & univerſæ reipublicæ Chriſtianæ
„ rem tam ſanctam, & ſaluberrimam profuturam, eadem fide noſtra Regia, at-
„ que in verbo ingenui principis, præſentium tenore promittimus, nos omni
„ fide, opera, ac ſtudio noſtro, quantum per nos fieri poterit, ut ſupra dicta
„ omnia obſerventur, exequantur; integra atque illæſa conſerventur, manu
„ teneantur, & compleantur, ſincere atque ingenue curaturos, & elaboraturos.
„ Ad hæc nos Maximilianus Imperator, Wladislaus, Sigismundus, Reges, pro
„ præmiſſorum omnium confirmatione ſanctiſſimum Dominum noſtrum requi-
„ remus, ſi contractus ſupradicti debitis ſolemnitatibus, vel perſonarum ætate,
„ aut alia quavis cauſa, ſive defectu non ſatis eſſent fulciti, ut beatitudo ſua
„ ad incrementum pacis, & univerſorum ſalutem hujusmodi defectus ſuppleat,
„ & omnia, ut acta ſunt, confirmet, & approbet, omnibus in contrarium fa-
„ cientibus derogando. In quorum omnium fidem indubitatam, atque teſti-
„ monium, nos tres præfati principes ternas conformes litteras manibus, &

1515. „ chirographis noſtris propriis ſubſcripſimus, atque ſigillis noſtris Imperiali, „ ac regalibus communiri fecimus. Cumque res iſte etiam conſilio, & induſtria „ reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium, ſupra dicti videlicet Strigonien- „ ſis, & ſedis Apoſtolicæ Legati, & Matthæi ſancti Aogeli Diaconi Cardinalis „ Gurcenſis, & Coadjutoris Salczburgenſis, & noſtri Imperatoris in Italia lo- „ cum tenentis generalis, actæ, tractatæ, & concluſæ ſint, manibus ſuis præ- „ ſentes litteras ad majus robur, & efficaciam etiam duxerunt ſubſcribendas. „ Datum in civitate Viennenſi die Dominica feſti ſanctæ Mariæ Magdalenæ vi- „ geſima ſecunda menſis Julii anno Domini MDXV. - -

Rex ſoluto conventu Cæſarem, ac fratrem Neoſtadii poſtremum ſalutat.

Io huuc modum nuptiarum pacta habent. Cæſar, poſtquam Reges ſplendidiſſimis donis exornaſſet, Neoſtadinm conceſſit, quo eum Wladislaus, ac Sigismundus cum Ludovico, Anna, ac Maria pridie Caleodas Auguſtas ſequuti ſunt. Hic expletis inter hilaria & mutuas amicitiæ ſignificationes diebus aliquot, Maximilianus, ſalutatis poſtremum Regibus, tertia Auguſti Lincium abiit, Sigismundus Viennam regreſſus eſt, iſthinc facto per Moraviam, ac Sileſiam itinere, Poloniam petiturus. *Rex autem Wladislaus cum maximo gemitu, ac lacrimis filiam Annam ſalutavit, ortus eſt utrobique ingens ejulatus: hinc pater, hinc filius, hinc filia, etiam adſtantibus lacrimas excuſſerunt. Coacti ſunt conſiliarii vi patrem abducere, qui una cum filio, eo die adhuc Sopronium cum omni ſua Curia conceſſit.* (o) Hæc celeberrimi conventus, cui potentiſſimi Europæ Principes, aut per ſeſe, aut Legatos aderant, narratio eſt, in qua ſi faſtidioſis quibusdam prolixiores fuiſſe videbimur, facile locum veniæ dabuot, ſi in animum induxerint, nos io re noſtra, ac paucis memorata prolixos fuiſſe.

Redux in Hungariam turbatas res reperit.

Ut in Hungariam Wladislaus redierat, mire omnia Palatini ſtudio turbata reperit. Perénius enim, nam hic ea tum dignitate, quæ ab Rege proxima eſt, ornatus erat, cum Poſonii moratur, ob contractam Viennæ cum Maximiliano affinitatem novas res moliri cæpit. Ajunt ob ſtabilitum Cæſari, ejusque nepotibus in Hungariam jus, ac ſucceſſionem, ut ita ageret, adductum eſſe: quod ex quo capite, & ob quam rem noſtri ſcriptores in litteras retulerint, cum iſtorum nihil pactorum tabulæ meminerint, non intelligo. Credibile eſt, ſive ſuopte ambitu, ſeu Joannis Scepuſii conſilio duceretur, eam molitioni cauſam prætexuiſſe, ut quæ Viennæ agebantur, popularium iovidiæ objiceret. Itaque ut primum conflata Viennæ connubia intellexit, pactis conventis interceſſit, vectusque per compita, & plateas, membris enim captus erat, quidquid de transferendo in exteros regno in conventu decretum eſſet, ſua auctoritate, & ordinum nomine irritum vicatim declaravit. Quæ cum ad Cæſarem, & Wladislaum in Auſtriam allata eſſent, haud levis utrique metus ingeſtus eſt, veritis, ne ea res aliquando poſteris fraudi futura eſſet. Igitur Maximilianus Regi auctor erat, ut eum primum Huogariam peteret, Palatinum muneribus, atque ingentibus promiſſis delinitum in ſuas partes adducere conaretur, pollicitus ſe, ſi poſtulatis morem gereret, eum Imperii Principis, Ducisque titulo cohoneſtaturum. Rex cum Budam venit, etſi Perénium ea de cauſa graviter reprehendiſſet, Cæſaris tamen conſilium ſecutus, arcem Saroſienſem cum perpetno ad poſteros jure, Ducisque titulum obtulit, ſi Viennenſia pacta ſua etiam ſuffragatione rata baberet. Ille avaritia, & ambitione ductus, cum ſe ad privato quidem, non item Palatini nomine facturum recipit, atque litteræ propterea exarantur, morte ſublatus rem infectam reddidit, nomen poſt ſe ambiguæ famæ relinquens. Aut enim nunquam, ſi æquitati non conſentaneum erat, intercedendum pactis erat, aut ſi juribus regni congruum, uou mutandus præmiorum ſpe, ac oblatione, ita animus, ut privato nomine probaret, quod publico,

Quod Palatinus regni, ſuoque nomine pactis Viennenſibus interceſſiſſet.

(o) Cuspin. in Diario.

blico, ne id faceret, vetitum erat; Hoc fœdæ avaritiæ, illud intolerabilis ambitus fuit: cujus haud obſcurum, plenumque arrogantiæ indicium dederat, cum moriens teſtamentum conderet, quo petebat, uti Rex funus ſuum ad ripam Danubü, Proceres autem, ac Optimates, trajecto flumine ad Peſtana usque ſuburbia comitari vellent.

Miſſi a Pontifice muncii ſtipendia & litteras Regi afferunt.

Palatino e vivis ſublato Vincentius Otoſienſium Epiſcopus, & Julius Cortonenſis ab Pontifice miſſi Regem convenere, uon modo ſtipendium, quod Leo promiſerat, ſed bellicum etiam apparatum afferentes, quo res in Illyrico, crebris barbarorum incurſionibus labefactatæ, adverſus vim, & periculum, egregie comparari poſſent. Adjecerat Pontifex ad ſubſidia litteras quoque, quibus, quo in Regem, ac Hungariam animo eſſet, uon obſcure prodit, in hæc verba ſcribens: (p) *Cum & reipublicæ Chriſtianæ dignitas, & tui regni, atque populorum ſalus in eo mihi verſari hoc tempore maxime videretur, ſi certa in Illyrico, atque Croatia, municipia Turcis expoſita, loci natura ſatis ad reſiſtendum idonea, etiam hominum opibus, atque præſidiis munirentur, Vincentio Otoſienſium Epiſcopo, & Julio Cortonenſi procuratoribus meis mandavi, ut eam curam ſuſciperent, eoque ſe conferrent, quam celerrime fieri poſſet. Eis magnum tritici numerum, magnum hordei illo comportandum juſſi dari, pulveriſque perfecti ad tormenta impellenda libras mille, ſulphuris præterea libras decies mille: ſalis nitri quinquies mille, quibus ex rebus pulvis, ſi eſſet opus, confici poſſet: tormentorum varii generis aliquot: atque iis quidem rebus omnibus curatæ pecuniæ adjeci numos aureos vicies centum, qua pecunia, quibusve rebus ex Epiſcopi Veſprimienſium, Croatiæ Præfecti, ſententia, & conſilio uterentur. Audio autem operæ precium eſſe, maxime quidem certe, ut mœnia eorum oppidorum reficiantur, ſed ſi quid eſſet aliud, quod vel ædificari, vel muniri oporteret, id eos ita juſſi procurare, ſi Epiſcopus Veſprimienſium mandaviſſet. Te autem magnopere hortor, ut quam ad te pecuniam ex reipublicæ propediem ærario ſum miſſurus, quæ quidem erit ad vicies mille aureorum numum, ejus multo maximam inſumas partem illis in locis, & municipiis & firmandis, & communiendis. Hæc cum me videas pro tua, tuorumque incolumitate laborare, quid te ipſum facere Wladislae oporteat, facile judicabis. Itaque non ero longior. Datum Romæ III. calendas Apriles MDXV. anno tertio.*

Quæ in quem uſum collata velit,

Eodem fere argumento ad Veſprimienſem Epiſcopum ſcripſit, etiam, atque etiam petens, ut quando Croatiæ regendæ præfectus eſſet, videret, ne quid barbari in eam provinciam molirentur, rebusque, quas miſiſſet ad infringendos eorum conatus uteretur. Litterarum hic tenor eſt: (q)

Epiſcopo Veſprimienſi, Præfecto Croatiæ.

Epiſcopum Veſprimienſem, Croatiæ Banum docet.

„ Dedi ad Wladislaum Pannoniæ Regem Vincentio Otoſienſium Epiſco-
„ po, & Julio Cortonenſi interpretibus, & procuratoribus meis litteras, quas
„ ad certa Illyrici, Croatiæque municipia, ut ſcis, & firmanda, & munienda
„ ad Turcarum impetus ſuſtinendos mitto, maxime petente, & monente te:
„ quibus ex litteris, quantos labores, quantas etiam expenſas ſuſceperim, fa-
„ cile intelliges. Nunc te hortor, ut quando in eam procurationem, atque cu-
„ ram te auctore ſum ingreſſus, cujus prudentiæ, atque in rebus gerendis ex-
„ perientiæ plurimum tribuo, quibuscunque in rebus eſſe illis uſui poterit
„ virtus, auctoritasque tua, eos juves, Juliumque præſertim, cui mandavi,
„ tuo ut conſilio muniendis illis oppidis, & bello, ſi forte in aliquem tumul-
„ tum eorum adventus incideret, adminiſtrando, & docendo uteretur. Id facere
„ te oportet cum reipublicæ Chriſtianæ, cujus res agitur, cauſa, tum tua, quo
„ impulſore uſus ſum, tum vero etiam mea, qui te ſecundum Regem tanti fa-

(p) Ex MS. Heveneſſianis. (q) Ibidem.

1515. „ cio, ut tibi iſta in regione latiſſima, atque populoſiſſima præferam neminem. „ Datum Romæ III. calendas Apriles MDXV. anno tertio. „

Re ad Jayczam utcunque reparata

Magno uſui, quæ Pontifex ſubſidio miſerat, noſtris fuiſſe, haud multo poſt eventus docuit; cum fama afferretur rem male ad Jayczam geſtam eſſe oppreſſis ſubito noſtris a Turcis, cum commeatus in oppidum importarent, quorum inopia, qui erant in præſidio milites, vehementer laborabant. Pars eorum cæſi, pars vivi capti, atque in vincula conjecti magno provincialium metu, quibus ſpes nulla ſupererat oppidum retinendi, cum magnum periculum immineret, ne eo amiſſo, hoſti aditus, ubi viſum eſſet, ad vaſtandas, & populandas finitimas provincias pateret. Rex cognito periculo confeſtim novos delectus habere, & Epiſcopum Veſprimienſem laborantibus ſubvenire jubet: qui prius ab Rege, quam mandata mitterentur, ad primam rei geſtæ famam collecto raptim milite ad Savum advolarat, ut ex propinquo, cum res poſceret, ſuis adeſſet: Simul ad Balthaſarem Alapium, qui ſecundum ab ſe in Croatia locum tenuit, litteras dederat, ut quantas poſſet, ex Sclavonibus, copias celeriter cogeret, annonaque, & commeatu inſtructas ad ſe adduceret; quibus conjunctus Savum transmittere, ac Jayczam a barbarorum metu liberare conſtitutum habebat. (*r*)

Oratores ab Selimo, qui pacem, aut inducias peterent, affuerant.

Neque dubium eſt, loco, impoſitis præſidiis, ac importato commeatu, diligentia Veſprimienſis Epiſcopi proviſum eſſe, quod barbari viſo noſtrorum apparatu, cogitationes a bello ad pacis ſtudia transferrent. Nam ad anni exitum Oratores ab Selimo Turcorum Sultano cum litteris affuere, qui ſin minus ſtabilem cum Hungaris pacem conficerent, certe inducias in triennium conflare niterentur. Wladislaus incertus animi, quid in re dubia conſilii capiendum eſſet, Thomam Cardinalem, ac ceteros, quibus uti in rebus arduis ſolebat, ad ſe accerſens, rem omnem iſtorum arbitrio permiſit. Varia in primis ſententia erat, quod nonnulli, dum Pontifex non temnenda jam ſubſidia miſiſſet, pluraque ſe miſſurum datis nuper litteris recepiſſet, & Selimus in Aſia bellum parum ſecunda fortuna gereret, tempore utendum cenſerent, ac repudiatis barbarorum poſtulatis arma expediri oportere contenderent. Alii, ſaniorque pars nihil temere in re ancipiti conſtituendum eſſe ſuadebant, quando ſociis deſtituti, ac Maximiliano in Italia occupato, in ſolo Pontifice haud ſatis virium, ſubſidiique eſſet, ſive ad trahendum, ſeu propulſandum bellum.

Rex Pontificem propterea conſulit.

E re videri, ut recens Budæ objecta induciarum ſpe Legatis, Orator ad Leonem mitteretur, qui præter Regis litteras, eas quoque, quas Selimus pacis impetrandæ cauſa miſerat, in urbem afferret, ac judicio Pontificis, quidquid is decreviſſet, ſtaretur. Id cum pleriſque placeret, Wladislaus datis ad Papam litteris, nuncium quam celerrimis poſſet itineribus, Romam proficiſci juſſit, qui cum mandatis reditum maturaret, ne barbaris ſuſpicio ingereretur, aut mala ſecum fide agi, aut induciarum ſimulacro bellum apparari: quod ſi ad Selimum perferretur, non ſolum collapſis domi rebus nihil profuturum, ſed ultimum prope exitium allaturum eſſet.

An. Chr. 1516.

Qui, ut neutrum barbaris indulgeret,

Leo Pontifex, cum primum, quid Selimus moliretur, ex Wladiſlai nuncio, ac litteris intellexit, ut erat Hungariæ cauſa maxime ſolicitus, collato cum Cardinalibus conſilio, non ineundas cum barbaris inducias eſſe cenſebat, ſpe auxiliorum, quæ Reges ſe daturos promiſerant, maxime in eam cogitationem adductus. Itaque Wladiſlao, quid ſibi eatenus videretur, quidve ab Rege fieri vellet, in principio anni ſequentis ita reſcripſit: (*s*)

Wladis-

(*r*) Reverendiſſimus KERCSELICH in Hiſtoria Zagrabienſi pag. 212.

(*s*) Ex MS. Heveneſſianis.

Wladiſlao Hungariæ, Bohemiæque Regi illuſtri.

„ Lectis tuis ad nos litteris, quibuſcum litteris erat exemplum earum „ litterarum, quas Turcarum Rex de pace tecum ſancienda, aut ſaltem de in„ duciis ſtatuendis ad te ſcripſerat; quibus me litteris ſuper ea re conſulis, pe„ tisque a me, velim, quid tibi agendum ſit, mature conſtituere, ad teque „ perſcribere. Viſum eſt mihi faciendum, ut adhibitis ſtatim meis fratribus „ Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus, tanta de re inter nos ſententiæ dicerentur. „ Quod cum eſſet agitatum, tandem omnium conſilio, atque ſententia decre„ vimus, ad te ſcribi oportere, nullo ut pacto non ſolum pacem, ſed ne indu„ cias quidem ullas cum Turcarum Rege faceres; nec tuam illi fidem, qui „ nulla fide obſtringitur, obligares, neve cauſam dares, eo fœdere perpetuis „ noſtris hoſtibus, rem Chriſtianam publicam commodius, atque facilius tur„ bandi. Non enim Rex pacem tecum vult illius boni cauſa, ſed tantummo„ do, ut te conſopiat, quieſcereque faciat, dum ipſe ceteros ſuos hoſtes expu„ gnet, ut poſtea ab iis, qui ei nunc imminent, hoſtibus ſecurus, & fortior, „ robuſtiorque factus, te, tuaque regna cum prima rei gerendæ occaſione ag„ grediatur, atque opprimat. Quam ob rem non te quidem pax iſta tutum a „ Turcis reddet, ociumque tibi comparabit, ſed te quidem ipſe primum, tua„ que regna, ea pace finita, deinde etiam Chriſtianam rempublicam oportu„ niorem ipſi objicies ad debellandum, & quaſi de manu, quantum in te eſt, „ trades. Quod quam tibi committendum ſit, ſtatues ipſe, & puto ſtatues „ ex tua, Majorumque tuorum dignitate. Veruntamen, quoniam explora„ tum nobis eſt, ſine noſtro, ceterorumque Chriſtianorum Regum, & virorum „ Principum auxilio, non poſſe te a Turcarum impetu regna tua tueri, atque „ defendere, externis præſertim, internisque bellis defeſſa prope, ac debilitata; „ dedi Regibus ſingulis, & Principibus litteras, quibus petii diligentiſſime ab „ iis, te ut pecunia una nobiſcum juvarent, quod eos omnes libenter facturos „ puto. Quare bono animo es, confido enim tantum tibi pecuniæ in tempore „ communiter ſubminiſtratum iri, ut nihil tibi verendum ſit, ne repellere „ poſſis, tuosque fines facile tueri. Quod cum ita ſit, ſummopere te hortor, „ abs teque pro tua religione, & pietate vehementer quæſo, ne te ullo pacis, „ aut induciarum genere cum Turcis conjungas. Quamquam quidem non id „ peto, ut eorum poſtulationes jam nunc reſpuas, atque rejicias, ſed potius, „ ut eis verba des, tempusque interpoſita ſpe teras, quemadmodum ipſi te„ cum fecerunt, qui Legatum tuum ad ſe profectum ante biennium non ad„ miſerunt, dum, quid mihi a Chriſtianis Regibus reſpondebitur, ſcire poſſis. „ Quod ut celeriter fiat, omnem operam adhibebo, incumbamque in eam rem, „ ut in te defendendo nullum a me paternæ Charitatis, & benevolentiæ munus, „ atque officium prætermittatur. Vale, nosque dilige. Datum Florentiæ VI. „ calend. Februarii MDXVI. anno tertio.

Datis ad Wladiſlaum litteris auctor eſt.

Neque ſpe ſua ſe fruſtratum eſſe, quam in aliorum principum auxilio collocarat, paulo poſt Veſprimienſi Epiſcopo ſignificavit, quem, ut Regem in propoſito oblatas ab Turcis inducias porro repudiandi, confirmaret, majorem in modum hortatur. (t) *Cum intellexiſſem* (ſcribit) *Turcarum Regem ab Wladislao Pannoniæ, Bohemiæque Rege per Legatum ſuum petere, vel ut pacem ſecum, vel inducias triennales conficeret; de fratrum meorum Eccleſiæ Romanæ Cardinalium ſententia dedi ad eum litteras, quibus ab eo magnopere petii, nihil eorum, quæ poſtulabantur, faceret, neque ſe cum hoſte ſuo, noſtroque ulla conditione conjungeret. Pollicitus autem ei ſum, daturum me operam, ut communi Regum omnium, & Chriſtianorum principum pecuniæ collatione juvetur, ut ſe, ſuosque populos tueri, atque propellere hoſtem poſſit, ſcripſique ad ſingulos ea de re diligentiſſime, quorum qui vicinus nobis erat, Franciſcus Gallorum*

In eandem ſententiam Epiſcopo Veſprimienſi ſcribit, ſubſidia pollicitus.

(t) Ibidem.

1516. *Rex mihi amantiſſime reſcripſit, omnia, quæ vellem, libentiſſime ſe facturum. Itaque confidimus, ut maxime opus eſt, ita fore, reliquosque Reges omnes idem reſponſuros, idemque facturos. Quod cum erit ab ipſis perfectum, omnem illorum ſtipem mea cum ſtipe, quanta maxima fieri poterit, celeritate per meas homines magnis itineribus iſto mittam. Quibus de rebus omnibus te certiorem facere volui, ut ſpem haberes, Wladislaum Regem, & ejus populos non ſolum, qua ſe tueri, ſed etiam, qua, ſi volent, offendere hoſtem poſſint, propediem habituros. Dum hæc autem interea comparantur, ſi tibi ad tuenda, muniendaque munienda Illyrici municipia operæ precium erit, commeatus is, quem in oppido Sibinico Julius Cortonenſis meo nomine aſſervandum reliquit, permitto tibi, ut eo univerſo, quemadmodum tibi videbitur, ſic utare. Hortor autem te, ut ſtudium, diligentiamque tuam, curam, laborem, animique tui fortitudinem, mihi plane jam, vel omnibus potius hominibus cognitam, iis in rebus adminiſtrandis ita exerceas, ut, quod ſpero, & reipublicæ Chriſtianæ dignitas per te retineatur, & tui gloria nominis augeatur, & tibi ipſe magis, magisque debeam. Datum Florentiæ XVII. Calendas Martias MDXVI anno tertio.*

Inter has conſultationes Rex obit.

Hac ſpe Rex utcunque ſuſtentatus, cum Selimi Legatos induciarum oſtentatione ducit, ſimulque, quis defuncto Perénio in Palatini dignitate ſubrogandus eſſet, & qua ratione Jaycæ oppido conſulendum, deliberat, febri primum, tum acrioribus, quam unquam alias, nervorum doloribus correptus, irritatisque, quibus crebro confliЀtabatur, podagræ doloribus proſtratus, III. idus Martias (*u*) diem extremum obiit, poſtquam unum, & ſexaginta annos vixiſſet, regnaſſet autem in Hungaria viginti quinque, in Bohemia quintum, & quadrageſimum expleſſet. Funus Albam Regiam deductum, & ut moriens ſtatuerat propter Annæ conjugis locum Regio more, ac memorabili pompa XIV. Calendas Apriles conditum eſt.

Conſtituto prius tutore Sigismundo fratre, filium

Prius quam decederet, cum videret vitæ ſpem deploratam eſſe, vocatos ad ſe Thomam Cardinalem, & Joannem Bornemiſſam, ceterosque regni principes, cum Joanne Carneovszkio, quem Sigismundus paulo ante Legatum ad ſe ex Polonia miſerat, majorem in modum oravit, ut pro ſumma ſua in illos indulgentia, ſtudio in rem publicam, ac pietate in omnes, quorum ſalus ſuæ fidei fuiſſet commendata, filium, ut regni, ita ſuæ voluntatis, & ſtudii hæredem, re-

(*u*) De ejus obitu variant Scriptores. Sunt, iique plures, qui VI. Martii, Piſtorius III. Iſtvanffyus VIII. ejusdem menſis defunctum perhibent. Sed dubium omne tollit cum Ludovici ad Sigismundum patruum Epiſtola, tum Jodoci Decii, qui Sigismundo a ſecretis conſiliis erat, teſtimonium, qui XIII. Martii defunctum habent. Conſentit tabula ærea, defuncti ſepulcro affixa, quam Cæſarei occupata ab Turcis Alba Viennam tulere, quæque nunc in Bibliotheca Auguſta aſſervatur, cum hac epigraphe

ANNO DOMINI 1. 5. 1. 6. XIII. MENSIS MARCII. IN CASTRO BVDENSI. HORA VII. POST MERIDIEM OBIIT SERENISSIMVS WLADISLAUS. CASIMIRI II. POLONIE REGIS FILIVS. HVNGARIE BOHEMIE DALMACIE CROACIE REX. VIXIT ANNIS LVIII. DIES XIII. ET REGNAVIT IN HUNGARIA ANIS VIGITI QVIQ; MESIBVS V. DIEB9 XXIIII. In BOHEMIA ANIS XLV. MEN. VI. DIEB9 XXIIII. IN LADVLA SECVDA CONSORS EIVS ANA. Ex adverſa parte hæc viſuntur: MARTINVS † DE PRVSSIA † FVDIT. Ego contra, quam in epigraphe exprimatur, annum ætatis poſui 61. quod is cum Jodoci Decii teſtimonio, qui natum ſcribit anno 1456 prima Martii, apprime congruit. Accedit Iſtvanffyus, qui eodem ætatis anno defunctum habet. Et Bartolinus, qui, Regi in conventu Viennenſi colloquutus, Silicernium ſenem fuiſſe memorat.

regendum ſuſciperent, ea quidem ætate, quæ per ſe imbecilla, decimum enim annum agebat, duce, & moderatore egeret, ſed unde tamen magna eſſet facultas, adoleſcentem magnæ ſpei, atque indolis, ad virtutis, & ſapientiæ normam, ſi rectorem prudentem, & gravem virum nanciſceretur, conformandi. Cognitam eſſe Ludovici indolem, quem in omnium oculis ad uſum regni ab teneris educaſſet, itaque ab ſuo obitu dandam iis operam eſſe, ne quam illius animo inſeviſſet, pulcherrimarum virtutum ſementem deſidia ſua præfocarent. Sed quoniam in omni munere adminiſtrando multorum conſilium unius auctoritas moderaretur, rogare ſe enixe, ut Sigismundi fratris in regenda filii ætate auctoritatem vellent agnoſcere, qui illi ſanguine patruus, voluntate, ac ſtudio parens eſſet, quive vix ſibi in eo fovendo quidquam conceſſurus videretur. Hæc ſe extremum ab illis petere, & flagitare, quæ ſi ſe facturos pollicerentur, libenter vitam cum morte commutaturum eſſe. Dicitur hæc poſtrema Regis oratio principum animos, quibus viventis auctoritas deſpicatui fuiſſet, ita moviſſe, ut quæ moriturus oraverat, ſe facturos unanimi conſenſu reciperent. Rem ad hunc modum actam eſſe, haud multo poſt Ludovicus Rex ad Sigismundum patruum ita perſcripſit: (x) *Triſtia ſunt ſereniſſime Rex, quæ ſcribimus, & nonniſi acerbo mærore proſequenda, atque adeo triſtia, ut nec nos ſine lacrimis ea ſcribere, nec Majeſtas veſtra ſine ingenti dolore, vel legere, vel audire queat; quæ licet jam & legerit, & audierit, tamen dolorem Majeſtatis veſtræ, id quod non libenter facimus, cogimur vel litteris noſtris refricare. Orbati ſumus ambo, nos patre pientiſſimo, Majeſtas veſtra fratre chariſſimo, & illo quidem nuncio, cujus deſunctio, etſi utrique noſtrum eſt acerba, nobis tamen tanto acerbior, quanto magis ejus præſentia, ejus ope, ejus tutela indigere videamur. Reliquit enim nos in hac tenera, & puerili ætate, ad talia regna gubernanda, quæ etiam ab adultis, & bello exercitatis Regibus, ob hoſtes, quibus pene circumdantur, ferociſſimos, non ſine difficultate magna ſunt gubernanda. In quo mærore ſi eſt, aut eſſe poteſt aliquid, quod faciat ad noſtrum dolorem levandum, illud unum eſt, quod paterna Majeſtas, ut in vita ſæpe antea fecerat, etiam in extremis, dum jam animam ageret, præſente Majeſtatis veſtræ Oratore - - - adſtantibus hujus regni utriusque ordinis Primatibus, expreſſa voce, ſanaque mente inter ſalutares actus ſuos, inter pias lacrimas, Majeſtati veſtræ, & ejus curæ, atque tutelæ nos commendavit, & per manus tradidit, utpote illi fratri ſuo, quo nihil in vita charius habuerit, & cui orbitatem noſtram, fortunasque noſtras omnes committere nunquam dubitaverit. Quæ cum paulo ante mortem conſilia de avertendis - - - periculis, quæ confinibus hujus regni impendebant, agere cum Dominis cœpiſſet, podagricis primum fuit correpta doloribus, deinde, febre accedente, adeo vis morbi ſenſim invaluit, ut nulla ope ſervari potuerit, quin diem obiret. Tulit autem & ægritudinem ſuam, & mortem ipſam eadem patientia, qua vitæ moleſtias, & quæque incommoda ferre conſueverat. Et prius, quam ad extrema perveniret, integris ſenſibus, ſano & vegeto mentis intellectu, ut pium, & Catholicum, ut religioſum decebat Principem, confeſſionem abſolvit; Euchariſtiæ Sacramentum reverenter, & devotiſſime ſuſcepit, permiſit ſe ungi, oravit, dum potuit, continue: ceſſante linguæ uſu, audivit orantes, & ita ſe ad exitum præparavit, ita ornavit, ita ſaluti conſuluit in omnibus, ut mori, quam vivere malle videretur, & exemplum cum ſubditis, tum Principibus relinqueret, bene moriendi. Deſeruit autem vitam feliciter III. idus Martii præteriti ad horam poſt meridiem ſeptimam, cujus corpus feretro compoſitum, & regali habitu, ut mos eſt, primo decoratum inſigni, ac memorabili pompa, una cum oſſibus ſereniſſimæ Dominæ Annæ genitricis noſtræ chariſſimæ, piæ memoriæ, ad Albam regalem, locum ſcilicet & coronationis, & ſepulturæ Regum Hungariæ, comitantibus omnibus Dominis, & Proceribus honorifice eſt perductum: Budæ tamen prius juſtis, quæ utrique debebamus, rite perſolutis: conditaque ſunt eorum corpora in Alba regali XIV. Calendas April. eodem ſepulcro, dignis exequiis, quibus etiam præfatus Majeſtatis veſtræ Orator interfuit, ibidem celebratis. Hæc ſunt ſereniſſime Rex, quæ nobis de obitu paternæ Majeſtatis ſcribenda videbantur.* (y)

regni ordinibus commendat.

Ludovici Reg:: litteræ ad patruum de Regis morte.

(x) Apud Cl. Belium Tom. III. Notit. Hungar. pag. 242.

(y) Scripta eſt Epiſtola X. April, anno 15.6.

1516.

Wladiſlai virtutes, & vitia.

Fuit Wladiſlaus per omnem vitam cum ſuapte natura, ocio, ac quieti deditus, tum in republica præcipue adminiſtranda deſes, non tam voluntatis, ut opinor, vitio, quam quod lento eſſet ingenio. Itaque cum propterea aut non magni ab ſuis fieret, aut deſpicatui paſſim haberetur, plerique ex utraque gente, cui imperabat, Proceres, compendio ſuo ſtudentes, neque dignitati quidquam tribuere, & aſſentatione præterea, crebriſque rogationibus, domeſticam ejus rem ita ad incitas redigere, ut Dubravio teſte, alienas ſæpe menſas non tam officii, quam penuriæ cauſa, adire neceſſe haberet. Quod ſi ad privatas tantum rationes attinuiſſet, utcunque ferendum erat: ſed ubi homines turpiter avari, impunitatem ſibi ab inertia Wladiſlai, in loco pœnæ polliceri poterant, etiam in Regis jura, ac proventus promiſcue involare, attenuato plerumque tam fœde ærario publico, ut cum bellum inferri, propulſarive oportuerat, nervus omnis rerum gerendarum acciſus eſſet. Alioquin pacis præ bello cupidior, neque militiæ amans: quo fiebat, ut inducias mallet cum barbaris aliqua ſui cum nominis ignominia conficere, quam arma juſtam etiam ob cauſam corripere. Et quamquam eum nihil ex regni ditionibus amiſiſſe conſtet, tamen id non tam virtuti illius, quam Selimi abſentiæ dandum, quem Aſia ſeptennium integrum ab Europa abſtractum maximis bellis exercuit. Cetera cum pius, clemensque in omnes eſſet, neque niſi ex aliorum voluntate, ingratiis ſuis aliquando ſeverus, locum inter optimos Principes habere poterat, ſi Principi privato eſſe liceret. Id maxime vitio datum, quod rempublicam, quam ab Mathia florentiſſimam capeſſiverat, ignavia ſua aliorum conſiliis depravandam præbuerit, ex quo regnum neceſſariam, ut evenerat, poſt ſe ruinam traxit.

O. A. M. D. G.

IN-

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A.

Fol.

Alba regia in poteſtatem Maximiliani venit. 217. *Ab Wladiſlao recipitur.* 227

Albertus Caſimiri filius regnum Hungariæ ambit per Legatos. 208. *Hungariæ imminet.* ibid. *Rurſus regno ingruit.* 218. *Rex Poloniæ creatur.* 251. *Mors ejuſdem.* 297

Alexander VI. Pontifex Maximus 252. *Nuncium, qui cauſam Beatricis diſpiciat, in Hungariam mittit.* 254. *Liberum Wladiſlaum a matrimonio cum Beatrice viduæ pronunciat.* ibid. *Victoriam de Turcis ab Hungaris relatam Romæ vulgat.* 295. *Subſidia Wladiſlao decernit.* ibid.

Alexander Alberto ſuccedit in regno Poloniæ. 297

Alibegus Turcarum Dux. 255

Alphonſus Beatricis frater Romæ ſororis cauſam agit. 253

Annæ Gandalenſis ſponſæ Regiæ in Hungariam adventus. 303. *Filiam cognominem enititur.* 304. *Ludovicum filium enixa moritur.* 322. *Mortis cauſa.* ibid.

Annæ in coronatione Ludovici fratris lacrimæ. 334. *Ejuſdem decor, & pulchritudo.* 371. *Maximiliano, ſi neuter nepotum vellet, ad D. Stephani deſponſatur.* 379. *Dos eidem aſſignata.* 381 & ſeqq.

Auſtrales in Sopronienſem agrum incurrunt. 17

Auſtriaci belli ſemina. 136

B.

Bajazetis in Hungariam molimina. 252. *Pacem cum Venetis conficit: quibus conditionibus?* 305. *Per Legatos pacem ab Mathia petit.* 169. *Per litteras de perfidia ſe Mathiæ purgat.* 175. *Confectis in triennium induciis corpus S. Joannis Eleemoſinarii Mathiæ Regi mittit.* 199. *Didymotichum ſecedit.* 343. *Veneno ſuffertur.* ibid.

Banffy Jacobus rebelles ad Bachiam profligat. 356

Barbara Joannis Scepuſienſis ſoror Sigismundo Poloniæ Regi deſponſatur. 340. *Cracoviam deducitur.* 341

Bartholomæus Beriſlous comprehenſus Budam ducitur. 268. *Culeo inſutus præceps in Danubium agitur.* 269

Bathorius Stephanus memorabili prælio Turcos profligat. 129. *Joannem Corvinum prælio vincit* 212. *Belgradum adverſus ſeditioſos ſtrenue tuetur* 355. *Diem obit.* 255

Bathyanius Bened. Quæſtor ærarii peculatus inſimulatus cuſtodiæ mandari jubetur. 338. *Innocens repertus dimittitur.* 339

Beatrix legitimo thoro nata oſtenditur. 98. *Coronatur.* ibid. *Regi in manus convenit.* 106. *A Legatis Principum donis exornatur.* ibid. *Pax ejus opera inter Cæſarem, & Mathiam ſancitur.* 114. *Wladiſlai liberali vultu, morumque elegantia capitur.* 127. *In Regem morientem pietas.* 202. *Rempublicam capeſſere interim a morte Mathiæ jubetur.* 203. *Wladiſlai nuptias ambit* 248. *Repulſam paſſa ad Pontificem confugit.* 249. *Hungaria excedit.* 255. *Ejus mors.* 333

Blaſius Viſſegradum cum corona Regi Wladiſlao dedit. 214

Bogdanus Moldaviæ Vayvoda Eliſabetham Wladiſlai ſororem in conjugem poſtulat. 212. *Repulſam paſſus tractum maritimum in poteſtatem redigit.* ibid. *Non invito Wladiſlao Polonis ſe clientelari jure obſtringit.* ibid. *Bellum in Polonos parat.* 331. *Ab Sigismundo inſigni prælio vincitur.* 335

Bornemiſza Joannes in aula Ludovici Regis ſupremam præfecturam obtinet. 328. *Ejuſdem adverſus rebelles conſilium.* 352. *Rem in Peſtano agro ſtrenue in ſeditioſos agit.* 353

Brutus rerum Hungaricarum ſcriptor. 344

C.

Caſimirus Poloniæ Rex Legatos ad Mathiam mittit. 87. *Bellum Mathiæ obmovet.* 93. *De pace cum Mathia tranſigit.* 95

Caſtellonus Epiſcopus ad Cæſarem, & Mathiam Nuncius deſignatur. 155. *Cæſare convento Budam properat, ubi ab Rege honorifice acceptus eſt.* 161. *Pontificem de rebus geſtis edocet, magnamque Mathiæ laudem tribuit.* 162. *Novas pacis conditiones a Friderico affert, ſimilesque ab Mathia ad Cæſarem reportat.* 171

Catharina Boſniæ Regina ſedem Apoſtolicam ex aſſe hæredem ſcribit. 123

Comitia Peſtinum ad legendum Regem indicta. 207. *Æmulorum legationibus diſtrahuntur.* 208. *Legati ſeorſim audiuntur.* ibid. *Quid ordines ſingulis reſponderint?* 210. *Comitia Budam ab Wladiſlao indicuntur.* 283. *Eorum ſanctiones.* ibid. *Comitiis celebrandis certa tempora decernuntur.* 284. *Rurſus in campum Peſtanum hæc indicuntur.* 308. *De Moravia, Sileſia, ac Luſatia diſceptatur.* 309

Congreſſus Mathiæ cum Wladiſlao Rege. 127. *Wladiſlai cum Alberto Leutſchoviæ.* 263. *Maximiliani, & 3. Regum in campo Trautmonſdorffium inter & Leytæpontum.* 374

Fol.

Conradus Niger Olnicenſis Dux. 96. *Ejus uxoris conſilium audax.* ibid.
Corneuburgum a noſtris obſidetur. 174. *Deditur.* 176. *Ab Maximiliano recipitur.* 215
Coronæ ſacræ cuſtodiæ ut ne penes eosdem ſemper manerent, cavetur. 257. *Formula jurisjurandi, ab iis præſtandi, qui hoc Magiſtrata fungerentur.* 258
Croatæ militis inſigne facinus. 262
Cromeri dicacitas in Mathiam retunditur. 97
Cruce ſignatorum ſcriptio decernitur. 351. *In nobilitatem ſæviunt.* 352. *Victi nonnulli ſupplicio affecti.* 353. *Res in eosdem factioſos ad Agriam, & Aradinum proſpera fortuna geritur.* 354
Curcuſſi Semendriæ Præfecti ſtratagema militare. 371
Cuſpinianus ab Cæſare legatus in Hungariam venit. 358
Czoborius Conſtantinopoli redux de conſiliis Bajazetis Regem edocet. 250

D.

David Hiday Leytam capit. 160. *Clauſtroneuburgum obſidet, Germanos obſeſſis ſubſidio venientes in fugam conjicit.* 174
Derencenius Croatiæ Banus Turcos cædit. 227. *In prælio ab iisdem capitur.* 255
Dragfius in præfectura Tranſilvanienſi Bathorio ſuccedit. 255. *Turcorum Ducem Alibegum fundit.* ibid. *In Laurentium Uſlakium movet.* 265

E.

Eccleſiaſtici ordines quam ſymbolam ad belli apparatum conferre debeant, conſtituitur. 286. *Vetatur iisdem, ne decumarum cauſa ad Pontificem appellent.* 183
Edelbachius de Monyorókerék Stiriam vaſtat. 154. *Fürſtenfeldam igni exurit.* ibid.
Emericus Perényius Hungariæ Palatinus creatur. 308. *Ejusdem arrogantia, & avaritia.* 386

F.

Ferdinandus Rex Neapolitanus ſubſidia adverſum Turcos ab Mathia petit. 141. *Et accipit.* 142. *Beatricem Hungariæ ordinibus a morte Mathiæ commendat.* 209
Fridericus Cæſar fœdus cum Poloniæ Rege adverſus Mathiam init. 63. *In hujus ſocietatem Hungariæ quoque Proceres trahit.* 64. *Ad nuptias Mathiæ venire renuit.* 107. *Cum Bohemis, & Polonis fœdus ſancit.* ibid. *Ejusdem ad Hungariæ ordines litteræ.* 109. *In Hungariam irrumpit.* 138. *Atque iterum.* 153. *Per Epiſcopum Forojulienſem animum Mathiæ explorat.* 159. *Fruſtra Auſtriacos in fide confirmare nititur.* 179. *Auxiliares copias adverſus Mathiam ab Imperii ordinibus impetrat.* 198. *His Albertum Saxoniæ Ducem præficit.* ibid. *Pacem cum Mathia tentat.* 200

G.

Fol.

Geographica deſcriptio partium Hungariæ vicinarum. 299. & ſeqq.
Georgius Doſa ſingulari certamine Alim Epiraſam perimit. 351. *Dux cruce ſignatorum inauguratur.* 352. *In ſuburbanas Budæ, ac Peſtini Nobilium domos impetum facit.* ibid. *Fœdiſſimis ſuppliciis in Nobiles graſſatur.* 354. *Temeſam proficiſcitur, urbemque obſidione cingit.* ibid. *Capitur.* 356. *Immane ſupplicium ex eo, & complicibus ſumtum.* ibid.
Gurcenſis Cardinalis Poſonium venit. 364. *Cauſam adventus coacto ſenatu proponit.* 365. *Viennam redux nuncios ad Cæſarem mittit.* ibid. *Poſonium redit.* 366. *Cum Wladislao de matrimonio utrinque conficiendo tranſigit.* ibid.

H.

Hamburgum obſidione cingitur. 156. *In poteſtatem Mathiæ venit.* 159
Hidruntum Turci intercipiunt. 141
Hungarorum cædes in coronatione Ludovici Regis Pragæ. 334
Huſſitæ Pragam occupant. 169

I.

Jacupes Boſniæ Præfectus Modruſienſem agrum vaſtat. 255
Jakoſiczius ad Bajazetem Legatus mittitur. 195. *In reditu ab Gaſe Muſtapha obtruncatur.* ibid.
Jakſitzii ſingulare cum Tartaro quopiam certamen. 218
Jaſenius obſidionem cum Polonis fortiter ſuſtinet. 73
Innocentius VIII. Sixto ſuccedit. 176. *Ad pacem cum Cæſare ineundam Mathiam hortatur.* ibid. *Bavariæ Ducem ea propter per litteras etiam convenit.* 181. *Mathiam ſibi iratam ægre placat.* 186
Joannes Alemannus Strigonienſis Archiepiſcopus ad Cæſarem transfugit. 99. *Inducias Cæſaris cum Mathia diſcutit.* 152. *Inter Hungaros ad Morburgum ſtragem edit.* 154
Joannes Arragoniæ Cardinalis Strigonienſem Archiepiſcopatum adit. 173
Joannes Corvinus Mathiæ nothus. 96. *Beatricis curæ ſe commendat.* 203. *Rempublicam cum Beatrice capeſſere interim ab obitu Mathiæ jubetur.* ibid. *Ejus Legati primi in Comitiis audiuntur.* 208. *Regnum per factiones ambit.* 211. *Seceſſionem cum ſibi adhærentibus parat.* 212. *Conceſſa illi ab regno poteſtas.* 210. & 216. *Coronationi Wladislai magna pompa intereſt.* 216. *Zagrabiam expulſis Germanis recuperat.* 227. *Ex Frangepanibus conjugem ſibi adlegit.* 255. *Turcos ad Jayczam profligat.* 294. *Diem obit.* 312

Joan-

RERVM MEMORABILIVM.

Fol.

Joannes Quinque - Eccleſienſis Epiſcopus ſponte in exilium abit. 86. *Ejusdem mors, & laus ab litteris.* 87

Joannes Scepuſienſis. vide *Zapolya Joannes.*

Joannes Strigonienſis Archiepiſcopus Caſimirum contra Mathiam evocat e Polonia. 76. *Cuſtodiæ eapropter ab Rege traditur.* 79. *Sed Regi mox reconciliatus liber dimittitur.* ibid. *Rurſus Viſſegradi cuſtodiæ mandatur.* 84. *Graves conditiones, quibus dimittitur.* ibid. *Ex animi mœrore obit.* 86

Joannes Varadienſis Epiſcopus ad Regem Galliarum Legatus mittitur. 182. *Joannis Corvini partes deſerit.* 212. *Legationis ad Wladislaum princeps conſtituitur.* 213. *Albertum fratri reconciliat.* 214. *Item legatione apud Cæſarem defungitur.* 326. *Conjurationem Bohemicam prudenter componit.* 333. & ſeq.

Julius P. M. ſubſidia in Turcos regni ordinibus pollicetur. 311

K.

Kanyſaius Croatiæ Banus. 256

Kinyſius Paulus Crembſium obſidet. 113. *Bathorio laboranti in ſubſidium venit.* 129. *Proſpere cum Turcis confligit.* 156. *Præclare iterum rem in hoſtica agit.* 262. *Detectam Belgradi conjurationem ſopit.* 263. *Judex Curiæ creatur.* Ibid. *In hoſtico re rurſum cum laude geſta obit.* 264. & ſeq.

L.

Ladislaus Gerebus Archiepiſcopus Colocenſis. 298

Legati Hungari dum pacis cum Maximiliano initæ conditiones promulgant, ægre vim populi effugiunt. 245

Legatio Cæſaris in Hungariam. 71. *Mathiæ ad Imperii Comitia.* 130. *Sed irrita conatu.* 133. *Ejusdem ad conventum Norimbergenſem.* 148. *Ejusdem ad Rhodios Zizimi cauſa.* 194. *Bajazetis ad Mathiam.* 195. *Wladislai ad Maximilianum.* 215. *Ejusdem ad Bajazetem.* 249. *Ferdinandi Neapolitani Regis ad Wladislaum in cauſa Beatricis.* 250. *Wladislai in eodem negotio ad Alexandrum VI.* 253. *Venetorum ad Wladislaum, cui fœdus in barbaros offerunt.* 256. *Wladislai ad Bajazetem.* 274. *Regis Galliarum ad Wladislaum.* 317. *Hujus, ac regni nomine ad Maximilianum Cæſarem.* 321. *Item ad Julium Pontificem ob Beatricis dotem.* 332. *Ad Comitia Bohemica.* 333. *Sigismundi Regis Poloniæ ad Wladislaum.* 339. *Hujus ad Selimum Sultanum.* 344. *Item Romam pro ſubſidiis in Turcos.* ibid.

Legio nigra ob ſeditionem deleta. 251

Leo X. P. M. Wladislao ſtipendia mittit. 387. *Quæ ad arcendos ab Illyrica, & Croatia Turcos deſtinat.* ibid. *Conſultus ab Wladislao de pace, aut induciis cum Selimo ineundis, neutrum petenti licet Sultano indulgendum reſpondet.* 388. *Nova pollicetur ſubſidia.* 389

Ludovicus Rex naſcitur. 321. *Eidem cutis per fomenta inducitur.* Ibid. *Albæ coronatur.* 328. *Tum Pragæ.* 334. *Celebre ejusdem dictum.* 376. *Vicarius, & ſucceſſor in Imperio ab Maximiliano conſtituitur.* 377. *Sigismundo Wladislai mortem nunciat.* 391

Ludovicus Helianus Vercellenſis Regis Galliarum ad Hungariam Legatus. 317. *Ejusdem ad Hungariæ ordines in Ludovici coronatione oratio.* 328

M.

Mathias Rex Legatos ad Papam mittit, qui ei dignitatem gratulentur. 13. *Eosdem ad Maurum Venetorum Ducem adire jubet.* 14. *Lis eidem cum Friderico Ginſienſium cauſa oboritur.* 15. *Objectas a Cæſare criminationes litteris refellit.* ibid. *Propter incurſiones Auſtralium Cardinali S. Angeli, & Cæſari queritur.* 17. *Movere ſuos in Auſtrales jubet.* 19. *Turcorum legationem ab regno prohibet.* 20. *Cauſas hujus Venetorum Duci reddit.* ibid. *Cognito Turcorum apparatu Venetos periculi admonet.* 22. *Eandem ob cauſam ad Regem Francorum ſcribit.* 23. *Spem ſubſidiorum a Pontifice accipit.* ibid. *Conflatam ſibi apud Pontificem invidiam prolixa epiſtola diluit.* 28. *Bohemos latrocinantes penitus profligat.* 30. *In Tranſilvaniam movet, redactisque in ordinem ſeditioſis,* 34. *Moldavum res novas molientem conſerta pugna, etſi non ſine capitis ſui periculo, vincit.* 35. *Ad ſpem regni Bohemici a Cæſare erigitur.* 39. *Bellum in Podiebradium decernit.* ibid. *Concito Poſonium exercitu, Catholicos Bohemos de ſua deſtinatione edocet.* 40. *Fœderi ſcriptis ad Victorinum litteris renunciat.* 41. *Caſtra Georgio in Moravia opponit.* 43. *Victorinum ejus filium Trebnicii obſidet, & ſubſidia a Moravis petit.* 47. *Inde Brunam, ac Spilbergam movet.* 48. *In Bohemicum profectus, parum abeſt, quin a Georgio per inſidias cum toto exercitu comprehenderetur.* 49. *Tributi auctarium extra ordinem impetrat; cavet tamen publicis litteris id in legem non abiturum.* 51. & 60. *Ab Caſimiro Rege filiam ſibi deſponderi petit, ſed repulſam patitur.* 52. *Spilbergam occupat, & pacem in annum ſancit.* 53. *Rex Bohemiæ ab ordinibus Olomucii proclamatur, ac Brunæ ſubſtitutis corona, ac ſceptro coronatur.* 54. *Podiebradium de inſidiis admonet.* 56. *Ad Hradiſcium cladem accipit, rurſum tamen hoſti reddit.* 59. *A Florentinis leones dono accipit.* 64. *Inſidias Cæſaris veritus clam Vienna diſcedit.* 65. *Bellum Bohemicum inſtaurat.* ibid. *Ad ſingulare certamen Podiebradii Regis nomine invitatur.* 66. *Equeſtre ſe accepturum recipit.* 67. *Copias improvide Bohemiæ admovet.* 71. *Hoc mul-*

mul-

Fol.

mulsum illi in Comitiis regni, uti & præceps Legati Apoſtolici ſtudium obeſt. 72. *Legatos ad Ratisbonenſem conventum mittit, quo irrita redderetur Wladislai in Regem Bohemiæ electio, ſed nullo ſucceſſu.* 75. *Domeſticæ in eum turbæ.* 76. *Caſimiro copias ad Nitriam opponit.* 77. *Eundem volens, prudensque elabi permittit.* 78. *Legatos Turcicos pacis conditiones afferentes rejicit.* 89. *Acephalos profligat.* 91. *In Polonos moves.* ibid. *Pacis cum iisdem initæ conditiones.* 92. *Hos obmoto rurſum bello facta ex caſtris eruptione fugat.* 94. *Cladem iisdem tum in caſtris, tum in Polonia infert.* 95. *Ejus in Polonos victos liberalitas.* ibid. *Olsnicenſem Ducatum juribus ſuis vindicat.* 96. *Beatricem ſibi deſpondet.* 98. *Sabacſium Turcis eripit.* ibid. *Szenderoviam irriso conatu tentat.* ibid. *Legationem ſplendidiſſimam pro adducenda Beatrice Neapolim mittit.* 99. *Moldavo laboranti ſubſidia promittit.* 100. *Turcos ſola adventus ſui fama fugat.* 101. *Sponſam Albæ Regiæ exſpectat, obviam it, atque in urbem inducit; tum coronari jubet.* 103. *Budam deducit, & convivio cum ceteris accipit.* 104. *Cœnaculi apparatus: convivii ſplendor: convivarum frequentia: ludi equeſtres.* 105. *Amicitiæ, ac fœderi cum Cæſare renunciat.* 107. *In Auſtriam irrumpit, loca aliquot capit.* 112. *Crembſium obſidet.* 113. *Induciæ inter Cæſarem per Legatos conficiuntur.* ibid. *Pacis tabulæ.* 114. *Ejus in litteras, & litteratos ſingulare ſtudium.* 117. *Bibliothecam copioſam, & ſplendidiſſimam Budæ condit.* 118. *Regiam ornat.* 119. *Leges indicto Budam conventu condit.* 120. *Miſſo Pruſſis ſubſidio Caſimirum illis conciliare ſtudet.* 126. *Ob conflatam inter Venetos, & Turcos pacem Sixto acerbius queritur.* 127. *Cum Wladislao congreſſus pacem confirmat.* ibid. *Cum Caſimiro quoque fœdus inſtaurat.* ibid. *Jura ſua a Pontifice uſurpari datis ad Cardinales litteris queritur.* 135. *Secovienſem Epiſcopum a Cæſare bonis mulctatum recipit certis conditionibus.* 137. *Friderico bellum per litteras denunciat.* 140. *Et per Legatos in Stiria, & Auſtria gerit.* 141. *Pontificis opem adverſus Turcos implorat.* 146. *Juris arbitrium Imperii Principibus offert.* 159. *Bellum in Auſtria inſtaurat, & Viennam obſidere deſtinat.* 160. *Quinquennes inducias Turcis concedit.* 170. *Corneuburgum obſidet.* 174. *Pontes Viennenſes occupat.* 178. *Viennam ternis caſtris obvallat.* ibid. *Dum Eberſdorfium tentat, capitale periculum adit.* ibid. *Viennam capit.* 179. *Neoſtadium obſideri jubet.* ibid. *In Hungariam redux regno conſulit conditis, reſtauratisque legibus.* 182. *Simultas ejus cum Pontifice Innocentio.* 186. *Certas ditiones Raſciæ Deſpoto in pignoris loco concedit.* 185. *Neoſtadium ad deditionem cogit.* 189. *Faſtum Legati Turcici militariter comprimit.* ibid. *Caſtra Schadviennæ admovet.* 191. *Reliquum Auſtriæ occupat.* 194. *Legatum Turcicum majeſtate ſua terret.* 195. *De tributo cum Auſtriæ ordinibus tranſigit.* 198. *Cum Saxoniæ Duce inducias paciſcitur.* ibid. *Bellum in Sileſiam transfert.* 197. *Joannem Saganenſem Ducatu privat.* ibid. *Cum Magiſtro ordinis equitum S. Georgii tranſigit.* ibid. *Maximilianum muneribus ornat.* 200. *Viennam redux diem obit.* 201. *Mortis cauſa, & genus.* 202. *Defuncto Viennæ parentatur: corpus in Hungariam deducitur.* 203. *Albæ, ac Budæ eidem parentatur.* 204. *Corporis habitus, & animi dotes.* 205. *Virtutes, & vitia.* 207

Maximilianus Rom. Rex ſubſidia Auſtriacis promittit. 188. *Oratores ad ſollicitandos procerum animos mittit in Hungariam.* 208. *In humero vulnus accipit ſub arcis Viennenſis expugnatione.* 215. *Legatos Hungaros rejicit.* ibid. *Albam Regiam obſidet, & capit.* 217. *Jus ſuum in Hungariam indemne præſtari petit.* 218. *Hungariæ exercitum infundit.* 320. *Fœderis, quod cum Wladislao iniit, capita.* 323. *Oratores Poſonium ad Reges mittit.* 374. *Ludovicum vicarium Imperii, & ab obitu ſucceſſorem vulgato diplomate decernit.* 377. & ſeq. *Annam ſibi ad Divi Stephani deſpondet, ſi neuter nepotum id vellet.* 380. *Neoſtadii Wladislao valedicit, ac Lincium concedit.* 386

Militiæ Hungaricæ diſciplina, uſusque. 144. *Militaris licentia compreſſa.* 184. *Militiæ ſcribendæ, ac profectionis leges.* 286

N.

Neoſtadium obſidione cingitur. 179. *Suburbium ejusdem occupatur.* 189. *Mox urbs quoque ſe Mathiæ dedit.* ibid. *Series obſidionis, & res utrinque geſtæ.* ibid.

O.

Optimates bellum contra Maximilianum Wladislao ſuadent. 217. *Plures ad Maximilianum deficiunt.* ibid. *Ignaviam Wladislao publico in conventu oggerunt.* 257. *Pactis de ſucceſſione Maximiliani in Hungaria pauci ſubſcribunt.* 261. *Illuſtriorum ſub Mathia Rege nomina, & laus.* 271. & ſeq. *Optimatum Hungariæ, & Bohemiæ ſtudia.* 281

Ordines regni Hungariæ vulgato edicto in reipublicæ turbatores agunt. 258. *In Comitiis largitionibus modum præſcribunt.* 285. *Judiciorum rationem conſtituunt.* ibid. *Decretum condunt, ne quis ex exteris unquam Rex optaretur.* 313. *Idem per regni provincias vulgatur.* 316

Otto Bavarus inducias cum Mathia reſtaurat. 200

P.

Palatinale judicium antiquatur. 183

Palatinis dignitas certis legibus comprehenditur. 180

Pala-

Fol.

Palatino data provincia, ut finitima barbaris præſidia diligenter curentur. 287

Paulus II. cunćto Legatorum, qui ex Italia Romæ aderant, conventu, de ſuppetiarum, ac ſubſidiorum Mathiæ Regi mittendorum rationibus deliberari jubet. 27. *Multorum ob exauctoratum Podiebradium invidiæ objectus, Mathiam, ut ſecum ſentiret, hortatur.* 32. *Ob geſtum in Bohemos bellum pilea & gladia eundem donat.* 68. *Tum ſtipendia adjicit ampliora ſubſidia pollicitus.* 69

Petuncius juſſu Regis in Rhodum, tum ſponſæ cauſa in Galliam proficiſcitur. 296. *Redux ſubſidiorum ſpem facit.* 299. *Et libellum de variis viis aggrediendi Turcos Regi offert.* 299 & ſeqq.

Petrus Anbuſſonius Rhodiorum magiſter claſſi contra barbaros comparatæ præficitur. 295

Petrus Colocenſis Archiepiſcopus pacis cum Bajazete initæ conditiones non ſat fideliter in tabulas refert. 170. *Eapropter carceri mancipatur.* 175. *Viſſegradum transfertur.* 188. *Ab Joanne Corvino libertati reſtituitur.* 208. *De Turcorum apparatu bellico Regem edocet.* 227. *Simultates inter Sirmii Ducem, & Raſciæ Deſpotam ſopire ſtudet.* 229. *De conflandis inter Regem, & Beatricem viduam nuptiis agit.* 248. *Bajazetis molimina Regi ſignificat.* 252. *Ducto alvea Danubium Bachiam divertit.* 282

Petri Pokii crudele facinus, & ſupplicium. 209

Podiebradius Rex Bohemiæ a Papa exauctoratur. 31. *De induciis cum Mathia agit.* 43. *Detrectata pugna recedit.* 44. *Wladiſlaum ſucceſſorem ſibi decernit.* 55. *Victorinum filium Hungaris opponit.* ibid. *Domeſticis turbis occupatur.* 67. *Mortem oppetit.* 71

Polonorum Scriptorum in Mathiam convitium refellitur. 102

Poſonii incendium ægre ſopitur. 365

R.

Ratkai Budenſis Præfectus Corvinum ad pangendum cum Proceribus fœdus adducit. 173. *quibus conditionibus?* ibid.

Roſenbergerus Legatus ad Imperii ordines. 289. *Hujus ad eosdem oratio.* ibid.

S.

Sclavoniæ ordines regni ſui inſignia inſtaurari petunt. 279

Selimus Sultanus proclamatur. 343. *Bellico noſtrorum apparatu territus, ab Wladiſlao pacem, aut inducias petit.* 388

Sigiſmundus Quinque-Eccleſienſis Epiſcopus repetundarum poſtulatur, & convincitur. 271. *Ejusdem in patriam amor.* 218

Sigiſmundus Wladiſlai frater Alexandro Poloniæ Regi ſubrogatur. 325. *Tabulas matrimoniales inter Cæſarem, & Wladiſlaum conditas confirmat.* 368. *Poſonium venit.* 363. *Contractui matrimonii Cæſaris cum Anna Regina Viennæ intereſt.* 379 & ſeq. *Cæſarem Neoſtadium ſequitur.* 386. *Viennam, ac inde in Poloniam redit.* ibid.

Sixtus Pontifex Wladiſlaum cum Mathia conciliare nititur. 82. *Mathiam irritato, quod Wladiſlao Bohemi dixerant, fidei ſacramento, Regem Bohemiæ pronunciat.* ibid. *Moravis, & Sileſitis minas intentat, ni Mathiam ſectarentur.* 83. *Legatum ad conciliandos Wladiſlaum, & Mathiam mittit.* 88. *Mathiam a fœdere Turcico abſtrahere nititur.* 89. *Victoriam de Turcis relatam gratulatur Mathiæ.* 97. *Item alteram.* 101. *CC. aureorum millia in ſtipendium mittit.* 102. *Epiſcopum Caſtelli ad conciliandum Cæſari Mathiam deſtinat.* 155. *Fruſtra Mathiam ab obſidione Hamburgi revocat.* 158. *Ad componendas Huſſitarum turbas hortatur.* 171. *Obit.* 176

Stephanus Moldaviæ Vayvoda in clientelam a Mathia recipi rogat. 93. *Inſigni ex Turcis victoria potitur.* 96. *Tartaros profligat.* 101. *A Turcis ad anguſtias compellitur.* ibid. *Polonos e Moldavia exigit.* 272. *Hungaris, & Polonis fœderis ſocius accedit.* ibid.

Stephanus Scepuſienſis, vide *Zapolya.*

Suelius latrocinantium Dux cum primipilis ad furcam damnatur. 31

T.

Tarcianum Leybenſes cives vinculis adſtringunt. 215. *Arcem dedit.* ibid.

Theanienſis Epiſcopus pacis tractationem Mathiam inter, & Cæſarem diſcutit. 150

Thelegdii Steph. oratio, qua Cruce ſignatorum conſcriptionem diſſuadet. 350

Thomas Bakacſius Strigonienſis Archiepiſcopus. 282. *Conſilio illius fœdus Rex cum Venetis init.* 294. *In Cardinalium collegium cooptatur.* ibid. *Regem ob conjugis mortem ſqualentem erigit.* 327. *Venetis favet.* 337. *Ad conquirenda ſubſidia Romam proficiſcitur.* 343. *Julio mortuo nonnulla illi ſpes ad Pontificatum facta.* 344. *De conſcribendis Cruce ſignatis conſilium Optimatibus proponit.* 349. *In eundem exorta ſeditio, ſed mox ſopita.* 357

Turci in Chriſtianorum ditiones incurrunt, & percurſata Stiria, Carinthia, & vaſtato Forojulienſium agro indemnes revertuntur. 50. *Daciam invadunt.* 107. *In ditiones Hungariæ incurrentes cladem accipiunt.* 122. *Itemque a Bathorio.* 128. *In Hungariam incurrunt.* 138. *Hydruntum capiunt.* 141. *Turcorum purpurati Mathiam in Bajazetem concitant.* 168. *Turci Valachiam ingreſſi Kyliam, & Neſtem capiunt.* 174. *Cladem in Croatia accipiunt.* 176. *Sabacſium oppugnant, ſed irrito conatu.* 250. *Croatiæ vaſtitatem inferunt.* 255. *Poloniam vaſtant.* 288. *In Sclavoniam irrumpentes inſigni clade afficiuntur.* 309

V.

Victorinus Podiebradii filius captivus Budam adducitur. 56. *Liber dimittitur.* 87

Fol.

Vienna ab Mathia obſidetur. 178. Deditionem facit. 179. In Maximiliani poteſtatem redit. 215
Uſlakius Boſniæ regulus. 78. Ejusdem conſilio res adverſum Polonos proſpere geritur. ibid.
Uſlakius Laurentius res novas molitur. 265. Ab ſuis deſertus regno ejicitur. 266. Ad Palatini opem confugit. ibid. Regis gratiæ, & arbitrio ſe permittit. 267. Bonis mulctatus in gratiam recipitur. 269. Colocenſis Archiepiſcopi opem implorat, quo bona reſtituantur. 270. Eadem reſtituta certis conditionibus, non tamen omnia. 271
Urbanus Agrienſis Epiſcopus Vice-Palatinus. 207. Conventum regni ordinibus indicit ad legendum Regem. ibid. Proceres ad concordiam hortatur. 211
Urſus Urſinus Legatus a latere in Hungariam mittitur. 254

W.

Wladislaus Bohemiæ Rex eligitur. 74. In Bohemiam venit, & coronatur. 76. Praga ab Huſſitis excluditur. 169. Legatos ad Comitia Peſtana mittit. 209. Rex Hungariæ rite pronunciatur. 212. Ab Oratoribus Hungariæ invitatur, ac Budam deducitur. 213. Albertum regni æmulum per Legatos placat. 214. Albæ coronatur. 216. Copias Alberto opponit. 218. Fœdus cum eodem ſancit. 219. Ejus conditiones. ibid. & ſeqq. Albam recuperat. 227. In Turcos ad Jayczam populantes copias mittit. 228. Pacem per Legatos cum Maximiliano init. 231. Quibus conditionibus. ibid. Eas ratas habet. 246. Legatos ad cohoneſtandum Cæſaris funus Viennam mittit. 256. Clam cum Alberto fratre de dignitate tuenda agit. 262. Leutſchoviæ cum Alberto congreditur. 263. Tranſilvaniam petit. 264. In Laurentium Uſlakium bellum decernit. 265. Turcis triennales inducias concedit. 268. Stipendium oſtiatim imperat. ibid. Jus Bohemis Poſonii dicit. 270. Polonos Moldavis conciliat. 272. Imminente a Turcis belli metu apparatum comparat. 273. Martis ſidus ad inſigne Sclavoniæ adjicit. 279. Ad Bohemos inviſit. 280. Collapſas res regni ſapienter reſtaurat. 281. Sacramentum fidei a Moravis, & Sileſitis accipit. 282. Beneficii in exterum collatione Optimates offendit. 283. Budam eosdem ad conventum evocat. ibid. Sanctiones Budenſium Comitiorum ſuo nomine confirmat. 288. Fœdus cum Alberto percutit. 292. Pontifici in cauſa Epiſcoporum ad alias Eccleſias translatorum ſcribit. 298. Venetis cum Bajazete paciſcentibus accedere tergiverſatur. 304. Septennales inducias Bajazeti concedit. 305. Cauſas, cur id feciſſet, ad Chienſes perſcribit. ibid. Itemque ad Regem Galliarum. 308. Conventum ſuis in campum Peſtanum indicit. ibid. Iſthic conſtituta rata habet. 310. Communi in Venetos fœderi accedere renuit. 311. Decretum Ordinum de ſucceſſione exterorum tacitus concoquit. 317. Fœderis tabulas per Legatos ab Maximiliano allatas confirmat. 325. Ob conjugis mortem ſqualens rempublicam negligit 326. Inſtituendis prolibus operam locat. 328. Pacta de futuro ſuos inter, ac Cæſaris nepotes confirmat. 329. Bellum in Moldavos, & Turcos parat. 331. Ad Dalmatiam recuperandam ſtudia confert. 336. Cremſirii metu peſtis ſubſiſtit. 337. Pragam redit. 338. Cameracenſi fœderi in Venetas icto accedit. 340. Recrudeſcente peſtilentia in Sileſiam abit. ibid. Attentata ejus cædes. 358. Cum Cuſpiniano de conventu Poſonienſi tranſigit. ibid. Feudum Oppavienſis Ducis Teſſinenſi confert. 361. Ab Legatis Cæſareis Poſonii ſalutatur. 363. Regi Poloniæ obviam fit. ibid. Opipare convivas Poſonii excipit. 371. Oratores ad Cæſarem mittit. 373. Cum Cæſare ad Trautmonsdorffium Regia pompa convenit. 374. & ſeqq. Viennam cum fratre petit. 377. Solennitati deſponſationis Cæſaris cum Anna filia ſua intereſt. 380. Neoſtadio Sopronium diſcedit. 386. Res per Palatinum turbatas redux offendit. ibid. Conſtituto tutore Sigismundo fratre, filioque regni ordinibus commendato moritur. 390. Albæ Regiæ ſepelitur. ibid. Virtutes ejusdem, & vitia. 391

Z.

Zagrabienſes Canonici procurſionibus Turcorum fortiter reſiſtunt. 58
Zapolya Emericus regni Palatinus. 181
Zapolya Joannes Wladislaum Cremſirii adis. 337. Cum eo ob abſentiam diuturnam ab regno expoſtulat. ibid. Nuptias Annæ Regis filiæ cur exambierit? 341. In Turcos movet, ſed copias reducere jubetur. 344. Laboranti Belgrado ſubſidio venit, initoque cum ſeditioſis prælio vincit capitis pleriſque anteſignanis. 355. A Turcis inſigni clade afficitur. 371
Zapolya Stephanus militare facinus edit. 156. Auſtriæ præfectura ornatur. 200. Arbitrium legendi Regis ab regni ordinibus eidem committitur. 211. Wladislao ſtudet præ ceteris regnum ambientibus. ibid. Viennam deſerit. 214. Albertum Regem Eperieſini obſidet. 219. Palatini dignitate ab Rege ornatur. 248. Turbas in regno excitat. 262. Wladislaum, ac Albertum Reges liberaliter habet. 264. Moritur. 393. Ejusdem liberi. ibid.
Zdenko Sternbergicus Palatinus Bohemiæ. 76
Zelenius in Auſtria vaſtitatem ultra Cremſium circumfert. 154. Rurſum Auſtria ab Mathia immittitur. 155
Zingari globos ferreos conflandi poteſtatem ab Wladislao Rege accipiunt. 273. De eorum origine conjectura. ibid.
Ziſimus Bajazetis frater prælio inferior ad Rhodios confugit. 168. Romam venit. 199

F I N I S.

344
1 116
vol I
lib 2